BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLIX
H
27
NAPOLI

Digitized by Google

XXIX
H
27

ANNALES MINORUM

CONTINUATI

A

P. F. JOANNE DE LUCA VENETO

Ejuſdem Ordinis Scriptore, & Chronologo Generali.

ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

Ab anno, quo definit P. LUCAS WADDINGUS MDXL,
usque ad annum MDLIII.

CONTINUATI

A

P. F. JOANNE DE LUCA VENETO

Minorum Observantium Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato,
Ordinis Scriptore, & Chronologo Generali

JUSSU

R.mi P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA EBORENSIS

Ejusdem Ordinis Ex-Ministri Generalis, ac Potentissimi Lusitaniæ Regis
JOANNIS V. apud Sanctam Sedem Ministri Plenipotentiarii.

TOMUS XVIII.

ROMÆ Typis Bernabò, & Lazzarini MDCCXL.)(*Superiorum permissu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

NAPOLI

SANCTISSIMO

D. N. D.

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ex Ordine Minorum Obſervantium S. FRANCISCI
Deſignatus Epiſcopus Portucalenſis

FELICITATEM.

ACTUM *eſt nutu, ac voluntate Divina,* BEATISSIME PATER, *ut Annalium Waddingi editione perfecta Volumen hoc meum, quo Annales iidem continuantur,*

typis

typis committerem, ac muneris loco SANCTITATI TUÆ *nuncuparem. Nam & Deus profecto, Deus fuit, qui mihi in Urbe terrarum principe tot negotiis districto ad hoc opus parandum vires attribuit, & qui* Waddingum *Deceſſori Tuo Clementi XII. nuper dicaveram, non potui facere, quin novam hanc ſeriem Franciſcanæ hiſtoriæ ſub Tuis item auſpiciis in vulgus emitterem: ejus, inquam, Pontificis, qui cum Clemente non tam animi celſitudine, ac majeſtate, quam in Ordinem noſtrum benevolentia, ac perpetua de illo bene merendi voluntate certare videatur. Præter hæc vero, cum Patrum noſtrorum, qui vel doctrinæ vel ſanctitatis laude floruerunt, his Annalibus facta contineantur, cum egregie navata ab iis opera Eccleſiæ referatur; omnino Tibi dicandum erat, quidquid hoc eſt, Pontifici Optimo ac Sapientiſſimo; cujus eſt tanta virtus, ut Eccleſia Romana ſuperiorum temporum calamitatibus afflicta, Te clavum tenente,*

me-

meliora omnia ſperare tandem incipiat; ſcientia vero Divinarum rerum ita admirabilis, ut ex Catholicis doctiſſimi quique in Tuis ſcriptis inveniant, unde doctiores quotidie fiant, hæreticos autem etiam fateri neceſſe ſit, ad Eccleſiam docendam Paſtorem populi Chriſtiani Te aptiſſimum omnium ſuffragio inventum fuiſſe. Una eſt omnium vox, eum Te eſſe, cui ſit pietatis in Deum, liberalitatis in pauperes, beneficentiæ in homines probos, ac literatos, amoris in omnes ordines antiquiſſima cura: cujus & poteſtas timeatur, cum omnia poſſis; & bonitas diligatur, cum idem non plus licere Tibi velis, quam quantum perfecta ratio, & decorum præſcribit. Norunt eximiam integritatem vitæ Tuæ, egregium illud, nec unquam ſatis laudandum purgandæ Eccleſiæ ſtudium, animum vero nihil, niſi de Deo, & de utilitate publica cogitantem. Perſpecta omnibus ſunt, quæ ad mores hominum corrigendos, & ad auferendam improbis omnem male di-

cen-

cendi occaſionem, in his initiis Pontificatus conſtituiſti. Quibus omnibus ex rebus cum populus Romanus incredibilem percipit voluptatem, tum vero illud efficitur, ut univerſum terrarum orbem Tui nominis fama ſecundis hominum acclamationibus pervagetur; denique imaginem Tuarum virtutum æternis gloriæ monumentis expreſſam non modo ætas noſtra, ſed ipſa poſteritas intuens, cupiat imitari. Vides igitur, BEATISSIME PATER, *quid cauſæ fuerit, cur hoc volumen Annalium in Tuo nomine apparere voluerim, ut quæ nimirum in eo leguntur exempla virtutis & ſapientiæ a noſtris edita, hæc ad Te unum velut exemplar earum rerum, & tanquam fontem uberrimum referantur. Sed ut hoc munus Tibi deferrem, me potiſſimum impulit ſingularis mea in* SANCTITATEM TUAM *obſervantia, benignitatis quotidie erga me Tuæ argumentis certiſſimis confirmata. Nam & priuſquam Pontificatum inires, dignum me habuiſti, qui in Tuo*

præ-

præſidio conquieſcerem, & nunc amoris ſignificationes mihi tantas dediſti, ut nihil poſſit eſſe ſupra. Cujus etiam a Te benevolentiæ in omnem gentem Luſitanam teſtimonia nullo non tempore extiterunt; ut ſpes mihi ſit, negotia Regis Domini mei, quæ apud hanc Sedem Apoſtolicam a me per decennium & ultra tractata ſunt, brevi fore explicanda, & ad eum, quem votis omnibus optavi, magniſque laboribus procuravi, felicem exitum perducenda. Ne longum faciam, hanc ego clementiam TUÆ SANCTITATIS *in me ita incluſam tenebo ſenſibus intimis, ita animo colam, ac tuebor officiis, ut ad bene de Te merendum tanquam ſtimulis utar beneficiis Tuis, ac, ſi vitam profundere opus ſit, egregie mecum actum iri putem. Nunc qua ſoles humanitate, quæcumque a me proficiſcuntur, excipere, hoc munus admitte. Exiguum quidem id eſt, multiſque nominibus parvi faciendum: ſed quod Ordinis ejus, quem tantopere diligis,*

monumenta contineat, ſtudii mei, ac voluntatis in Te magnum eſſe putabis argumentum.

ERV-

ERUDITO LECTORI.

INTER eos Auctores, qui Minorum res geſtas litteris conſignarunt, nemo unus ab Ordine condito tam bene ſibi in poſteritatem conſuluit, quam P. Lucas Waddingus, qui multorum labores incredibili induſtria ſuperavit, in excutienda vero antiquitate non vulgari ſolertiæ laude omnibus anteivit. Hujus ego luculentam hiſtoriam, quæ in annum definit quadrageſimum primum ſupra ſeſquimilleſimum, continuare in ſequentem ætatem pro virili parte decrevi, auctoritate ac præſidio ſubnixus eorum, qui, quam Familiam ſumma cum poteſtate imperioque procurant, ejus decora & laudes ad omnem memoriam poſteritatis propagare omni ope contendunt. In quibus principem locum jure optimo tenet Reverendiſſimus Pater Joſephus Maria Fonſeca Eborenſis, qui ubi primum in urbe Roma non ſine magno reipublicæ bono magiſtratum inivit, Ordiniſque negotia generalis, ut vocant, Procuratoris officio tractanda ſuſcepit, nihil ſibi duxit antiquius, quam ut Waddingum, cujus tam pauca, eaque mendis non ſolum plurimis, ſed etiam fœdis horridiſque ſcatentia exemplaria ſupererant, elegantibus typis imprimendum curaret; dein monumenta Franciſcanæ Familiæ diligentiſſime conquiſita mihi committeret, ut ad temporum conſequentium Annales, quaſi penu ſuppeditato, conſcribendos aggrederer. Nunc quando ille propter ſummos honores in Ordine geſtos ſupra cæteros eminet auctoritate, ejuſque animi magnitudinem in rebus arduis capeſſendis, conſtantiam in promovendis exploratam habemus, illud fore ſperamus, ut nos ingenti alacritate ſtudioque incœptum tenentes hujus Operis perſequendi materia numquam deficiat.

ciat. Jam vero quid hoc volumine primo Annalium meorum in vulgus edendo propoſuerim, quid hac ingenii mediocritate, ac valetudine parum firma præſtiterim, paucis habe. Qui poſt Waddingum Franciſcanis de rebus Commentarios ſcripſerunt, Italica alii lingua, alii Hiſpanica, pauci, quod ego ſciam, Latina uti maluerunt. Noviſſimus ego tamquam in poſſeſſionem vacuam venire conſtitui, ut Latine exponerem, quæ juxta hiſtoria Latina nondum occupaſſet. Ita autem rebar pertinere ad celebritatem Franciſcani nominis, ſeriem extare rerum omnium continuatam genere uno ſermonis, cujus uſus longe pateret; ut hiſtoriam haberent univerſam, non partem modo, gentes expertes aliarum linguarum, quibus res Franciſcanas cognoſcere cordi eſſet. Jam vero quod conſilio probabili inſtituiſſe videor, an etiam pro rei dignitate perfecerim, in tanta præſertim orationis Latinæ difficultate, ingeniis hominum tam moroſis, ſententiiſque tam diſſimilibus, judicium alienum fuerit. Præclarum certe mihi ducam, credi non aberrare via tota ab arte ejus, qui ante me Franciſcanos Annales monimentis iiſdem conſignavit. Cæterum profiteri licet, prætermiſſum nihil, ut, quod primum eſt in hiſtoria, diligentiam, & fidem præſtarem. Subinde Minorum facta illuſtraturus excedo ad externa. Cautio tamen ibi eſt, ne vitio peccetur: & ſi quando aut bellorum conſilia, expeditiones, eventus, aut alia digna commemoratu, quæ tamen longe ab inſtituto abhorrere cuipiam fortaſſe videantur, narranda ſuſcipio; ea vel Franciſcanis immiſta ſunt rebus, vel eo conſilio in bono lumine collocanda ſum arbitratus, ut ipſa videlicet argumenti varietate lectoris animum oblectarem. In quo me ſane eamdem viam inſiſtere, qua Waddingus præivit, qui Commentarios hujus auctoris pervolutarint, facile intelligent.



AP-

APPROBATIONES ORDINIS.

DE mandato Reverendiſſimi Patris Noſtri Joannis Antonii a Sancta Cruce, in hac Ciſmontana Minoritica Familia Vice-Commiſſarii Generalis, primum Tomum Continuationis Annalium Minorum, celeberrimi Viri Patris Lucæ Waddingi, ab admodum Reverendo Patre Fratre Joanne de Venetiis, ejuſdem Ordinis Lectore Jubilato elaboratum, nos infraſcripti diligenter evolvimus, ac ſumma animi voluptate perlegimus; cumque in eo nihil offenderimus, quod Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur, imo pro religione, & moribus plura ſatis, & egregia invenerimus, & quidem perpolito, ac eleganti ſtilo conſcripta; ideo ad noſtri Ordinis decorem, ac litterariæ reipublicæ utilitatem publica luce donandum cenſemus.

Romæ in Cœnobio Fratrum Minorum S. Mariæ de Aracœli hac die VI. Maii MDCCXXXIX.

Fr. Creſcentius e Domobaſciana Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Lector Jubilatus.

F. Joannes Antonius Lucenſis Ordinis Minorum Lector Jubilatus.

FA-

FACULTAS ORDINIS.

FR. JOANNES ANTONIUS A SANCTA CRUCE

Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ S. P. N. FRANCISCI Lector Jubilatus, & in hac Ciſmontana Familia tam Obſervantium, quam Diſcalceatorum, & Conceptioniſtarum Vice-Commiſſarius Generalis, & Servus.

CUM Opus compoſitum a Rev. Patre Joanne de Venetiis noſtræ Obſervantis Provinciæ Sancti Antonii Lectore Jubilato, cujus titulus eſt: *Primus Tomus Continuationis Annalium Ordinis Minorum celeberrimi Viri P. Lucæ Waddingi* a RR. PP. Joanne Antonio de Luca noſtræ Obſervantis Provinciæ Romanæ Lectore Jubilato, & ex Miniſtro Provinciali, ac Creſcentio e Domobaſciana ejuſdem Provinciæ Romanæ Lectore Jubilato, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum fuerit, vigore præſentium facultatem eidem concedimus, quatenus, ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſit.

Datum Romæ ex Aracœli die XVI. Januarii MDCCXL.

Fr. Joannes Antonius a Sancta Cruce
Vice-Commiſſarius Generalis.

Loco ✝ Sigilli.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatii.

Phi. Archiepiſcopus Theodoſiæ Vicesgerens.

APPROBATIO.

DE mandato Reverendiſſimi Patris Joannis Benedicti Zuanelli Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri, ſumma animi oblectatione attente perlegi Tomum decimum octavum Annalium Ordinis Minorum auctore Admodum Reverendo Patre Joanne a Venetiis ejuſdem Inſtituti Lectore Jubilato, in quo non ſolum nihil offendi a regulis fidei alienum, vel bonis moribus contrarium, ſed præter ſtili elegantiam cuncta in eo contenta, nedum præclariſſimum Seraphicum Ordinem valde illuſtrant, ſed Catholicam ipſam Religionem quamplurimum juvant, atque commendant; utiliſſimum proinde Opus, necnon gratiſſimum domeſticis æque ac extraneis futurum judico, ſi prælo committatur, ac publica luce donetur. Ita &c.

E Domo Sancti Silveſtri in Quirinali Nonis Octobris MDCCXXXVI.

Don Franciſcus Maria Ganaſſoni Procurator Generalis Clericorum Regularium Sacræ Theologiæ, & Sacrorum Canonum Profeſſor.

AP-

APPROBATIO.

ANnalium Seraphici Ordinis a Patre Luca Waddingo evulgatorum Continuationem publicæ profert utilitati Admodum Reverendus Pater Joannes a Venetiis. Primum Volumen, quod Annalium decimum octavum inscribitur, ex commissione Reverendissimi Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri non solum inoffenso pede, sed jucundo animi sensu perlegi: Nihil enim in eo deprehendi, quod Orthodoxæ doctrinæ, vel bonis moribus contradiceret, sed omnia Religionem, ac pietatem redolent, ut Monasticam decet historiam. Nonnulla fortasse in Seraphica illius ævi historia occurrunt, quæ Lectorem magis doceant, quam delectent: Sed hanc etiam historiæ dotem Annalibus deesse non passus est Auctor. Pro omnigena siquidem, qua pollet, eruditione plura historiæ profanæ gesta interserit, quæ Lectori oblectationem pariunt, simulque instruunt. Opus itaque diu exoptatum, accurate, ac studiose elaboratum publica luce dignum existimo.

Laurentius Clementini Canonicus Sancti Marci, & Accademiæ Theologicæ Censor.

IMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Aloysius Ridolfi Ordinis Prædicatorum Magister Sacri Palatii Apostolici.

AN-

ANNALIUM ORDINIS MINORUM CONTINUATIO.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 334.
1541.	anno 7.	anno 23.	

ARGUMENTUM.

Præfatio operis. Obſervantium Mexicanæ provinciæ mores, & inſtituta. Comitia Ordinis Mantuæ habita, in quibus Joannes Calvus ſumma cum poteſtate univerſæ familiæ præfectus eſt. Ejuſdem laudes, & Apoſtolicæ Sedis nomine obita munera. Divi Franciſci Borgiæ in Obſervantium ſodalitium charitas mira, præſertim vero in Joannem Texedam, cujus vita, moreſque deſcribuntur. Illuſtrium e gente Borgia feminarum, quæ in familiam beatæ Claræ nomen dederunt, egregiæ virtutes. Anglicani ſchiſmatis occaſione in Hibernia ſævitum in Franciſcanos. Ejus provinciæ, ad eoſdem quod attinet, varii ſtatus, ac viciſſitudines. Capucinorum comitia. Bernardini Oebini defectio, vitæque exitus plane incertus. Exealceatorum inſtituta ſocietas a Joanne Paſchali, aliiſque. Quam divus Petrus Alcantarenſis aſperrima diſciplina, exemplisque corroborat. Jacobus Fugubinus Ordinem Tertium in Sicilia conſtituit, amplificatque. Joannes Calerus, & Antonius Collaris a barbaris Americanis in odium Chriſti interfecti. Complures feminæ, ac viri eximia laude virtutis per hæc tempora excelluni. Multi litterarum ſcientia inſignes. In quibus aliquot Epiſcopi deſignantur. Cœnobia virorum, ac feminarum ædificata.

I. QUæ Franciſcanæ familiæ homines, vel retinenda ſeverioris vitæ diſciplina, vel ſummi Dei gloria, & Eccleſiæ Chriſti dignitate amplificanda fere univerſo terrarum orbe geſſerunt, ea profecto digna ſunt, in quibus commendandis immortalitati ſcriptorum omnium certet induſtria. Id ſcilicet fuit cauſæ, ut, cum alii in eo munere verſati ſint, tum præcipue Lucas Waddingus ejuſdem Ordinis initia, progreſſuſque accurata monumentorum veterum tractatione perſecutus, trecentorum annorum, & eo amplius hiſtoriam ad uſque ſeculum ſextumdecimum non ſine magna pietatis, & ingenii laude perduxerit. Nos, quando ita jubemur ab iis, quo- Scribendi occaſio.

rum a nutu diſcedere eſt nefas, fraternæ ſtudio charitatis incenſi hujus provinciæ partem haud gravate ſuſcipimus, intermiſſamque ducentis ferme ab hinc annis hiſtoriæ ſeriem repetentes, conſequentium temporum commentarios, ſi minus cum apparatu, & copia, certe cum fide, curaque latinis litteris conſignare decerninius. Verum hujuſmodi narrationem exſequenti mihi ſubit illa ſuſpicio, fore, ut quæ de præſtantium ſanctitatis fama virorum, ac feminarum vel demiſſione animi, vel cultus aſperitate, vel in ægrotos, ac pauperes, & infimam plebem officiis prodentur a nobis, aut frivola, aut etiam ſordida videantur iis, quorum videlicet aures magnificis de republica, de moribus, de natura diſputationibus, vel ſumtuoſis bellorum apparatibus, terreſtribuſque, ac navalibus præliis, & inclytarum urbium expugnationibus adſuevere. Sed habet hoc utique philoſophia Chriſti. Nihil primo adſpectu contemtius, nihil in receſſu divinius. Quippe animos, non ad ſitim cædis, ac ſanguinis, vel ad inanis gloriæ cupiditatem, ſed ad humanitatem, ac manſuetudinem, atque ad amorem ſolidæ, ac veræ virtutis iflammat: quæque ab aliis de officio, vel oſtentationis, vel etiam animi ſæpe cauſa quæruntur, ea rebus ipſis, ac vita, quam verbis, multo libentius explicat. Ergo Chriſtianæ documenta virtutis tanto & ad bene vivendum aptiora, & ad narrandum graviora cenſenda ſunt, quanto facta dictis, & pacis munera bellicis artibus antecellunt. Quamquam in his etiam Annalibus, ubi temporum ratio poſtulet, illuſtrium quanduque rerum argumenta non deerunt, quæ ſapientium virorum (modo de Catholica fide recte ſentiant) non mediocri jucunditate aures, animoſque permulceant. Lætabuntur haud dubie, cum aut exagitandis improborum ſceleribus, praviſque dogmatibus inſectandis, aut veſanis gentium ritibus, & inanium deorum ſuperſtitionibus abolendis egregiam navaſſe operam Franciſcanos intelligent. Afficiet eos rurſum, atque adeo commovebit in acerbiſſimis cruciatibus perferendis multorum firmitas, atque conſtantia; in Romani Pontificis auctoritate ab hoſtium ſcriptis contumelioſis, ac vocibus vindicanda cum doctrinæ, atque prudentiæ laude conjuncta religio. Quarum ſane virtutum ſemina de ſanctiſſimi conditoris legibus, & exemplis accepta ita ſovit, excoluitque Ordo Minorum, ut uberrimos fructus in unius Dei gloriam, & ſolatium Eccleſiæ Chriſti univerſæ, quodque mirum videri debet, in tanta rerum, qua tenetur, anguſtia, & egeſtate protulerit. Ac trium quidem, uti ſupra memoratum eſt, ſeculorum commentariis antiquorum Patrum in rempublicam Chriſtianam merita, virtuteſque Waddingus luculenter expoſuit. Mihi propoſitum eſt ea narratione complecti, quæ ab anno reparatæ ſalutis ſeſquimilleſimo quadrageſimo (hic enim in hiſtoria Waddingi poſtremus eſt annus) in toto Minorum Ordine memoratu digna contigerunt. Quocirca denuntio, profiteorque jam nunc, me nihil in medium eſſe allaturum, niſi quod e publicis tabulariis, aut privatis auctoribus, iiſque præſertim, qui aut Annales Eccleſiæ, aut ſeparatim illuſtrium virorum vitas ediderunt, accepero. Neque nobis veritate quidquam omnino antiquius vel fuit, vel eſſe debuit. Nam alioqui neque Deus immortalis, cui noſtra omnis uni deſudat induſtria, commentis, ac mendaciis delectatur: & me ipſum, mortalibus rebus jam pridem valere juſſis, fingendi, vel adulandi cauſas omnes procul habere par eſt. Sed jam ad inſtitutum aggredior.

Scriptores rerum ad Chriſtianam pietatem pertinentium ceteris anteponendi.

In Hiſtoria Franciſcana jucundiſſimæ lectionis ampla materies.

II. Occupata per Ferdinandum Corteſium Caroli V. Cæſaris auſpiciis, & Hiſpanorum adjecta imperio Mexicana provincia, Franciſcani ſubinde multi delecti ſunt, qui & vitæ innocentia, & Chriſtianæ facundiæ laude

Obſervantium in Mexicano regno res geſtæ.

præ-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 334.
1541.	anno 7.	anno 23.	

præſtantes verbum Dei longe, lateque diſſeminarent, abductoſque a ſervitute dæmonis Americanos Catholicæ religionis ritibus, ac præceptis imbuerent. Hi paucis annis, cum, deorum nefario cultu ſublato, ingentem piorum numerum contraxiſſent, excitatis eorum pecunia templis, cœnobiiſque rem Divinam quam ſanctiſſime procurabant. Quo factum eſt, ut amplificatæ in iis regionibus Obſervantium familiæ non vulgarem virtutis opinionem, atque adeo neophytorum gratiam conciliarent. Verum, ne ab effuſa iſtorum liberalitate, & quotidianis largitionibus in paupertatis a majoribus traditæ diſciplinam labes ulla manaret, quibuſdam initio legibus cautum eſt, quæ ſic habent.

Qui diſciplinæ aſperitate, ac paupertatis evangelicæ cultu maxime floreat.

Decreta Mexicanæ provinciæ ſancti Evangelii.

1. Fratres utantur tunica, & pallio quam viliſſimis, nudiſque omnino pedibus incedant: quibus per valetudinem id non liceat, iis uſitata ſandalia permittuntur ex arbitrio cœnobiarchæ.

2. Cœnobia ſingula in uſum ſacrificii caſulas duas habeant holoſericas, eaſque ſimplices, nec acu pictas. Plures, aut pretioſiores ab Americanis oblatas nequaquam accipient.

3. Concionatores, & qui ſacris confeſſionibus audiendis operam dabunt, libris aliquot uti poſſint: reliquis unus, vel alter permittitur, & ille quidem ſalutari quopiam exaratus argumento ad animi diſciplinam.

4. Fratrum domicilia, quæcunque contigerit a fundamentis extrui, decernimus ejuſmodi eſſe, ut cubicula, ſeu cellas habeant pedum octo latitudine, novem duntaxat longitudine. Una ſit interior area cujuſque cœnobii, eademque ſimiliter anguſta.

III. Hoc ſine rerum humanarum contemtu barbari obſtupeſcentes, certatim, poſita feritate, noſtros conveniebant, ut Chriſtianæ rudimenta fidei, & bene, beateque vivendi leges, & inſtituta perdiſcerent. Quin etiam illud inſigne memoratur, ex Auguſtini, atque Dominici ſodalitatibus plurimos, qui aliquot ab hinc annis in Americam trajecerant, Franciſcanorum commotos exemplis, ut communi genere vitæ ad pietatis officia vulgus allicerent, eundem paupertatis cultum, abdicata bonorum omnium poſſeſſione, triginta prorſus annos retinuiſſe.

Eorum exemplo Auguſtiniani & Dominicani ad aſperum vitæ genus amplectendum permoti.

IV. At noſtri decreta ſua ad Vincentium Lunellum, qui familiæ univerſæ ſumma cum poteſtate his temporibus præerat, perferenda curarunt. Is, collaudato Patrum ſtudio, litteras ad eos dedit tertio Nonas Maii anno MDXLI. quibus litteris, & ſibi, & Paulo Pontifici, quicum omnia communicaverat, Lunellus probari maxime ſignificat, quæ nuper ipſi de ſeveriore diſciplina conſtituiſſent. Exemplum litterarum hujuſmodi eſt.

Decreta Mexicanæ provinciæ Miniſter totius Ordinis rata habet.

Nos frater Vincentius Lunellus totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter & ſervus.

Quantum in Domino poſſumus cupientes, ut omnes præmiſſæ ordinationes, tamquam Regulæ noſtræ obſervantiæ convenientiſſimæ, ab omnibus noſtris Fratribus, qui in partibus Indiarum commorantur, & reſident, obſerventur, eaſdem conſtitutiones approbamus, & confirmamus, & volumus, quod clauſula, ſeu capitulum de paupertate, quod in illis continetur, ab omnibus Fratribus provinciæ ſancti Evangelii, præſentibus, & futuris inviolabiliter obſervetur eo modo, quo in iiſdem ponitur: atque

etiam ab omnibus aliarum custodiarum, & provinciarum quarumcunque, quæ in posterum erigentur, ad hoc, ut denudati rebus hujus sæculi, se Deo arctius conjungendo, tam fideles, quam Infideles, quibus etiam debitores sumus, ipsorum exemplo possint facilius Christum possidere. Quod quemadmodum immenso Deo, & Domino nostro, & nostro Patri sancto Francisco gratum erit; ita sanctissimus noster Pater, ac Dominus Paulus Divina clementia Papa III. de Apostolica benignitate suam impertit benedictionem omnibus, & singulis Fratribus habitantibus in illis partibus, & regionibus, qui præmissorum statutorum observationi fuerint additi. In quorum fidem, & testimonium his subscripsimus, easque signavimus sigillo majori nostri officii. Romæ apud Aramcæli V. *Maii* MDXLI.

Comitia Mexicanæ provinciæ.

V. Interea Patres e provincia sancti Evangelii Mexicum ad comitia convenerant. In his mos erat (quod ita Hispaniæ Reges mandarant) ut quotannis Observantium Minister cum sociis quatuor, quos appellant Definitores, præfectique duarum, quas ante dixi, sodalitatum cum quatuor item e suis de continendis in officio neophytis, de ratione disseminandi Evangelii, de procurandis Ecclesiæ ritibus in commune consulerent. Consilio præerat, ubi interesset, provinciarum summus præfectus, quascunque videlicet in latissima terra post novi orbis conquisitionem Franciscani obtinerent. Quæ decreta fuissent, ea codicillis descripta, adnotato Patrum nomine, tribusque pro familiarum numero munita sigillis ad Regem perferebantur. Comitiorum ejusmodi consuetudo, quoad in Mexico tenuit, magno tum Christianæ reipublicæ, tum vero ipsis Hispaniæ Regibus bono fuit. Quamquam vero superioribus annis in provinciali Concilio multa sapienter ab Episcopis constituta, Pontificisque diplomate sancita fuerant, nondum tamen discordiarum semina, mentibus injecta multitudinis imperitæ, ante hunc annum MOXLI. extincta penitus erant: quo Patres nimirum stabiliendæ concordiæ ratione inita decrevere, in sacramentis administrandis, in disciplina constituenda, in notandis neophytorum vitiis eosdem plane ritus, ac cæremonias, non, ut ante, multiplices, pugnantesque servatum iri.

Leges in iis latæ.

Comitia totius Ordinis Mantuæ habita.

VI. Lunellus, datis ad Mexicanos litteris, ad comitia totius Ordinis Mantuam proficiscitur. Eo plus quinque millia nostrorum convenere: inter quos ab novo orbe complures, qui pridem lavacro mystico regenerati Christiana sacra susceperant, & Minorum familiam disseminati in iis regionibus Evangelii primitiis auxerant. Multitudini tantæ quæ ad victum suppeditarent, Cardinalis Mantuanus, gentisque Gonzagæ Principes viri pro sua in Ordinem charitate liberaliter contulerunt.

In quibus Joannes Calvus Generalis Minister designatus.

VII. In his comitiis Joannes Calvus, sive de Calvo Corsicæ oppido, qui ejus provinciæ præfecturam administraverat, atque eo temporæ familiæ rationes in Romana Curia procurabat, Generalis Minister suffragiis Patrum est renuntiatus. Præfectus Transmontanæ familiæ Germanus Aubertus creatus, provinciæ Franciæ Parisiensis antea Minister. Procurator Ordinis, egregie pius, doctusque vir Clemens Monilianus Ligur, qui postea in Cardinalium numerum cooptatus est. Is tum Custos erat Bononiensis provinciæ. Procurandis in Romana Curia Transmontanorum rebus Antonius Machicanus præpositus: hujus & natale solum, & provincia, cui nomen dederit, non sunt litteris prodita. Sane Cismontanus esse non potuit: quippe Leonis X. sanctione, & universæ familiæ legibus cautum est, ut, cum Minister totius Ordinis e Cismontanis assumtus fuerit, unus item e Transalpina familia deligeretur, qui ejusdem negotia, non secus ac Procu-

Inferiores præfecti renuntiati.

rator

Anno Christi 1541.	Pauli III. anno 7.	Caroli V. Imp. anno 23.	Religionis Minorum anno 334.

rator Ordinis conſueviſſet, in ipſa Romana Curia adminiſtraret. Indicarum provinciarum Præfectus Jacobus a Teſtera, Cuſtos antea provinciæ ſancti Evangelii, creatus. Provinciæ Balearicæ ſumma cum poteſtate adminiſtratio Petro Sarano Carthaginenſis provinciæ alumno ad ſexennium attributa. Is, quod ita publica res ferebat, ejus provinciæ præſidere comitiis, Miniſtros, ac minores Præfectos in officio continere juſſus. Arbitri, ſeu Definitores e Ciſmontanis creati ſunt, Clemens Monilianus, de quo ſupra dictum eſt; Joannes Barbarus Venetus, Cuſtos provinciæ ſancti Antonii; Paulus a Nicotera, Miniſter Calabriæ; Albertus Sartianenſis, Cuſtos Tuſciæ; Bonaventura Corſetus, Cuſtos Dalmatiæ; Matthæus Celentanus, Miniſter Campaniæ Felicis. E Tranſalpinis Joannes Vintzlerius, Argentoratenſis, Damianus Biſquertius, Tarraconenſis provinciæ Miniſtri; Richardus Cenomanus, Franciæ Pariſienſis Prominiſtro, Antonius Peintius, ejuſdem Cuſtos; Antonius de Aranda, Miniſter Caſtellæ; Joannes Fridericus, Miniſter Belgicæ. Hieronymus a ſancto Juliano ex provincia Mediolanenſi, Cretenſis provinciæ Miniſter, Dionyſius Saornianus Venetus, Montis Syon Cœnobiarcha, & Paleſtrinæ Præfectus, conſtituti.

VIII. Multa inſuper Mantuæ de creandorum Magiſtratuum ratione, tum in Ordinis univerſi, tum in provinciarum comitiis adhibenda, de vitanda ſecularium hominum conſuetudine de coercendis intra provinciarum limites Fratribus providenter decreta ſunt. Quæ Lunellus deceſſor de reformandis Franciæ, Turoniæ, ſancti Bonaventuræ, Aquitaniæ provinciis conſtituerat, ea collegium Patrum firma, & rata voluit eſſe. At quæ proximis Comitiis Pariſienſis provinciæ geſta fuerant, vim illis, ac robur interim abrogavit; dum quæſitores inſtituti quorumdam crimina ex arbitrio cognoſcerent, notarentque. Præterea litterarum ſtudiis in toto Ordine deſtinata collegia: ex antiqua conſuetudine pro Romani Pontificis, Regumque, ac Principum incolumitate publicæ precationes indictæ: Fratres, qui ab anno MDXXXV. diem obierant, in tabularia relati numero mille circiter, & ſexcenti. Poſtremo Congregationem, ut appellant, intermediam in Cœnobio Ambacienſi Turonenſis provinciæ triennio poſt; comitia generalia ſexto poſt anno in Cœnobio Luſitanæ provinciæ Olyſipone habenda Patres decrevere.

Leges latæ in Mantuanis comitiis.

IX. Calvus antequam Mantua diſcederet, datis ad Monilianum litteris, delatum ipſi munus a Patribus confirmavit, quæque futuræ eſſent ejus muneris partes luculenter expoſuit.

Clementem Monilianum Procuratorem Ordinis renunciatū Calvus confirmat.

In Chriſto ſibi dilectiſſimo Reverendo Patri Fr. Clementi de Monilia Ordinis Minorum Obſervantiæ Regularis provinciæ Bononiæ, & ejuſdem Ordinis Patri probatiſſimo Fr. Joannes Calvus prædicti Ordinis Generalis Miniſter, & ſervus ſalutem &c.

Cum juxta Ordinis noſtri inſtituta virum quempiam inſtituere deceat, qui nomine omnium, & ſingularum provinciarum Ciſmontanæ noſtræ familiæ, & pauperis noſtræ Religionis, pedibus Eccleſiæ Romanæ præcipue ſubjectæ, negotia noſtrum Ordinem concernentia in Romana Curia habeat procurare: hinc eſt, quod cum in Capitulo generali, Mantuæ apud ſanctum Franciſcum nuper celebrato, per me, & reverendos Patres Definitores prædicti Capituli pro tuis ſingularibus meritis, plurimaque in rebus agendis ſolertia, probitate, ingenio, prudentia, ſollicitudine, fide, ſufficientia, ceteriſque virtutibus tuis, in Procuratorem inſtitutus fueris; nos pro muneris noſtri poteſtate his patentibus litteris te rite inſti-

tu-

tutum declaramus: ad curandum ſcilicet negotia provinciarum, & cuſtodiarum in ciſalpinis partibus exiſtentium, videlicet ſancti Franciſci, Romæ, Marchiæ, Tuſciæ, Bononiæ, ſancti Antonii, Januæ, Mediolani, Terræ laboris, Calabriæ, Siciliæ, ſancti Bernardini, ſancti Nicolai, ſancti Angeli, Candiæ, Dalmatiæ, Auſtriæ, Boſnæ, Bohemiæ, Poloniæ, Corſicæ, Raguſii, Brixiæ, Baſilicatæ, Hungariæ Salvatoris, Hungariæ ſanctæ Mariæ, Sardiniæ, Tuſciæ, Florentiæ, ſancti Petri in monte Aureo, Boſnæ Argentinæ, ſancti Hieronymi de Urbe, Lithuaniæ, cuſtodiæ Hieroſolymitanæ nobis immediate ſubjectæ. Committentes tibi omnem auctoritatem noſtram in utroque foro; ſimiliter omnes, & ſingulos dictarum provinciarum Fratres, & Sorores etiam cum poteſtate ſubdelegandi toties quoties tibi viſum fuerit, in parte, vel in toto: volentes, & præſentium ſerie decernentes, ut omnia, & ſingula ad conſervationem, & augmentum Regularis Obſervantiæ, & ante dictarum provinciarum, Fratrum, & Sororum promotionem pertinentia, intra, & extra Ordinem promovere, necnon coram quibuſcunque & univerſis Auditoribus, Judicibus, Delegatis, Subdelegatis, Commiſſariis, Conſervatoribus, Viceauditoribus, Officialibus, ac aliis Judicibus quibuſcunque, Eccleſiaſticis, & ſecularibus, ac eorum Locatenentibus, quacunque fungentibus auctoritate, contra quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas, Religioſas, & ſeculares, communiter, vel diviſim, jura, vel privilegia, vel indulta Ordinis noſtri impedire, vel perturbare volentes, poſſis, & valeas novos proceſſus ineipere, ineæptoſque proſequi, & conficere, cauſas, querelas, lites, controverſias circa negotia earundem provinciarum motas, ſeu movendas ſuſcipere, defendere, convenire, excipere, proponere, opponere, appellare, appellationem intimare, & proſequi, apoſtolos cum inſtantia ſemel, vel pluries poſtulare, renuntiare, concludere in cauſa, beneficium abſolutionis ſimiliter, & ad cautelas recipere, procuratorem, vel procuratores in prædictis inſtituere, & inſtitutos revocare, & breviter omnes actus judiciarios generaliter, vel ſpecialiter agitare, & exequi poſſis, omniaque agere in foro contentioſo, quæ ordinatione juris ſcripti, privilegiorumque noſtrorum nobis conceſſa ſunt.

Quæ omnia, & ſingula pro ſufficienter expreſſis haberi volumus: nam & nos, ut in cunctis procedere efficaciter valeas, te ad omnia ſupradicta rite peragenda, noſtrum eum plenaria poteſtate Commiſſarium in Curia Romana inſtituimus, ac ſic inſtitutum per præſentes denuntiamus, omnes commiſſiones, procurationes aliis factas, aut commiſſas penitus revocando; mandantes, & præcipientes omnibus, & ſingulis dictarum provinciarum Patribus, ac Fratribus in virtute Spiritus ſancti, ut tibi in præmiſſis humiliter obediant, & pareant cum effectu, nihilque a Sede Apoſtolica ſine tuo conſilio, & aſſenſu procurare, vel, cum ad dictam Romanam Curiam acceſſerint, abſque tua licentia domo exire præſumant. Iubibemus inſuper omnibus, & ſingulis tam Ciſmontanis, quam Ultramontanis Fratribus, ut nullum negotium totum Ordinem concernens in prædicta Curia abſque tuo ſcitu, & conſenſu ſollicitare attentent.

Volumus itidem, quod jurare de calumnia, & quodcunque juramentum licitum, ſi opus fuerit, præſtare valeas: ſocios vero unum, aut plures tam ex ultra, quam Ciſmontana familia noſtra aſſumere poſſis tibi gratos, quos tuæ curæ immediate ſubjectos relinquimus; volentes etiam, ut quocunque ſe Curia receperit, abire, præfatiſque omnibus, & ſingulis auctoritatibus ibi ad unguem gaudere debeas: duos etiam procuratores, ſyndicos, aut œconomos, ſive ſubſtitutos, qui eleemoſynas a te illis commiſſas exigant, & te-

& teneant, & omnia alia, quæ alii noſtri locorum, & Ordinis ſyndici, ſeu œconomi, procuratores, ſeu ſubſtituti exercere, & facere ſolent, faciant, & exercerant, & tibi in quocunque commiſſo obſequantur. Et ut labor, & ſollicitudo magis cedat ad meritum, mandamus tibi pariter, & injungimus ad meritum obedientiæ ſalutaris, ut demum procurationis officium pro gratia tibi a Domino collata diligenter, ſtrenue, ac fideliter exequaris, æterna præmia percepturus: In quorum omnium, & ſingulorum fidem has noſtras manu propria, & majori Ordinis ſigillo obſignatas tradidimus. Datum in loco noſtro ſancti Franciſci intra Mantuanam civitatem in expeditione noſtri Generalis Capituli XV. *Junii* MOXLI.

Fr. Joannes qui ſupra manu propria.

X. Delatam Calvo præfecturam, & acta noſtrorum in Mantuano cœtu Paulus III. Pontifex Maximus rite, ſancteque approbavit VI. Kalendas Auguſti; atque ipſum deinde Calvum eximia prudentiæ laude ſibi probatum ad Luſitaniæ, Galliæque Reges Apoſtolici Legati ornavit munere, ſuoque nomine paci inter Carolum Cæſarem, Regemque Galliæ conciliandæ navare operam juſſit. Idem Calvus Generali Concilio, quod Tridenti ſubinde cœptum, interfuit; in eaque urbe magno bonorum dolore deceſſit præfecturæ ſuæ anno quinto.

XI. In Mantuanis comitiis memoratu digna res contigit. Franciſcum Borgiam Gandiæ Ducem, & Gotholaniæ Prætorem, qui poſtea Societati Jeſu præfuit, ac præſtantium virtutum inclytus fama in Sanctorum numerum relatus eſt; ejuſque uxorem, ac liberos Generalis Miniſter, datis ad eum litteris, in communionem vocavit fructus illius, qui chriſtianæ pietatis operibus, quæcunque homines agunt univerſæ familiæ, ad animorum expiationem, atque ſalutem Dei beneficio dimanat. Hos etiam Calvus ab charitatis in Franciſcanos officiis egregie dilaudat, & communi nomine, quæ ab illis in noſtros profecta ſunt ornamenta, nulla temporis longinquitate deleri poſſe teſtatur. Litterarum exemplar hoc loco ſubjicio.

Sanctus Franciſcus Borgia in Ordinem Franciſcanum præclare animatus.

Cui gratiam refert Joannes Calvus pro ſui muneris poteſtate.

In Chriſto plurimum dilectiſſimis, & Illuſtriſſimis Dominis, ac Dominabus Domino Franciſco Borgiæ Marchioni Lamboyæ, Catbaloniæ Proregi, ac Dominæ Eleonoræ de Caſtro conjugi, Dominæ Joannæ de Meneſes ſorori, Dominis Carolo, Joanni, Alvaro, Ferdinando, Ildefonſo de Borgia eorum filiis, & Dominabus Iſabellæ, Joannæ, Dorotheæ, filiabus, necnon Dominæ Beatrici de Soſa conſobrinæ, frater Joannes Calvus totius Ordinis Minorum Seraphici Franciſci Miniſter Generalis ſalutem in Domino ſempiternam.

CUm in ſumma rerum penuria animi promptitudo latere non debeat, indignum profecto cenſemus, & ingrati animi vitio fugillandum, ſi quam tantis veſtris erga nos meritis retributionem non reddamus, quorum judicem multi in nos charitatis affectum, certis beneficiorum indiciis, experimur. At vero ea ſunt in noſtri Religionem inſtituti veſtræ humanitatis officia, quæ temporalibus rebus nullis, quibus ab inita profeſſione renuntiavimus, remunerari queant. Eapropter ſanctæ dilectioni veſtræ, qua Seraphici Patris noſtri Franciſci Obſervantes filios proſequimini, pio mentis affectu proſpicientes, nos, qui, licet immeriti, ſupremum trifariæ Religionis ejuſdem apicem obtinemus, prænominatos vos omnes in noſtræ confraternitatis conſortium, & dum vitam agitis, & vita pariter functos, ſincero charitatis amo-

amore, qua fungimur auctoritate, recipimus. Ne vero quicquam piis animi veſtri deſideriis deſit, ſingula etiam quæque ejuſdem Ordinis ſuffragia, omnifariam inſuper bonorum quorumcunque ſpiritualium largitionem vobis liberalius impertimur; ut multiplici ſuffragiorum adjuti præſidio, & in præſenti augmentum Divinæ gratiæ, & in futuro æternæ gloriæ præmia mereamini. Datum Mantuæ in ſacro Conventu ſancti Franciſci, in noſtris Generalibus Comitiis die x. *Junii* MDXLI.

Fr. Joannes qui ſupra manu propria.

XII. Hujus vero in optimum virum voluntatis propenſæ Franciſcanorum ſcriba publicus meminit ille, qui acta Borgiæ deſcripſit, cum a Sede Apoſtolica de cooptando eo Divorum in numerum ageretur. Profecto neceſſitudinis, quæ Minorum familiæ cum illo intercedebat, cauſæ fuere multæ, graviſſimæque.

Gandienſe cœnobium noſtrarum Virginum.

XIII. Quippe in Gandienſi cœnobio noſtrarum Virginum conſanguineæ Franciſci duæ, nobiliſſimæ feminæ, aſperioris diſciplinæ patientia, virtutumque pulcherrimarum laude per id tempus florebant: quarum altera ipſius avia, Maria Henriqueſia, Ferdinandi Hiſpaniæ Regis cognatione patruelis, defuncto viro Joanne Gandienſium Duce ſecundo humanis rebus valere juſſis, eo pedem retulerat: altera Mariæ filia Eliſabetha, Franciſci amita, quæ a prima adoleſcentia diſciplina, quam diximus, profitenda matri præiverat. Hæc, Franciſcæ a Jeſu; mater, Mariæ Gabrielæ nomen accepit. De Franciſca illud memoriæ proditum eſt, eam cœleſti monitu præſenſiſſe futurum, ut Joannes germanus frater tolleret filium, qui & Franciſcus appellaretur, & virtutum ſplendore non modo familiæ ſuæ, ſed etiam Eccleſiæ Chriſti, ipſique adeo cœlitum regno magnum eſſet ornamentum aliquando allaturus.

In eo florent innocentiæ laude Maria Henriqueſia, & Eliſabetha S. Franciſco Borgiæ cognatione conjunctæ. *Anar. Sebaſtus in vita Borg. cap. 6.*

XIV. Id enim vero propalam prænuntiatum eaitus comprobavit. Nec minus avia præpotenti freta Numinis patrocinio, Joannam Franciſci matrem, quemadmodum Ribadeneira teſtatur, cœleſti juvit auxilio. Cum enim hæc inter parturiendum ægre ſpiritum duceret, inque præſenti vitæ diſcrimine verſaretur, miſſo tum a parente Maria, quo utebatur, funiculo præcinxit ilia, ſeque, & infantem a manifeſto vindicavit interitu. Harum precibus cum ſervatus initio Franciſcus eſt, tum vero cohortationibus, eaempliſque adoleſcens ad ſanctitatem informatus.

XV. Plures e ſtirpe Borgia in aliis aliæ cœnobiis inſignes feminæ Franciſcanæ cultu paupertatis in Hiſpania excelluere; quas hoc loco non eſt neceſſe commemorare. Illud vero prætereundum non eſt, Franciſcum Borgiam, non auctorem modo inſtituendæ Matriti noſtrarum Virginum familiæ, ſed in ea quoque mirifice amplificanda adjutorem fuiſſe. Cum enim Joanna Auſtriaca Caroli V. Cæſaris filia, & Sebaſtiani Luſitaniæ Regis mater, quæ, conjuge eatincto, Hiſpaniæ Regnum patris nomine adminiſtrabat, ſuſceptum de cœnobio ædificando conſilium cum Borgia communicaſſet, ille nimirum, collaudato Reginæ ſtudio, nihil eam magis e Chriſtiana pietate, nihil Deo gratius facturam aſſeveravit, quam ſi Virginibus Franciſcanis, quæ ſeveriora vitæ inſtituta profiteantur, cœnobium fundaret: multa eacolendæ hujuſmodi diſciplinæ paſſim in Hiſpania Procerum liberalitate conſtituta, in quibus excalceatæ ſorores (ſic enim a nudis pedibus appellantur) quamvis genere nobiles, ac deliciis olim aſſuetæ voluntariæ paupertatis tolerantia, & aſſidua propitiandi precibus Dei conſuetudine cœleſtem plane vitam in terris vivere videantur: ſi ita Reginæ placeat, ami-

S. Franciſci Borgiæ hortatu Joanna Auſtriaca cœnobium condit Matriti Virginibus excalceatis.

Anno Christi 1541.	Pauli III. anno 7.	Caroli V. Imp. anno 23.	Religionis Minorum anno 334.

amitam ſuam e Gandienſi cœnobio ad Matritenſe migraturam, ut ibi teneras Virgines tanquam novella germina in eximiæ ſpem ſanctitatis efflorescentes adhibita cultura foveat, perpoliatque. Joanna igitur Franciſci hortatu ejuſdem conſanguineas Matritum evocatas novis ædibus auxit, eiſque amitam præficiendam curavit ex Toletani Antiſtitis auctoritate; quam ut annis provectam, ita omnium virtutum abſolutum exemplar ſororibus fore magnopere confidebat. Exinde ad eas libenter ventitare conſuevit Borgia, jam mirus idem in Societate Jeſu ſui corporis domitor, & humanæ gloriæ contemtor eximius; initoque de rebus Divinis colloquio, feminarum induſtriam magis, ac magis acuebat in dies; iiſque auctor erat, uti ſe a contagione ſeculi quammaxime abſtraherent, puriſſimiſque ſpiritibus mente penitus immiſcerent. Plura de Mariæ factis, dictis, & moribus Andreas Schottus exſequitur in vita divi Franciſci Borgiæ. Nos duobus, vel tribus contenti ſumus; quæ non vulgaris innocentiæ, Deoque probatæ argumenta certiſſima videntur eſſe. Illud in primis memorandum, Ignatiam Corellam virginem nobilem Conſentanorum Comitis filiam, pro neceſſitudine, quæ ſibi maxima cum Maria intercedebat, ab ægrotante illa cum flebili obteſtatione petiiſſe, ut ne mœrentem in hoc exilio defereret; ſed quando, quod eſſet reliquum vitæ, id permoleſtum ſibi fore cognoſceret; cum ad beatos Dei complexus deceſſiſſet, migrationem ſubinde ſuam incenſis charitate precibus impetraret. Quod cum Maria caſte ſancteque promiſiſſet, brevi poſt obitum intervallo ſpectandam ſe per vigilias Corellæ obtulit: quo illa viſo mirifice recreata, mortis propinquæ nuntium conjecit eſſe: mox voti compos effecta, ad perpetui cum magiſtra convictus felicitatem evolavit. Ferunt eandem Borgiam obitus diem ſui prænuntiaviſſe, flentibuſque ſororibus edixiſſe, ut læto carmine, quo Dei laudes, ac beneficia extollere conſuevit Eccleſia, ſuum illæ funus proſequerentur; & ſalutis auctori Chriſto gratias agerent immortales; quod eam ſcilicet corporis vinculis aliquando ſolutam in illam, ut quidem ſpes erat, æternam ſedem quietis, ac tranquillitatis eduxerit. Cum vero Dux Gandienſis parentis funus cum ſacerdotibus duceret, Angelorum concentus a virginibus primum, deinde a reliquis exauditi: cumque ſacris operaturi ſacerdotes ſilentium, uti fit, indixiſſent, quod eam virginum ſymphoniam eſſe exiſtimarent; neminem tum mortalium ceciniſſe compertum eſt, creditumque divinitus editam cantilenam fuiſſe. Quod ſæpe in beatorum hominum funere ſanctus Gregorius Pontifex accidiſſe commemorat.

Quædam de Maria Borgia miranda.

XVI. Plures etiam viri ex Obſervantium familia per id tempus Franciſci Borgiæ conſuetudine floruere. In his Petrus Alcantarenſis admiranda vir ſanctitate, de cujus vita eum a Luca Waddingo in volumine XV. ſcriptum eſt, tum a nobis accuratius, ubi res feret, agendum erit. Joannes item ab Angelis, Joannæ Auſtriacæ a ſacris confeſſionibus, quem Waddingus Miniſtrum provinciæ ſancti Joſephi fuiſſe, vulgatiſque ad animorum diſciplinam libris excelluiſſe teſtatur; in quibus ille de fructuoſa ratione meditandi orandique præclaras obſervationes, & ſaluberrima præcepta conſcripſit. Franciſcus a Turre concionator egregius, & ſanctitatis opinione in Hiſpania conſpicuus; Marcus Boroxius; Ignatius de Loyola ex noſtris, quos vocant, Excalceatis Epiſcopus Paraguajenſis; Lambertus a Spe, aliique plurimi Franciſco Borgiæ, qua conſilio, qua exemplo ad illuſtre illud, atque editum Chriſtianæ ſapientiæ culmen viam ſtravere. Sed præ ceteris familiariſſimus ipſi, ac plane in intimis fuit Joannes Texeda, de quo ſæpe in actis Borgiæ fit mentio. Hujus etiam Arturus a Monaſterio in Martyrologio

Wadding. Tomo XV. an. 1525. num. 26. Idem in Indice Scriptorum Ordinis.

Joannes Texeda. Ejus meminerunt ſcriptores multi, in quibus

logio Franciſcano, Nicolaus Orlandinus in Hiſtoria Societatis, Julius Nigronius in ejuſdem Regulas, aliique meminerunt. Fuſe autem de illo ſcribit Antonius Daza noſter in quarta Chronicorum Ordinis parte. Sed iſtorum nemo perfectam, abſolutamque rerum ab eo geſtarum hiſtoriam contexuit; quod multarum, ut accidere ſolet, memoria interciderit. Alvarus tamen Cienſuegos, Romanæ purpuræ inclytum decus, & ornamentum plura de Texedæ vita, atque factis accurate, eleganterque Hiſpanicis litteris conſignavit. Facturus itaque operæ pretium ſum, ſi hoc loco narratione complectar, quæ de laudibus tanti viri ſcriptores multi prodiderunt.

Alvarus S. R. E. Card. Cienſuegos.

In Vita S. Franciſci Borgiæ.

Texedæ ortus & adoleſcentia.

XVII. Natus eſt igitur Joannes Texeda honeſto loco Torrejone in oppido agri Placentini in Bætica. Adoleſcens cum eſſet, amore ſolitudinis incenſus, in ſpeluncam ſex millia inde paſſuum ſeceſſit; ibique ſe inopiæ ſummæ tolerantia, & quotidianis afflictationibus biennium domuit. Dein Barcinonem profectus, inter alumnos Obſervantium adſcribitur: cumque litterarum rudis, & ignarus ad ſacerdotum munia minus idoneus videretur, in infima laicorum, quos vocant, ſorte, interque ſervilia miniſteria Angelicæ plane vitæ tirocinium poſuit. Somni parciſſimus duas nec amplius horas quieti dabat quotidie, precationibus undecim: quo tempore non ſemel a ſenſibus alienatus in altiſſimo quodam exceſſu, obſtupeſcentibus non tam miraculi novitate, quam aſſuetudine Fratribus, aliquandiu perſtabat. Quo ſane orandi uſu cum magis, ac magis in ſolida virtute proficeret; fiebat proinde aptior in dies ad nova omnipotentis Dei chariſmata capienda. In quibus fuit illud eximium. Cum enim cœnobii præfectus Franciſcum Borgiam Gotholaniæ prætorem officii cauſa aditurus, Texeda comite uteretur; hic Borgiam conſpicatus, cognitaque inſtinctu Numinis indole magni viri, diſertis verbis prædixit fore, ut is conjugi Eleonoræ ſuperſtes poſſea ſacerdotio initiaretur. Agnovit prætor ſanctioris vitæ magiſtrum ſibi divinitus deſtinatum. Itaque optare ſe, atque adeo vehementer petere, ut ſanctæ neceſſitudinis ineundæ cauſa cum permiſſu cœnobiarchæ apud ſe diverſari ne gravaretur. Id vero cum libentibus familiæ Præfectis, atque etiam, ut a quibuſdam traditum eſt, annuente Pontifice Maximo impetraſſet Borgia; cum Joannis convictu magnopere delectatus eſt, tum ſermonibus exemplisque ad aſperioris diſciplinæ cultum incenſus. Cum ſancto etiam Ignatio Societatis Jeſu conditore Texedam Romæ familiariter egiſſe, eundemque anno Chriſti MDL. obiiſſe Nigronius refert. In Hiſpania vero non Borgiam modo, ſed alios quoque Societatis alumnos conjunctiſſimos ipſi benevolentia fuiſſe Orlandinus teſtatur. In his præcipui fuere Franciſcus Onuphrius in Gandienſi Collegio litterarum profeſſor, & Andreas Ovietus ejuſdem Academiæ Rector, qui poſtea Hierapolitani Antiſtitis titulo decoratus, & ad Abaſſinum Æthiopiæ Regem a Pontifice eſt miſſus: quo in Regno inter vitæ difficultates, & incommoda quotidiana, charitatis, & obedientiæ gloria clarus, divexato miris modis, & fatigato corpuſculo tandem exceſſit.

Qui Obſervantium familiæ nomen dat.

Ejus tirocinium inter laicos.

Item precandi ardor, ac ſtudium pœnitentiæ.

Ejus neceſſitudo cum S. Franciſco Borgia

D. Ignatio Loyola, aliiſque e Societate Jeſu inclytis viris.

XVIII. At Borgia ex frequenti cum Texeda colloquio certior factus, opportunum maxime ſibi fore, ſi ille non præceptis modo, ut ante, tradendis, ſed animi ſui ſordibus expiandis cum ſacerdotis poteſtate præficeretur; nihil antiquius habuit, quam ut eo munere laicum hominem honeſtandum curaret. Ergo ad comparandam litterarum notitiam ejus hortatu Joannes, matura jam ætate vir, elementarius fieri non erubuit. Ceterum ad illa ſpinoſa rudimenta grammaticæ capienda, ediſcendaſque verborum inflexiones, & nominum cum alia erant ei impedimento, tum illud præcipue, quod

Texeda ſacerdotio initiandus Grammaticæ rudimentis operam dat.

Anno Christi 1541.	Pauli III. anno 7.	Caroli V. Imp. anno 23.	Religionis Minorum anno 334.

quod animum ad rerum cœleſtium ſenſa concipienda longo jam uſu promtum, & agilem ſi amandi vocabulum, aut alia quæpiam ejuſmodi vox admoniſſet eorum, quæ pie, ac religioſe cogitare, & commentari conſueverat, ſubito pæne abſtractus a ſenſibus in contemplatione Divinæ charitatis, ac ſempiternæ beatitudinis tota mente raperetur. Ex quo fiebat, non ſolum ut nihil novi mandare memoriæ poſſet; ſed etiam ut, ſi quid antea impreſſum eſſet, idipſum concurſu novarum, & præſtantiorum imaginum illico deleretur. Id porro cum reſciviſſet Carthaginenſis Epiſcopus, cui Texedæ innocentia, & ſimplex animus, atque in ſapientiæ Divinæ ſchola multo, quam ceteri, exercitatior, comperta erant; ab inani liberatum contentione diſcendi ſacerdotem creavit. Joannes deinde eo munere ſibi delato ſanctiſſime functus eſt apud Borgiam; diuque tum ſacramentis adminiſtrandis, tum illius pietati per exercitia, ut ajunt, ſpiritualia corroborandæ egregiam navavit operam. Cumque mortua Eleonora conjuge Franciſcus deliberaret, cuinam familiæ piorum hominum adſcribi ſe vellet vota ſollemnia nuncupaturum, hortante demum Texeda Societatem Jeſu delegit. Auctor eſt Daza, de quo ſupra commemoratum eſt, Joannem prænuntiato divinitus mortis tempore Valliſoleti exceſſiſſe, ibique in cœnobio divi Franciſci ſepultum; ſed idem neque figuram tumuli, neque locum, neque diem ipſius obitus indicavit. Ceterum Texedæ nomen Hiſpania tota miris laudibus celebratum. Illum Philippo Regi hoc nomine ſecundo, ac Reginæ ejus conjugi apprime carum fuiſſe a multis traditum. Laurentius vero a ſancto Paulo natione Svecus in vita, quam latine conſcripſit, divi Petri Alcantarenſis Joannem refert ſingulari Dei munere conſecutum, ut, quando Petrum locorum diſtantia prohibitus corpore præſens alloqui, & intueri non poſſet, ejuſdem ſpiritu repente objecto, manifeſta luce perfunderetur, & in eo cœleſti prorſus intuitu non ſine ſumma animi voluptate conquieſceret.

A quibus perdiſcendis avocatur perpetua memoris alienatione, rerumque cœleſtiū contemplatione.

Ejuſdem obitus.

XIX. Inter hæc Petrus Alvarus, provinciæ ſancti Gabrielis in Bætica Prominiſtro, Mantua in Hiſpaniam reverſus Joannis Calvi litteras attulit; quibus litteris Ludovico Carvajali ejus provinciæ regimen demandatum, quoad comitia rite haberentur. Miniſter erat divus Petrus Alcantarenſis, qui ad Mantuana comitia profecturus cum ſe dediſſet in viam, Barcinone repentino morbo detentus ad ea, permiſſo jure ſuffragii, Alvarum miſerat. Ergo cognitis provinciæ rebus placuit Ludovico, apud oppidum Villæ novæ comitia haberi. Joannes a ſancto Bernardo in Petri locum ſuffectus, qui mores illius, & egregia ſtudia æmulatus, rigidæ paupertatis inſtituta mordicus tenuit. Interim Petrus ab hominum conſuetudine plane ſemotus domando miris artibus corpuſculo, animoque cœleſtium rerum contemplatione erudiendo operam dabat. Ab his profecta magiſtris eorum Patrum diſciplina eſt, qui dicuntur Excalceati, ac procedente dein tempore non Hiſpaniam modo, verum etiam Americæ, Indiæque regna, inſueta quadam victus aſperitate præſtantes, admiratione compleverunt.

D. Petrus Alcantarenſis, ejuſque alumni familiam ampliſicant.

XX. Dum hæc in Hiſpania geruntur, eorum Fratrum ſodalitas, qui ab exacuto capitis tegumento Capuccini appellantur, in Italia majorem in modum radices egit. Incredibile dictu eſt, quam facile coaluerit; cum partim homines contemta ſeculi vanitate ad eam familiam confluerent, partim ex Obſervantium cœtu Franciſcani, miſſione non impetrata, dilaberentur. Quocirca Pontifex Maximus coercendam ratus iſtorum levitatem, & inconſtantiam, publico diplomate cavit, ne Capuccini ex Obſervantibus quempiam reciperent, præter eos, quibus commigrandi, aut Ordinis Mo-

Capuccinorum familiæ incrementa.

Pontifex Maximus Obſervantium ad eos fugam edicto coercet.

Wadding. Tomo XVI. an. 1534. num. 74. & anno 1535. n. 32.

derator, aut provinciales Miniſtri, bona venia per codicillos teſtata, poteſtatem feciſſent. Verumtamen nova illa ſodalitas hac tempeſtate viros aluit morum integritate, ac prudentiæ, doctrinæque præſtantia cum primis Italiæ comparandos. Inter eos eminebant Bernardinus Aſtenſis, Franciſcus Æſinus, Euſebius Anconitanus: omnes in Obſervantium familia, tamquam in gremio matris educati, multis annis ad eam gloriam efflorueranr. His adde Bernardinum Senenſem, cognomine Ochinum, ac Thomam Tiphernatem, qui tamen, ut Boverius affirmat, ſequenti an. MDXLII. inter illos adſcriptus eſt.

Viri Illuſtres Capucinorum.

Bernardinus Ochinus eorũ Vicarius Generalis.

XXI. Ochinus autem non familiæ Capuccinorum conditor, ut hæreticus Beza commentus eſt, ſed Vicarius Generalis tertius, eam præfecturam eximia cum probitatis, & prudentiæ laude triennium adminiſtravit. Comitiis deinde Neapoli habitis antiſtiti optime merito prorogatum imperium. Ceterum egregius ille ductor novæ cohortis, quamquam religionis arctiſſimæ ſacramento in verba Militantis Eccleſiæ, & Imperatoris Chriſti obligatus, brevi tamen ab ejus caſtris ad teterrimos hoſtes per ſummam impietatem, ac perfidiam deſcivit. Gliſcebat eo maxime tempore apud Germanos Luteriana peſtis, manabatque malum quotidie latius. Quocirca ſacri quæſitores in omne ejuſmodi contagionis periculum excubantes animo, Italiæ urbes, atque oppida ſalutaribus edictis, ac ſuppliciorum metu propoſito, in avitæ pietatis officiis continebant. Sed ea tamen Magiſtratuum diligentia provideri ſatis non potuit, quo minus animos perditorum quorundam morbus ille pervaderet.

Deferror deinde Catholicæ religionis.

Valdenſis, ac Vermilius hæretici, Ochini aſſeclæ.

XXII. Repebat enim ſenſim, & latenter in urbe Neapoli, viroſque primarios attigerat, Joannem Valdenſem Juris conſultum, & Petrum Vermilium inter Canonicos Auguſtinianæ familiæ Theologum, prorſus indignum eo nomine, atque Ordine. Cum his Ochinus inita ſocietate Hæreticorum libros pervolutare; pernicioſa dogmata per ambages e pulpito ſpargere; miris artibus auditores a recta in Deum fide, atque a Romani Pontificis auctoritate ſejungere. Hujus autem nefarii ſceleris, ac repentinæ defectionis probati ſcriptores, qui ea tempeſtate floruerunt, cauſam ferunt hujuſmodi. Magnum erat Ochini nomen tota Italia, magnus illi honor ab omnibus habebatur; quod nimirum & in ſacris concionibus popularis cujuſdam eloquentiæ laude præcelleret, & antiquæ ſimplicitatis hominem humanæ contemtu gloriæ repræſentaret. Paſcebat ſcilicet, ſuſtentabatque animum hominis mire levis, & ad omnem aſperitatem perferendam firmabat gloria, ac ſanctitatis opinio, quæ illum eſt conſecuta. Ceterum ut falluntur, qui veram gloriam, quæ tantum in vera virtute firme conſiſtit, ficta virtutis imagine ſe conſequi poſſe, & diuturnam pietatis ſimulationem ſuſtinere mente aliter affecti ſperant; inflatus, elatuſque tantis hominum in ſe ſtudiis, tanta ſui prædicatione animus ſua ſponte levis, & inconſtans, adeo ſibi placere, ſeſe amare, ac tanti ſuam æſtimare fortunam cœpit, ut ſpem ad immodica, vaſtaque homo Capuccinus adjiceret. Sed cum apud Pontificem Maximum non, quanti ipſe crediderat, ſe ſuaque in rempublicam, ac religionem merita fieri, nec ſpei, & cupiditati ſuæ Pontificis judicio reſponderi intellexit; dolore, ac mente mala ſtimulante ad eos, quos dixi, ſocios indignabundus acceſſit. Inter illos ita convenit: Valdenſis ac Vermilius clandeſtinis colloquiis, cum ſacræ Scripturæ interpretandæ operam dabant, hæreticam pravitatem, quibuſcunque modis poſſent, diſſeminarent; Ochinus ex ipſis concionibus quædam jaceret opportune, quibus Pontificis ipſius majeſtas, auctoritaſque perſtringi, minuique videretur.

Eorum nefarii conatus, ac ſtudiũ erroris propagandi.

Joannes Antonius Gratianus in vita Cardinal. Commendonii.

Ochinus captandæ gloriolæ nimis intentus.

Spe falſæ honorum defectionem meditatur.

In concionibus Pontificem carpit.

Id

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Mino-
1541.	anno 7.	anno 23.	rum anno 334.

Id quod temerarius præco inſanientis ſapientiæ aliquandiu pro ſuo munere præſtitit.

XXIII. Sed hæc ubi excipi, animadvertique ſunt cœpta, & in vulgus quoque ſuſpicio manavit, ſub tanta ſanctitatis oſtentatione ambitioſum, & contumacem latere animum; paulatim digredi ab illo homines; in dieſque feneſcere ejus fama; gratia quoque, qua latiſſime pollebat, languere; minuſque, quam antea, frequentari. Poſtremo cum ad ipſum quoque Pontificem ea delata eſſent, Romam ire, & purgare ſeſe, & coram diluere, quæ objicerentur, jubetur. Veronæ apud Joannem Matthæum Gibertum civitatis ejus Epiſcopum forte erat, cum Pontificis Maximi voluntas perlata ad eum eſt. Quem commotum, dubitantemque cum ſenſiſſet Gibertus, vir cum egregie pius, & Epiſcopalis officii laude excellens, tum Ochini ipſius ob innocentiæ opinionem in primis ſtudioſus, magnopere hortatus eſt eum, ut porro Romam iret, & veritate fretus, animi, ac ſententiæ ſuæ rationem apud quos Pontifex juſſiſſet, exponeret, eaque, de quibus inſimularetur, conſtanter reſelleret. Ille, deterrente hinc metu ex pravæ mentis conſcientia, inde hominum exiſtimationem verens, ſi defugere judicium videretur, Verona profectus conſilii, atque animi anceps, tamen Bononiam uſque proceſſit. Ibi tum erat Legatus Gaſpar Contarenus Cardinalis; a quo benigne quidem pro vetere amicitia hoſpitio eſt acceptus; ſed facultatem cum Legato de rebus ſuis colloquendi, quam cupiebat, non habuit; quod æger Contarenus tum maxime decumberet eo morbo, qui ſupremus illi fuit. Itaque manere, atque opperiri tantiſper, dum Cardinali melius eſſet, juſſum (ut eſt ſuſpicax eorum ingenium, qui gravis alicujus delicti conſcii ſunt ſibi) ingens hominem occupavit ſuſpicio, ne per ſimulationem valetudinis ipſe a Legato detineretur, quo inde appoſita cuſtodia, etiam invitus ad dicendam cauſam Romam perduceretur. Hoc metu percitus cum rogando inſtandoque introductus tandem ad Legatum eſſet, & cum æſtuantem febri tantum ſalutaſſet; eadem nocte fugæ conſilium cepit. Sumto communi ſago, abjectoque cucullato indumento, Genevam trepidus contendit, oppidum Helvetios inter Allobrogeſque perduellium flagitiis peropportunum. Tum male preſſum ad eam diem virus opinionum ſuarum effudit in ea colluvie palam, Sedique Apoſtolicæ, & catholicæ veritati nefarium, atque impium bellum maleſanus indixit. Scriptores aliqui eum ferunt a Calvino ſedibus pulſum in Britanniam primum commigraſſe; inde cum ſtipendia in Hæreticorum caſtris non impetraſſet, in Germaniam, Sarmatiamque profectum, dum honeſta conditione hoſpitii nuſquam accipitur, egentem, ac profugum in ſordida nequitie periiſſe. Sunt, qui Genevam reverſum dicant, ibique cum viatoribus Italis collato ſermone, tempeſtivis diſputationibus, monitiſque convictum reſipuiſſe; cumque Romanam fidem conſtantiſſime profiteretur, ab indignantibus novitatem doctrinæ oppidanis confoſſum.

Romam arceſſitur ad ſe purgandum.

Metu percitus Genevam contendit.

Idem Gratianus loco cit.

Menochius in Storiis.

XXIV. Ochini probrum flagitiumque ex eadem familia multi præſtanti pietate, rebuſque præclare geſtis per ea tempora compenſarunt: ut ſatis appareat, cum maxime furiam illam contra omnia Divina, & humana jura, legeſque ſacratas obarmaret ſatanas; tum excitatos Divinæ providentiæ nutu ejuſdem manipuli milites, qui afflictis Eccleſiæ rebus levamen ferrent, ſeque virtutum, & Chriſtianæ ſapientiæ præſidio fretos furori, ac libidini impuriſſimi deſertoris opponerent. Porro quid ejus cauſa defectionis in Cardinalium Collegio a Pontifice actum ſit, quæ propterea in familiam Capuccinorum coorta tempeſtas, alio loco exequemur. Ad noſtros jam redeamus.

Capuccini religione præſtantes Ochini flagitium compenſant.

XXV.

Joannes Paſchalis provinciam S. Joſephi in Gallęcia fundare aggreditur. *Wadding. Tomo* XV. *anno* 1508. *num.* 25.

XXV. Joannes Paſchalis Hiſpanus hoc anno Excalceatorum provinciæ, quæ ſancti Joſephi dicitur, in Gallæcia Tarraconenſis Hiſpaniæ regione fundamenta jecit. Cujus quidem novi moliminis cauſa fuit ejuſmodi. Provinciam ſancti Gabrielis in Bætica, ut ab Waddingo narratum eſt, Joannes ab Aquis Lupiis fundarat ſub initium ſeculi ſextidecimi; & in eam rem ſocios optimos, probatiſſimoſque Petrum Melgarium, Angelum Pincianum, ipſumque Paſchalem adſciverat. Sed ut humana omnia, vel ipſo nomine novitatis, obtrectationi propoſita ſolent eſſe, inſtituti ſeveritas ab reliquis Franciſcanis carpi cœpta. Subinde cum Leo X. Pontifex Maximus comitia totius Ordinis celeberrima indixiſſet; Paſchalis, & Angelus procurandis ejus provinciæ rebus præfecti, ad urbem venere. In his comitiis propenſus animo in Franciſcanos Pontifex, cum antiqua diſſidiorum ſemina, quæ magnos motus ad eam diem conciverant, extinguere decreviſſet; in duo tandem ſodalitia, velut agmina magni exercitus, univerſum Ordinem diſpertivit. Cœtus alter Obſervantium eſt appellatus, ac Generali Miniſtro totius Ordinis parere juſſus; alter Conventualium, qui videlicet paupertatis avitæ cultum haud ita ſeveris legibus definirent; ſed temperatos indulgentia Pontificum ſanctiſſimi Conditoris canones profiterentur. His Generalis Magiſter uti præeſſet, attributus. Præterea ſingulis Franciſcanis, utri mallent adhærere, poteſtas facta.

Leo X. Comitia totius Ordinis indicit.

In duas familias Ordinem tribuit. *Idem Wadding. Tomo* XVI. *anno* 1517. *n.* 29. *& ſeq.*

XXVI. Paſchalis igitur, Angeluſque cum comitiis interfuiſſent, flagrarentque incredibili ſtudio veteris diſciplinæ, ad eam ſcilicet inter Hiſpanos amplificandam id conſilium cepere: Pincianus pro data optione in Miniſtri Generalis verba juraret, Paſchalis Conventualium ſeſe cœtui adjungeret; quorum in his regionibus plurimos ad propoſitum vitæ genus poſſet allicere. His ita compoſitis, Pincianus in Hiſpaniam revertit, ubi magna cum ſui nominis fama bene, feliciterque ſuſcepti muneris obivit partes: quod Waddingus in poſtremo volumine memoriæ prodidit. Paſchali difficilior aliquanto provincia fuit.

Joann. Paſchalis pro data optione Conventualibus nomen dat; Angelus vero Pincianus comes Obſervantibus. Eorum conſilia.

XXVII. Is a Magiſtro Conventualium poteſtatem impetravit, uti cœnobia arbitratu ſuo conſtrueret, tirones ad inſtitutum aggregaret, itemque ex Conventualibus, qui domandi corporis deſiderio capti ab illo admitti ſe flagitarent; cœnobiarchas, concionatores, alioſque adminiſtros ipſe crearet; ubi cœnobia decem numero extiterint, provinciam conſtitueret; cui ſi mallet, præeſſet; ſin opportunum videretur, deſignari alium per ſuffragia curaret: omnino in his obeundis poteſtate ſumma fungeretur, cum eo tamen ut accitu Magiſtri, qui provinciam ſancti Jacobi adminiſtrabat, rationes ad eum ſuas pro ipſius auctoritate cognoſcendas deferret. Hæc vero omnia, quæ præfectus Conventualium Paſchali mandarat, Leo Pontifex Maximus diplomate publico approbavit. Hiſce fretus præſidiis Roma diſceſſit: cumque in Callaicam Terram perveniſſet, in inſula Occidentalis Oceani continenti proxima cœnobium, ædiculamque conſtruxit, ac divo Simoni, quo antea nomine inſula appellabatur, dicavit. Ibi cum paucis Fratribus ejuſmodi vitæ genus exorſus eſt: nudis pedibus ambulare; detrita tunica, brevique pallio veſtiri; fere totam hebdomadam ab eſculentis abſtinere; in ipſo cibatu ſimplici pane contenti, atque ubi ſitis urgeret, aqua profluente; ubi corpori danda quies, parce ſomno indulgere, intereaque humo nuda cubare: ad hæc in orandi conſuetudine dies, noctesque perſiſtere, & confluentem ad ea loca populum publicis, privatiſque inſtitutionibus ad omnem virtutem, ac religionem informare. His ergo moribus Paſchalis ſociique Excalceatorum Fratrum diſciplinæ rudimenta poſuere.

Paſchali poteſtas facta ædificandi cœnobia in Hiſpania.

Qui in inſula Callaicæ terræ domicilium poſuit.

Ejuſdem ac ſociorum vitæ genus aſperrimum.

Ve-

Anno Christi 1541.	Pauli III. anno 7.	Caroli V. Imp. anno 23.	Religionis Minorum anno 334.

Verumtamen per infrequentiam eorum, qui darent nomina ſocietati, multis annis puſillus admodum grex ille fuit. Quocirca optimo ſeni Romam denuo proficiſci placuit; ibi exorare Pontificem, uti Obſervantes potiſſimum familiæ adjungere ſibi licitum eſſet; quando Conventuales ea deterriti aſperitate, contra quam putarat, nulli propemodum acceſſiſſent. Itaque ad urbem venit anno MDXXXIV. Inter hæc Clemens VII. anno Pontificatus XI. demoritur; cui Paulus III. ingenti bonorum omnium gaudio ſuffectus eſt. Paſchalis totius diſciplinæ formulam in certa capita dilucide redactam, ac breviter eidem Pontifici ſuppliciter obtulit, obteſtatuſque eſt, ut, quando in uno cœnobio, favente Deo, populiſque approbantibus, conſtaret egregius operæ fructus, limes ille, quem Leo X. conſtituerat, omnino tolleretur; liberumque ſibi, & ſucceſſoribus eſſet, cuilibet petenti ſodalitium dare. Paulus, ut in tanta re, ne minus conſulte quidpiam ſtatuere videretur, totum negotium demandavit uni viro e ſacro Collegio Cardinalium, quem ſibi Ordo patronum, ac protectorem, ut appellant, ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate delegerat. Is animadvertens, quanta in turba, quantaque in confuſione rerum Obſervantium familia viveret, propter multorum levitatem, qui ad Capuccinos migrabant; enimvero difficilem ſe Paſchali initio præbuit. Siquidem verebatur, ne quibus in Italia diſſidiis Ordo conflictari erat cœptus, iiſdem in Hiſpania recenti inſtitutione ſodalitatis aditus patefieret. Paſchalis accepta repulſa nihil territus, cum orando, inſtandoque ſexennium perſeveraſſet, tandem aliquando conſecutus eſt, ut ex animi ſententia rem totam conficeret. Primum enim Pontifex Maximus diploma Tuſculi dedit, quo per autumni ferias e turba, negotiiſque ſeſe receperat: eo diplomate Conventualium præfectorum de Paſchali judicia, poteſtatemque ipſi attributam confirmavit verbis ampliſſimis.

Sed admodum pauci eidem ſe adjungunt.

Qui Romam profectus, contendit a Pontifice poteſtatem aggregandi etiam Obſervantes.

Paulus III. poteſtatem Paſchali attributam a Præfectis familiæ diplomate confirmat.

PAULUS PAPA III.

Dilecto filio Joanni Paſchali Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Reformatorum nuncupatorum profeſſori ſalutem

Singularis devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris Eccleſiam nec non religionis zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus apud nos famæ laudabilis teſtimonia commendatus exiſtis, promerentur, ut bis, quæ tuæ curæ, & adminiſtrationi commiſſa, tibique conceſſa dicuntur, at illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidium propenſius impertiamur. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias quondam Joannes Vigerius tunc in humanis agens Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, tibi, ut in Hiſpaniarum partibus quæcunque loca eidem Ordini Reformatoram pro illius domorum conſtructione concedenda pro te, & ipſius Ordinis Fratribus Reformatis nuncupatis recipere, inibique conventum inſtituere, ac habitum per Fratres dicti Ordinis Reformatorum geſtari ſolitum ſuſcipere, cupientibus tradere, illoſque ad profeſſionem per eoſdem Fratres emitti ſolitam admittere, ac interim cum uno, vel duabus ſociis tuis ſub obedientia Magiſtri provincialis provinciæ, in qua fores, eſſe valeres, licentiam, & facultatem conceſſit, teque dictarum domorum ſuam Commiſſarium conſtituit: & deinde dilectus filius Jacobus de Ancona tunc Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis Vicarius a Sede Apoſtolica deputatus, te ſimiliter Commiſſarium cum plena, & libera poteſtate officium Commiſſarii hujuſmodi.

modi exercendi conſtitnit, & poſtmodum in Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis electus, præmiſſa omnia, & ſingula, ac illorum vigore ſecuta quæcunque approbavit, & confirmavit, omneſque, & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan interveniſſent, in iiſdem ſupplevit, teque, quoad vixeris, locorum, & domorum, ac Fratrum hujuſmodi Commiſſarium etiam conſtituit, & deputavit, tibique, quod capitulum ex Fratribus domorum hujuſmodi convocare, & congregare, ac eidem capitulo præeſſe, & ſi tibi expediens videretur, officium Commiſſariatus hujuſmodi deponere, ipſumque capitulum pro electione alterius Commiſſarii locorum, & domorum, ac Fratrum hujuſmodi in tui locum etiam congregare, & celebrare, ac omnia, & ſingula, quæ ipſe Jacobus Magiſter Generalis ſuper domibus, locis, Fratribus, capitulis, & aliis præmiſſis, & illa quomodolibet concernentibus facere quomodolibet poterat, pariformiter, & abſque ulla penitus differentia facere, & exequi libere, & licite valeres, etiam conceſſerat: ac, quod Magiſter provincialis provinciæ, in qua domus, & loca hujuſmodi conſiſtebant, vel in futurum conſiſterent, de illis, vel illorum Fratribus, te vivente, ſe intromittere non poſſet, ac officium Commiſſariatus hujuſmodi tuorum in illo ſucceſſorum per unum annum cum dimidio, & non ultra duraret, electioneſque Commiſſariorum hujuſmodi, per Magiſtrum provincialem provinciæ, & Ordinis prædictorum per decem horas a momento petitionis confirmationis computandas confirmari deberent, & ſi Magiſter provincialis confirmationes hujuſmodi facere recuſaret, aut ultra dictas horas differret, tunc electus in Commiſſarium eo ipſo confirmatus eſſet, & eſſe cenſeretur, ac officium Commiſſariatus hujuſmodi per dictum annum cum dimidio abſque alia confirmatione exercere poſſet, decrevit, & declaravit, ac quaſcunque alios Commiſſarios, & Vicarios per eum ſuper domibus, & locis, ac Fratribus hujuſmodi deputatos, ac deputandos, ac quaſcunque facultates per eum eis deſuper quomodolibet conceſſas revocavit, caſſavit, & annullavit: ac ſucceſſive dilectus filius Laurentius Spada Bononienſis modernus etiam Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis præmiſſa etiam confirmavit, prout in patentibus litteris Joannis, & Jacobi, ac Laurentii prædictorum deſuper confectis plenius contineri dicitur.

Quare pro parte tua, ac dilecti filii moderni Provincialis ejuſdem Ordinis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni, conſtitutioni, & deputationi, approbationi, confirmationi, decreto, declarationi, revocationi, caſſationi, & annullationi prædictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur te a quibuſvis excommunicationis &c. cenſentes, ipſarumque litterarum veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem, conſtitutionem, deputationem, approbationem, confirmationem, decretum, declarationem, revocationem, caſſationem, & annullationem, ac alia præmiſſa, & prout illa concernunt, omnia, & ſingula in dictis litteris contenta, licita tamen & honeſta, ac inde ſecuta quæcunque auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ex certa ſcientia confirmamus, & approbamus, ac illis firmitatis robur adjicimus, illaque valida, & efficacia exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, necnon per quoſcunque obſervari debere, & ad id compelli, & cogi poſſe, ſicque per quoſcunque, quavis auctoritate fungentes, judices, & perſonas, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere: decernentes irritum, & inane &c. ſupplentes omnes, & ſingu-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 334.
1541.	anno 7.	anno 23.	

gulos juris, & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; non obſtantibus Apoſtolicis, ac in provincialibus, & ſynodalibus conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus; ac juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis dicti Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, & indultis, & litteris Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque ſuperioribus, & perſonis, per quoſcunque Romanos Pontifices prædeceſſores, ac nos, & Sedem prædictam, etiam cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut exquiſita forma ſervanda foret, & in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus derogari poſſit, illorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, harum ſeric ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Si quit &c. Datum Tuſculi anno MDXL. *pridie nonas Octobris anno* VI.

Pontifex poteſtatem facit Paſchali, ut Obſervantes, & aliorum Ordinum alumnos in familiam aſciſcat.

XXVIII. Poſtero dehinc anno, datis ad eum litteris, non modo, ut Obſervantes reciperet, idem Paulus permiſit, verum etiam ceterorum Ordinum alumnos, quoſcunque ardor pœnitentiæ, ſtudiumque pietatis exquiſitæ in ejus tecta compuliſſet. Alteras demum litteras ad eundem perſcripſit anno MDXLVIII. quas, quod priorum continent argumentum, ſuo loco proferemus.

Qui cœnobium ædificet apud Aquas Auguſtas.

XXIX. Paſchalis hiſce difficultatibus Dei beneficio perfunctus ad Aquas Auguſtas, quam hodie Bajonam appellant, proficiſcitur, oppidum a ſancti Simeonis inſula paſſuum millibus quindecim. Ibi cum oppidanis inita ratione ædificandi cœnobii, in provinciam ſancti Gabrielis contendit, ſociiſque ſeptemdecim inde aſſumtis, Bajonam revertit, cœnobiumque in maris littore extruxit, quod & Patriarchæ Franciſco ſolemni ritu dedicavit. Ceterum initio res haud ita proſpero curſu viſa procedere: quippe ſocii iniquitate cœli, ſolique paulatim fracti, invaletudinis obtenta cauſa, Paſchalem cum junioribus paucis deſeruere. Ea Fratrum penuria decennium tenuit; nec domus aliæ præter illas, quas dixi, duas eo tempore inhabitatæ. Ab his parvis initiis divi Joſephi provincia ad eam excrevit amplitudinem, quam Chriſtianus deinde orbis miratus eſt, enitente potiſſimum divo Petro Alcantarenſi: quod a nobis pro ratione temporum commemorabitur.

Sed parum promovet in ipſis initiis.

XXX. Plures quoque in Italia per id tempus fuere, qui Hiſpanorum exemplis incitati, & antiquæ ſeveritatis reſtituendæ percupidi, in ipſa Obſervantium familia novas turbas ciebant. Ea res Franciſco Quinonio totius Ordinis Generali Miniſtro negotium exhibuit: qui proinde ſuperioribus annis, ut familiæ concordiam Leonis X. auctoritate reſtitutam pro virili parte tueretur, homines porro in officio continere, nec ab reliquis Obſervantibus ullo pacto divelli ſinere inſtituit. Quocirca illis in unaquaque provincia domos aliquot attribui juſſit. In his domarent quidem corpora, uti libitum eſſet, omni genere aſperitatis; ſed tamen animum ſtudere pacis, & obedientiæ legibus aſſuefacerent. Hi conveniente eorum ſtudiis moribuſque cognomine dicti ſunt Reformati; non quod vitæ inſtituta a majoribus noſtris per manus tradita, dein longa ætate, ac deſuetudine obliterata, ſuis legibus inſtaurarint: viguit enim ſemper, hodieque viget in

Franciſcus Quinonius Italos Obſervantes in officio continet.

Wadding. Tomo XVI. *anno* 1525. *num.* 12.

Obſervantium ſodalitate priſtinum decus diſciplinæ: ſed quod eam novis decretis corroborare uſque adeo conati ſint, ut novas veluti ſpecies, nativæque ornamenta dignitatis honeſto corpori affingerent. Eo videlicet Reformatorum conſilia ſpectaſſe videntur, ut non modo graviora præcepta, quæ, ſi forte neglecta fuerint, noxam culpæ lethalis Franciſcanis inurunt, ſervanda ſibi proponerent: id enim ſemper ab Obſervantibus etiam factum, qui jam inde ab Ordine condito ad eam normam ſe componentes, diſciplinæ perpetuo cultu excelluerunt: ſed veteribus inſtitutis multa ipſi decreta, canoneſque ſubjicerent, quibus aſperum quoddam, priſcoque illo ſeverius vivendi genus induceretur. Quinonio deinde Romanæ purpuræ delatus eſt honor, eique Paulus Piſottus ſuffectus, vir ſevero admodum ingenio, qui cum novellam Reformatorum propaginem multis modis exagitaret, Capuccinorum familiam, quotidianis eorum concurſibus augeſcentem amplificavit. Iſti enim, ut commigrarent, interpoſita Eccleſiæ Principum auctoritate, veniam vel ab invito extorquebant. Multis etiam, uti animo ſoluto, ac libero pietati indulgerent, atque ad impertiendum ethnicis Evangelium ex Italia diſcederent, aut a Pontifice Maximo, aut a Quinonio Cardinali, qui tum Ordinem patroni munere tuebatur, poteſtas data. In his Jacobus Eugubinus poſterorum memoria dignus maxime fuit; quem Boverius ad Capuccinos conceſſiſſe, nulla ſane probabili conjectura fretus, affirmat. Rochua enim Pyrrhus inter Obſervantes Umbros educatum, ſacriſque litteris eruditum conciones in Sicilia habuiſſe diſerte ſcribit; nec mutatum ab eo pallium fuiſſe memoriæ prodit. Quin etiam publicæ ad eum litteræ Cardinalis illius, qui Eccleſiæ Romanæ Pœnitentiarius nuncupatur, Jacobum Reformatorum Presbyterum, explorata iis temporibus notione vocabuli, appellant. Michael Burgius Drepanenſis in provincia Siciliæ Tertii Ordinis Franciſcani profeſſor, idemque Jacobi diſcipulus, eum refert a Quinonio impetraſſe, ut in Orientem amplificandæ Religionis cauſa contenderet; cumque Epidaurum perveniſſet urbem maris Illyrici, perpetuis tempeſtatibus ab itinere conficiendo prohibitum, retro, unde venerat, in Italiam revertiſſe: inde in Siciliam delatum Drepani conſediſſe anno Chriſti MDXXXV. ætatis ſuæ XXVIII. quo tempore Carolus Imperator in Africam claſſe trajecta, pulſo Barbaroſſa inſigni prædone, qui Algerum nuper occuparat, & Goleto arce validiſſima haud procul eo loco, ubi Carthago ſita fuit, ſubacta, Muleaſſum in Regnum reſtituit.

Capuccinorum ſodalitatem Paulus Piſottus Generalis Miniſter per imprudentiã amplificat.

Jacobus Eugubinus, non inter Capuccinos, ſed Reformatos numerandus. *Rochus Pyrrhus in Hiſt. Manaſter. Eccleſiæ.*

XXXI. Jacobus ergo plenus ſpei bonæ, atque animi, quod cum Cæſaris milite ad Africanum ſe littus devehendum putaret, in ea loca divertit. Sed cum reducem a victoria offendiſſet, ea ſpe dejectus in Sicilia conſiſtere, & inquilinos pro viribus adjuvare Drepanenſium precibus delinitus conſtituit. Subinde illum magna populorum frequentia, & animorum præterea fructu concionantem nobiles viri, ac Magiſtratus miris laudibus exceperunt, atque ab eo, quem diximus, Cardinali publicas ad ipſum litteras perſcribendas curarunt; per quas Jacobo Drepani tuto eſſe, civeſque univerſos virtutis, ac religionis imbuere diſciplinis liceret.

Jacobus Eugubinus apud Drepanum in Sicilia domicilium poſuit.

Card'nalis Pœnitentiarii ad eũ litteræ.

ANTONIUS miſeratione Divina tituli Sanctorum quatuor coronatorum Presbyter Cardinalis dilecto in Chriſto Jacobo de Gubio Presbytero Ordinis Minorum Reformatorum profeſſori ad præſens in civitate Drepani Mazar. diœceſis reſidenti ſalutem in Domino.

EXhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod nuper Generalis Miniſter tui Ordinis de tua probitate, & bonitate confiſus, volens

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum
1541.	anno 7.	anno 23.	anno 334.

lens te ſpiritualibus gratiis proſequi, Civitatem prædictam per ſuas patentes litteras tibi aſſignavit, & conceſſit, prout in dictis litteris dicitur plenius contineri cum auctoritate, ſicut eadem ſubjungebat petitio, quod tu eapias vigore dictæ licentiæ, & ea durante, in dicto loco, tam pro tua, quam totius Civitatis commoditate, & conſolatione ſpirituali, ſtare, & permanere; deſiderans licentiam, ſeu litteras præfatas, quo majoris roboris obtineant firmitatem, Apoſtolicæ confirmationis munimine roborari. Quare ſupplicari feciſti humiliter, tibi ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ac dictæ licentiæ, ſive litterarum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, auctoritate Domini Papæ, cujus Curiæ Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, tibi, ut vigore dictæ licentiæ, ſive litterarum, ea, ſive eis durantibus, in loco prædicto, ſub obedientia tamen, & correptione Superioris tui Ordinis, ſtare, & permanere, juxta tenorem, & continentiam earundem litterarum, libere, & licite poſſis, & valeas; nec ab eo ultra tenorem licentiæ, vel litterarum prædictarum amoveri, niſi id tuis exigentibus demeritis, veris exiſtentibus præmiſſis, tenore præſentium indulgemus, ac licentiam, & liberam facultatem concedimus: jubentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis ſententiæ pœna, quam contra facientes incurrere volumus ipſo facto, & a qua niſi per nos, & Sedem Apoſtolicam, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolvi non poſſint, tam loci Ordinario, quam dicti Ordinis Minorum Fratribus Superioribus Generalibus reformatoribus, & aliis quibuſcunque perſonis, tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, non te ſuper præmiſſis, vel eorum executione, prædictæ licentiæ tenore, verbo, & opere, directe, vel indirecte, quovis quæſito colore, vel prætextu moleſtare, perturbare, aut alias quomodolibet inquietare, vel impedire præſumant quoquo modo; decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus a quoquam quavis auctoritate contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ VI. *Idus Maii Pontificatus Domini Pauli Papæ III. anno* VII.

XXXII. Cum ſe porro ad munus illud obeundum diuturno potius orandi uſu, quam legendi, ſcribendive conſuetudine comparaſſet; hauſtam videlicet e vulneribus Chriſti ſapientiam, vivendique præcepta in vulgus diſſeminabat. Eidem ſemel inter concionandum memoratu digna res contigit. Cum enim feria quinta majoris hebdomadæ ſermonem exorſus eſſet, quo Dei filium pro mortalium ſalute diros cruciatus perferentem, & Judæorum nefario ſcelere in crucem actum exponeret, plorans, gemenſque ab ejus diei veſpere ad multam noctem peroravit. Cum diluculum pæne eſſet, cuidam primario viro ad ſuggeſtum accedenti, hortantique, ut valetudini parceret, atque adeo a nimio fletu temperaret, reſpondiſſe fertur, nihil ſibi jucundius poſſe contingere, quam, ut vitam cum lacrymis illo die profunderet, quo die rerum procreator, ac parens mortem obierit, ut univerſum genus humanum a ſervitute dæmonis in priſtinum decus, ac libertatem vindicaret. Cum ad Chriſtianam facundiam aſperrimum vitæ genus adjungeret, gentes nimirum admiratione defixas nullo negotio ad pietatis officia traduxit. Anno MDXXXIV. ſodalitatem piorum inſtituit, eique Tertii Ordinis canones, ac præcepta, uti mores vitamque componeret, ipſe propoſuit. Prima eorum domus in agro Drepanenſi ædificata: exinde ſocii propter anguſtiam loci alio commigrare compulſi ad radices Erycini montis cœnobium conſtruunt. Locus ille Morto-

Prædicandi aſſiduitate, & concionandi facultate excellit.

Dictum ejus egregium.

Sodalitium tertii Ordinis condit.

nia dicebatur tribus a Civitate paſſuum millibus. Ibi tandem a Fratribus ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate anno MDXLVI. Divina Myſteria celebrari cœpta. Extat hujus rei monumentum iis in litteris, quas Cardinalis alter Pœnitentiarius, ut Dei cultum amplificaret, petentibus ſolitariis libentiſſime dedit.

ROBERTUS miſeratione Divina Sanctorum quatuor coronatorum Presbyter Cardinalis dilectis in Chriſto Fratribus, & Eremitis domus, ſeu Eremitorii loci de Mortonia extra muros terræ Drepani civitatis nuncupatæ Mazarienſis diœceſis, Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſalutem in Domino.

Litteræ Cardinalis Pœnitentiarii ad ſolitarios Tertii Ordinis Drepanenſes.

INjunctum nobis Apoſtolicæ Sedis ſervitutis officium admonet, & inducit, ut Chriſtifidelium votis, illis præſertim, quibus animarum ſuarum ſaluti, & divini cultus augmento conſulitur, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod, cum vos in domo, ſeu eremitorio prædicto permanentes Miſſas, & alia Divina Officia intus Terram prædictam, vel ſaltem alium locum diſtantem, & vobis incommodum adire cogamini, cuperetis propterea vos zelo devotionis accenſi, ne tam ſæpe inter laicos, & ſeculares converſari contingat, Miſſas, & alia Divina Officia in quodam oratorio per vos prope dictum veſtrum eremitorium conſtructo, ſeu conſtruendo per aliquem veſtrum in Presbyteratus ordine conſtitutum celebrari facere, & in eodem oratorio per ejuſdem Sacerdotis manus Euchariſtiæ ſacramentum recipere, ex quo profecto animarum veſtrarum quieti, & ſaluti non modicum conſuleretur. Quare ſupplicari feciſti humiliter nobis, ſuper iis per Sedem eandem de opportuno remedio miſericorditer provideri.

Nos igitur veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis, ut de Superioris veſtri licentia, Ordinarii loci, vel cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, oratorium hujuſmodi prope eremitorium prædictum, ſi nondum conſtructum eſt, conſtrui, & de cetero in eo Miſſas, & alia Divina Officia per aliquem veſtrum in Presbyteratus ordine conſtitutum celebrari facere, ac ab illius manibus Euchariſtiæ ſacramentum, quoties opportunum fuerit, recipere libere, & licite poſſitis, & valeatis, veſtrumque in dicto eremitorio ſucceſſores poſſint, & valeant, veris exiſtentibus præmiſſis, tenore præſentium indulgemus, ac licentiam, & liberam concedimus facultatem. Mandantes, & diſtrictius inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, quo ad ipſos, & alios majores Prælatos ſub ſuſpenſionis a Divinis, quo ad alios vero ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam contra facientes incurrere volumus ipſo facto, & a qua nonniſi per nos, aut Sedem Apoſtolicam, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi poſſint, tam loci Ordinario, quam dicti Ordinis Superioribus Generalibus reformatoribus, ac aliis quibuſcunque tam Eccleſioſticis, quam ſecularibus judicibus, & perſonis cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, & quacunque etiam Pontificali præfulgeant dignitate, vel auctoritate, etiam Apoſtolica fungantur, ne vos ſuper præmiſſis, vel illorum aliquo, verbo, vel facto, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, tacite, vel expreſſe, quovis quæſito colore, vel prætextu moleſtare, vel turbare, aut alias quomodolibet inquietare audeant, aut præſumant: decernentes irritum, & inane quicquid ſuper his a quoquam qua-

Anno Christi 1541.	Pauli III. anno 7.	Caroli V. Imp. anno 23.	Religionis Minorum anno 334.

quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac tam provincialibus, quam ſynodalibus, dictique Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, locorum Ordinariis, & aliis quibuſcunque perſonis pro tempore conceſſis, confirmatis, & innovatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiarii pridie nonas Julii Pontificatus Domini Pauli Papæ III. anno XII.

Julius Cardellus.

XXXIII. Cumque viri complures Jacobi monitis, exempliſque incitati in ſodalitium nomina darent, aliæ ſubinde domus conſtructæ ſunt, quæ, tribus antiquis in communionem diſciplinæ vocatis, provinciam Ordinis Tertii Sicilia tota percelebrem conſtituere. Per idem tempus aliquot feminæ, cum in ſuis quæque domiciliis inſtituerentur, permiſſu Cardinalis Pœnitentiarii inita ſocietate, Drepani ſub idem tectum conveniunt. Rochus Pyrrhus in hiſtoria Mazarienſis Eccleſiæ Jacobum Eugubinum hujus familiæ primum, aliarumque deinde in ea regione auctorem fuiſſe teſtatur. De illo etiam Ludovicus Jacobillus in vitis Sanctorum Umbriæ, & Franciſcus Bordonus in Chronologio Tertii Ordinis luculenter ſcripſerunt: ſed multa ſane haud certa ſatis, & explorata videntur eſſe. Nobis ea tantummodo dixiſſe ſufficiat, de quibus nemo poſſit ambigere, quod litterarum publicarum teſtimonio, & auctoritate comprobentur.

Initia Tertii Ordinis in Sicilia.

Feminarum Tertii Ordinis collegium Drepani inſtitutum.

XXXIV Per idem tempus in agro Mediolanenſi Templum, cœnobiumque ab Obſervantibus excitatum in loco, ubi ædiculam Claudius quidam ſolitarius egregia ſanctimoniæ laude celebratus nuper incoluit. Loco nomen erat Sabioncello. Templum Deiparæ Virgini dicatum, & ſuperiore anno ab Eccleſia ſancti Georgii, cujus adhuc in ædes circumjectas vetuſtum jus pertinebat, Pauli III. diplomate ſejunctum eſt; cum eo tamen, ut ejus Eccleſiæ Rectori tributum ferret cœnobiarcha, libramque thuris, & albæ ceræ quotannis penderet.

Obſervantes cœnobium condunt apud Sabioncellum in agro Mediolanenſi. Conditionee iiſdem propoſitæ Pauli III. diplomate.

PAULUS EPISCOPUS.
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Monendus eſt lector, ubicumque in hoc volumine ſermo erit de venditione, emptione, pactione, id intelligi factum per Syndicos Apoſtolicos, non ab ipſis Obſervantibus, Capuccinis, Reformatis &c.

Piis fidelium votis, ex quibus Divini cultus incrementum, & Religionis propagatio provenire ſperantur, libenter annuimus, ac ea, prout in Domino poſſumus, & ſalubriter expedire conſpicimus, favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem omnia beneficia Eccleſiaſtica apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantia, & in antea vacatura collationi, & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quocumque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque Eccleſia ruralis nuncupata ſanctæ Mariæ Sabioncelli infra limites Parochiæ Parochialis Eccleſiæ ſancti Georgii de Viſago ei perpetuo unita, ex eo, quod nos unionem hujuſmodi dilecti filii Baptiſtæ Aroldi ipſius Eccleſiæ ſancti Georgii Rectoris ad hoc per dilectum filium Bernardinum Caſinum Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, procuratorem ſuum ad hæc ab eo ſpecialiter conſtitutum, expreſſo accedente conſenſu, harum ſerie perpetuo diſſol-

ſolvimus, ipſamque Eccleſiam ſanctæ Mariæ ab eadem Eccleſia ſancti Georgii diſmembramus, & ſeparamus; per diſſolutionem, diſmembrationem, & ſeparationem hujuſmodi per Sedem prædictam vacet ad præſens, nullusque de illa præter nos hac vice diſponere potuerit, ſive poſſit, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis: Et ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Guardiani, & Fratrum domus ejuſdem ſanctæ Mariæ Pacis Mediolanenſis dicti Ordinis regularis Obſervantiæ Congregationis S. Petri in Monte Aureo de Urbe nuncupatæ petitio continebat, quod, ſi dicta Eccleſia ſanctæ Mariæ cum ædificiis, caſalibus, bonis, juribus, & pertinentiis ſuis univerſis eiſdem Guardiano, & Fratribus, ut inibi unam domum pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis, & Obſervantiæ prædictorum conſtrui, & ædificari facere poſſent, concederetur, & aſſignaretur, ex hoc profecto Divinus cultus inibi non modicum ſuſciperet incrementum; pro parte ipſorum Guardiani, & Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis dictam Eccleſiam ſanctæ Mariæ, ut præfertur, concedere, & aſſignare, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, & fidei propagationem noſtris potiſſime temporibus ſinceris exoptamus affectibus, Guardianum, & Fratres præfatos, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Eccleſiam ſanctæ Mariæ prædictam, quæ ſine cura eſt, & cujus fructus, reditus, & proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera, ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum, ut dicti Guardianus, & fratres aſſerunt, non excedunt, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, & ex cujuſcumque perſona, ſeu per liberam reſignationem cujuſvis de illa, in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, vacet, etiam ſi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii ad Sedem præfatam legitime devoluta, ipſaque Eccleſia ſanctæ Mariæ diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter, vel generaliter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo ejus diſpoſitio ad nos hac vice pertineat, eum omnibus ædificiis, caſalibus, bonis, juribus, & pertinentiis ſupradictis ejſdem Guardiano, & Fratribus per eos juxta mores, & conſuetudines Ordinis, & Obſervantiæ tenendam, regendam, & gubernandam, ita ut inibi unam domum cum clauſtro, cœmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione perpetua Fratrum eorumdem Ordinis, & Obſervantiæ, Ordinarii loci, aut cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, conſtrui, & ædificari facere poſſint; ſic tamen, quod ipſas componendæ domus Guardianus, & Fratres pro tempore exiſtentes præfato Baptiſtæ, & pro tempore exiſtenti dictæ Eccleſiæ ſancti Georgii Rectori in recognitionem dominii, & ſubjectionis cenſum unius ceræ laboratæ, & alterius librarum thuris in feſto ejuſdem ſancti Georgii annis ſingulis perpetuo ſolvere teneantur; auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & aſſignamus, decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatam forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Et nihilominus eidem conſtruendæ domui a Guardiano, & Fratribus illam pro tempore inhabitantibus, ut omnibus & ſin-

ſingulis privilegiis, conceſſionibus, gratiis, & indultis aliis domibus Ordinis, & Obſervantiæ prædictorum in genere conceſſis, ac quibus illæ, & eorum Guardiani, ac Fratres de jure, & conſuetudine utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poſſunt, ac quomodolibet poterunt in futurum, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant; jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo; auctoritate, & tenore prædictis de ſpeciali gratia indulgemus; non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, etiam illa, qua prohibetur, ne Ordinum Mendicantium Fratres loca ad habitandum de novo recipere præſumant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali faciente plenam, ac expreſſam, & de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque; etſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpecialem, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus litteras impetrarint, etiam ſi ſecus ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem litteras, & proceſſus habitos per eaſdem, & inde ſecuta quæcumque ad dictam Eccleſiam ſanctæ Mariæ volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad exemptionem beneficiorum aliorum præjudicium generari; & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, ac litteris Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, aſſignationis, decreti, indulti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXL.XII. *Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno* VI.

B. Motta.

G. Rothulo

XXXV. Cœnobium illud, cum Romano ſodalitio ſancti Petri in Janiculo, ut ex litteris Pauli conſtat, aliquandiu adhæſiſſet, anno demum ſeſquimilleſimo ſexageſimo quarto in provinciam Mediolanenſem adſcitum eſt, ac viceſimo poſt anno Reformatis attributum; qui deinde a Cardinali Salviato, qui tum eam Eccleſiam cum ſummo jure adminiſtrabat, ut ea penſionis lege ſolverentur, impetrarunt.

XXXVI. In Americæ ſeptentrionalis provincia, quam noſtri novam Gallæciam, populares Xaliſcum appellant, Catholicæ religioni fuſo ab Obſervantibus ſanguine litatum eſt. Antonius Collaris Hiſpanus, cum Xaliſcanos, hiſque finitimos Chichimecas, qui Chriſtiana ſacra ſuſceperant, virtutis, ac pietatis legibus imbuiſſet; palantes antea ferarum more per ſaltus, & avia ad civilem convictum, & honeſta pacis officia, cultumque traduxit. Is cœnobium in Ezetlano oppido biennio ante excitatum adminiſtrabat. Hoc vero anno ad Mexicana comitia, de quibus ſupra memoratum eſt, profecturus, Joanni Calero laico, qui gentis linguam tenebat, rem Chriſtianam, ipſumque adeo neophytorum gregem commendavit. Vix dum Collaris abierat, cum repente barbari, in Hiſpanos impetu facto, cæſiſque

Antonius Collaris ex Obſervantium familia in America clarus.

Tum ejus comes Joannes Caletus.

fisque quamplurimis, ad ingenium rediere. Eos ad montium juga dilapsos porro Calerus insequi, &, quod multorum gratia polleret, ab detestanda superstitione rursus abducere instituit. Ergo precatus immortalem Deum, uti cœptis faveret, eòque per longa jejunia, sacramque confessionem propitiato, ipso die Pentecostes cœlesti vescitur pane, atque e vestigio difficile opus, aleæque plenum aggreditur. Ubi errantes per opaca nemorum barbaros ad concionem vocavit, primum gravi oratione impietatem, perfidiamque coarguere: dein hortari, ut perpetratum scelus execrantes, ab infelicibus vepretis, ac saltibus ad læta Domini pascua, caulasque revertantur: si resipiscant, polliceri se, tum ab Hispano Rege, tum, quod magis optandum, ab æterno Numine, cujus iracundiam in sua ipsorum capita concitassent, ejus flagitii veniam facile impetraturos: sin contumaces esse pergant, brevi ab Hispano milite internecione delendos, ac sempiterna insuper apud inferos supplicia perpessuros. Ea obnuntiatione Caleri Chichimecæ nihil territi, abstinent tamen manus, animosque ab injuria viri; cujus videlicet plurima, & maxima in eorum singulos egregiæ cujusdam benevolentiæ documenta constiterant. Ergo domum reverti monent, jubentque; interim sese, quid facto opus esset, cogitaturos. Illum re infecta digressum quidam ferociores, qui colloquio non interfuerant, ex insidiis adoriri constituunt. Eos femina nequam incitasset, ignominiam gentis objiciens, quæ a patriis moribus, & institutis avelli se pateretur, fideique, ac potestati Hispanorum ad certam necem, ludibriumque stulte permitteret. His acti furiis barbari Calerum fudibus, ac sagittis aggrediuntur, frustraque eos paterna voce compellantem, obtestantemque ne sceleri scelus addant, genibus tandem nixum confodiunt: inde procumbentis os, dentesque contundunt fustibus, cavillantes insuper, numquam eum deinceps, vel cœlestem felicitatem, vel, ut antea consuevisset, inferorum cruciatus ipsis denuntiaturum. Cumque ad fastidium debacchati fuissent, & corpusculum viri miserandum in modum divexassent, postremo nudatum veste destituere. Eam velut exuvias ab hoste prostrato secum asportant. Calero comites erant in via pueri duo, totidemque adolescentes, quos Tertii Ordinis professores quidam fuisse tradunt. Ex his grandior natu sese fuga proripuit, & ad incolas Ezetlani oppidi Christianos nefariæ cædis nuntius idem, ac testis revertit. Reliquos insanum vulgus contrucidavit. Oppidani quamquam facinoris indignitate perculsi, frementesque dolore, ac desiderio viri, vix tamen ausi sunt ad curanda Martyrum corpora domo pedem efferre; quod furentium barbarorum sustinere se impetum posse desperarent. Quinto tandem die Didacus Lopes Hispanus cum delecta militum manu in ea loca profectus, Caleri corpus, non, ut putarat, aut sanie diffluens, aut præfervido ambustum sole, sed velut a morte recens, & incorruptum invenit. Sociorum cadavera, sive ab animantibus feris, sive usitato gentis more ab ipsis barbaris depasta, nusquam apparuere. Caleri funus ingenti populorum frequentia, ac pietate celebratum, ejusque corpus in Templo Franciscanorum solemni ritu conditum est.

Qui neophytos perduelles ad officium revocare aggreditur.

Ab ils interficitur.

Ejusdem socii varios patiuntur casus.

Caleri corpus in Templo Franciscanorum conditur.

XXXVII. Collaris interea Mexico reversus, turbatam indignis modis rempublicam, elatos insolentia barbaros, Hispanos metu pæne dejectos offendit. Ergo rebelles ad sanitatem, officiumque revocare, quibuscumque modis possit, instituit. Primum eorum colonias aliquot Hispanis reconciliat, & in ordinem cogit. Dein Amecam decem ab Ezetlano passuum millibus proficiscitur, perficitque, ut incolarum complures ejurata perfidia sceleris veniam ab læso numine deprecentur: quibus post sacrificium

Antonius Collaris perduellium Colonias aliquot Hispanis reconciliat.

Anno Christi 1541.	Pauli III. anno 7.	Caroli V. Imp. anno 23.	Religionis Minorum anno 334.

cium Christiano ritu expiatis, infantes eorum lavacro mystico regeneravit pridie Idus Augusti. Atque hoc successu Collaris exultans in viam se dederat, cum in eum nova tempestas repente coorta quorumdam scelere perduellium, quos avocare a contumacia ad bonam frugem orando non potuit. Eum igitur ex insidiis adorti, sagittarum procellam intorquent cominus, tribusque in caput adactis, humi prostratum, semivivum relinquunt. Amecani, qui eum honoris causa comitabantur, repentino metu exanimati, partim retro domum, partim Ezetlanum dilabuntur. Cum Antonius hærente saucibus telo spiritum ægre duceret, inter eorum manus, qui e pago convenerant, ac fugientis animæ reliquias medicamine colligebant, Dei laudes moribundus exequitur. Ubi post horas triginta decessit, luctus ingens, & squalor utrumque oppidum occupavit. Elatum magnifico funere Ezetlanenses prope Caleri corpus condiderunt, ut eorum exuviæ post mortem conjungerentur, qui Apostolici muneris, vitæque cursum simili prorsus exitu concluſissent. De his a Joanne Turrecremata luculenter scriptum est; qui aliquandiu eas regiones incoluit, ejusque narrationis auctorem prodit fratrem Turibium Motelinam; qui cum horum Martyrum æqualis esset, & in America versaretur, quæ per id tempus memoratu digna contigerunt, diligenter est persecutus.

A perfidis quibusdam sagittis confoditur.

Elatus honorifico funere Ezetlanensibus juxta Caleri corpus conditur.

XXXVIII. In Germania, serpente Lutheriana peste, scissa est in varias hæreses Christiana professio: dum ut quisque lingua, & audacia promtus est, suæ auctor esse sectæ, quam alienæ mavult insistere. In Anglia vero Henricus VIII. Annæ pellicis captus illecebris, cum Catharina conjuge Caroli Augusti matertera divortium fecit anno MDXXXII. atque ob id Romani Pontificis sententia notatus, se cum omni regno suo ab ejus communione divulsit, principatumque sibi illius Ecclesiæ sumsit. Tum ab nefariis istis consiliis abhorrentes summos etiam, illustresque viros affecit supplicio. In his Thomam Morum Regni Cancellarium, probum, & eruditum hominem, ac Joannem Fischerum Rossensem Episcopum, purpura ornatum a Pontifice, anno MDXXXV. gladio subjecit. Eam perditi Regis impietatem vehementer insectatus est Cardinalis Polus, vir sempiterna laude dignissimus; cujus verba non ab re fuerit in hoc loco commemorare, quibus videlicet, tamquam telo in feræ viscera adacto, profanum illum sacrorum antistitem pungit, exulceratque: *Unus plusquam reliqui omnes, qui ante te in ista insula post Christi fidem acceptam regnarunt, Ecclesiam dirupisti, spoliasti, crudelissimis modis vexasti: ob hæc merita non caput modo, sed supremum Ecclesiæ caput appellari vis, & hunc honoris titulum tibi omnium ordinum consensu delatum esse contendis: at ego, qui, dum hæc statuerentur, non adfui, constantissime affirmo, nullum ordinem in hunc tuum honoris titulum consensisse. Ego ipse & nobilitatem, & populum hac tanta gravissimi susceptis sceleris infamia libero. Dico, si illa omnia suffragia habuisti, ea ab invitis expressa, & extorta esse, ideoque non fuisse hunc novum honorem cujusquam voluntate, nedum omnium Ordinum consensu tibi delatum.*

Henrici VIII. Angliæ Regis flagitia.

Angliana Ecclesiæ principatum affectat.

XXXIX. Sequente anno MDXXXVI. misso in Hiberniam Prætore Leonardo Grajo, tenacissimam disciplinæ veteris gentem omnibus modis in sententiam trahere conatus est. Is, conventu habito, cum Episcopis, aliisque primariis viris, qui Ecclesiam administrabant, ex Regis auctoritate suffragiorum jus abrogasset, statim Anglicana decreta Hiberno populo obtrudere, totaque insula Romanum omne nomen obliterare constituit. Neque sic tamen evicit, ut incœptum e sententia succederet. Quippe haud pa-

rum difficiles, & antiqui moris, pietatisque retinentes virorum Principum offendit animos. Ergo miscere omnia tumultibus, & armorum terrore incolarum constantiam vincere aggressus, male gesti reus imperii Londinum ab Henrico evocatur. Huic demum quinquennio post capitis condemnato Antonius Santlegerus sufficitur, qui lenius agendum ratus, non Hiberaicæ principatum Ecclesiæ, sed regium nomen, & amplitudinem Henrico adjudicanda in comitiis curavit. Id nomen Angliæ reges pro more institutoque majorum numquam antea usurparant; sed ex Apostolicæ Sedis auctoritate duntaxat Hiberniæ Domini appellabantur. Henrico enim secundo, qui subactis habitatoribus insulam primus occupavit, eum imperii titulum Romanus Pontifex detulit: seque ille vicissim Ecclesiæ jura, dignitatemque sarta tecta præstaturum adstricta sacramenti vinculo fide, publicisque testata litteris voluntate repromisit. Eoque deinceps honoris titulo florentissimi bellica laude reges contenti, sæpe ad Ecclesiæ vel tutelam, vel amplificationem omnes cogitationes suas, atque omnia studia contulerunt. Primores itaque in his comitiis fraude mala ab Santlegero decepti, quod nihil amplius in leges patrias moliturum existimarent, Henricum Hiberniæ Regem consalutarunt. Subinde prætor, attritis gravi bello potentioribus, qui capitali odio ab Henrico dissidebant, per summam temeritatem novos Antistites creare, templa, domosque Sacerdotum, eorumque præsertim, qui in Ordine quopiam solemnia vota nuncuparant, aut diripere palam, aut profanis emptoribus divendere; sibi denique uni sacrorum jus, potestatemque Regis nomine vendicare cœpit. Ea tempestas non opulentiores modo ceterorum Ordinum familias, verum etiam Franciscanæ sodalitatis alumnos, qui ob summam rerum omnium egestatem in tuto esse videbantur, exagitavit. Kalendis Septembris hujus anni MDCCXLI. Santlegero prætori, aliisque Hiberniæ præfectis diploma dedit Henricus; quo diplomate illis, uti Fratrum cœnobia, & facultates arbitratu suo alienarent, pretiumque in ærarii censum referrent, potestas facta. Postero anno Minorum Conventualium templum, ac domus in Dublinensi suburbio, itemque turris campani æris, agri, pistrinum, pascua, reditus omnes cuidam perdito mercatori, qui pecuniam obtulerat, permissu Regis adjudicati. Diplomatis Regii exemplum subjicio.

Hibernos etiam in sententiâ pertrahere conatur.

Hiberniæ Regis titulum sibi sumit, cum esset antea Hiberniæ Dominus ex Apostolicæ Sedis auctoritate.

Franciscani ab Henrico exagitati.

Conventuales Dublino pulsi.

Eorum bona Mercatori cuidâ adjudicata ejusdem Regis diplomate.

HENRICUS VIII. &c.

CUm nos per litteras nostras patentes sub testimonio nostro proprio apud Westminster 1. die Septembris anno Domini MDXLI. *Regni nostri* XXXIII. *auctorizaverimus, & dederimus dilecti, & fidelibus nostris Antonio Santleger militi deputato nostro Regni nostri Hiberniæ, Joanni Alen Cancellario nostro ejusdem Regni nostri, Gerardo Alen capitali Justitiario nostro Regni nostri prædicti, & Willelmo Branhefon Vicethesaurario ejusdem, tribui, aut duobus eorum, quorum prædictum nostrum deputatum unum semper fore volumus, plenam potestatem, & auctoritatem dederimus ad faciendum, vendendum, & concedendum nomine nostro ad nostrum majus commodum, & proficuum, per eorum discretionem, omnes, & singulos situs domorum Fratrum infra Regnum nostrum Hiberniæ cum eorum Ecclesiis, campanilibus, plumbis, campanis, domibus, horreis, stabulis, hortis, viridariis, ædificiis, pomariis, terris, tenementis, & aliis suis pertinentiis, & commoditatibus quibuscunque, tali personæ, & talibus personis, hæredibus, & agnatis suis, cui, & quibus disponenda fuerint, conjunctim, seu separatim*

tim habere, & emere eadem pro talibus ſummis monetæ ſolvendis ad uſum noſtrum in manu, aut partim in manus, partim ad talem rationabilem diem, & cum talibus rationabilibus conventionibus, & conditionibus, ut ipſi quatuor, tres, aut duo eorum, quorum prædictum depututum unum ſemper volumus fore, prout convenit, judicaverint convenientes, & aptas eorum diſcretiones, & ulterius prout in liſdem litteris noſtris patentibus magis plene liquet.

Sciatis, quod nos pro XXXVI. *libris, & ſex ſolidis legalis monetæ Hiberniæ in hanoperio Cancellariæ noſtræ regni noſtri Hiberniæ prædicti per Thomam Styvens de Dublin mercatorem ad uſum noſtrum ſolutis de gratia noſtra ſpeciali, ac ex certa ſcientia, ac mero motu noſtris, de aſſenſu, & conſenſu prædictorum Antonii Santleger, Joannis Alen, & Gerardi Alen, & Willelmi Brabeſon dedimus, & conceſſimus, barganizavimus, & vendidimus, ac per præſentes damus, concedimus, barganizamus, & vendimus pro noſtris hæredibus, ſucceſſoribuſque noſtris præfato Thomæ Styvens totam domum, ſitum, ambitum, & præcinctum nuper Monaſterii, ſeu domus Fratrum Minorum juxta Dublin in comitatu Dublin, ac totam Eccleſiam, campanile, dormitorium, aulam, & cœmeterium ejuſdem nuper Monaſterii, ſive domus, ac quatuor habitationes, meſuagia, & tria gardena cum pertinentiis in vico ſancti Franciſci juxta Dublin prædictum, vulgariter vocatam* S. Frances ſtreete, *& ſex ureas prati cum pertinentiis juxta Clanadalcuin, nec non omnes terras, tenementa, redditus, reverſiones, ſervitia, prata, paſcua, puſturas, molas, molendina, aquarum curſus, & hæreditamenta quæcumque cum pertinentiis in Dublin, quæ nuper fuerunt acceptæ, reparata, ſeu cognita, ut particulæ terræ nuper Monaſterii, ſeu domus prædictæ, ac reverſiones omnium, & ſingulorum prædictorum ſituum, ſeptorum, ambituum, & præcinctorum, meſuagiorum, terrarum, tenementorum, hæreditamentorum, & cæterorum præmiſſorum, & cujuslibet inde particulæ, ac etiam reddituum ejuſdem, cum reverſionibus incidentium, omnibus meſuagiis, terris, tenementis, redditibus, reverſionibus, ſervitiis, & hæreditamentis quibuſcumque cum pertinentiis in Braine ulius Bobacbruine juxta Glaſmole ſolummodo exceptis, habenda, gaudenda, occupanda, & tenenda omnia, & ſingula, ſita, ſepta, ambitus, præcinctus, Eccleſiam cum campanili, caſtrum, meſuagia, terras, tenementa, molendina, reverſiones, redditus, hæreditamentu, & cætera præmiſſa ſuperius in præſentibus expreſſa, & ſpecificata, cum omnibus ſuis juribus, membris, & pertinentiis univerſis, exceptis præexceptis, præfato Thomæ Styvens, hæredibus, & agnatis ſuis ad proprium uſum prædicti Thomæ, hæredum, & agnatorum ſuorum in perpetuum plene, & integre, & in ampliſs modo, & forma concedimus, prout omnia, & ſingula præmiſſa ſuperius in præſentibus expreſſa, & ſpecificata cum omnibus eorum juribus, & pertinentiis, & membris univerſis ad manus noſtras quocumque modo devenerunt, ſeu devenire debuerunt tenenda a nobis, hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris in capite per ſervitium militare, videlicet per* XX. *partem unius feudi militis, quando ſcatagium currit in dicto regno noſtro Hiberniæ: ac reſervando nobis, hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris ad ſcatagium noſtrum Hiberniæ nomine vigeſimæ partis duos ſolidos legalis monetæ Hiberniæ ad feſtum S. Michaelis Archangeli, & Paſchæ per æquales portiones, pro omnibus aliis ſervitiis, exactionibus, & demandis quibuſcumque, nobis hæredibus, & ſucceſſoribus noſtris reddendis, ſolvendis, ſeu faciendis, abſque computo, aut aliquo alio nobis, hæredibus, ſive ſucceſſoribus noſtris reddendo, ſolvendo, ſeu faciendo, eo quod expreſſa mentio de vero valore annuo, aut de certitudine præmiſſorum, ſive eorum alicujus, aut de aliis donis,*

sive concessionibus per nos eidem Thomæ ante hæc tempora factis in præsentibus minime facta existat; aut aliquo statuto, actu, ordinatione, provisione, sive constitutione in contrarium inde ante hæc tempora facta, reddita, ordinata, seu provisa, aut aliqua alia re, causa, vel materia quacunque in aliquo non obstante. In cujus rei testimonium has litteras nostras fieri fecimus patentes teste me ipso apud Dublin. x. die Julii anno regni nostri XXXIV. *Domini* MDXLII.

Observantium cœnobia ac ses familiarcs sub hasta posita.

XL. Sub idem tempus Corcagiense cœnobium, biennio post Waterfordiense, deinceps alia Observantium prædones nefarii sub hasta posuere. Cum vero Henrici furor, atque odium pertinax Franciscanos potissimum divexaret, quod nummos ab iis tributi nomine exprimere nequaquam posset; mirum quantas avarus ille populator sibi noxiæ paupertatis eorum pœnas exegerit. Reliquis fere omnibus domiciliis pulsi, & egentes, ac profugi, vel patriam deseruissent, vel in tanta rerum angustia plane confecti contabuissent, nisi eos incolæ, qui Pontificis partes in insula tuebantur, pro avita pietate altos recreatosque privatis ædibus occultassent. Post regis obitum ea defuncti procella Patres, cum cœnobia raptim extruere occœpissent, statim sub Eduardo, ac regina Elisabetha vehementiore coorta tempestate, impendentium calamitatum fluctibus fortiter pectus objecerunt. Quippe Divinæ providentiæ nutu contigisse credendum est, ut, cum ab impiis regibus omnis religio superstitionis nomine notaretur, cum Hiberni conculcarentur, Civitates, & oppida expilarentur, cum inquilinorum nemini ad honores, ac dignitates pateret aditus, sed homines peregrini, hæreticam pravitatem profitentes, fortunas, opesque regni funditus exhaurirent, tamen inventi sint egregia viri liberalitate, qui deficientem Franciscanorum sobolem suis rebus foverent, atque a præsenti vitæ discrimine intra domesticos receptam parietes vindicarent. Cum enim Ordinum ceterorum alumni, quod eis nihil suppeteret, unde commode ali possent, sese Hibernico solo proripuissent, ibidem nostris consistere visum est, ut videlicet inquilinos in pristina religione, atque in Ecclesiam Romanam fide constabilirent.

Eos pulsos omnibus fere domiciliis Catholici quidam perhumanites habent.

Status eorum sub Eduardo, & Elisabetha, ac deinceps.

XLI. Observantium provincia inter incommoda quotidiana centum plus annis eandem vitæ, ac religionis consuetudinem prorsus obtinuit. In eam tirones aggregare, sacris initiatos Philosophiæ, ac Theologiæ disciplinis instituere, comitia statis temporibus indicere, quæque florente pacis moribus republica palam familiæ munera administrarant, ea latenter in summa rerum perturbatione persequi omnia consueverunt. Conventuales, grassante hæresi, tum in Anglia, tum in Hibernia admodum pauci substiterunt. Iis omnibus aliquandiu Generalis Magister præfectos attribuit, velut Anglis Octavianum Ravennatem anno MDLXIV. qui Bononiæ Theologiam in scholis profitebatur, & Concilio Tridentino interfuit. Hujus lectionem in tabulario Conventualium, quod barbara voce regestum appellatur, descriptam videmus in hunc modum.

Conventuales admodum pauci, grassante hæresi, Hiberniam, & Angliam incoluerunt.

Octavianus Ravennas Magister provinciæ Angliæ.

Notæ descriptæ ex regesto reverendissimi Patris Magistri Antonii de Sapientibus ab Augusta Ordinis sancti Francisci Conventualium Generalis, Tridenti instituti anno MDLXIII.

Provincialis Angliæ Magister Octavianus Ravennas, regens Bononiæ, qui sacro Concilio tunc Tridenti interfuit.

Hibernæ Conventuales Magistrum provinciæ eregant.

XLII. Postero anno, rogante Ultoniæ regulo permissum Hibernis est, ut Magistrum provinciæ per suffragia crearent. Cujus rei monumentum extat eodem in tabulario verbis hujusmodi.

Ro-

Anno Christi 1541.	Pauli III. anno 7.	Caroli V. Imp. anno 23.	Religionis Minorum anno 334.

Romæ die XIX. *Auguſti* MDLXIV.

Ad inſtantiam Domini Eugenii Mac Cremie procuratoris in Romana Curia illuſtriſſimi, & excellentiſſimi Catholici Principis Domini Joannis Neill Principis Ultoniæ, ſive Hiberniæ, mandatum eſt Guardianis, & Fratribus noſtri Ordinis (Conventualium) in provincia Hiberniæ (ſuperſunt enim adhuc aliqui Conventus non diruti ab Hæreticis, & Schiſmaticis, ſed tamen ſine capite) ut eligerent ſibi aliquem Fratrem in Magiſtrum, & Gubernatorem, confirmandum tamen a reverendiſſimo Generali: & quod pro hac vice præſideat Capitulo, & electioni ſenior Magiſter, ſi adeſt, vel aliquis Pater ex gravioribus, & magis probis. Ita ſcriptum eſt illuſtriſſimo huic Principi, illique commendata religio, ut faverct redemptioni, & recuperationi locorum ab Hæreticis devaſtatorum. Dic XX. *Decembris inſtituitur Provincialis provinciæ Hiberniæ Magiſter Hieronymus Floratus Ferrarienſis.*

XLIII. Nec multo poſt, cum eorum familia ſenſim deficeret, ut ſe noſtris mutato pallio aggregarent, conſilium cepere. Itaque provinciæ Magiſter, ſponte depoſita præfectura, ad Miniſtrum acceſſit, ſeque cum ſuis Fratribus, cœnobiiſque ejuſdem fidei, ac poteſtati ſolemni ritu permiſit. Ita ex duabus provinciis una coaluit, quæ ſubinde recentibus aucta domiciliis (tanta eſt Hibernorum in noſtros pietas, & obſervantia) ad veterem amplitudinem, ac dignitatem contendere viſa eſt. Siquidem anno MDCXLVIII. unius, ac ſexaginta cœnobiorum præfecti totidem conſtituti: dein alia duo piorum hominum liberalitate ædificata. Ac domi quidem rerum noſtrarum hic ſtatus eſt. Foris collegia quatuor, Lovanienſe, Pragenſe, Romanum, Capranicenſe octo, & viginti ab Urbe paſſuum millia, eiſdem Fratribus attributa. In his nihil habent antiquius, quam, ut juventutem optimis moribus, ac diſciplinis inſtituant: ut quibus in patriam reverti, confecto ſtudiorum curriculo, datum eſt, eos ad retundendam, ubi opus fuerit, Hæreticorum improbitatem, incolaſque tuendos, tamquam ſubitarios milites ad congrediendum exercitatos e palæſtra dimittant.

Demum ſe Obſervantibus aggregant, eorumque Miniſtro ultro ſubjiciunt.

Hiberniæ provinciæ amplitudo, ac dignitas.

Extra Hiberniam collegia Hibernorum quatuor; Lovanienſe, Pragenſe, Romanum, Capranicenſe.

XLIV. Cœnobia noſtrarum Virginum cum ab Ordine condito uſque ad hæreſim Anglicanam in Hibernia fere nulla fuiſſent; in hac temporum acerbitate (quod ſane mirum videri debet) paulatim ædificari cœpta. Ex iis quinque beatæ Claræ, totidem tertii Ordinis inſtituta profitebantur. Iiſdem Obſervantes presbyteros præfectos legimus, qui ſacris earum confeſſionibus audiendis operam darent. Tandem, potiente rerum Cromuellio, ſedibus pulſæ, in Hiſpaniam, Galliamque commigrarunt. Ex iis aliquot, præſertim vero Matriti Catharinam Brunam Virginem nobilem, egregiæ cujuſdam ſanctimoniæ laudem tuliſſe litteris proditum.

Virgines Franciſcanæ cœnobia obtinent in Hibernia alieniſſimo tempore.

Omnes denique pulſæ ab Cromuellio Britanniæ Tyranno. Catharinæ Brunæ virtutibus eximia.

XLV. Tertii Ordinis profeſſores domicilia minimum duo, ac triginta in ea inſula habuiſſe, eoſdemque non ſecus, atque in Obſervantium familia viverent, Miniſtris provincialibus dicto audientes fuiſſe, compertum eſt. Iſti circumjectas urbibus, atque oppidis parœcias adminiſtrare, agricoliſque præcepta morum, ac religionis ſacramenta Chriſtiano ritu impertire: ad hæc pueros in gymnaſiis litterarum rudimentis imbuere conſueverunt. Verum Hæreticorum crudelitate, & avaritia factum eſt, ut eorum familia penitus interierit. Quocirca mirari ſubit, Franciſcum Bordonum olim tertii Ordinis in Italia generalem Præfectum eo lapſum fuiſſe, ut Boethium Eganum Roſſenſem Epiſcopum, alioſque tredecim Obſervantium Presbyteros, quos ab Hæreticis interfectos glorioſi martyrii palmam tuliſſe conſtat, inter ſuos adnumeraret. Siquidem nullos plane in Hibernia tertii Ordinis profeſſores per id tempus fuiſſe manifeſtum eſt. Sane Boethius inter ſupremos

Tertii Ordinis in Hibernia ſtatus, vivendique inſtitutum.

Boethius Eganus, aliique immerito numerantur inter Ordinis Tertii profeſſores.

mos familiæ arbitros, quos appellant Definitores, aliquando dignitatis locum obtinuit, ejusque nomen in publica tabularia relatum est. Sed de his satis. Nam res Hibernicas, uti occasio se dedit, hoc loco summatim persequi æquum duximus, ut ad illa, quæ fusius dicturi sumus, intelligenda præeultus lector accedat.

Joannes a Via Observantium Sacerdos innocentiæ laude insignis.

XLVI. In insula maris Atlantici, quæ una ex fortunatis est, & Palma appellatur, magna cum sanctitatis opinione hoc anno decessit Joannes a Via ex Observantium familia presbyter, non Capuccinus ille, quem Boverius in Umbria inter suos adscriptum fuisse, & laicorum in Ordine plurimis maximisque virtutibus excelluisse commemorat.

Item Didacus Ximenius.

XLVII. Eodem fere tempore Didacus Ximenius in cœnobio Villænovæ provinciæ Carthaginensis diem obivit. Is tum ejus cœnubii præfectus erat, & animi demissione, ac paupertatis studio cum veteribus illis familiæ propagatoribus comparandus. Divinarum præterea rerum contemplationi cum impense vacaret, singulari Dei munere dicitur consecutus, ut per quietem cœlesti monitu excitaretur, atque ad statas precationes hisce vocibus expergefieret: *Surge Didace ad laudes Dei*. Idem piorum hominum, qui e vivis excesserant, consuevit animas intueri per spectrum oblatas, easque præsertim, pro quibus clementiam numinis exorabat, ut e terrestri carcere eductas, ubi criminum pœnas luerent, consortes beatorum quietis, ac tranquillitatis tandem efficeret.

Florentius Burgonius, & Antonius a Coningstenio viri docti.

XLVIII. Item Observantes duo egregii viri, & relictis posteritati litterarum monumentis illustres e vita migrarunt. Alter Florentius, alias Franciscus Burgonius, qui divi Augustini illustrandis operibus desudavit, eisdemque indicem attexuit, & scholia Parisiis, ubi tandem defunctus est. Alter Antonius a Coningstenio Belga in Theologicis rebus pertractandis solertia, & concionandi præterea laude cum primis excellens. Multa litteris mandavit, quæ in indice scriptorum Ordinis recensentur.

Hieronymus Tertius prudentiæ laude clarus.

XLIX. His annumerandus Hieronymus Tertius Bergomas, vir eruditus, & eloquens, qui ab suis civibus ad Ludovicum XII. Gallorum Regem legatus, bene, feliciterque pro salute patriæ, ac dignitate delatum munus obivit. Paulo post cum principibus civitatis viris Oliverio Augusto, Coriolano Brembato, Christophoro Rumano ad Hispanienſis exercitus in Italia ducem, mox ad Maximilianum I. Cæsarem eisdem de causis designatus est. Demum octogenarius naturæ concessit hoc anno pridie Kalendas Septembris, ac bene moratæ, suisque concionibus, & exemplis optime constitutæ civitati triste sui desiderium reliquit.

Bernardinus Calinus ex Observantium familia Signiensium Antistes.

L. Bernardinus Calinus ex Observantium familia Signiæ Volscorum urbis Episcopus creatus est, XIV. Kalendas Februarii. Hic vitam sancti Brunonis decimi Signiensium Antistitis edendam curavit; atque octavo post anno, ut Episcopale munus deponeret, a Pontifice impetravit. Bertinorio Æmiliæ civitati XVIII. Kalendas Octobris datus Episcopus vir doctrinæ, ac pietatis gloria longe celeberrimus Cornelius Musſus e familia Conventualium; de quo plura alio loco dicentur. Is biennio post Bituntinæ Ecclesiæ præficitur. Fernensis in Hibernia Episcopus Joanni Purcello defuncto subrogatus est Bernardus Dorvillius, qui deinde hoc ipso anno Elfinensem Ecclesiam gubernandam suscepit. Ardachadensis item in Hibernia Patritius Macbeathius, Lorneensis in Lycia Balthassar Eborensis Theologiæ professor, Antistites renuntiati. Hic præterea ab Egitanensi in Lusitania Episcopo adjutor in partem muneris cooptatus est IV. Idus Junii.

Cornelius Musſus e sodalitio Conventualium creatur Episcopus Bertinorii.

Ex Observantibus aliquot creantur Episcopi.

Didacus a Silva Bracharensis Archiepiscopus obit.

LI. Didacus a Silva Bracharensis Archiepiscopus e familia Observantium

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 334.
1541.	anno 7.	anno 23.	

tium vivere deſiit, cum in eo honoris faſtigio nihil de priſtina aſperitate, nihil de animi demiſſione, ac manſuetudine ullo tempore remiſiſſet. Ejus laudes.

LII. Eodem tempore Magiſtratus Apollæ in provincia Principatus regni Neapolitani cœnobium impenſa publica extructum, ſimulque templum divo Antonio Patavino dicatum noſtris attribuit. Apud Apollam cœnobium Obſervantibus attributum.

LIII. Turcis Pannoniam depopulantibus, cœnobium, quod ad oppidum Svichum haud procul a Salinis ſuperioribus Boſnenſis provinciæ Fratres inhabitabant, ut ſe cædibus, ac direptioni ſubtraherent, per id tempus deſeruere. In ejus cœnobii templo integrum plane corpus Petri Soliutri, præſtantis olim ſanctimoniæ viri, incolarum egregia pietate colebatur. Quod cum Barbari inſanientes bacillis cultriſque per ludibrium dilaceraſſent; Paulus Sychius præcipua inter ſua nobilitate equo impoſitum nocte intempeſta per medios Turcas in ſuas ædes importavit. Subinde Fratres ab Turcarum Tyranno ipſius precibus, ac pecunia impetrarunt, ut domicilium in alio loco ædificarent. Is locus erat in ſolitudine, cui nomen Gradovarum, eoque in templum recens extructum, ac Deiparæ Virgini conſecratum corpus illud ſolemni pompa devehitur. Obſervantium cœnobium in Boſnenſi provincia a Turcis direptum: corpus B. Petri Soliutri violatum. Quod in templum recens extructum ab Chriſtianis devehitur.

LIV. Inde non procul in oppido, quod Svornicum appellant, frequens olim Franciſcanorum cœnobium fuiſſe perhibent. Id, incertum quo tempore, a furentibus barbaris direptum eſt, atque in eo ſanum Mahumeticæ ſuperſtitioni conſtitutum. Inter ejus regionis incolas conſtanti fama proditum eſt, barbarum militem in equo, dum templum popularetur, ingreſſum Dei Matris imaginem lancea confodiſſe, ſtatimque ex illa, cunctis, qui aderant, miraculi novitate obſtupeſcentibus, cruorem manaſſe: ſceleſtum vero percuſſorem furiis actum ſeſe cum equo in proximum profluentem præcipitaſſe: ibi lutoſo infixos vado in marmorea ſimulacra de repente converſos. Cujus quidem rei argumentum eſſe, quod identidem ſubſidentibus aquis inſidens equo miles ea forma promineat, atque irati potentiam Numinis palam oſtentet; quod tale quippiam ſuperbis, & impiis minari dicitur, quemadmodum ex ſacris litteris intelligimus: *percutiam, dicit Dominus, omnem equum in ſtuporem, & aſcenſorem ejus in amentiam.* Aliud cœnobium Turcarum furori obnoxium. In ejus templo inſigne miraculum editum eſt. *Zacharia c. 12.*

LV. In oppido Morone provinciæ Bæticæ Joannes Telleſius Gironius clariſſimo ortus genere, qui pro eximia in Obſervantes pietate cum aliis plurimis beneficiis familiam ornarat, tum eidem cœnobia tria, gymnaſiumque bonarum artium nuper extruxerat; hoc anno quartum adjecit. Hujus cœnobii templum, libente, ac peroptante Telleſio, Auguſtæ Cruci dicatum eſt. In eo Andreas Guirola, qui anno ætatis quadrageſimo in ſodalitium adſcriptus fuerat, nonagenario major ſancte deceſſit. Cœnobium extruitur in provincia Bætica. In eo Andreas Guirola nonagenario major decedit.

LVI. In ea Americæ regione, quæ ad Septentrionem pertinet, & vulgi ſermone Guatimala appellatur, Obſervantium provincia ab inclyto Jeſu nomine nuncupari conſuevit. In urbe primaria regionis illius, quæ ſancti Jacobi dicitur, octingentis ab urbe Mexico paſſuum millibus, hoc anno Conſalvus Mendeſius, cujus egregia facta hiſtoriæ noſtræ argumentum alio loco ſuppeditabunt, ejuſdem provinciæ, primo cœnobio ædificato, fundamenta jecit. Inſequenti anno aquarum immenſa vis per noctem effuſa circumjectam regionem latiſſime populata eſt; cumque mortalium pleroſque cum arboribus, armentiſque eluvione obruiſſet, miſerandam urbi, pagiſque intulit vaſtitatem. Hiſpani ſuperſtites alio commigrarunt, atque hinc duobus paſſuum millibus urbem novam alterius cognominem condiderunt. Everſæ propemodum civitati Almolongæ nomen inditum eſt, atque ibi Fratres, ne ſuo muneri, ac popularium neophytorum ſaluti deeſſe viderent- Conſalvus Mendeſius Obſervantibus cœnobium ædificat in urbe S. Jacobi. Ejus locolæ plerique coacti eluvione aquarum ſolum vertunt;

Sed Obſervantes ibidem conſtituunt religionis cauſa.

rentur, inter vitæ difficultates uſque ad annum MDLXXX. male ſartam domum, ac frequentibus terræ motibus fatiſcentem incoluere. Quo anno cum penitus corruiſſet, ſtatim ære publico reſtituta, ac vetere appellatione retenta commodiorem in uſum Fratrum redacta eſt.

Didacus Ordoneſius in Americæ clarus.

LVII. Inter primos cœnobii ejus inquilinos Didacus fuit Ordoneſius vir immortalitate digniſſimus, qui multis poſt annis obiiſſe perhibetur. Sane tempus ejuſdem obitus incertum eſt. Quare operæ pretium facturi ſumus, ſi hoc loco memoriam optimi, clariſſimique viri ab interitu vindicemus.

Ejus ortus, ac puerilis inſtitutio.

Natus eſt igitur Salmanticæ Didacus Ordoneſia familia cum primis nobili; cumque jam uſque a puero virilem gravitatem, ingeniumque ad litterarum ſtudia experrectum oris habitu præ ſe ferret, magnam ſpem omnibus fecit, matura ætate magnum ſe decus, & ornamentum optimis diſciplinis aliquando allaturum. Parentes egregiam indolem conſpicati, Didacum Salmanticenſis Eccleſiæ Archidiaconum renuntiandum curarunt. Verum pius adoleſcens, eo munere ſponte depoſito, in Obſervantium familiam tredecim natus annos adſcribitur; initoque Salmanticæ tirocinio, cum per ætatem licuit, Ordinis inſtituta profeſſus eſt. Confecto ſtudiorum curriculo,

In Obſervantiâ familiam adſcribitur.

cum ſe libenter pro ethnicorum ſalute operam locaturum ſignificaſſet, annuente Generali Miniſtro, in orbis novi continentem cum ſociis quinque trajecit.

In Americam proficiſcitur.

In Almolongæ cœnobio aliquot annos tum neophytis erudiendis, tum excutienda e barbarorum animis feritate plane Apoſtolico munere functus eſt. Deinde cum in Theologica facultate omnium acutiſſimus haberetur, Hiſpanos ipſos Chriſtianæ vitæ diſciplinis imbuere, quæſtiones de moribus, de virtutibus, ac vitiis frequenter propoſitas enodare, litterariis denique occupationibus in popularium ſuorum gratiam tempus omne conſumere inſtituit. Magnum erat Didaci nomen in Mexicana provincia. Quocirca cum ad tuendam in iis locis religionem a Pontifice Maximo quæſitores creari, & in urbe primaria Mexico eum Magiſtratum inſtitui mandatum eſſet, idem in paucis dignus inventus eſt, qui cum Antonio Quixada ex Jucatane provincia Obſervantium presbytero eo munere fungeretur. Hæc honoris, & amplitudinis acceſſione nihil elatior factus, communem vitæ conſuetudinem, eandemque diſciplinæ ſeveritatem plus annis centum retinuit. Siquidem ætatis anno ſupra centeſimum decimo ſeptimo diem obiit. Conciones inſuper habuit frequentia hominum tanta, ut ad eum audiendum non Hiſpani modo, ac civitatis indigenæ, verum etiam remotiſſimæ gentes certatim diſcendi cauſa ventitarent. Cum multos annos quæſitoris munere obeundo pietatis, ac prudentiæ famam late ſparſiſſet; cognoſceretque ejuſmodi curis, negotiiſque animi receſſum, & optatam quietem interturbari; ſibi tandem vacandum eſſe arbitratus, ultro ſe Magiſtratu abdicavit. Inde ad Zacatecas profectus, inter incolas Obſervantes Cuſtodis appellatione præfecturam geſſit. Poſtremo fractus laboribus, & inclinante jamdudum ſenio debilitatus, Sombreretum ſe contulit, ubi argenti fodinas Hiſpani Regis mandato promiſcuum vulgus exercebat. Ibi, quod Joannem Apoſtolum in ultima ſenectute feciſſe legimus, idipſum Didacus rudi plebe ſermonibus inſtituenda amantiſſime eſt perſecutus. Quippe qui inter brachia diſcipulorum ſæpe templum invectus, effuſam ſtudio viri multitudinem vocibus cohortari numquam deſtiterit. Itaque in eo munere fugientis vitæ reliquias plane conſumſit. Cum enim pro concione aliquantiſper dixiſſet, deficiente effœtum corpus calore ſimilis expiranti collapſus eſt, flentibuſque miſerandum in modum auditoribus ad cœnobium deportatus. Ubi ſeipſum collegit, dilapſumque propemodum ſpiritum revocavit, multa prece æternum

Conciones habet ad populum Americanum.

Quæſitoris munere ultro ſe abdicat.

Inter concionandum octenario major decedit.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 334.
1541.	anno 7.	anno 23.	

num Numen propitiare, animumque cœleſtis patriæ deſiderio flagrantem voce intermortua identidem pateſacere toto menſe perſeveravit. Poſtquam deceſſit, ingenti Fratrum, ac populorum luctu elatus eſt; qui optimum virum, tum admiranda in his regionibus ſenectute, tum ſingulari virtutum laude miraculo plane fuiſſe teſtati ſunt.

LVIII. Urbe nova ſancti Jacobi ædificata, cœnobium noſtri Almolongano longe frequentius inhabitarunt. Verumtamen in regione ſulphurea, & perpetuis ignibus e terræ ſinu erumpentibus infeſta, parum commoda ſedes, ac domicilium eiſdem fuit. Ea terra cavernoſa eſt; quo fit ventorum ut flatibus pateat, unde ignis concipitur. Intus ſulphur habet, ac bitumen, quod, ubi ventus per ſpiramenta cavernarum incubuit diu luctatus, tandem exæſtuat, incendiumque mortalibus formidoloſum late diſpergit. Anno MDLXXXI. imminens urbi mons immenſam flammarum vim, cinerumque ebullientium e viſceribus eructavit. Hinc denſæ nubes, ac tenebræ non civitatem modo, ſed & finitimas regiones, pertimeſcentibus exitium populis, obſcuravere. Ioitio ſequentis anni menſe Januario erumpens e monte ignis cum horrendo fragore, cometiſque, ac fulgetris in aere coruſcantibus, primum cives a metu priſtino recreatos objecto fœdiore ſpectaculo exanimavit: deinde flammarum rivi per montis latera profluentes miſerandam cladem in imis vallibus ediderunt, atque camporum ſata, domoſque agricolarum fœda populatione depaſti ſunt. Ubi procella deſæviit, ſpumantes vivo ſulphure aquæ multis diebus per quinque alveos continenter decurrere. Urbis novæ inquilini Sebaſtiani Martyris implorata tutela e tantis calamitatibus emerſerunt, atque ab eo tempore nullo ejuſmodi metu perculſi ſunt. Noſtrorum domus, atque familia magis, ac magis amplificata optimorum Fratrum virtutibus, ac litteris, civium quoque ſtudio, & benevolentia deinceps floruit.

In urbe nova S. Jacobi Obſervantes ægre conſiſtunt.

LIX. Petrus Valdevivus Hiſpani Regis præfectus civitatem in Chilenſi provincia, quæ ad auſtrum pertinet hoc anno fundavit, quæ itidem ſancti Jacobi pro eximia Hiſpanorum in eum Apoſtolum religione eſt appellata.

Nova civitas S. Jacobi in Chilenſi provincia conditur.

LX. Apud Avenam ulterioris Calabriæ vicum, favente Hectore Pignatello, Conventuales domicilium condiderunt, templumque Divinæ Matri conſecrarunt, cujus ibidem ſimulacrum effuſa populorum pietate celebrari cœptum.

Conventuales cœnobium ædificant apud Avenam.

LXI. Hoc anno Capuccinorum ſodalitas in multis Italiæ urbibus, oppidiſque novas ædes recepit. Extra Cajetæ mœnia, donante fundum Matthæo Admarato, cœnobium extruitur. Aliud item in Hydruntina provincia haud procul ab oppido, quod vulgi appellatione Cryptaleum dicitur. Apud Caſale urbem Montis-ferrati, quæ regio eſt Inſubriæ finitima, & in Ducis Mantuani ditione olim fuit, eiſdem domus attributa, ab ipſis mœnibus paſſuum mille. Eam cives anno MDLXII. juſtis de cauſis demoliti, aliam prope muros ædificarunt. Hac etiam diruta anno MDCXXVIII. ut ne hoſtibus bello petentibus civitatem uſui foret, anno demum MDCXXXIII. Capuccini intra mœnia recepti ſunt, & eorum templum ab Angelorum Reginæ nomine nuncupatum. Circa idem tempus in Tuſcia ſeſquimilliario ab civitate Piſtorio domicilium poſuere: ejus templum ſalutis humanæ auctori ad Crucem affixo dicatum eſt. Aliud poſtea aſſumtæ in cœlum Virgini ſacrum quingentos ab urbe paſſus a paucis Fratribus habitari cœptum, Octavio Altioſo Epiſcopo eam Eccleſiam gubernante.

Capuccinis cœnobia aliquot attributa. Cajetæ.

Apud Cryptaleum.

Apud Caſale Montis-ferrati.

Apud Piſtorium.

LXII. Hoc etiam anno cœnobium Capuccinorum Venetiis conditum

manu ſcripti codices memorant, quibus antiqua ejus provinciæ monumenta continentur. Situm eſt autem in ea inclytæ urbis regione, quæ a cetera parte majore euripo intercurſante diſtinguitur, & Judaica vulgi ſermone appellatur. Verum Franciſci Quinonii commentaria cœnobium illud non Capuccinis primum, ſed Obſervantibus attributum diſerte docent. In eam rem Catharina Cornelia olim Cypri Regina pecuniam teſtamento aſſignavit, ſuoſque conſanguineos, quos hæredes ex aſſe fecerat, excitandi cœnobii curatores voluit eſſe. Id anno Chriſti MDXXXII. ædificari cœptum, ſexennio poſt Bonaventura Venetus Obſervantium ſacerdos, eidem Reginæ a ſacris confeſſionibus, gubernandum ſuſcepit, ita publicis mandatis litteris Generali Miniſtro. Sed ipſe Bonaventura ſumto poſtea exacuto cucullo, cum Bernardino Ochino tunc Venetiis concionante ſocietatem inivit. Ergo Senatus Veneti permiſſu confluentes undique Capuccini cœnobium illud frequentarunt. Poſt annos aliquot juxta illorum ædiculam templum Chriſto liberatori ob civitatem a peſtilentia ſervatam Senatus condidit. Quocirca Fratres occaſione utendum rati, coempto Lippomanorum pecunia latiore fundo domicilium amplificarunt.

Cœnobium Venetiis ab Obſervantibus coeditum.

Quod Capuccinis deinde attributum.

LXIII. Catharina Luſitaniæ Regis uxor, & Caroli V. ſoror in Luſitanæ ditionis oppido, quod Forca appellatur, domum noſtris Virginibus, quæ divæ Claræ Aſſiſiatis diſciplinam tenent, excitandam curavit. Templum aſſumtæ Virgini dicatum: in eo veteres nummi aliquot ex iis, quos neſariæ proditionis mercedem perfidus Judas a Chriſti hoſtibus accepit, aſſervari dicuntur.

Cœnobium beatæ Claræ Virginibus in Luſitania excitatur.

LXIV. Apud oppidum Villalongæ in Hiſpania Tarraconenſi Virginibus Tertii Ordinis data domus in loco, quem ſanctum Montem appellant: cujus quidem extructionis cauſas Vincentius Blaſcus exequitur in annalibus rerum Tarraconenſium. Eas viſum eſt nobis præterire ſilentio, quod infauſtis admodum auſpiciis, a quibus noſtra liberalis abhorret hiſtoria, ſumpſiſſe initium feratur. Illud vero prætermittendum non eſt, eas Virgines magnum ſibimet nomen ex opinione ſanctitatis, atque oppidanorum non modo gratiam, verum etiam admirationem conciliaſſe. Mariam a Jeſu præſtanti pietate ſeminam Damianus Biſquertius Obſervantium Miniſter e Valentino cœnobio in eam domum deduxerat, eique mandarat, ut juratas in ſodalitium Sorores, quanta maxima poſſet diligentia præcultas, & ab inanibus curis, ac cetera ſeculi vanitate divulſas ſincero ſonti bonorum Deo, cœlitibuſque plane conjungeret. Itaque non domus oſtio, non ullis cratibus uſæ ſunt: eſculenta gratis illata primis annis non recuſarunt: hinc laboribus quæſito cibo victitandum cenſentes, quidquid præterea offerebatur, in egentes, ac miſeros erogare inſtituerunt: tempus omne partim rerum cœleſtium commentatione, partim corporis, animique domandi exercitatione, certante ſtudio Chriſtianæ humilitatis, inſumebant. Ex iis aliquot ſanctimonia excelluiſſe traditum eſt, de quibus ubi res poſtulabit, ſingillatim a nobis agendum erit.

Virgines Tertii Ordinis cœnobium conſtituunt in Hiſpania Tarraconenſi.

Maria a Jeſu præſtanti pietate fœmina cœnobio præficitur.

Pari Virginum egregias mira.

LXV. In Veromanduis Galliæ regione Virgines item Ordinis Tertii novas ædes inhabitarunt in oppido Grandis Villæ. Eas ædes, libente Franciſco I. Gallorum Rege, loco alterius cœnobii, quod in eadem regione bellorum tractæ calamitatibus deſeruerant, piorum ſtipe ædificarunt.

Cœnobium Virginum Tertii Ordinis in Veromandois.

LXVI. Georgius Cardoſus in Hagiologio Luſitanico ſcribit, Virgines octo Franciſcani inſtituti ex cœnobio Oliſiponenſi in Farenſe recenter conditum commeaſſe.

Cœnobium Farenſe in Luſitania.

LXVII. Ferdinandus a Silva comes Centiſontanus in Caſtella Hiſpaniæ

niæ regione Sororibus Tertii Ordinis domicilium extruxerat, multaſque leges, & cautiones addiderat, ex quarum præſcripto ſeculares puellæ in ſodalitium adlegerentur. Ea decreta Paulus III. Pontifex Maximus firma, & rata voluit eſſe: in cujus rei gratiam diploma dedit hoc anno, quod in rerum tranſalpinarum commentaria ſcriptores alii retulerunt.

Cœnobium Virginũ Tertii Ordinis Pontif. Maximi auctoritate in Caſtella conſtitutum.

LXVIII. Apud Metallinum Hiſpaniæ oppidum de condendo cœnobio earum Virginum, quæ ab Deiparæ immaculato conceptu ducunt auſpicia, hoc ipſo anno deliberatum. Quod quidem opus Agnes a Jeſu inſequentibus annis inchoavit, atque perfecit. Hæc itaque honeſto genere orta, matremque nacta ſpectatiſſimam feminam, quæ Tertii Ordinis inſtitutum profitebatur, acceptum ab ea virtutum ſemen longe uberioribus auxit fructibus. Cum enim optimum quoddam vitæ genus tenere inſtituiſſet, conſilium iniit excitandi cœnobii, quod cum incenſis eodem ſtudio Virginibus olim incoleret. Quocirca domo efferens pedem, Metallinum ſe contulit, quod ſitum eſt oppidum ad Anam fluvium. Quo cum pervenit, ſtatim injecta ſpes eſt, facili negotio conſilium operi mandatum iri. Quippe aliquot feminæ in ſocietatem illius operis adſcitæ, facultates ad id ſuas liberaliter contulerunt. Itaque coemptis ædibus, ab civitatis principe viro extruendi cœnobii poteſtatem impetrarunt. Verumtamen tanti apparatus ſub ipſa initia in irritum cecidere. Quippe Epiſcopus Placentinus, obtenta cauſa egeſtatis, quod perficiendo cœnobio minime copiæ ſuppeditarent, Agnetis prima molimina diſturbavit. Sed illa tamen, cum ita ſe comparaſſet, ut ad numinis gloriam amplificandam toto pectore incumberet; a ſuſcepta ſententia nullo pacto dimoveri potuit. Quocirca conſilium pro tempore & pro re capiens, omnibus quidem rebus ſuperſedendum cenſuit. Interim vero Tertii Ordinis veſtem, qua ſe una cum iis feminis induerat, nequaquam abjiciens, Epiſcopo litem intendit; qua tamen ampliata, in ſeptennium eatracta res eſt. Cum adhuc moleſtiam exhiberet Epiſcopus; illa perſcriptis ad Pontificem litteris enixe rogavit, uti cœnobium ædificare per Apoſtolicæ Sedis auctoritatem ſibi liceret. Cujus rei cauſa Pontifex Maximus litteras dedit pridie Nonas Julii anno Pontificatus XIV. Eſt tamen qui ſuper hac re nonnihil diſſentit, ac tertio poſt anno, quam dictum eſt, videlicet quinquageſimo ſecundo ſupra ſeſquimilleſimum, Julio III. Pontifice, hæc omnia geſta eſſe refert. Sed longe ille, mea quidem ſententia, aberrat. Cardinalis enim Rainutius tituli ſancti Angeli, qui memoratas Apoſtolicas litteras Pontificis nomine promulgavit, Paulum III. diſerte nominat, eamque ſibi provinciam ab eodem Pontifice mandatam eſſe teſtatur. His autem litteris Pontifex conſtruendi cœnobii poteſtatem ex Agnetis ſententia libenter permiſit. Primarius vir e collegio Canonicorum Emeritenſis Eccleſiæ, mandante eodem Pontifice, ejus operis promovendi curam ſuſcepit. Inchoato jam ædificio, ſub exitum ejus, quem diximus, anni Euchariſtiæ ſacrum depoſitum in ſanctiore cœnobii parte magna omnium ordinum frequentia, ac celebritate collocatum. Tum cœnobii cubicula ædeſque ſolemni ritu luſtratæ; & cum Agnete ſorores aliquot, mira in eas oppidanorum pietate, ad incolendum deductæ. His ita compoſitis, quamquam vitæ rationem certis legibus comprehenſam initio tenere non potuerunt; omnis tamen aſperitatis perferendæ incredibile quoddam in omnibus ſtudium, atque ardor fuit. Nam & panni craſſioris tunica cinerea, quod veſtis genus ad Chriſtianam humilitatem apprime conducit, induebantur; atque e ſeptis cœnobii ut vel animi cauſa pedem efferrent, tametſi nullo ſacramenti vinculo obſtrictæ, numquam adduci potuerunt. Quocirca cum ſingulari quadam innocentiæ laude florere

Virgines a Conceptione appellatæ cœnobium exſtruere aggrediuntur in Hiſpania.

Diſturbantur incœpta ab Epiſcopo Placentino.

Pont. Max. ædificandi cœnobii poteſtatem Virginibus facit.

Earum vitæ ratio.

cœpiſſent; puſillum gregem magna nominis fama quam celerrime eſt conſequuta.

Inter quas excellit Iſabella.

LXIX. In iis vero Iſabella cum patientia communis aſperitatis, tum orandi potiſſimum facultate plurimum floruit. Cujus rei argumento illud erat, quod accedentes aliquando Sorores ipſa ſenſibus deſtituta nequaquam agnoſceret. Eam præterea omne tempus ætatis innocentiſſime egiſſe, ac modeſtiæ præſertim laude ceteris omnibus præſtitiſſe memoriæ eſt proditum; ut propterea ejus monitis, præceptiſque Sorores ad veræ, ſolidæque virtutis præſtanda officia incenderentur. Itaque parce, ac duriter vitam in egeſtate degentes, humanarum rerum omni cura depoſita, cœleſtem plane vivendi normam conſenſu tenebant. Ubi precando, meditandoque defixæ ad multam noctem vigilaſſent, humi tandem decumbere, ac ſe quieti quam breviſſimæ dare conſueverunt. Cumque probe cognoſcerent, adverſus hoſtem humani generis in eo potiſſimum vitæ inſtituto bellum ſibi gerendum, inſtructo velut agmine procedentes, continentia, ſobrietate, animi demiſſione vel ejus aſtum, & latentes inſidias eludere, vel etiam apertam vim propulſare inſtituerunt.

Agnes a Jeſu diſciplinæ magiſtra.

LXX. Agnes vero cum cœnobio exædificando, informandiſque ad virtutem Sororibus ætatem triviſſet, numquam tamen conſequi potuit, ut inſtitutum illibati conceptus in ſodalitium induceretur. Itaque voti, quod multo ante conceperat, minime compos e vita deceſſit. Sed qui deinceps Obſervantium ſacerdos adminiſtrandis cœnobii ſacris operam dabat, ab provinciæ Miniſtro magnopere contendit, ut quod jampridem Agnes optarat, aliquando perficeretur. Quocirca anno Chriſti MDLXVIII. cum Aloyſius Zappata provinciam curaret, Metallinenſi cœnobio illibati conceptus inſignia, legeſque ſolemni ritu propoſitæ: Virgines duæ præſtanti pietate ex alio collegio, quod ad præſcriptum earum legum vivebat, Miniſtri juſſu profectæ diſciplinam conſtituunt. Cumque ad bene, beateque vivendum longa virtutum exercitatione ita ſe comparaſſent, ut perceptæ inſtitutionis fructum communicare cum aliis poſſe viderentur, mirum quanto labore, ac diligentia in eam curam deinceps incumberent. Quo factum eſt, ut omnes ad unam cœnobii Virgines, duarum optimis inſtitutis, atque exemplis præcultæ, pietatem in ſuperos; paupertatis, ac vigiliarum patientiam in omni vita retinerent. Earum in numero præcipua cum laude memoratur Maria, cui ab ſanctiſſima Trinitate agnomen erat; itemque Anna ab Conceptione; rurſus alia Maria, quæ omnem ætatem precandi uſu, & conſuetudine ita contrivit, ut a rebus mortalibus longe ſemota, cum cœlitibus ipſis vitam vixiſſe videretur. Singularem præterea Chriſtianæ virtutis laudem ex eo tulit, quod perpetuæ cujuſdam caritatis vinculo omnes complexa, nemini umquam, quoad poſſet, ac ſibi liceret, ope ſua defuerit. Illud vero divinæ in hoc cœnobium benevolentiæ argumentum fuit, quod nulla umquam earum Virginum aut repentino ceſſiſſe fato, aut Eccleſiæ ſubſidiis deſtituta extremum clauſiſſe diem perhibeatur: ut jam inde ab cœnobii ejus initio perpetuum tutelæ, ac ſingularis beneficii fructum omni ætate perceperint. Denique hoc loco animadverſione res digna videtur eſſe, quamvis cœnobium rerum omnium inopiam ex inſtituto profiteretur, populi tamen liberalitate non ad vitam dumtaxat ſuſtentandam, ſed etiam ad feſtos dies quam magnifico cultu celebrandos nullo non tempore uſum fuiſſe. Quo factum eſt, ut omnium ordinum feminæ, ac viri, certante ſtudio pietatis, ad Virginum templum ventitarent. Illud etiam poſterorum memoria maxime dignum exiſtimamus, innumera prope in idem cœnobium beneficia a principibus viris

Illibati conceptus inſignia cœnobio tandem permiſſa.

Ejuſdem cœnobii Virgines aliquot virtutibus inſignes.

Anno Christi 1544.	Pauli III. anno 7.	Caroli V. Imp. anno 23.	Religionis Minorum anno 334.

viris esse profecta; ac familiæ præsertim Portocarreriæ in eo honestando, ornandoque beneficentiam insignem fuisse. Cujus proinde in eas Virgines merita visum est nobis hoc loco commemorare, uti gratiam bene merenti justis honoribus, & memori mente persolvamus. Franciscus in primis cum, suis ædibus attributis, ipsum cœnobium amplificare, templique sacellum, & aram principem suis sumptibus condere decrevisset, filioque Aloysio natu maximo ejus rei perficiendæ curam dedisset, egregium pietatis non modo indicium, verum etiam exemplum familiæ suæ moriens reliquit. Aloysius sub ejus operis prima molimina & ipse decessit. Hujus deinde uxor Maria Osoria, lectissima femina, eleganti structura templum excitandum curavit. Cujus egregii beneficii memoria ut in omne posterum tempus extaret, familiæ stemmata gentilitia supra aram maximam collocata, & in sacello recens exstructo sepulchrum conditum.

Familia Portocarreria de cœnobio optime merita.

LXXI. Anduxariæ in Vandalitia provincia ad Bætim fluvium hoc anno decessit Clara Serrana, illustri genere orta, quæ in cœnobio beatæ Claræ cum excellentium virtutum laude insignis fuit, tum vero animi demissionem, atque modestiam mirifice coluit. Quippe memoriæ proditum est, nihil eam antiquius habuisse, quam ut ea cœnobii munera obiret, quæ, cum vilia haberentur, Sorores quædam identidem vel morosius attingerent, vel etiam penitus contemnenda existimarent: tum præcipue humilitatis Christianæ incensam studio omnes industriæ nervos contendisse, ut non modo, cum viveret, sese omnium mortalium infimam repræsentaret, sed etiam per omnes posterorum ætates in obscura hominum ignoratione versaretur. Quod tamen contra, quam destinarat, post ejus obitum contigisse compertum est. Nam Deus ipse, quem ut hac animi demissione magnopere delectari, ita humilium celebrandorum esse percupidum sacræ litteræ docent, eam virtutem in virgine Clara excelluisse, sibique adeo mirum in modum probatam esse luculenter ostendit. Cum enim Sororum una, uti fit, ne supremo erga morientem deesset officio, ad illius cubiculum properaret, canentium in aere jucundis vocibus repente commota, virginem Claram inter cœlestium spirituum choros in sublime ferri conspexit, & ad perpetuæ felicitatis locum recta contendere. Qui cum ipsius ornamenta præclara iis carminibus celebrarent, tum præcipue humilitatem miris laudibus efferebant, eum versiculum persæpe iterantes: ***auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata***. Quo illa viso mirifice recreata, majorem deinde voluptatem animo hausit, ubi, quo tempore ista cognoverat, tum Virginem Claram supremum diem obisse nuntium accepit.

Clara Serrana insignis Virgo animi demissione.

Quæ ideirco cœlesti præconio celebratur.

LXXII. In insula Pontia inferi maris hoc anno ab Observantibus cœnobium conditum, quod in provinciam Campaniæ felicis adscitum est. In eo juniores nostri tum, quam tenerent in omni vita, disciplinam edisce re, tum optimarum artium studiis operam dare consueverunt. Hac tempestate Observantes ea in insula cœnobium non habent; nec, quo anno inde discesserint, mihi certo compertum est.

Observantes cœnobium ædificat in insula Pontia.

ARGUMENTUM.

Oecumenici Concilii prima molimina; cui demum habendo locus, ac fides Tridentum decernitur. Cardinalis Carpensis consulit Reformatis Brixiensis provinciæ. Arabidæ in Lusitania provincia Excalceatorum fundata, D. Petri Alcantarensis auspiciis magnum nomen est consecuta: cujus vita summatim describitur. Cardinali Carpensi familiæ patrono negotiis plurimis districto Vicarius in eo munere succedit Marcellus Cervinus. Ab Ochini defectione magna tempestas in Capuccinos coorta. Jacobus Testera cum Observantibus multis in Americam proficiscitur. Eorum res gestæ summatim percensentur. Benignus Romanus e laicorum Ordine sanctitatis, ac miraculorum gloria nobilitatus est. Joannes Cameratensis, Alphonsus Astudillus, Maria Longa, aliique virtutum laude præstantes. Creantur Episcopi. Domicilia Franciscanis hominibus attributa.

I. IMminente Christianorum cervicibus Turcarum tyranno, adversus eum sociale bellum decretum est in conventu Spirensi. Magnis animis expeditio suscepta; sed ipsa tamen Germanorum Principum cunctatione dissipata est, quam adeo formidarat Solimanus, cui astipulatus est Luterus, huic longe, quam Imperatori addictior. Ad ejus hæresim, aliasque multiplices evertendas Concilium Tridentinum indicitur, emisso a Pontifice Paulo diplomate XI. Kalendas Junii. In eo Concilio, quæ a nostris hominibus pro virili parte sunt gesta, quæ inde leges, atque decreta ad familiæ rationes pertinentia per id tempus manarint, opportune commemorabimus.

Concilium Tridentinum indicitur.

II. Hoc anno divus Franciscus Xaverius ad Indicas gentes a Pontifice legatus, Goam pervenit pridie IX. Maii. Goanæ tum Ecclesiæ præerat Joannes Albuquercius ex Observantium familia, præstanti sapientia Pontifex. Ad hunc Xaverius, antequam ullam reipublicæ attingeret partem, adiit honoris, & obsequii causa, eique sine ambagibus id, quod res erat exposuit, se Pauli Pontificis maximi, & Joannis Regis Lusitaniæ missu, ad impertiendum ethnicis Evangelium, stabiliendos in fide neophytos, Christianos advenas, & inquilinos pro viribus adjuvandos in ea loca venisse. Attamen ita sibi certum esse, fixumque, communis rei nihil omnino, nisi ex ipsius Episcopi auctoritate, ac sententia gerere. Simul Pontificiaa litteras, quibus Nuntius Apostolicus fuerat declaratus, eidem offert venerabundus: ac profitetur, sese jure illo, ac potestate nequaquam usurum, nisi quatenus Episcopus ipse permiserit. Ab ea seu altitudine animi, seu modestia captus Albuquercius illico ruit in amplexus viri: perlectum, probatumque diploma restituit: postremo etiam, atque etiam Dei servum adhortatur, uti animo soluto, ac libero Christianam rem e præscripto summi Pontificis administret; valde confidere sese, illius adventum ad Indicæ Ecclesiæ vel tutelam, vel ampliationem magnopere prosuturum. Neque in præsentia modo Xaverium comiter, ac liberaliter accepit; sed in posterum præcipuo semper tum in honore, tum in amore, cunctis approbantibus, habuit.

S. Franciscus Xaverius Joanni Albuquercio ex Observantiū familia Goano Antistiti obsequium præstat.

A quo perhumaniter est acceptus.

III. In Nicæensibus comitiis, ut ab Waddingo narratum est, an. MDXXXV. sancitum fuerat, ut Observantium provinciæ singulæ Reformatos admitterent. Eam legem Brixiensis provincia statim recepit, eisque aliquot domicilia, ubi vitam seorsum degerent, ex comitiorum præscripto assignavit. Verum, augescente quotidie istorum caterva, Ministro, ac Patribus visum est, eos omnino a suscepto consilio deterrere; quæ ab ipsis præterea petebantur nostrorum cœnobia, se daturos negare. Ea de re Paulus quidam eorum

Reformati Brixiēsis provinciæ parrocinium implorant Cardinalis Carpensis.

Anno Christi 1542.	Pauli III. anno 8.	Caroli V. Imp. anno 24.	Religionis Minorum anno 335.

rum Cuſtos apud Carpenſem Cardinalem familiæ patronum eſt queſtus. Is Gabrielem Galvanum ejus proviuciæ præfectum ſcriptis litteris monuit, ut domeſticas lites componeret, ut Reformatos paterno ſtudio, & charitate complecteretur: ſi ipſi, ac Patribus viſum eſſet, Bergomenſe cœnobium, itemque alia civitati finitima eiſdem permitteret: omnino juſta petentibus e generalium comitiorum præſcripto ſatisfaceret. Iis litteris, incertum qua de cauſa, nihil egit Cardinalis; diuque in Brixienſi provincia recentium Reformatorum propago anguſte habitavit.

LITTERÆ CARDINALIS CARPENSIS.

Reverendo Patri fratri Gabrieli Galvano Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ provinciæ Brixiæ Commiſſario amantiſſimo.

Reverende Pater ſalutem &c.

Conqueſtus eſt apud nos ſuperioribus menſibus venerandus Pater frater Paulus de Suer Fratrum recollectorum provinciæ Brixiæ in præſentiarum Cuſtos, quod Miniſter, & Patres dictæ provinciæ contra litterarum Apoſtolicarum tenorem nonnullos ejuſdem provinciæ Fratres ad eoſdem recollectos, & ad arctiorem vitam ſectandam ſe transferre volentes impediebant, quodque loca pro numero, & capacitate Fratrum eis neceſſaria etiam contra dictarum litterarum Apoſtolicarum continentiam ſibi deſignare recuſabant, addens, quod ſuper his omnibus idem frater Paulus ſuperioribus annis ad quondam reverendiſſimum D. Cardinalem Sanctæ Crucis tunc Ordinis veſtri Protectorem, & prædeceſſorem noſtrum, recurſum habuerat, qui quidem auditis hinc inde audiendi, de ſpeciali mandato S. D. N. Papæ decreverat, quatenus Fratribus ejuſdem provinciæ ad eoſdem recollectos accedere volentibus licentia daretur, nec non loca pro dictorum Fratrum inhabitatione, & uſu pro eorum capacitate, & numero in provinciali eorum capitulo proxime celebrando per reverendum Patrem fratrem Hieronymum Contarenum tunc ejuſdem provinciæ Commiſſarium, eis omnino traderentur, prout in authenticis litteris ejuſdem revereudiſſimi Protectoris nobis exhibitis plenius contineri conſpeximus, quas idem Hieronymus Commiſſarius debitæ executioni demandare (ut idem Paulus aſſerit) contemſit: idem reverendiſſimus Protector etiam de mandato ejuſdem ſanctiſſimi D. N. vel forſan idem ſanctiſſimus D. N. per litteras ſuas in forma Brevis negotium hujuſmodi uſque ad reverendiſſimi Patris fratris Vincentii Lunelli tunc generalis Miniſtri in Italiam reditum diſtulit, ad quem etiam dictus frater Paulus poſt reditum hujuſmodi recurſum habuiſſe aſſerit, quatenus in obſervatione litterarum hujuſmodi tam Apoſtolicarum, quam etiam reverendiſſimi Protectoris, & Fratres præfatos ad eos tranſire volentes, & loca pro eorum inhabitatione neceſſaria ſibi tradi faceret; qui nihilominus ea ad futurum eorum provinciale capitulum, ad quod ſe perſonaliter acceſſurum promiſit, exequi diſtulit. Cum autem idem Generalis, nec per ſe, nec per alium præmiſſa in eodem capitulo adimplere voluerit, nobis propterea idem frater Paulus humiliter ſupplicavit, quatenus in earumdem litterarum obſervationem eadem ſibi adimpleri facere dignaremur.

Nos igitur, qui inter cetera quietem, & tranquillum ſtatum dicti nobis crediti Ordinis intenſis deſideriis affectamus, viſis, ac diligenter inſpectis prædictis Apoſtolicis, nec non dicti quondam Reverendiſſimi Protectoris lit-

litteris, per litteras noſtras ſtatuimus, & decernimus, quod Miniſter Generalis modernus infra quatuor menſium ſpatium Fratres, qui alias tranſeundi ad eoſdem recollectos licentiam petierant, ſi in eali propoſito perſeverare reperiſſet, ad eoſdem recollectos ſe tranſferre permitteret, nec non duo loca pro eorum habitatione deſignaret, prout in iiſdem noſtris latius continetur. Cum autem idem Generalis dintino, at gravi languore præpeditus ad præmiſſa exequenda ſe conferre nequiverit; Nos ut eadem præmiſſa melius, ac tranquillius executioni demandarentur, ac omnium contentionum, & litium occaſio e medio eorumdem Fratrum tolleretur, per alias noſtras eidem Paulo nihilominus præcepimus, ne ad præmiſſorum executionem procederet, donec vel Generalis ipſe perſonaliter intereſſet, vel alium ad id loco ſui deſtinaret. Verum cum Generalis ipſe adhuc valetudinarius ipſe accedere non poſſit, te, de cujus ſingulari probitate, Religionis zelo, necnon omnigena gerendarum rerum experientia plene informati ſumus, ad hujuſmodi negotiorum expeditionem a Generali prædicto deputari fecimus, tibique auctoritate officii noſtri, ac de ſpeciali mandato ejuſdem S. D. N. vivæ vocis oraculo nobis facto in virtute ſanctæ Obedientiæ præſentium ſerie diſtricte præcipimus, ac mandamus, quatenus viſis præſentibus, quam citius poteris, ad eamdem Brixiæ provinciam te conferas, ibique quantum cum Deo poteris, Miniſtrum, ac Fratres dictæ Provinciæ cum eiſdem recollectis componere, eoſque ad mutuam dilectionem, charitatem, & pacem reducere ſtudeas: necnon litteras Apoſtolicas, ac ejuſdem bonæ memoriæ Cardinalis ſanctæ Crucis prædeceſſoris noſtri, & noſtras adimpleri, ac debitæ executioni demandari facias, cum infra ſcriptis tamen limitationibus, ſeu declarationibus, videlicet, quod dictis recollectis ea dumtaxat loca dari, ac deſignari facias, quæ pro numero, & capacitate eorumdem Fratrum recollectorum dictæ provinciæ Brixiæ, non autem aliarum provinciarum, neceſſaria fore conſpexeris.

Non enim volumus, quod in Conventu, ubi multi Fratres antea commorari ſolebant, ipſi cum paucis illum occupare velint, & ſic ſine neceſſitate multiplicare loca; quin potius volumus, & per præſentes decernimus, quod in unoquoque Conventu eorum tot modo deputentur Fratres, quot ante recollectionem hujuſmodi ibi morari conſueverant. Et, facta hujuſmodi computatione, & deputatione, ſi loca, quæ ante prædictarum litterarum noſtrarum confectionem habebant, pro recollectorum dictæ provinciæ, non autem forenſium habitatione non ſufficerint, tunc deſignabis eis tot alia loca, quæ eis ſufficere valeant, quæ quidem loca juxta Apoſtolicarum litterarum tenorem ſibi deſignentur, quæ fuerint eiſdem prioribus locis magis contigua, ne propter locorum intercapedinem, ſeu diſtantiam, eoſdem recollectos vagari, & cum aliis provinciæ Fratribus, apud quos declinaturi eſſent, contendere contingat. Si autem tibi, eiſque recollectis magis viſum fuerit expedire, quod iidem recollecti in Bergomenſi regione morentur, tunc deſignabis eis primo Conventum Bergomi, & deinde tot alios Conventus eidem Conventui Bergamenſi magis contiguos, quot eis, facta prædicta computatione, neceſſarios fore ſenſueris; alios vero Conventus, quos prius retinebant, Miniſtro, & provinciæ reſtitui facies: decernentes etiam, prout in litteris ejuſdem prædeceſſoris continetur, quod ſi in eiſdem Conventibus aliqua paramenta, & Eccleſiaſtica ornamenta, & utenſilia eiſdem recollectis ſuperflua viſa fuerint, & ea habere noluerint, nullo pacto ab eis extra Ordinem alienari debeant, ſed Miniſtro provinciæ fideliter conſignentur, aliis pauperioribus Conventibus diſtribuenda. Circa vero Novitiorum receptionem volumus ſervari modum a beato Franciſco in Regula deſignatum, quod videlicet nullus recipiatur,

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V Imp.	Religionis Minorum anno 335.
1542.	anno 8.	anno 24.	

tur, quin prius a provinciali Miniſtro examinatus fuerit. Quæ omnia, & ſingula a te, omni mora poſthabita, firmiter, & inviolabiliter executioni demandari volumus, & mandamus, perpetuum eiſdem Fratribus ſilentium imponendo. Datum, & actum Romæ in ædibus noſtris die XVI. *Januarii* MDXLII.

V. Cardinalis de Carpo Protector.

IV. Oceano Luſitanico imminet promontorium, quod indigenæ Arabidam nominant, Latini veteres barbarum montem appellavere. Locus ille cœleſtibus prodigiis nobilitatus, Excalceatorum provinciæ tota Luſitania celeberrimæ initium dedit. Pervetus fama eſt jam uſque a primis Eccleſiæ ducta temporibus, ipſa nocte, qua Dei filius pro mortalium ſalute natus eſt homo, eum montem ſplendore ſubito conſulſiſſe, mirantibuſque quid ejuſmodi oſtentum foret hominibus, velut in meridiano ſole coruſco lumine radiaſſe. Ferunt etiam, multis poſt annis hominem Anglum, qui Luſitaniam petebat, periculoſa navigatione jactatum, Mariæ Virginis implorata tutela, eo curſum tenuiſſe. Cumque illius effigiem, quam habebat in oneraria, nequidquam orandi cauſa quæritaſſet, diuque incerta ſpe fluctuantem ipſe metus periculi exanimaſſet, in ſumma eum deſperatione lux repente coorta prorſus erexit. Quippe ſtationem per noctis tenebras indicavit, in qua ipſe, trepidique vectores aliquanti ſper a jactatione conquieſcerent. Ubi diluxit, exſcenſione facta, in ea montis parte, unde lumen effulſerat, ſimulacrum Divinæ Matris, quod amiſſum exiſtimarant, ex inſperato comperiunt. Ejus rei admiratione commoti, lacrymanteſque præ gaudio, ſervatrici Mariæ gratias agunt immortales; cujus in eam ſedem commigrarat effigies, ut beneficium teſtatius eſſet, & ad omnem poſteritatis memoriam propagaretur. Anglus ibi conſiſtere, atque in horrida ſolitudine, quantulumcumque ſupererat ſibi vitæ, in Dei cultu, & ſamulatu conſumere fixum habuit. Ergo ſub tecto paupere, quod divenditis mercibus excitarat, inter quotidianas aſperitates, & perpetuam orandi conſuetudinem, egregia pietatis laude celebratus, vitam exegit. Anno MDXL. Joannes Alencaſtrius Dux Averanus, & promontorii dominus Martinum a ſancta Maria provinciæ Carthaginenſis Obſervantium presbyterum in ea loca deduxit; qui clariſſima ortus familia e Comitibus D. Stephani a Portu, eidem ſanguinis cognatione erat conjunctus. Is, impetrata a Miniſtro provinciæ diverſandi poteſtate, cum Joanne Conimbricenſi ejuſdem inſtituti alumno ab hominum conſuetudine, convictuque ſemotus, in Arabida conſedit. Mox Alencaſtrius frequentari locum percupiens, divum Petrum Alcantarenſem, quicum ſibi neceſſitudo vetus intercedebat, magnopere hortatus eſt, ut cum Martino conjunctis dexteris ibidem ſedes, ac domicilium collocaret; ſuoque arbitratu, qui ſibi maxime probarentur, ejuſdem ſocios diſciplinæ Fratres adſciſceret. Haud multum ſane Averano laborandum fuit, quo paratum ad genus omne aſperitatis hominem in ſententiam pertraheret. Atque hic potiſſimum mihi locus poſtulare videtur, ut, quod polliciti ſumus, de Petri moribus, atque factis paulo luculentius diſſeramus. Idipſum ſcriptores multi tum latinis, tum vernaculis litteris, nec ſine magna pietatis laude, uberrime præſtiterunt. Nos vero, quæ vel Eccleſiæ judicio probata ſunt, vel in omnium Franciſcanorum manibus, atque ore verſantur, ea tantummodo proferamus.

Arabida mons Luſitaniæ, unde ſumſit initiũ Excalceatorũ provincia, cœleſtibus prodigiis nobilitatus.

Martinus a ſancta Maria Obſervantium Sacerdos in Arabidam proficiſcitur.

Tum D. Petrus Alcantarenſis.

V. Petrus igitur natione Hiſpanus nobilibus parentibus Alcantaræ in Extremadura natus, jam inde a puero vitæ innocentia, & gravitate ſanctitatis

D. Petri ortus, & puericia.

tatis futuræ indicium præbuit. Vix enim ſextum ætatis annum attigerat, cum precandi aſſiduitate in cœleſtium rerum contemplationem tantopere incubuit, ut in Deo plane defixus interdum extra ſe raperetur. Provectior deinceps ætate poſt litterarum ſtudia, in quibus mirifice proficiebat, Chriſtianæ pietatis obeundis officiis tempus omne inſumebat. Ab eo tempore atrox corpori ſuo tanquam infeſtiſſimo hoſti bellum indicens, præter cibi parſimoniam, atque a vino abſtinentiam, vel leviſſimi criminis objecta cauſa, idem aſperrima verberatione dies, noctesque ſubigebat. Quotidie ſibi tamquam mortuo, pſalmum *De profundis* recitans, priuſquam cubitum iret, animam ſuam Deo commendabat. Chriſtianæ perfectionis incenſus ſtudio, ſeverioris diſciplinæ inſtitutum inter Excalceatos in nova, ut ajunt, cuſtodia ſancti Evangelii Extremaduræ ſextodecimo ætatis anno ſuſcepit. Mox tirocinii primordia tanto virtutis ardore adoleſcens arripuit, ut rigidiſſimæ pœnitentiæ orandi aſſiduitatem adjungens, provectiores etiam hoc ſtudii genere in ea domo anteiret. Quippe animum ſtatim ad præſtantioris cujuſdam contemplationis genus retinendum, durioremque egeſtatem perferendam obfirmavit. In oculorum cuſtodia præcipue excelluit. Templi, ac cœnobii, cubiculique, in quo biennium verſatus fuerat, ex qua materia laquearia ſorent, numquam animadvertit; & poſt exactum in cœnobio triennium, Fratres non de facie, ſed ex ſolo cognoſcebat auditu: id quod etiam, eum ad propinqua loca ex obedientia mitteretur, conſtantiſſime eſt perſeeutus. Silentium quoque puri cordis cuſtodiam a principio ita coluit, ut ad linguam coercendam memoriæ ſubſidio lapillos quoſdam in ore triennium geſtaverit. Cum miniſteria familiæ aliquot obiiſſet, cœnobiorum procuratione ſuſcepta, demiſſionem animi tantam præ ſe tulit, ut cum infima plebe victum oſtiatim emendicaret, atque inter opifices cœmentarios etiam bajuli officio fungeretur. Ægrotorum curam a Deo præcipue ſibi commiſſam dictitans in ſuorum neceſſitatibus ſublevandis ita ſollicitus erat, ut nobilium tamen virorum largitionibus ſæpe frenum injiceret. Quocirca Fratres ejuſmodi exemplis, monitiſque incitati nonnullis legibus, quæ arctioris diſciplinæ formam continebant, Petro admonente, ſeſe ultro ſubjecerunt. Adiit quoque vir Religionis ardore flagrans Luſitaniæ regnum, ubi arctiſſimæ Arabidorum paupertatis initia adjuvit, atque provexit. Ad majora Domino ſuo obſequia præſtanda cum ſe intelligeret ejuſdem numine impelli, diſciplinam familiæ ad veterem normam, & inſtitutum exigere omnino conſtituit. Incredibile dictu eſt, quantas in ea re difficultates ſuperaverit, inſignioribus a Domino prodigiis eo tempore illuſtratus. Itaque Divino præſidio, & Apoſtolica auctoritate primam ſodalitii domum anguſtiſſimam, atque pauperrimam ſub Deiparæ auſpiciis abſque peccati labe conceptæ prope Pedroſum ædificavit; in qua domo vivendi genus aſperrimum ſtatim exorſus, veterem diſciplinam non renovavit modo, verum etiam latiſſime amplificavit. Subinde, annuente Pontifice Maximo, alia cœnobia conſtruxit, additiſque veteribus aliquot Obſervantium, provinciam ſancti Joſephi conſtituendam curavit. Miſſis deinde in Regnum Valentiæ ſociis, initium dedit provinciæ ſancti Joannis Baptiſtæ. Quod deinceps aſperrimum vitæ inſtitutum per varias provincias dilatatum, ad Indos uſque, & Americæ regna magno enm animorum emolumento invectum eſt.

Ardores ejuſdem in ſtudio pœnitentiæ.

Orandi aſſiduitas, modeſtia, paupertas.

Animi ſubmiſſio.

Severiorem diſciplinam conſtituere aggreditur.

VI. Plurimum quoque in inſtitutó Carmelitarum amplificando, cujus ab inclyta Virgine Tereſia jacta fuerant fundamenta, deſudavit. Abulæ Epiſcopum, civeſque primarios paupertatis, quam profiteri virilis animi femina conſtituerat, oppugnatores acerrimos hortationibus vicit, ac Tereſiæ

S. Tereſiam Virginem Carmelitarum inſtitutum reformate adortam magnopere adjuvat.

Anno Christi 1542.	Pauli III. anno 8.	Caroli V. Imp. anno 24.	Religionis Minorum anno 335.

ſiæ conciliavit. Eidem mœrore animi, & ægritudine pene dejectæ, quamvis longe diſtaret, per ſpeciem videndum obtulit ſeſe; difficultates perficiendi propoſiti ab ea quamprimum ſuperatum iri ſignificavit. Digna quoque habita eſt, quæ illum ſemel in ſublime ferri intueretur. Oranti præterea Deus aſſeveravit, ſeſe nihil eorum, quæ Petri nomine mortales peterent, pro ſua in eum benevolentia, & charitate denegaturum. Quocirca illum adhuc in terris agentem ſanctitatis eximiæ virum appellare conſuevit. Neque ad talem, tantumque magiſtrum viri tantummodo pietate præſtantes, verum etiam Antiſtites, Principeſque certatim audiendi cauſa ventitabant: primariique aulæ proceres juxta Petri cœnobia vulgo ſedes, ac domicilium quærebant, ipſa nempe vicinitate beatos fore ſe rati, ſolaque tanti viri præſentia ad humanæ contemtum gloriæ vehementer inflammandos. Carolus V. Imperator, Reges quoque Luſitaniæ Petrum ſæpe in aulam vocabant, ut de rebus graviſſimis cum eodem conſilia communicarent: quorum nihilominus officia, & munificentiam verus humilitatis amator ſuaviſſime declinabat. Hinc etiam ſacras ejuſdem Cæſaris, & Joannæ Auſtriacæ confeſſiones audire detrectavit. Sæpe etiam relictis nobilioribus, cum pueris, ac pauperibus familiariter egit; quo inanis gloriæ ſtimulos retunderet, neu tantis hominum in ſe ſtudiis elatus animus, geſtienſque immoderate jactaretur.

Honorificum Divini Numinis de Petro judicium.

Summorum principum erga ſe obſequia Petrus declinat.

VII. Mira contra calumnias patientia, & in adverſis conſtantia cum primis excelluit. In graviſſimis contumeliis, quibus paſſim afficiebatur, ſæpe ad Deum cogitatione converſus, tum ſe pro merito acceptum, veriſſimeque, quid hominis eſſet, a ceteris cognitum dictitabat: plus nimirum e qualicumque ſui contemtu, ac ludibrio hauriens voluptatis, quam alii ex vulgi plauſu, ſauſtaque acclamatione percipiunt. Protervæ mulieris convicia, & inflictum capiti vulnus non modo patientiſſime tulit, verum etiam flexis coram ea genibus culpam, quam non patrarat, demiſſiſſime deprecatus eſt. Ejuſdem conſtantiæ virtus inter affectæ valetudinis incommoda mirifice enituit. Quippe variis ægritudinibus continenter vexatus, vix præfectorum coactus imperio eiſdem remedia adhiberi permiſit. Cum pedes in ſaxa, caput ad portarum limina offenderet, jucundos eſſe dolores illos, nihilque omnino ſe commoveri, calamitatem, uti fit, miſerantibus affirmabat. Hujus tolerantiæ tot, tantaque exempla ab illo edita ſunt, ut cum de illius apotheoſi deliberaretur, jurati teſtes affirmarint, vix deſcribi omnia poſſe, quæ ſanctus vir in unius Dei gratiam, & gloriam patienter ſuſtinuit. Ad hæc miram ab eſculentis abſtinentiam e præſcripto diſciplinæ in omni vita retinuit, ſecundario pane contentus: cui feſtis diebus legumina, herbaſque adjungebat, quæ nullo aſperſa condimento, præterquam cineris, & abſynthii, faſtidium, & amaritiem deguſtanti moverent. Aliquando octo dies, una rerum cœleſtium cogitatione defixus, jejunio tranſegit. Numquam vino uſus, vix aquam ad ſatietatem adhibuit. Cum ſeſquihoram diebus ſingulis quieti ſe daret, infixo parieti ligno caput leviter acclinabat, atque ita ſomnum, velut infenſum boſtem, callidiſſime avertebat. Illud etiam in more poſitum habuit, ut bis per noctem ſeſe flagellis quam acerrime cæderet; ut ad verberum ſonum expergefacti, qui lecto cubabant, totis artubus contremiſcerent. Bracteam ferream thoracis loco geſtavit annis viginti, teſte ſancta Tereſia, quæ illum propterea nimia corporis macie extenuatum ſiccis radicibus comparavit. Pedes nudi aut ſpinarum, aut ſaxorum offendiculis quotidie ſauciabantur: caput numquam obtectum aut ſolis æſtu perurebatur, aut cadente de cœlo nive conſperſum obrige-

Ejus mira in adverſis patientia.

Tum ſobrietas plane incredibilis.

Domandi corporis artes variæ.

ſcebat, ut ei crines, & ſupercilia gelu concreta aliquando divellere opus eſſet. Per hibernum tempus, aperta feneſtra, oſtioque cubiculi, ad multam noctem orabat genibus nixus, donec frigore enectus, humique procumbens trunci more jaceret: tunicaque interdum depoſita in piſcinam gelu coneretam ſeſe immergebat.

Ejus ardorem pœnitentiæ imitantur diſcipuli.

VIII. Cujus admirandæ aſperitatis veſtigiis inſiſtentes diſcipuli, tanto animi ardore, tamque immanibus modis in ſua corpora ſæviebant; ut illo ſpectaculo oppidani, civeſque plurimum territi ad cœnobia convolarent, infimis precibus obteſtantes, ut ab ea ſalutari quidem ſævitia, ſed immodica tamen, vitæque noxia aliquantiſper temperarent.

Petri charitas in Deum.

IX. Charitate in Deum fuit quanta par eſt eum eſſe, qui ipſius Dei gratia rebus humanis nuntium ſponte remiſerit. Neque ſolum eatenus Dominum amabat, ut præ illo reliqua omnia nihili duceret, quæ virtutis bujuſce præcipua eſt pars; verum inerat in amore voluptas mira: prorſus ut quantislibet preſſus curis, ac moleſtiis fatigatus, in unius Dei recordatione, & quaſi amplexu per ſummam delectationem acquieſceret. Chriſtum vero Dominum, ac liberatorem videndi, ſicuti eſt, tanta flagrabat cupiditate, ut eam ipſam ob rem ſolvi corporis vinculis vehementius in dies optaret. Itaque ſi quando graviorem incidiſſet in morbum; concepta migrandi ſpe, abſtrahebatur illico a ſenſibus non ſine magno valetudinis detrimento. Et quoniam acerbiſſima Chriſti mors pro ſalute humani generis obita Petro ſemper obverſabatur; viciſſim ille pro Chriſto per ſummos cruciatus quotidie cupiebat emori millies. Quoties vero ingeſta in illum convicia, & ludibria reputaret apud ſe, non modo rei atrocitate permovebatur, ut multi; ſed etiam accendebatur generoſo quodam imitandi ſtudio; atque in ſemetipſum quaſi tanti ſceleris auctorem acerrime exardeſcebat: ac niſi eum cohibuiſſet exiſtimationis ratio propter ſalutem aliorum, ſimulata dementia ad plebem in ſe concitandam, nudus, onuſtuſque cornibus, aut alio fœdo corporis habitu prodire non dubitaſſet in publicum, & inceſſentes cœno, vel ſtercore pueros, voceſque improbas, & ſputa, & omnes alias inſanæ multitudinis contumelias libentiſſime pertuliſſet. Illud etiam memoriæ proditum eſt, cum ſeſe cubiculo continere, animique deliquium diutius pati non poſſet, in campos, & hortos proficiſci conſuevisſe, quo exundantem per membra æſtum frigido cœlo temperaret; mox ab hortis, campiſque ad aras Templi, quibuſdam veluti alis, charitate ſublatum, volantemque per aera properaſſe.

Charitatis vis ab ipſo Petri corpore emicabat.

Petri charitas in proximos.

X. Ex hoc tam incenſo in Deum amore egregia nimirum illa charitas in homines redundabat: quos quoniam pretioſo ejuſdem ſanguine redemtos, ac proinde cariſſimos illi ſciebat eſſe, quidquid in Deum non poterat nullius egentem rei, omne id ipſius gratia in proximos conferebat. Itinera bene longa, quantumvis æger, pedibus conficiebat, quo familiarium ſuorum, ac civium animos reconciliaret. Inter egentes, ac miſeros aliquam vitæ partem libentiſſime degere, quin etiam eorum ſordes abluere, veſtimenta lavare, atque id genus alia charitatis officia perſequi naviter, & jucunde ſolebat. De alienis factis, dictiſque fratres ſuos temere judicare, aut partes cenſorum agere numquam permiſit: neque eos, qui de novi inſtituti oppugnatoribus querebantur, audire volebat, ſed obſecrabat etiam, atque etiam, ut pro illis tamquam beneficis Dei elementiam deprecarentur ardentius. Neque certamen cum adverſariis ullo pacto ſuſcipi eſt paſſus; quod diceret proculdubio fore, ut ipſa dies, & ſuorum innocentiam ſatis probaret, & inimicorum cogitationes, & conſilia frangeret: id quod

non

non ita multo poſt Dei beneficio eſt factum. Siquidem ipſis criminationibus illuſtrata ſodalitas radices in Hiſpaniæ regionibus egit altiores.

XI. Miræ fuit ſolertiæ in ſollicitandis mortalibus, & a diaboli ſervitute ad Chriſti Domini obſequium traducendis. Ac quibus artibus dæmon ad animarum perniciem utitur, eaſdem ipſe (quoad liceret, & fas eſſet) ad hominum ſalutem, ac beneficium transferebat. Voluntates, ac naturas eorum, quibuſcum ageret, feſtine odorari, ambitioſis ſplendida, avaris utilia, voluptuoſis jucunda proponere; & ſuo, quod ajunt, hamo, vel eſca quemque piſcari. Jam in congreſſu, maxime Principum, id obſervabat in primis, ut ſermonis initia illis daret, extrema reſervaret ſibi: cavebatque ne de rebus etiam Divinis inepte, vel ad ſatietatem, ac faſtidium ageret. Cumque e loco ſuperiore ad confluentem multitudinem orationem haberet, ea plerumque ſumebat argumenta, quæ vitiis reprehendendis aptiora videbantur: eademque reſtitutæ humanæ ſalutis commemoratione, exponendiſque cruciatibus Chriſti identidem molliebat.

Sacrarum litterarum peritia Petrus excellit.

XII. Sacrarum vero litterarum intelligentia, abditiſque, ac retruſis Theologiæ locis explicandis præcipuam laudem ſapientiæ eſt conſecutus. Proinde cum intelligeret, difficilem in primis, & ancipitem eſſe curationem animorum; quo cautius, rectiuſque in re tanta procederet, ope Divina ſuppliciter etiam, atque etiam implorata, ſuæ vitæ curſum, quem inoffenſo, tutoque pede tenuerat, ſimul varias tentationum procellas, ac tenebras, & ſubſecutam mox tranquillitatem, ac lucem quam accuratiſſime ſecum expendens, demum ex iis, quæ partim cœleſti magiſtro dictante percepe-

Librum conſcribit de ratione meditandi.

rat, partim etiam ipſemet experiendo cognoverat, meditandi, orandique rationem, fructuoſam in primis, vulgique captui accomodatam vernaculis litteris conſignavit. Qui liber deinde doctorum virorum judicio, ac teſtimonio comprobatus, ita multos omnis ætatis, atque ordinis homines, tum in eligendo genere vitæ, tum in componendis moribus, perturbationibuſque ſedandis, ac præſertim in retinenda conſtantia ſalutari mirum in modum juvit, juvatque quotidie, ut jure optimo videatur hoc non in poſtremis numerandum eſſe remediis, quæ Divina bonitas hac hominum ætate, vel ad corrigenda ſeculi vitia, vel ad renovandam veterem Eccleſiæ diſciplinam clementer adhibuit.

Ejuſdem facilitas morum.

XIII. Fuit etiam in illo præter divinitus infuſa charismata, mirum etiam, atque efficax hominum animos devinciendi ſibi ingenium, & ſtudium. In virorum nobilium amicitias opportune inſinuare ſeſe, eaſdemque obſequio, & ſubmiſſione tueri; pares facilitate, ac ſuavitate morum allicere; inferioribus, & egentibus auctoritate, atque opera præſto eſſe; morbo aliquo laborantes, vel cum valetudinis, & contagionis periculo adire, ſolarique amantiſſime; eorum, quibuſcum verſaretur, vel difficultatem naturæ, & arrogantiam perpeti, vel ineptias, ac ſtultitiam, quoad ita res ferret, exſorbere diſſimulatione mirabili; ad aliorum arbitrium, ac voluntatem, quibuſcunque rebus honeſte poſſet, ſemper accomodare ſe, ac flectere; omnibus denique in Chriſti gratiam omnia fieri: ubi penitus in hominum ſenſus, ac voluntates irrepſerat, tum demum officiis, ac benevolentia comprehenſos, occupatoſque pro ſuo quemque captu, ſenſim, & caute progrediens, Chriſtianæ religionis, & officii præceptionibus excolebat. Atque his ferme artibus, & ſimul egregiæ virtutis exemplo, multos a turpi, ac flagitioſa vita non modo ad ſobrietatem, & continentiam, ſed etiam ad contemtum rerum mortalium, atque ad ſalutaria conſilia Chriſti convertit. Nec his modo præceptis, ac moribus ceterorum animos informabat ad honeſta-

neſtatem, ſed ipſo etiam adſpectu pallentis oris, ac vultu ad pietatem plane compoſito.

Afficitur ſenſibus intimis, dum Chriſti cruciatus meditatur.

XIV. Eam ipſe pietatem cruciatuum Chriſti meditatione vehementer fovebat. In cujus rei gratiam cruces paſſim erigendas de induſtria curavit, ut earum objectu Chriſtianos ad bajulandam crucem, ac laborum videlicet patientiam invitaret. Cum bonorum cœleſtium contemplationi operam daret, ad uſque Templi laquearia ſublatus aliquando eſt, cumque oraret in aperta planitie, tanta vi numinis inſidentis repente correptus, uti ſummos arborum ramos velut avis volando contingeret. Cujus ſimile quippiam iter facienti uſuveniſſe viatores quidam teſtati ſunt. Eum ſemel in crucis conſpectu dulciſſime quieſcentem, ac circumfuſum beatiſſimo lumine, ſimul totam viciniam eo ſplendore illuminatam cœnobii Fratres admiratione defixi conſpexerunt. Eidem non ſemel Chriſtus, ac Virgo Mater, divus quoque Franciſcus familiæ conditor, cœliteſque complures non modo ſeſe palam oſtendere, verumetiam incredibili benignitate ſpectandos aliquandiu præbere dignati ſunt. Quin etiam Deus pro ſua in Petrum voluntatis propenſione, & abundantia quadam perpetui amoris, eidem inſigne donum divinationis liberaliter contulit. Siquidem aliqua partim abdita aperuit, partim longe a conſpectu remota monſtravit, partim etiam multo poſt futura ſine ullo errore prædixit. Cuidam adoleſcenti, dum crucis in modum ducta manu eum rogatus obſignaret, aſſeveravit fore, ut imbibendæ animo opinionis abſurdæ, quæque impietatem, & pravam fidem contineret, magno in diſcrimine verſaretur. Alium conſpicatus, quamprimum, rebus humanis valere juſſis, in ſacro quodam ſodalitio vota ſolemnia nuncupaturum divinitus agnovit. Interdum cum a diſcipulis ſuis, ac familiaribus longe diſtaret, iiſdem ſeſe videndum repente offerebat, dubioſque, ac labantes eorum animos jucundo ſermone confirmabat. Latentium rerum cognitionem ejuſmodi, qua Petrus excelluit, Deus ipſe non ſemel manifeſtis indiciis comprobavit: primum admirabili quodam novi ſideris oſtento, cum ille Tereſiæ Virgini ægritudine, ac mœrore confectæ ſolatium allaturus, Abulam verſus iter haberet: tum candidiſſimæ columbæ miſſu, quæ caput ejus circumvolitans, humeroque ſubinde reſidens in auriculam roſtrum immiſit; quo divinarum arcana rerum ipſi ultro pateficeret, inque animi latebras, intimoſque receſſus prorſus ingereret. Multis quoque miraculis ipſe Deus cum præclara ſanctitatis ejuſdem teſtificatione Petri nomen nobilitavit. Cum denſa cœlo caderet nix, ſuſpenſa repente Dei voluntate, atque in teſtudinis concreta morem, tectum effinxit, ſub quo ille videlicet tempeſtatis incommoda tutus evaderet. Idem cum pluvio cœlo ſe dediſſet in viam; ſiccis veſtibus ad eum locum, quo iter intenderat, aliquando pervenit. Semel in campo ſacrificantem coortus imber obruere videbatur, ſimul populo, qui frequens convenerat, ut in ſubita re, mirum in modum trepidante: quem bonus Pater miſeratus, propitiatoque ſuppliciter Deo, ita incolumem præſtitit, ut ſereno veluti cœlo libens conſiſteret, cum tamen undique, ſæviente procella, immenſa prope vis aquæ delaberetur. Illud etiam cum primis illuſtre memoriæ proditum, omnia prorſus elementa naturæ leges oblita morem Petro geſſiſſe, atque in ejus obſequium, & famulatum quam celerrime conceſſiſſe. Quippe rapidos fluvios pede ſicco trajecit haud ſemel, perinde quaſi in firmo ſolo deambularet: & incendium, quo domus quædam miſere deflagrabat, plane reſtinxit, cum ipſe videlicet fretus Deo ſeſe in ignem, ſumumque conjeciſſet innoxius. Alias baculum ſuum, quo ad iter uti ſolebat, infixum terræ juſſit excreſcere, & in arboris morem pomis

Quædam de Petro mira.

mis recentibus luxuriari. Alias ab gravi morbo mortales, interdum ab lethi faucibus liberavit. Feminam quamdam cacodæmonis fraude, ac neſandis amoribus implicatam a miſerabili ſervitute impuri veteratoris abduxit. Multa præterea Dei voluntate ad viri nomen, ac decus amplificandum contigiſſe perhibentur: quæ ſcriptores alii mandata litteris in lucem tulerunt.

XV. Memoratum a nobis eſt, eumdem Petrum Alencaſtrii Ducis invitatu in Arabidam conceſſiſſe. Porro ejuſdem ſocius, ac diſciplinæ æmulator Joannes fuit Aquilanus, qui ex America tum reverſus, communicatis cum Petro conſiliis, amplificandæ Excalceatorum familiæ adjecit animum. Haud ita pridem Joannes Conimbricenſis, aſperitate ſoli, cœlique debilitatus. Martinum in eo monte deſeruerat. Itaque extructis ab Alencaſtrio tuguriis tribus, quorum ſimilia pro adventantium numero excitari mandarat, ejuſmodi vitæ genus exorſi ſunt. Nudis omnino pedibus incedebant. Lectulus ipſis, aut nudus aſſer, aut ſarmentis inſtratus. Jejunia fere perpetua: atque in ipſo cibatu vino, carnibuſque abſtinebant: piſces ab Duce miſſos cum eſculentis parce admodum attingebant. Petrus media nocte primus evigilare, ſociumque tecto propinquum ad pſalmodiam arceſſere; ambo tertium adire, unaque omnes matutinis precibus more majorum operam dare: his perſolutis, divina myſteria, legeſque ſanctioris vitæ nixi genibus meditari: ubi diluxerat, prima diei hora ad Officii penſum reverti, & ſacrificio, quod obire unus e ſocietate ſolebat, intereſſe: ſubinde in tectum ſeſe recipere, ſuiſque rebus unuſquiſque vacare: ſub meridiem iterum convenire, ſtataſque preces, & alterum ſacrificium ſumma religione perficere: eandemque vitæ conſuetudinem a meridiano cibatu ad noctem uſque retinere. Hiſce ergo moribus Petrus, ſociique haud vulgaris ſanctimoniæ late famam ſparſere.

Joannes Aquilanus D. Petro Alcantarenſi, & Martino a S. Maria comitem ſe adjungit.

Eorum vitæ genus aſperrimum.

XVI. Plures deinde in ſodalitium aggregati, atque in primis Petrus Lagartus, qui Deiparæ imaginem, de qua ſupra dictum eſt, votiva prece veneraturus in Arabidam diverterat. Item Michael a Catena, & Petrus Alconcerius, e provincia ſancti Gabrielis Excalceati, Petrum Alcantarenſem, cæteroſque diſciplinæ Magiſtros imitaturi, certante ſtudio Franciſcanæ paupertatis, acceſſere.

Augetur ſodalitium in Arabida Monte.

XVII. Hoc anno Joannes Calvus Generalis Miniſter a Pontifice Paulo ad Luſitanum Regem legatus, Olyſiponem pervenerat. Quem Alencaſtrius infimis precibus invitatum ad Arabidam deduxit. Is conſpicatus naturam loci, & ſolitariis Fratribus bene precatus, poteſtatem iiſdem fecit, uti quos mallent, ejuſmodi diſciplinæ percupidos, ad inſtitutum aggregarent. Martinum præterea ſodalitatis in eo monte præfectum voluit eſſe, atque ut Italus quidam nomine Archangelus, quem itineris comitem Calvus habebat, in eam adlegeretur, libenti animo permiſit. Deinde alios complures in ſocietatem Martinus excepit: atque in primis Antonium Hermandeſium, qui ſacris poſtea initiatus e vita migravit. Mox Angelum Caſtellanum, Antonium Conimbricenſem, Damianum a Turre, Balthaſſarem a Plagis, Salvatorem a Cruce, & Jacobum Peregrinum inter ſuos annumeravit.

Alii multi eum Martino ſocietatem ineunt.

XVIII. Hoc ipſo anno Vaſcus Gama Comes Vidigueranus domicilium Martino attribuit, novem ab Arabida paſſuum millibus. Cujus boſpitii locus vulgi nomine Pilais dicebatur. Templum conſolatrici Mariæ conſecratum eſt. Hæc Arabidanæ provinciæ initia fuere; quæ deinceps novis ædibus aucta Luſitaniæ in Regno præſtantes viros, & Franciſcanæ cultu paupertatis ſuſpiciendos educavit.

XIX. Car-

Anno Christi 1542.	Pauli III. anno 8.	Caroli V. Imp. anno 24.	Religionis Minorum anno 335.

Marcellus Cervinus R. E. Cardinal. Clementem Monillanum Pontificis juſſu Neapolim mittit ad componenda Fratrum diſſidia.

XIX. Cardinali Carpenſi Familiæ Patrono negotiis plurimis diſtricto, Vicarius in eo munere deſignatur Marcellus Cervinus, ſacri Senatus illuſtre decus, & ornamentum. Is cum plurimum turbæ eſſe in Campania felici intellexiſſet, propterea quia ex Obſervantibus aliquot, homines inquieti, laicorum hominum, qui Magiſtratum gerebant, auctoritate interpoſita, comitia provinciæ diſturbare auſi eſſent, Clementem Monilianum Pontificis juſſu per litteras monuit, uti Neapolim quam celerrime ſe conferret; ſeditionis auctores iis pœnis affectos, quas majores noſtri in hujuſmodi fontes conſtituiſſent, in officio contineret; comitia iterum cogeret, in illiſque omnino perficeret, quæ ad provinciæ tranquillitatem, & otium pertinere arbitraretur.

MARCELLUS CERVINUS miſeratione Divina tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, ac totius Ordinis Minorum Viceprotector Reverendo Patri fratri Clementi Monilliano ejuſdem Ordinis, Regularis Obſervantiæ in Ciſalpinis partibus Generali Commiſſario ſalutem in Domino ſempiternam, & his noſtris, immo verius ſanctiſſimi Domini noſtri parere mandatis.

Cervini litteræ ad Monillianum.

NOn ſine maxima noſtri cordis amaritudine dudum accepimus, nonnullas turbas Fratribus Minoribus indigniſſimas, perpetuo diſſidiorum, ac dementis diſcordiæ diſſeminatore Sathana inſligante, in terræ laboris provincia ex nonnullis Fratribus ad ſeculare judicium in propriæ ſalutis diſcrimen, & ſcandalum plurimorum recurſum habentibus prioribus diebus excitatas fuiſſe, atque eo temeritatis deventum fuiſſe, ut capitulum ejuſdem provinciæ tunc jam legitime congregatum, maxima circumſtantium cum admiratione, re infecta, diſſolutum extiterit, itaut vocales, nulla facta electione, ad propria remeaverint: quod quom ſit adeo a ratione, & Eccleſiaſtica libertate alienum, nemo ſanæ mentis non perſpicit. Quare de ſpeciali mandato ejuſdem ſanctiſſimi Domini noſtri, vivæ vocis oraculo nobis facto, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut captata temporis opportunitate in dictam provinciam te conferas, ac ſtatutis, vel ſtatuendis per te loco, & tempore capitulum juxta dicti Ordinis ſtatuta, & laudabilem conſuetudinem libere celebres, ac Fratrum errata, ſi quæ forſan, quod abſit, repereris, pro juſtitia, & æquitate, ut ceteri juxta Paulum timorem habeant, nulla humani, vel timoris, vel amoris, aut favoris habita ratione, intrepide corrigas, ac præſertim ſi quos probabiliter compereris Fratres ad ſeculares confugiſſe, illiſque Ordinis detexiſſe negocia, eos juxta dicti Ordinis provide ſancita decreta acriter punias. Siquidem de mente ejuſdem Pauli habentes negotium adverſus Fratrem, potius contemtibiles, qui ſunt in Eccleſia, debent conſtituere ad judicandum, quam ad ſecularem poteſtatem recurrere.

Ut autem prædicta commodius exequi valeas, placet eidem ſanctiſſimo Domino noſtro, quod dictum Capitulum non ſolum tua ordinaria, verum etiam ſua Apoſtolica auctoritate celebrare poſſis, & valeas. Inſuper de ſimili ejuſdem ſanctiſſimi Domini noſtri mandato, in virtute ſancti Spiritus, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna univerſis, & ſingulis tam Fratribus, quam aliis quibuſvis perſonis, cujuſcunque dignitatis, & conditionis extiterint, diſtrictius præcipiendo mandamus, ne tibi in præmiſſis directe, vel indirecte, quovis quæſito colore, impedimento eſſe præſumant. In quorum omnium,

nium, & ſingulorum fidem has litteras fieri mandavimus, manus propriæ ſubſcriptione munitas, ac ſigilli noſtri appenſione probatas.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum in camera noſtræ ſolitæ reſidentiæ ſub anno a nativitate Domini MDXLII. *die vero* XV. *menſis Julii, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Pauli Divina Providentia Papæ III. anno* VIII.

Ita eſt M. Cardinalis ſanctæ Crucis Vicepротector.

XX. Antonius Machicanus procurandis in Romana curia Tranſalpinorum rebus præfectus vita deceſſit: ejuſque poteſtas muneris Jacobo Soſterio interim data ab Cardinali Carpenſi., quoad Calvus, accepto nuntio, vel Soſterium probaret; ſive alium mallet, pro ſummo imperio, ac poteſtate ſubſtitueret.

Antonius Machicanus obiit; in ejus locum ſufectus Jacobus Soſterius.

XXI. Hoc anno ex Ochini fuga magna tempeſtas in Capuccinos coorta eſt. Paulus Pontifex in Cardinalium collegio ſub Novembris exitum cavit, ne illorum quiſpiam Dei verbum diſſeminaret, niſi quibus Apoſtolica Sedes publicis codicillis poteſtatem feciſſet. Subinde omnibus permiſſum eſt, ut rectoribus inconſultis ad Obſervantes redirent. Ochinus in Hæreticorum colluvie, ſcripto volumine, Catholicam fidem, ipſumque adeo Romanum Pontificem criminari, Eccleſiæ ritus, & ſanctiſſima dogmata indignis modis proſcindere, veram denique religionem auſu nefario impetere, ac velut hoſtis acerrimus oppugnare inſtituerat. Ea res Capuccinis negotium exhibuit; quos proinde in invidiam adductos homines paſſim averſari, dignoſque præterea, qui a convictu Catholicorum exturbarentur, vulgo affirmare occœperunt. Quocirca Bernardinus Aſtenſis afflictis familiæ rebus conſulendum ratus, communicato cum primoribus conſilio, ſupplicationes ad propitiandum numen indixit. Tum viros optimos, probatiſſimoſque delegit, qui de conſurtibus pravi dogmatis, & ex Ochini neceſſitudine in ſuſpicionem perfidiæ adductis diligenter inquirerent: quos impoſtor nefarius in communionem erroris pertraxiſſet, eos ad palinodiam compellerent, atque Eccleſiæ ritu emendandos, plectendoſque curarent. Ita perpurgatis cœnobiis, Capuccini paulatim exiſtimationem familiæ, & ſinceræ pietatis famam redintegrarunt. Audita Ochini fuga, & defectione, Caraſa Cardinalis, qui in Pontificatu Pauli IV. nomen accepit, ſcriptis ad eum litteris, porro inſanientem compeſcere, atque ad priſtinam frugem a teterrimo cœno, ſordibuſque traducere conatus eſt. Cujus partem epiſtolæ in hoc loco repetere operæ pretium duximus. *Quid tibi*, ait, *in mentem venit Bernardine? Quis te Domini malus, velut reprobum olim Iſraeliticum Regem, arripuit ſpiritus? Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus, quem paulo ante quaſi in ſpiritu, & virtute Eliæ aſcendentem mirabamur in cœlum, quid modo cum curribus, & equis Pharaonis deſcendentem dolemus in infernum? Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris? Quid orbatum lugemus, & ſterilem, quem innumerabilium videbamus patrem lætantem filiorum! O delire ſenex, quis te faſcinavit, ut alterum tibi confingeres Chriſtum, quem a Catholica Eccleſia non didiciſti? ut te ad aliud converteres Evangelium, quod ab uberibus matris tuæ non ſuxiſti? Ab quam magnus eras in oculis omnium, ſi in oculis tuis parvulus eſſe voluiſſes! Confartus ille faccus tuus, & rudis rubentes pileos, & Pontificum mitras ſuperabat. Scribis enim in illis tuis præclaris, quæ vulgo circumferuntur, apologeticis litteris, hactenus te Chriſtiano populo velatum Chriſtum prædicaſſe; deinceps verum illum, ac liberum prodacturum te comminaris. Quid eſt, quod loqueris pater? An non*

Capuccini propter Ochini defectionem a Pontifice exagitati.

Bernardinus Aſtenſis Vicarius Generalis Capuccinorum familiam perpurgare inſtituit.

Cardinalis Caraſæ ad Ochinum epiſtola paræneticæ.

vides tuis te teneri laqueis, tuis pedicis irretiri? An putas te impune jamdudum Chriſtiano populo illudere potuiſſe, qui Antichriſtum pro Chriſto prædicaveris, qui Phariſaicum fermentum pro ſacra doctrina, qui pharmacum pro vero lacte propinaveris? ſiccine ſimplicem gregem infeciſti? ſiccine innocentes oves carnifex ſermonum tuorum lenocinio ad lanienam attraxiſti? Et quam fidem tibi poſthac adhibendam ſperare poſſis, qui impiiſſimis mendaciis auditores tuos ſeduxeris? qui tandiu divinum verbum adulteraveris? Vides ad quod ſaxum impingis? attendis quam male tibi non conſtas? quam periculoſe teipſum mutas? ſi veritatem tibi eſſe conſtabat apud Lutherum, ſi Petrum, & Paulum, eorumque Eccleſiæ Succeſſores non recte videbas ambulare in ſinceritate Evangelii, ſi quæ in populis prædicabas, non ſecundum Catholicam fidem eſſe ſtiebas, cur tandiu ſiluiſti? cur Dei veritatem in juſtitia detinuiſti. Et infra. *Ubi tu ipſe, qui prædicabas non furandum, furaris? qui non mœchandum, mœcharis? qui abominabaris Idolum, ſacrilegium facis? Ubi tu ipſe magiſter, totum id operis deſtituis, quod ante docebas? quis dabit capiti meo aquam, & oculis fontem lacrymarum, ut nocte fleam, ut luce plorem baculum Eccleſiæ confractum, magiſtrum obcæcatum, paſtorem in lupum converſum, ſapientem patrem in reprobum ſenſum commutatum, Chriſti præconem Diabolum effectum? Quis magnum ſuſcitet Samuelem? Quis proferat Evangelicum patrem, qui a meretricibus revertentem prodigum filium recipiat? Si forte ſurgat, ſi forte ad eum redeas, & dicas: Pater peccavi in Cœlum, & coram te. An non tibi melius exiſtimas reverti ad patrem tuum, ad domum genitricis tuæ, ubi abundas panibus, quam in longinqua adeo regione paſcens porcos, mori? Quid tibi in barbaris gentibus? quid tibi cum alienigena nutrice? quid tibi cum noverca? Agnoſce ubera, quæ te lactaverunt, agnoſce vocem vocantis, vocem exorantis, vocem in Rhama, vocem ab excelſa clamantis, revertere dilecte mi, & aſſimiliare capreæ, hinnuloque cervorum ſuper montes Bethel. Vocat te Romanus Pontifex, vocat te Chriſti Vicarius, vocat te Caput Eccleſiæ, nihil adhuc comminatur, vim nullam intentat. Tu ad vocantis vocem nuditatis tuæ conſcius te abſcondis? &c.*

Hæc eleganter vehementerque Cardinalis Theatinus: at obfirmatum Lutherana perfidia Ochini pectus pervadere nequaquam potuit.

XXII. Jacobus Teſtera, quem in Mantuanis Comitiis provinciarum novi Orbis moderatorem creatum diximus, egregios viros e Franciſcana familia centum, & quinquaginta delegerat, qui egregia morum integritate, tradendiſque Chriſtianæ vitæ præceptis Americanos excolerent. Eum numerum juſſu Pauli Pontificis, petente Carolo Imperatore, e tota Hiſpania contraxerat. Ubi Mexicum pervenere, primarii duodecim e provincia ſancti Jacobi, in ſuas quiſque colonias diſtributi ſunt: quatuor in Jucatanem amandati; Ludovicus Villalpaldus vir eruditus, qui Jucatanicam linguam didicit primus, ejuſque regulas, & dictionarium vulgavit; Melchior Beneventanus, qui regionis iniquitate, ac præfervido aere divexatus, Mexicum revertit; Joannes Herrera, profeſſione quidem laicus, ſed in primis diligens, & moratus, quem Chichimecæ poſtea in odium Chriſtianæ fidei ſuſtulerunt. Quartus Laurentius fuit Benvenida, cui multum Romana debet religio: quippe qui in Apoſtolico munere nullis umquam fractus laboribus conſtanter perſtiterit. Idem recepto Meridenſi cœnobio, itemque altero apud Campetium, quæ Teſtera Hiſpanorum militum improbitate compulſus deſeruerat, aliiſque præterea ædificatis, Jucatanis provinciam, magno popularium bono, fundavit. Reliqui octo Guatimalæ incolas, infelix genus

Jacobus Teſtera provinciarum Americæ Generalis Præfectus Obſervantes duodecim in varias regiones diſtribuit.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 335.
1542.	anno 8.	anno 24.	

nus hominum, & ſervituti natum, erudire juſſi. In his Petrus Betancius omnium primus gentis linguam tenuiſſe fertur; cujus etiam ediſcendæ præcepta Hiſpanicis litteris conſignavit. Ceteri comites quonam locorum ab Teſtera dimiſſi, exploratum non eſt. Id profecto conſtat, ipſum ætate, laboribuſque confectum hoc anno exceſſiſſe. Hujus præfecturam ſuſcepit Martinus Sarmientus, quem ſuperiore anno Generalis Miniſter in Jacobi locum ſuccedere, ſi forte eum fato defungi contigiſſet, ſcriptis litteris juſſerat. Martinus ejus muneris partes cum laude præſtitit; ac deinde Tlaſcalenſis Epiſcopus creatus eſt. Natus erat Jacobus Teſtera Bajonæ Galliæ Aquitanicæ civitate. In ea provincia inter noſtros adſcriptus, paulo poſt in Hiſpaniam profectus eſt, atque in aula Cæſaris aliquandiu conciones habuit. Mox cum Antonio Civitatenſi in Americam trajecit anno MDXXVII. Ejus adventus ad continendos in officio neophytos, barbaroſque Evangelio ſubjiciendos magnopere profuit. Cum in magna diſcendæ linguæ difficultate verſaretur, & Chriſtianæ religionis myſteria vix aptis vocibus explicare poſſet; ea coloribus expreſſa (tantum veræ pietatis erat ingenium) linteiſque graphice deſcripta per vicos circumferebat. Ita Mexicanos ab inanium deorum cultu facile abduxit, adjuvante labores indigena familiari, qui hiſpanicæ linguæ uſu utcumque præditus, Jacobi verba, interpres egregius, popularium ſuorum auribus inculcabat. Jncatanem, Guatimalam, aliaſque regiones ſempiternæ mortalium felicitatis incenſus ſtudio peragravit; noſtrorum cœnobia plurima, imbuendiſque neophytis litterarum gymnaſia excitavit. Vir idem profundiſſimæ demiſſionis, & contemptus ſui: neque aliud in omni vita ſibi duxit antiquius, quam ut, pulſis errorum tenebris, Americæ regna, genteſque Evangelii luce compleret, Deique gloriam, quæ ex animorum ſalute maxima exiſtit, longe, lateque amplificaret.

Petrus Betancius Hiſpanus præcepta linguæ ediſcendæ, quæ in provincia Guatimalæ in uſu eſt, tradidit primus.

Ejus induſtria in imperciendo Mexicanis Evangelio.

XXIII. Panormi hac tempeſtate floruit Benignus Romanus ex Obſervantium familia. Incertum, quo tempore obierit. Sane tota Sicilia præſtantis innocentiæ, & miræ cujuſdam ſimplicitatis laudem tulit. Ejuſdem corpus in Urbis templo, quod ab Angelorum Regina appellatur, conditum eſt. Quamquam vero prænobili genere ortus erat, tamen laicorum in ordine, interque vilia miniſteria Chriſtianæ demiſſionis exemplar fieri maluit. Carolus V. Cæſar a Tunetana victoria in Siciliam reverſus, cum ſermones, qui de Benigni ſanctimonia ferebantur, frequenter audiſſet, ejus videndi ſtudio ad cœnobium divertit: cum eodem aliquandiu familiariter collocutus, candidoque hominis ingenio mirifice eſt delectatus: eum comiter interrogatum num ab ſe quidpiam, quo ei maxime opus eſſet, impetrare percuperet, reſpondiſſe ferunt, ad hortulum ſubigendum ſe ligone indigere. Quem cum argenteum Carolus afferri juſſiſſet, poſtea cœnobii rector in templi uſum convertit. In ejuſdem cœnobii tabulario mira quædam de Benigno leguntur: in quibus fertur illud eximium. Antonius Ruſſa Agrigentinus de captivo inter barbaros fratre Benignum ſciſcitaturus, Panormum cum parente ſe contulit. Quem accitum a provinciali Miniſtro Franciſco Meſſanenſi, juſſumque per effuſas preces ſalutem, ac libertatem adoleſcenti impetrare, dixiſſe tradunt, ſe tanti non eſſe, ut datam ſibi a præpotenti Deo futurorum præſcientiam audeat affirmare: nihilominus bono eſſe animo Antonium jubere; quippe germanum vivere, brevique incolumem in Siciliam reverſurum. Veritatem illius dicti opportuna captivi fuga, & in patriam adventus comprobavit.

Benignus Romanus ex Obſervantium familia laicus virtutibus floret.

Carolus V. Cæſar Benigni ſermonibus delectatur.

Benignus vaticinatur.

XXIV. Æqualis Benigni fuit Joannes Siculus Cameratenſis, quem Rochus Pyrrhus Joannem Clementem appellat, atque in natali ſolo ſepultum

Joannes Cameratenſis virtute inſignis.

eſſe commemorat: noſtri vero Panormi conditum tradunt. Eundem conſuetudine orandi ad Chriſtianæ ſapientiæ culmen contendiſſe, ac mali Dæmonis aſtum, conantis eum ab virtutis ſemita abducere, ſæpe fregiſſe proditum eſt. Cum aliquando ante Deiparæ ſimulacrum ad multam noctem vigilaſſet, horribili ſpecie taurus, impacto in ventrem cornu, eum propemodum exanimavit; cumque inteſtina diffluerent, clementiſſimæ Virginis ope, ac ſingulari beneficio, mirante ipſo Joanne, in alvum immiſſa ſunt, atque aureo filo cruenta cicatrix obducta. Quæ res certis indiciis deinde conſtitit, cum, Joanne defuncto, in ejus femore vulnus, atque e vulnere pendens filum apparuit. Quippe nemini antea, præterquam Sacerdoti, qui ſacras ejus confeſſiones audire ſolebat, eventi ſeriem exploratam fuiſſe compertum eſt. Quam ille poſtea in Dei gloriam vulgare nnn dubitavit.

Appetitus a malo Dæmone Deiparæ ope ſervatur.

XXV. Hoc anno naturæ conceſſit Alphonſus Aſtudillus Toletanus, vulgo dictus Excalceatus, quod inter paucos is eſſet, qui tum nudis omnino pedibus incedebant. Chriſtiana præditus eloquentia, haud vulgarem populi gratiam, & opinionem integritatis eſt conſecutus. Conditus eſt in Toletano cœnobio ſancti Joannis Regum, magno ſui deſiderio civitati relicto.

Alphonſus Aſtudillus eloquentia clarus decedit.

XXVI. Item Neapoli deceſſit Maria Longa illuſtris femina, quæ, viro extincto, domeſticas facultates in uſus pauperum erogavit. Noſocomium Neapoli extruxit, & ventitantes ægrotos ipſa comiter excipiebat, atque inter egentes, ac miſeros, Chriſtianæ charitatis incenſa ſtudio, ſervorum munia diligenter obibat. Siquidem non modo cibos miniſtrare, ac lectulos ſternere, ſed & manantem e quorundam vulceribus ſaniem abſtergere conſuevit. Ante mariti obitum, cum, ſumto incaute veneno, in præſenti vitæ diſcrimine verſaretur, ejuſmodi votum nuncuparat, ſi convaleſceret, nihil potius ſibi futurum, quam ut Hieroſolymam pietatis cauſa proficiſceretur. Quo circa promiſſi memor, hoſpitalem domum deſerere, atque in viam ſe dare fortis utique femina conſtituit. Deinde, voti ſolutione impetrata, noſtrarum Virginum domicilium, quod S. Mariæ in Hieruſalem appellatum eſt, ſuis ſumptibus excitavit. Ipſa cum puellis duodecim, provecta jam ætate, cœnobium ingreſſa, Noſocomium Mariæ Ærbæ Termulanorum principi adminiſtrandum mandavit. Mox cum ſororibus ceteris Tertii Ordinis canones profeſſa eſt. Eodem tempore Cajetani Thienæi ſanctiſſimi virt alumnos quoſdam, qui Theatini dicebantur, hoſpitio recepit. Atque ipſe in primis Cajetanus eidem religionis myſteria, & Chriſtiano ritu ſacramenta quadriennio adminiſtravit. Dein Theatinis eo ſe munere abdicantibus, Capuccini ſublecti ſunt, quorum virgines vocibus, exemplisque incitatæ, non illæ quidem Tertii Ordinis inſtitutum, ſed aſperrimam divæ Claræ diſciplinam in omni vita retinuerunt. Exinde eorum nomine appellari cœptæ. Quibus etiam, ut cœnobii procuratione numquam in poſterum abſtinerent, pontificio diplomate mandatum eſt. Ubi Maria rigidum vitæ genus perſequi inſtituit, cum eſſet affecta admodum valetudine; reliquiæ priſtini morbi recrudeſcere, tenerumque corpuſculum diuturnis doloribus excruciari cœptum. Sed ipſa tamen, cum eſſet animo plane virili, & ad omnem patientiam obfirmato, numquam adduci potuit, ut conſuetam aſperitatem ullo modo remitteret. Veſtis omnino horrida, jejunia ſere perpetua; ſexto quoque die paululum panis attingere, & ad ſitim levandam tantundem aquæ. Cumque ſecum tam dure ageret, mirum quanta in alios facilitate, ac lenitudine uteretur. Viles meritriculas a turpi quæſtu non ſemel abduxit. Quicumque aut mali dæmonis fraude, aut pravæ cupiditatis illecebris ad peccandum impulſi, ejuſdem ſeſe fidei permiſere, ſermone ipſius, ac precatio-

Mariæ Longæ virtutes & recte facta.

Cœnobium ſanctæ Mariæ in Hieruſalem Neapoli ædificat.

Sancto Cajetano Thieneo ſacrorum adminiſtrationem.

Subinde Capuccinis.

Quorū denique appellationē, ac diſciplinæ fevēritatem affectat.

Maria corpuſculum ſuum miſtifice domat.

Ejuſdem charitatis in proximos exempla.

cationibus a præcipiti curſu retracti ſunt, animoque ſoluto, ac libero ſalebroſum virtutis iter ingreſſi. Eandem miraculorum gloria ornatam fuiſſe, ejuſque convictu, ac familiari colloquio cœlites delectatos Boverius affirmat. Magnum fuit in urbe Neapoli Mariæ nomen, quam proinde ſato ſunctam præcipuo quodam in honore ob ſanctitatis commendationem univerſi cives habuerunt.

XXVII. Hoc anno Conſtantinenſis in Numidia Epiſcopus declaratus eſt Joannes Jube ex Obſervantium familia, quem Antiſtes Barcinonenſis in laboris, & officii partem ſubinde vocavit. Item Cyrenenſis Epiſcopi titulo ornatus eſt Petrus Gautius, qui Urgelitano ſimul adjutor eſt deſignatus. Obſervantes duo Epiſcopi fiunt.

XXVIII. Cœnobium de ſancti Didaci nomine Obſervantium familia habet in urbe Neapoli. In eorum provincia, quæ Principatus appellatur, ædes illæ tum operis elegantia, tum incolarum frequentia, & dignitate ceteris antecellunt. Joanna Caſtriota, femina princeps, poſt hujus ſeculi initium id cœnobium fundarat: quod cum Fratres poſt ejus obitum aliquot ab hinc menſibus deſeruiſſent, pactis deinde cum Alphonſo Joannæ fratre, ac Tripaldæ regulo conditionibus, rurſus hoc anno inhabitarunt. Cujus rei diploma publicum extat, quod Alphonſi rogatu Paulus Pontifex dedit x. Kalendas Martii. Ejus cœnobii templum Deiparæ primum Virgini, miris doloribus Chriſti cauſa excruciatæ, dicatum eſt; mox de ſanctorum Didaci, & Joachimi nominibus nuncupatum. Anno MDXIV. cum propinqua domo hoſpitali ægrotorum nobilium ædificari erat cœptum. Verum Joanna, mutato conſilio, noſocomium Fratribus attribuit, quo domicilium excipiendis eorum pluribus latius eſſet. Nam quod Cæſar Caracciolus in ſua Neapoli ſcribit, hoſpitalem domum non ante Joannæ obitum noſtris datam, cum Pauli litteris nequaquam convenit; ex quibus apparet, Joannam, dum viveret, templum, domumque cum omnibus officinis in uſum Fratrum Minorum, qui Obſervantes dicuntur, ædificanda curaſſe. Cœnobium Sanctæ Didaci in urbe Neapoli Obſervantes recipiunt.

XXIX. Apud Salandriæ oppidum in regno Neapolitano Franciſcus Riverterius partim ſua, partim oppidanorum pecunia cœnobium extruxit. In eo juniores noſtri Philoſophiæ, ac Theologiæ diſciplinis erudiebantur. Circa annum poſtea MDXCIX. Reformatis eſt aſſignatum. Ibidem Stephanus Salandrinus egregia pietate presbyter anno MDCXXXIV. deceſſit. Cœnobium Salandriæ.

XXX. Conventuales hoc anno cœnobium Cameratenſe in Sicilia deſeruere. Iidem apud Inſulam, Campaniæ felicis oppidum, templum antea Præcurſori Chriſti dicatum ſancti Franciſci nomine appellarunt, libente nobili viro Juliano Ceilano. Is namque Paulum parentem ſuum imitatus, qui abeuntibus inopiæ cauſa Benedictinis Virginibus, Franciſcanos in eas ædes deduxerat, illos parce admodum victitantes ſuis opibus juvit, reditibuſque ſacerdotii cujuſdam ſublevandos curavit: eos olim reditus, qui tuendæ familiæ vix eſſent ſatis, ipſæ Virgines capiebant. Cœnobium Camaratenſe in Sicilia Conventuales deferunt, & aliud recipiunt in Campania felici.

XXXI. Capuccini ſexennio ante prope urbem Mediolanenſem parum commodis ſedibus uſi ſunt. Quippe in anguſto cœnobio, quod ramis viminibuſque non concinnitas, ſed neceſſitas ipſa fabricata erat, pædore, ac macie confecti undecim obiere. Alphonſus Avalus Mediolani prætor ceteros miſeratus, eos in urbem deduci, & ad portam Vercellenſem honeſtiore hoſpitio donari juſſit. Capuccini Mediolani ſedes collocant.

XXXII. Per idem tempus alio cœnobio, quod prope templum ſancti Victoris Eremitanæ Virgines incoluerant, Capuccini recepti ſunt. Eoſdem Faventiæ Emiliæ civitate in Bononienſi provincia domicilium paulo ante fixiſ- Rurſus alias recipiunt in eadem urbe.

fixiſſe Boverius narrat; qui etiam Bonaventuram Cremonenſem egregia pietate virum, & hoc anno cœnobii præfectum, cum afflictis familiæ rebus ingemiſceret, cœleſti viſo recreatum fuiſſe imprudenter affirmat. Nam manuſcripti ejus provinciæ codices habent, Capuccinorum domum anno MDLXXI. mille circiter ab urbe paſſus ædificatam: & primum cœnobiarcham non Bonaventuram illum cœlitibus familiarem, ſed Thomam Faventinum fuiſſe eadem monumenta teſtantur.

Boverius refellitur.

Tria cœnobia in Lusitania Obſervantes recipiũt.

XXXIII. Tria cœnobia Algarbiorum provinciæ in Luſitania, quæ Conventualium antea fuerant, Obſervantibus item hoc anno attributa; primum in oppido Extremoſi, alterum ad Portum lætum, tertium ad Juliam pacis.

Item quatuor in Jucatanæ Ameriæ provincia.

XXXIV. In Jucatanicam divi Joſephi provinciam, ut auctor eſt Franciſcus Gonzaga, nova domicilia quatuor aſcita ſunt. Nam poſt receptum Meridenſe cœnobium, uti ſupra memoratum eſt, aliud Campechii, quod præclarum in primis oppidum ab Hiſpanis frequentabatur, extructum eſt: duo rurſus apud Siſomtinum, & Titſiminum indigenarum pagos, una cum templis, quæ divo Franciſco Aſſiſiati dicata ſunt: quartum in oppido Numunii divi Bonaventuræ cepit auſpicia.

Franciſcus Henriquez Obſervantibus cœnobium condit in Gallæcia.

XXXV. Tribus paſſuum millibus ab oppido Almaneſio Callaicæ terræ Obſervantes provinciæ ſancti Jacobi domicilium habebant: quod cum loco nec oppidanis opportuno, nec ſane Fratribus commodo ſitum eſſet, Franciſci Henriqueſii liberalitate factum eſt, ut in alterum commearent, quod ejus impenſa in Almaneſii ſuburbio conditum fuit. Hujus cœnobii templum Didacus Henriqueſius Corianus Epiſcopus, importatis divorum reliquiis plurimis, magnificentius exornavit.

Virgines Franciſcanæ cœnobiũ obtinent in Bætica.

XXXVI. Ludovicus Ortefanus, ejuſque conjux Catharina Trevinnia, ſuis ædibus, quæ in oppido Ronda provinciæ Bæticæ habebant, in cœnobii formam redactis, adjectaque ad vitæ ſubſidium omni re familiari, Franciſcanæ familiæ Virgines induxere: cum quibus ipſa, viro extincto, Catharina quod ſibi vitæ ſupererat, id perpetuo pietatis, & Chriſtianæ innocentiæ cultu tranſegit.

Pontifex Maximus Minorum Ordinem haud obnoxium fore decernit judicio Quæſitorum cõtra hæreticam pravitatem.

XXXVII. Minorum familiam eximia pietatis laude ſibi probatam ſummi Pontifices honoribus afficere, datiſque immunitatibus ornare uſque adeo voluerunt, ut Quæſitores hæreticæ pravitatis ſumma in eam poteſtate aliquando uti vetuerint. Cujus rei diplomata publica extant, quæ Clemens, & Sixtus IV. Innocentius VIII. & Leo X. verbis ampliſſimis ediderunt. Hujuſmodi vero de Ordine noſtro deceſſorum judicia Paulus III. approbavit hoc anno pridie nonas Martii, petente Calvo Generali Miniſtro; tum rogatu Antonii a ſancto Michaele, qui rationes Tranſalpinorum in urbe Roma procurabat, anno MDXLVI. iterum rata habuit VI. Kalendas Maii.

Fratrum Ordinis Tertii templum in urbe Ticino conſecratur.

XXXVIII. Tertii Ordinis profeſſores apud Ticini mœnia olim cœnobium inhabitarunt, quod ab ſancti Savini nomine appellabatur. Id vero bellorum tempore everſum eſt, anno fortaſſe MDXXIV. quo Franciſcus I. Galliæ Rex adverſus Carolum Cæſarem bellum gerens, Ticinum obſedit. Fratres aliquot annos hinc abeſſe coacti ſunt. Quocirca falſi Bordonum exiſtimo, qui cœnobium ſancti Savini anno MCCCCVII. dirutum fuiſſe literis prodit. Siquidem Paulus III. in publicis litteris, quas ipſis Fratribus hoc anno dedit, nonnullos annos Ticino abfuiſſe illos affirmat: nec eſt ſimile veri, annos centum & quadraginta quinque, qui ad hæc tempora defluxiſſent, nonnullos annos appellandos fuiſſe. Quiquid id eſt, templum

hoc

Anno Christi 1542.	Pauli III. anno 8.	Caroli V. Imp. anno 24.	Religionis Minorum anno 335.

hoc anno ſanctis Gervaſio, & Protaſio dicatum, quod parœciæ titulo erat inſigne, & Nicolaus Spinellus Clericus Januenſis fiduciario jure, quod commendationis dicunt, obtinebat, eiſdem conceſſum eſt. Olim Benedictini Monachi, conſtituto præfecto, eam Eccleſiam adminiſtrarunt. Luculentum extat hujus rei teſtimonium in Paulino diplomate, quo Tertii Ordinis profeſſores ad Dei cultum amplificandum in eam Eccleſiam deductos eſſe declarat.

Conventualium cœnobium occupant Lutherani.

XXXIX. In Germania gliſcente hæreſi Lutherana, Conventuales cœnobio pulſi, quod Oſnaburgi obtinebant, nequidquam pro iis tendente Canonicorum Collegio, eamque injuriam ab principibus factionis nefariæ deprecante.

Obſervantes cœnobium diruunt extra mœnia Crotonis.

XL. Franciſcanæ familiæ nova colonia hoc ipſo anno Crotonem deducta; quæ Brutiorum eſt civitas vetuſtate potiſſimum memoranda. Jam inde a primis familiæ temporibus extra mœnia Crotonis cœnobium conditum accepimus, opera in primis, atque conſilio beati Pierii, qui ab ipſo convictu Patriarchæ Franciſci incredibile quoddam amplificandi ſodalitii ſtudium contraxerat. Hoc vero tempore, cum inter arma, bellicoſque tumultus Crotoniates ſibi timerent, uti cœnobium a fundamentis everterent, conſilium cepere. Quippe loco erat ſitum peropportuno, unde hoſtes cum mœnia quatere civitatis, tum munimenta ad ſe tutandos ædificare impune poſſent. Itaque Petri Toletani permiſſu, qui pro Carolo V. Neapolis regnum adminiſtrabat, æquatum ſolo domicilium, Fratreſque in urbem recepti. Tum ejuſdem Toletani beneficio novis ædibus aucti, cœnobium condere aggrediuntur.

Et in urbe aliud ædificant.

Ob id vexantur ab Epiſcopo & presbyteris popularibus, qui edicto Pontificis coercentur.

XLI. Verumtamen cum opus urgerent, apud Epiſcopum & ſacerdotum collegia immerito quidem offenderunt, qui cum magnam ab oppidanis invidiam eiſdem conflaſſent, quidquid a noſtris extruebatur interdiu, per idoneos homines nocte intempeſta demoliendum curabant. Coſimus Cirus provinciæ Miniſter hujuſce rei indignitate permotus, ac per ſupplices litteras cum Pontifice Maximo acerbe queſtus, iſtorum hominum temeritatem continuo repreſſit. Quippe duo primarii viri Scyllacenſis Eccleſiæ, Decanus, & Cantor, Crotoniates ab incœpto deterrere, iiſque, ſi porro tenderent, ſacrorum uſu, & communione interdicere ab Pontifice juſſi. Qui Crotonem profecti, optatam noſtris quietem attulerunt. Rebus ita compoſitis, in ipſo civitatis veſtibulo cœnobium exſtructum; templum vero eleganti ſtructura excitari cœptum; cujus ſub ara maxima beati Pierii, quem ſupra laudavimus, corpus conditum eſt. Quod quidem multis poſt annis Antonius Sebaſtianus Minturnus Crotoniatum Epiſcopus, tanto videlicet intervallo ab ejus morte, integrum reperit; ut Ughellus teſtatur Italiæ Sacræ nono volumine pagina 387. Illud etiam memoriæ proditum, Pierii tumulum ſalubri admodum liquore olim manare conſueviſſe. Quo tamen Dei beneficio pravi homines abuti aliquando cœperunt. Quidam enim ex illuſtri familia Luciferiana ejuſdem ingenii vir, atque ille fuit, de quo cecinit Juvenalis Satyra ſexta,

B. Pierii corpus miraculis illuſtre.

Morte viri cupiant animam ſervare catellæ,

cum quendam catulum in deliciis haberet, hujuſmodi liquorem ægrotanti adhibere non dubitavit. Sed hominis impuri temeritatem, audaciamque ultus eſt Deus. Nam & lethiferum ipſi catellæ pharmacum fuit, & qui ſtulte adhibuerat, confeſtim lucis uſura orbatus eſt. Multa rerum ab Pierio geſtarum monumenta deſiderantur, quæ, incenſo deinde cœnobii tabulario apud Catacium, perierunt. Eſt autem Catacium Brutiorum civitas in ulte-

ulteriore Calabria ab urbe Crotone triginta millibus paſſuum: cum in illud cœnobium ex vetere illo, quod extra Crotonem dirutum eſt, ea monumenta miſſa fuiſſent.

Agnetis Aſſiſiatis obitus.

XLII. Ante diem v. Idus Octobris e vivis exceſſit Agnes Aſſiſias, cum pertinacem valetudinem ad extremum uſque ſpiritum æquo animo pertuliſſet. Cum excellentium virtutum laude inſigniter floruit, tum præcipue aſſiduitatem precandi cum paupertatis Evangelicæ cultu in omni vita conjunxit. Quocirca moriens incredibile ſui deſiderium apud omnes reliquit.

Obſervantes cœnobium ædificant in Gallia.

Caroli III. Lotharingiæ Ducis beneficio.

XLIII. Apud Albamalam Neuſtriæ civitatem in Gallia Carolus III. Dux Lotharingiæ in Minorum familiam egregie animatus, non modo noſtris cœnobium a fundamentis exſtruxit, ſed etiam cenſum librarum millium gallicarum, quem uſitata Obſervantibus ratione, hoc eſt per Syndicum Apoſtolicum, nec violato paupertatis ſacramento, quotannis perciperent, iiſdem attribuit. Tum contendit a Pontifice Maximo, ut ad alendam populorum pietatem cœnobii templum divorum reliquiis, atque indulgentiis ornaret. Cujus rei teſtimonia exſtant in litteris, quas Gregorius XIII. Summus Pontifex dedit, tum aliis publicis auctoritatibus, quarum exempla in tabulario ejus cœnobii hodieque ſervantur. Sed illud in primis commemorandum, quo Maria Lucemburgenſis excelſo loco nata, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quinquageſimo nono familiam ornavit. Siquidem centum Gallicas libras teſtamento legavit, quas alumni ejus cœnobii quotannis perciperent; cujus rei gratia ſolemni ritu ſacrificium ſemel in anno celebrarent. Sed ut ad illud, unde digreſſa eſt, revertatur oratio noſtra, abſolutum cœnobii templum paucis poſt annis Claudius Sanctæus Ebroicenſium Antiſtes Eccleſiæ ritu conſecravit. In eo conditus eſt Petrus Bellotus Falleſienſis Obſervantium ſacerdos, qui & Doctoris inſignibus in Pariſienſi Academia donatus eſt, & Præfecti Generalis in Gallia ornatus munere. Quem præterea in ſacris concionibus eloquentiæ laude plurimum floruiſſe memoriæ eſt proditum.

Mariæ Lucemburgenſis erga idem cœnobium liberalitas.

Petrus Bellotus in Obſervantibus clarus.

Populares presbyteri negotiũ exhibent Obſervantibus in diœceſi Lucenſi.

Coercentur edicto Pontificis.

XLIV. Per idem tempus in diœceſi Lucenſi ſacerdotes nonnulli, qui parœcias adminiſtrabant, Obſervantes indignis modis acceptos Eccleſiaſticæ ſepulturæ arbitrio ſpoliare præter fas omne nitebantur; ut in templis eorum condi cadavera ſecularium per ſummam vim prohiberent. Miniſter Etruriæ injuriam queſtus apud Pontificem Maximum, cauſatuſque arrogantiam adverſariorum, quod intra fines Lucenſis Reipublicæ componendi diſſidii cauſa tutus ire vix poſſet, Apoſtolicas litteras impetravit; quibus litteris primarii duo ſacerdotes Piſtorienſis Eccleſiæ arbitrium litis ſuſcipere, accitoſque Eccleſiarum rectores, ut ne moleſtiam Obſervantibus exhiberent, monere juſſi.

Lucida Virgo inſignis meditatione cruciatus Chriſti.

XLV. In Fulginii cœnobio, quod Margaritarum appellatur, beata Lucida Virgo Romana diem obivit IV. Idus Julii: de qua illud inſigne proditum memoriæ eſt, Chriſtum Dominum ejus animi ſtudio delectatum, quo ſuos cruciatus orando, meditandoque aſſidue recoleret, id ei muneris contuliſſe, ut ingentem utraque manu dolorem, ac ſi ferreis clavis trajectæ eſſent, ad extremum uſque ſpiritum perſentiſceret.

AR-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 336.
1543.	anno 9.	anno 25.	

ARGUMENTUM.

Tridentinum Concilium non modo fraudibus hæreticorum, ſed etiam bellorum cauſa diſturbatum. Placato Pontifice, Capuccini ad ſodalitium conſtituendum omnem induſtriam, opemque conferunt. Conventualium comitia, in quibus coram Magiſter Bonaventura Pius a Coſtaciaro eſt renuntiatus. Item comitia Tertii Ordinis in Italia. Obſervantium in India Occidentis res geſtæ. Martyres quidam, quos apud Vilnam in odium fidei barbari interfecerunt, carmine celebrati. Complures feminæ vita innocentiſſime acta ſodalitium nobilitarunt. Inſulæ ſacræ Franciſcanis quibuſdam deferuntur; cœnobia ædificantur.

I. INDICTUM ſuperiore anno Tridentinum Concilium non Lutherani modo, ceteræque Eccleſiæ peſtes diſturbare cœperunt; ſed Antiſtites quoque plurimi ad eam urbem ſe profecturos negarunt. Nam quod Cæſari cum Gallo Rege bellum pertinax erat, magnopere verebantur, ne vel iter difficultatibus impeditum, vel ut finitima Germaniæ civitas tuta ſatis ab inſolenti milite futura eſſet. Quocirca Pontifex Maximus apud caſtrum Buxeti cum Cæſare collocutus, enixe contendit, ut ineundæ pacis conſilia tandem ſuſciperet: hæreticorum potentiam civili bello Catholicorum corroborari; timendumque eſſe, ne ipſum Cæſarem tandem petat. Sed Imperator turpiſſimo fœdere cum Anglo Rege conjunctus, nihil vel Pontificis precibus, vel auctoritate permotus eſt. Paulus ergo conciliandæ pacis conſilio dejectus, miratuſque ſtudium æquitatis, Chriſtianæque rei ſalutem Cæſaris animum ad bella propenſum minime inflectere, plenus mœroris ab infecta re Bononiam revertit: & emiſſo diplomate pridie nonas Julii, ne Antiſtites in graviora pericula, obſeſſis milite itineribus, conjiceret, neu conatibus irritis operam perderet, & auctoritatem contemni ſuam pateretur, Concilium diſſolvit.

Concilium Tridentinum diſſolvitur.

II. Hoc anno de extinguenda Capuccinorum familia idem Paulus delibetavit. Eum quippe Ochini temetitate conviciiſque commotum, paventemque, ne impoſtor nefarius injecta perfidiæ ſemina in pleriſque foveret, Oldoinus in hanc ſententiam locutum litteris prodit: *hæc eſt humanæ, ac Divinæ providentiæ lex, ut abſcindantur, qui nos conturbant; & eum totum reipublicæ corpus periclitatur, ſatius eſt, membrum unum perire, quam totum corpus in diſcrimen adduci. Neſcitis, inquit Apoſtolus, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Capuccinorum Ordo tantæ apud homines Chriſtianos exiſtimationis eſt, ut cunctorum animos facile ad ſeipſam pertrahat: quod ſi is errores pro veritate, & pro fide hæreſes diſſeminaverit, maxime timendum eſt, ne totus Eccleſiæ ager malo hoc zizaniorum ſemine ita imbuatur, ut poſtmodum triticum reſpuat.*

Paulus III. de Capuccinis omnino delendis deliberat.

ex additionibus ad Vitas Pontif. Ciaconii.

III. Cum a Cardinalium pleriſque in ſententiam Pontificis itum eſſet, Antonius Sanſeverinus eum, patreſque, ne tam acerbe in Capuccinos animadverterent, gravi oratione eſt dehortatus. *Nulli*, inquit, *dubium eſt, ſanctiſſime Pater, voſque Purpurati Patres, quin Eccleſiæ periculo, cum de eo agitur, mature, atque opportune proſpiciendum ſit; neenon zizania, quæ quamprimum erumpere cernuntur de Eccleſiæ agro, ſummo ſtudio, ac diligentia evellenda, ne triticum occupent. At vero id quoque magnopere curandum eſt, ne, dum zizania ſtudemus evellere, ſimul & triticum eradicemus. Paris enim periculi eſt, ſi Dominicus ager, dum zizaniis caret, etiam*

tritico vacet. Capuccinorum Religio hactenus in Eccleſia Dei, velut triticum, Apoſtolicæ vitæ ſplendore, ac præclariſſimis virtutum exemplis pullulavit, quibus admirabiles propemodum, atque uberes in ea fructus protulit: vidimus omnes, & lætati ſumus. Nullum quoque ex ea per tot annorum curricula, quibus in Domini agro fructificavit, zizaniorum ſemen, aut hæreſum ſuſpicio orta eſt, donec ad Ochinam ventam eſt, qui haud ſecus, quam ille inimicus homo, ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit, & ad hæreticos fugit. Jam vero eum de eradicandis zizaniis, & Eccleſiæ agro ab illius hæreſi expurgando agitur, ſi Capuccinorum Religionem extirpandam, ac delendam cenſemus, profecto maxime verendum eſt, ne cum ea ſimul eradicemus & triticum, maximamque boni jacturam ex boni ſeminis proſcriptione Dominicus ager patiatur. Neque enim, dammodo Capuccinorum Religio malo hoc hæreſum aut tota, aut majori ex parte corrupta non ſit, lex ulla, aut ratio, aut æquitas ſuadet, ut tota, ac integra noſtro conſilio intereat; ne iis parum æqua a nobis punitio irrogetur, quibus cum nihil delicti ſit, iis quoque divina, atque humana jura a pœna vacandum eſſe decernunt. Quænam vero hujus ſanctæ Sedis, quam ſumma ſapientia, & æquitas decet, aut prudentia, aut juſtitia apud homines eſſe cenſeretur, ſi inſontes viros, ac nullius ſibi ſceleris conſcios, non citatos, non convictos, inauditos denique multaret? an non gravias inde in Eccleſia ſcandalum oriretur, ſi illorum aliqui hac ſententia obruti, vel vi oppreſſi in Chriſtiano Orbe voces extollerent contra nos? illud quidem mihi haud facile perſuadeo, totum Capuccinorum gregem, aut majori ex parte hæreſum tabe contaminatum eſſe, cum in eo tot ſancti viri virtutibus floreant, quos certe lues ulla hæreſum veneno ſuo non attingit. Verumtamen ſi meus in hac re ſenſus expetitur, hæc mea ſententia eſt, beatiſſime Pater, ut Eccleſiæ periculo, & religionis incolumitati, quod fieri poterit, communi conſilio, ac prudentia conſulatur. Eccleſiæ quidem, optime, atque opportune conſultum erit, ſi ante omnia diligentiſſime de religione diſquiſitiones fiant, quid in ea corruptum, quid languidum, quidve ſanum in ſide ſit: quod ſi aliquid in ea putridum ſeſe obtulerit, ferro, ac igne, aut abſcindatur, aut aduratur; ſi languidum, aut ſaucium fuerit, curetur; reliqua vero, quæ in religione ſana ſunt, & Eccleſiæ utilia, hujus Apoſtolicæ Sedis manus, ac officium eſt, ut integra ſerventur, ſervataque ſua benignitate, ac providentia fovcantur; ne illam Dei ſententia feriat per os vatis dicentis, quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis.

Cardinalis Carpenſis Pontificis juſſu de vita ac moribus Capuccinorum diligenter inquirit.

IV. Hac oratione Sanſeverinus cum partis adverſæ Cardinales delinivit, tum ipſius Pontificis obſirmatum antea ad Capuccinorum perniciem inflexit animum. Paulus igitur, mutato conſilio, Cardinalem Carpenſem de familiæ ſtatu diligenter inquirere, ac, ſi quæ ſupereſſent hæreticæ labis reliquiæ, ſibi renuntiare juſſit. Is, accitis in Urbem provinciarum Vicariis, aliiſque Patribus, qui prudentiores habebantur, percontatus ex illis eſt, quam unuſquiſque animo ſententiam de Catholica religione, de Chriſtianæ profeſſionis capitibus, de Romanæ Eccleſiæ moribus, diſciplina, legibus imbibiſſet. Atque ea quæſtione non modo ſeniores illos, qui Romam convenerant, ſed & reliquos ferme ejuſdem inſtituti homines rectis ſenſibus ire, neque cum perfido deſertore aut lapſos eſſe, aut uſpiam offendiſſe compertum eſt. Pauci, quos Ochinianum virus afflaverat, ſingulari Dei munere, ac præfectorum diligentia reſipuere; ac recantatis erroribus, ad officium redacti ſunt. Ejus rei accepto nuntio, Pontifex diem dixit, qua Pa-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 336.
1543.	anno 9.	anno 25.	

Patres conſcriptos Capuccinorum in avita pietate confirmaturus alloqueretur. Ergo clementer acceptis primum Apoſtolicæ Sedis in eoſdem beneficentiam, & effuſæ charitatis officia commemoravit: dein Ochini improbitatem graviter queſtus eſt, qui, ejurata religione, Eccleſiæ Antiſtes, ipſoſque adeo Romanos Pontifices, quorum multa in ſe præſertim egregiæ cujuſdam benevolentiæ argumenta conſtiterant, maledictis proſcindere non dubitaverit. Se propterea tanta impietate commotum de familia extinguenda cogitaſſe, metuentem ne Ochinus ipſe, qua pollebat auctoritate, & ſanctitatis opinione, totam penitus depravarit: ſed exploratos jam eorum ſenſus, animique integritatem in cauſa fuiſſe, ut conſilium mutaret. Patres denique hortatus eſt, ut Catholicam religionem, quanta maxima poſſent animi contentione tuerentur; Chriſtianam humilitatem, cujus præcipuam laudem apud homines Capuccinos eſſe oporteret, vehementi ſtudio perſequerentur. Id ſi facere porro pergant, ſibi cum primis, & Apoſtolicæ Sedi acceptos fore, atque in ſinu, oculiſque Chriſtiani populi geſtum iri. His dictis Pontifex Cardinalem Carpenſem ſodalitati præfecit, Patribuſque bene precatus, eos ad pedum oſcula humaniter acceptos, lacrymanteſque præ gaudio tandem dimiſit.

Pontificis Maximi oratio ad Patres conſcriptos Capuccinorum.

V. Poſt hæc idem Cardinalis incolumitati familiæ conſulendum ratus, de primorum ſententia faluberrimas leges, Fratribuſque ab hæretica peſte prohibendis profuturas maxime juſſit: Franciſco Æſino Præfecturam ſodalitatis detulit, cum per id tempus Bernardinus Aſtenſis poſt Ochini fugam eo munere ſungeretur. Capuccinos præterea ſingulos conciones publicas habere vetuit, quoad ſecus Pontifici viſum eſſet. Ea tamen lege provinciæ Corſicæ alumnos palatinus quidam Epiſcopus brevi ſolvendos curavit. Poſtremo comitia univerſæ familiæ in urbe haberi decretum eſt. Inter ceteros, qui ad ea convenerunt, quatuor & viginti egregios viros in Patrum cœtu ſapientiæ laude excelluiſſe Boverius memorat. Franciſcus Æſinus Vicarius Generalis familiæ ſuffragiis Patrum eſt renuntiatus; qui cum optimis legibus, exempliſque Chriſtianam pietatem inter ſuos corroboravit, tum illud perfecit, ut Ochiniani flagitii memoria e populorum animis deleta eſſe videretur. Is præfecturæ ſuæ anno primo ducentos circiter Capuccinos Aſſiſium miſit ſub initium Auguſti: quo tempore non incolæ modo, ſed & remotiſſimæ gentes ad templum Divinæ Matris, quod ab ea civitate duobus paſſuum millibus in planitie conſpicitur, pietatis cauſa conveniunt. Pervetus fama eſt, jam uſque ab naſcentis familiæ ducta temporibus, Jeſum Chriſtum humani generis Redemptorem divo Franciſco, dum vitam ageret, edixiſſe, ut qui ædiculam Mariæ Virginis, Chriſtiano ritu peccata confeſſus, deinceps inviſeret, idem pœnarum debito eximeretur, placatique Numinis indulgentia, ubi diem obierit, in æternæ felicitatis ſedem recta contenderet. Ea ædicula magnifici templi ambitu continetur, quod Obſervantes una cum cœnobio reliquorum ferme, quæ Minores inhabitant, celeberrimo extruxere. Itaque Capuccini in tanta hominum frequentia frequentes ipſi rem familiæ juvare conati ſunt. Percrebuerat enim opinio, multorum falſis rumoribus confirmata, eorum ſodalitatem in invidiam adductam, ac ſententia Pontificis diſſipatam fuiſſe. Quocirca ubi multitudo ſodalium tanta peregrinis objecta eſt, tum demum apparuit, non modo Capuccinorum nomen, ut ferebatur, non eſſe deletum, ſed eorum complures egregiæ virtutis, ac pietatis exempla edidiſſe, quæ in ea celebritate plurimum illis gratiæ, atque honoris a Chriſtiano populo conciliarunt.

Franciſcus Æſinus Capuccinorum Generalis Vicarius ab Cardinali Carpenſi deſignatur.

Qui deinde probatus eſt Patribus in comitiis ejus familiæ.

Capuccini aco. Aſſiſium conveniunt ſub diem feſtum Portiunculæ.

Obſervantium templi extra Aſſiſium amplitudo, ac religio.

VI. Conventuales hoc anno generalia comitia bis habuere, primum

Conventualium comitia, in quibus Bonaventura Pius Generalis Magiſter creatur.

Anconæ in Piceno, ubi Generalis Magiſter creatus eſt Bonaventura Pius Umber a Coſtaciaro, vir eruditus, & eloquens, quem tum in ſacris concionibus dicendi vi, & gravitate præſtitiſſe, tum in difficillimis rebus expediendis mira ingenii dexteritate fuiſſe, proditum eſt. Venetiis deinde Patrum cœtus eſt habitus, cujus acta nulla mandata litteris comperimus. Ceterum Pius familiæ præfuit annos ſex: deinde Aquenſium in Monteferrato Epiſcopus declaratus, cum eam Eccleſiam decennio adminiſtraſſet, Eugubium denique Umbriæ civitatem ſeſe recepit, atque in ſuorum Fratrum cœnobio, de quo idem privatus hoſpes, aucta re familiari, optime merebatur, diem obivit. In actis Pauli III. quæ in Vaticana bibliotheca aſſervantur, ejuſdem Pontificis diploma extat, quo diplomate Pio Epiſcopo earum rerum, quas in cœnobio haberet, eidemve attribuiſſet, arbitrium eſt datum; ut cui mallet, quaſque mallet, aut vivus donaret, aut teſtamento poſt ſuum obitum poſſidendas ipſe relinqueret.

VII. Profeſſores quoque Tertii Ordinis, qui in cœnobiis vitam degebant, ſuæque ſodalitati Congregationis Inſubricæ nomen dederant, apud ædes ſanctæ Mariæ de Piratello, haud ita procul a Foro Cornelio, convenere. In his Comitiis Petrus Calderinus Bergomas eorum præfectus declaratus.

Petrus Calderinus præfectus Ordinis Tertii.

VIII. Paulus Pontifex Bononia in Urbem reverſus, datis in Villa Marii litteris, alumnos quoſdam Campaniæ felicis Obſervantes Cardinalem Carpenſem adire jubet: cauſa arceſſendi fuit, quod in urbe Neapoli ad Regios Magiſtratus exemplo malo provocaſſent, mutuiſque delationibus exiſtimationem provinciæ in magnum diſcrimen adduxiſſent: qua conſuetudine criminandi, ubi forte radices egit, ut nihil eſt perniciosius, ita nihil potentius ad familias eorum hominum, qui ſe Numinis cultui dediderunt, miſere perturbandas.

Obſervantes alicpot Campaniæ felicis Cardinalem Carpenſem adire juſſi.

IX. Americanos ad fidem Chriſti converſos eximia charitate, ſtudioque Obſervantes complectebantur, quos propterea non modo rudes ad omnem virtutem, ac religionem informare, verumetiam calamitatibus attritos omni ope ſublevare non deſtiterunt. Quippe Hiſpani milites, ducesque inquilinos neophytos non ſecus ac abjecta mancipia crudeli imperio premebant. Horum vices miſeratus Hiſpaniæ Rex, Obſervantium rogatu legem tulit, qua cautum eſt, ut provinciarum prætores Occidentis Indos, qui Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſent, non ſevero premendos jugo, ſed pie, humaniterque tractandos enixe curarent. Cujus rei diploma publicum dedit una cum litteris ad Antonium Rodericenſem Obſervantium presbyterum, cujus tum morum integritas, tum in neophytos benevolentia ad ea pietatis officia Regem impulerant. Iis litteris teſtatur Carolus, multa ſe diplomatis ejus exemplaria imprimi decreviſſe: ea omnia ad Antonium mitti, ut per Obſervantium domos diſtributa Regis animum patefacerent: valde confidere ſeſe, quod in optatis ante habuiſſent, id vulgata jam lege omni virium contentione, atque alacritate præſtituros: veri Numinis cultum, Indorum tranquillitatem Fratrum auctoritate, ac vigilantia plurimum niti: proinde optare ſe, ut prætores, ac præſides, ceteroſque Magiſtratus in officio continerent, populorum jura, libertatemque ab omni incommodo, detrimento, moleſtia ſinceram, integramque tuerentur: ſi negligentiores in ea re adminiſtros compererint, Regem per litteras diligenter monerent; qui deinceps, quid facto opus eſſet, deliberaret.

Hiſpaniæ Rex Americanos neophytos mitius tractandos decernit a prætoribus provinciarum Obſervantium rogatu.

X. Vilnæ in Lithuania quieſcunt corpora Gaſtaldi Vilnenſis, & Stanislai Cracovienſis, quos ex Obſervantium familia creatos Epiſcopos, cumque

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 336.
1543.	anno 9.	anno 25.	

que ſociis quatuordecim a furentibus Tartaris interfectos fuiſſe memoriæ eſt proditum. Hoc anno Joannes Anchuſſenitius Kiovienſis Epiſcopus renuntiatus, cum gravi morbo ægrotaret, ac depoſitus pene eſſet, nuncupato Martyribus voto, eorum præſenti ope convaluit. Quocirca votum ſervatoribus ſuis ex religione perſolvit, & grati animi monumentum ipſorum aræ venerabundus appoſuit: eidemque elegiacum ſubjecit carmen, quo impolito quidem, ac rudi, ſed pio tamen, ac ſimplici Martyrum præconia, reſque ab illis præclaræ geſtæ continentur.

Elogium aliquot Martyrum ex Obſervantium familia.

Reverendus D. Joannes Anchuſſeniz electus Kovienſis febre acuta correptus, in maximoque vitæ diſcrimine poſitus ad Franciſcanos primos fidei plantatores pro fide Chriſti mortem oppetentes voto facto, ereptus tabellam cum ſubjectis verſibus appoſuit anno MDXLIII.

Barbara gens olim ſtygiis adoperta tenebris
Luminis ignara, candide Chriſte, tui,
Renuit, ab demens, luſtrari lumine vitæ,
Renuit & ſacri tangere fontis aquas.
Heu quantis igitur manſit tunc cæca perielis
Cæcutiit cæcis non minus Andabatis:
Tollere dogma tuum quando, pie Chriſte, parabat,
Sacræ diſturbant religionis iter.
Horrida bis ſeptem id Fratrum docuere periela,
Hoc miſere innocui qui cecidere loco.
Hic igitur Proceres inter, Gaſtaide, refertur
Familiæ encomium, & gloria prima tuæ.
Millia qui populi miſeratus multa ruentis
Tartarici fraude in ſqualida regna ducis,
Hue huc bis ſeptem curaſti ducere Fratres,
Qui populos regerent, Chriſte benigne, tuos;
Ut per quem caperent vitam, caperentque ſalutem,
Et quidquid veri, perpetuique boni eſt.
Vulgabant igitur cæleſtis numina Patris,
Vulgabant plebi dogmata ſacra rudi,
Ut Pater omnipotens prolem mortalibus ægris
E ſumma celſi miſerit aree poli.
Pertulit ut noſtræ heu terrentia crimina vitæ,
Ac diræ fregit ſqualida regna ſtygis.
Aſt gentis rabies conirritata furebat:
Dentibus infrendens talia verba refert:
Numina jam noſtra en toto ſpoliantur honore,
Factaque jam turbæ fabula funigeræ:
Morte reos igitur clamant, quando optima monſtrant,
Exitium cupiens impia turba ſuum.
Tum male perquirunt furibundi pectore cæco,
Qua perimant ſanctos conditione viros.
Et quia vulgabant Crucifixi nomina Chriſti,
Orbis quem vaſtus, tartara & atra tremunt;
In cruce fige viros, clamant, iterantque loquelas,
Ne pereat noſtri gloria prima fori.

Ac-

Accurrunt igitur ſuccenſi protinus ira,
Atque manus ſævas Fratribus injiciunt.
Poſt ne quis tentet ſtringentia vincula captis,
Conſtituunt vinctos judicis ante pedes:
E quibus eximios, manibus poſt terga revinctis,
Tres crucis horrendæ compoſuere neci;
Et cruce confoſſos (heu quam miſerabile dictu)
Immerſere undis Vilia magna tuis.
Tum cædunt gladiis reliquos, flammiſque perurunt,
Funditus ut perimant nomina Chriſte tua.
O ſcelus, o gens infelix, o pectora cæca,
O plebs, quæ diram te tua fata manent?
Audebas tam grande nefas, ut perdere velles
Nomen, quod mundi climata cuncta colunt.
Perdere dum Chriſtum affectas, te perfida perdis,
Perniciem ſponte en corruis in miſeram.
Nunc perdenda, precor, tecum, celeberrime Præſul,
Ut vivam Chriſti vinea tota fide.
Cernis quam jaceam denſis obducta tenebris,
Nec ſint, qui relevent commoda lapſa mea?
Nam meus agrefles hortus jam parturit herbas,
Sentes, ac tribulos, mataque peſtifera:
Erue, quæſo, igitur ſentes, aconita, cicutas,
Et panchæa ſeras cynnama, balſamaque.
Sic facies hercle magno rem Præſide dignam,
Grataque poſteritas tunc feret encomia.

XI. Maria Emanuela e Metymnæ Sidoniæ Ducum familia nobilis femina, eademque de Obſervantium familia optime merita, e vivis exceſſit. Hæc florente ætate cum liberali forma, cultuque corporis longe præcelleret, quod ſibi a Deo datum erat temporis ad negotiationem ſalutis æternæ, id miſerabiliter, ut plerique mortalium ſolent, opulentæ domus in luxu, & cetera ſeculi vanitate conſumebat. Verum æternæ mentis Numen, atque conſilium, quo divina pariter, & humana gubernantur, modum facile inivit, quo matronæ animum, ſenſumque percelleret, ac repentino caſu perterrefactos ad ſinceræ pietatis ſtudia nullo negotio traduceret. Cum enim Bætim fluvium ponte trajiceret, quo Trianæ ſuburbio Hiſpalis jungitur, ſolutis ſorte ſublicarum compagibus in amnem cecidit. Ergo vitæ periculo Dei munere exempta, ad Chriſtianæ philoſophiæ cultum adjecit animum. Primum enim Virgini Lauretanæ templum dicavit, ædeſque propinquas alumnis provinciæ Bæticæ Obſervantibus attribuit. Mox defuncto viro, cum nonnullos liberos ſuſcepiſſet, rem familiarem, qua lautiſſima utebatur, in uſus pauperum erogavit. Ipſa vero parce admodum victitare, atque ita mores, vitamque componere, ut in ſe unam feminarum nobilium animos, atque ora converteret. Poſtremo humanis rebus valere juſſis, ad Hiſpalenſe cœnobium noſtrarum Virginum adiit, quod beatæ Claræ Aſſiſiatis nomine, inſtitutiſque inter prima eminebat. Ibi cum aliquandiu verſata eſſet, in alias ædes, quarum ab Jeſu nomine eſt appellatio, commigravit. Atque hic tandem omnium laude virtutum, quæ in eam cadere conditionem poſſunt, illuſtris naturæ conceſſit. Ejus cadaver quadrageſimo poſt anno, quam conditum fuerat, integrum Virgines conſpexere, atque

Maria Emanuela e Metymnæ Sidoniæ Ducum familia repentino caſu ad bonam frugem convertitur.

Inter Virgines B. Claræ vitam degit.

Virtutibus floret.

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno 9.	Caroli V. Imp. anno 25.	Religionis Minorum anno 336.

atque in ſepulcrum aliquanto priore decentius transferendum curarunt. Ipſius nomen a populo Chriſtiano celebratum, cum ſcriptores multi, tum præſertim Franciſcus Gonzaga memoravit. Mortua corpus incorruptum.

XII. Hoc ipſo anno Maria Herba Termularum Princeps in regno Neapolitano e vita migravit. Hæc Mariæ Longæ, de qua ſupra memoratum eſt, cohortationibus incitata plane aſperum vitæ genus, ac ſalebroſum virtutis iter inire cœpit. Quippe calcato clariſſimi generis faſtu, abjectoque muliebri mundo, cum præteriti temporis jacturam deflere, tum ſobrietate, orandique conſuetudine, quantumcumque ſibi reliquum eſſet, omne tranſigere inſtituit. Egregium certe Chriſtianæ ſapientiæ documentum civibus præbuit; cum matronam viderent ſummo loco natam infimæ plebis officia libenter obire. Nam ubi viam ſolidæ virtutis inſiſtere aggreſſa eſt, nihil potius habuit, quam ut e Chriſti conſilio domeſticas opes in egenorum ſolatium diſtribueret; ipſa vero in hoſpitali domo ulceroſorum, cui magnam rei familiaris partem teſtamento reliquerat, inter egentes, ac ſordidos profundiſſimæ demiſſionis exemplum fuit. Tandem cœnobio beatæ Claræ nomen dare conſtituit: ſed cum doloribus articulorum excruciaretur, cognoſceretque, inſtante jam morte, ſe voti compotem haudquaquam fore, optare ſe, atque adeo velle ſignificavit, ut, ubi diem obiiſſet, cum magiſtra vitæ Maria Longa eodem tumulo conderetur. Qua in re Sorores defunctæ mox Herbæ magna cum animi alacritate obſecundarunt. Maria Herba ex ga Virgines beatæ Claræ egregie animata. Ejus vita quotidiana.

XIII. In Gienenſi cœnobio beatæ Claræ provinciæ Granatenſis annos prope centum nata deceſſit Quiteria de Cruce, quam ne provecta quidem ætate domandi corporis uſum intermiſiſſe Arturus affirmat. Fertur etiam orandi ſtudio in primis excelluiſſe, ut, quamquam debilitato corpuſculo, diu tamen in Divinarum rerum contemplatione genibus nixa perſiſteret. Quiteria de Cruce obit. Ejus virtutes.

XIV. Plures hoc anno ex Obſervantium familia Epiſcopi declarati. Thermopylarum in Theſſalia Rodulphus Tiſſonius, qui ab Epiſcopo Xantonenſi in Gallia adjutor in partem muneris adſcitus eſt. Nicopolitanus Antiſtes in Græcia Michael de Ponte Tarraconenſis Eccleſiæ adminiſter lectus. Calvenſes Inſulas in regno Neapolitano Laurentius Spathe, Sarisburienſes in Anglia Guillelmus Petus accepit. Franciſcus Quareſma primus olim Algarbiorum provinciæ Miniſter, Tangeranus in Africa Epiſcopus per id tempus fuiſſe perhibetur. Epiſcopi Franciſcani complures.

XV. Paulus Pontifex, petente populo Feretrano, Piceni Miniſtro poteſtatem fecit, ut in loco, quem idem populus aſſignarat, cœnobium extrueret. Gonzaga noſter novum hoc domicilium refert in Majo Monte excitatum Antonii Anachoretæ appellationem cepiſſe. Per idem tempus eum Franciſcus Maria Metaurenſium regulus Piſaurum ampliore vallo munire, ædeſque Obſervantium Præcurſori Chriſti dicatas, quæ novum opus intercipiebant, evertere decreviſſet; eiſdem, ut in Urbem commearent, ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate poteſtas facta. Cujus rei cauſa Cardinalis Pœnitentiarii litteræ ad cives datæ. Obſervantes in urbe Piſauro ſedes locant.

ANTONIUS miſeratione Divina tituli Sanctorum quatuor coronatorum Presbyter Cardinalis dilectis in Chriſto Prioribus, & hominibus civitatis Piſauren. ſalutem in Domino &c.

EX parte veſtra nobis oblata petitio continebat, quod cum domus, & Eccleſia ſancti Joannis Baptiſtæ dictæ civitatis Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia muris ejuſdem civitatis contigua exiſtat, & ex hoc ipſa Ea de re litteræ Cardinalis Pœnitentiarii ad cives Piſaurenſes.

ipſa civitas non modicum debilior reddatur, facileque invadi, & offendi poſſit, cupitis pro ipſius civitatis munimine, defenſione, & evictione domum, & Eccleſiam eaſdem ſolo æquare, & in congruentiori loco intra eandem civitatem reædificare; ex quo profecto, & divinus cultus augeretur, & civitas ipſa fortiori præſidio communiretur. Quare ſupplicare feciſtis humiliter nobis, ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio jure provideri &c. Nos igitur auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato, ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, vobis, ut dictas domum, & Eccleſiam, muris civitatis contiguas demoliri, & ſolo æquare, relicta tamen in eo loco, in quo nunc Eccleſia eſt, parva cappella in memoriam prioris Eccleſiæ, & illas ad alium locum congruentiorem inter ipſam civitatem, per vos eligendum, tranſferre, & inibi de novo cum clauſtro, dormitorio, refectorio, & aliis officinis neceſſariis conſtrui, & ædificari facere libere, & licite poſſitis, & valeatis, ipſorum Fratrum, ſeu illorum Superiorum ad id accedente conſenſu, indulgemus, atque concedimus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac tam provincialibus, quam ſynodalibus, dictique Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ v. *Kalendas Aprilis, Pontificatus Domini Papæ Paali III. anno* 11.

XVI. Itaque domum Planitiorum civium Ducis ære coemptam primum Fratres inhabitarunt. Hoc vero anno Julia Varàna Guidi Ubaldi Principis uxor auguſti templi fundamenta jecit nonis Aprilis; quod conſequentibus annis optimorum Principum liberalitate, & Obſervantium labore perfectum Reformati poſtea occuparunt.

XVII. In ditione Veneti imperii, haud ita procul ab urbe Mantua, Aſula eſt oppidum opulentum in primis, & frequens. Extra ejus mœnia centum fere ab hinc annis cœnobium noſtris excitatum; quo tempore divus Joannes a Capiſtrano eximia ſanctitatis laude celebratus Obſervantium familiam amplificavit. Verum ſexto poſt anno, quod opportuno ſitum in loco hoſtibusſui fore videretur, a Veneto Senatu everſum eſt, Fratreſque alio commigrare compulſi. Hoc demum anno, enitente Joanne Baptiſta Aſulano Obſervantium presbytero, qui inter ſuos populares innocentiæ inclytus fama, plurimum quoque auctoritate præcellebat, intra mœnia recepti ſunt. Domicilium oppidanorum ſumtibus excitatum.

Obſervantes in oppido Aſula cœnobium ædificant.

XVIII. Didacus Valentia Baeza Hiſpaniæ oppido oriundus, cum eſſet in Obſervantium familiam præclare animatus, pecuniæ ſummam teſtamento reliquit, quæ ſtatis comitiorum temporibus in uſus Fratrum inſumeretur, cum eo tamen, ut in Baezano cœnobio divi Franciſci, quod ad provinciam Granatæ pertinet, ipſa comitia triennio quoque haberentur. Sacellum præterea in templo eorum conſtrui juſſit. Sed cum hæredes, ut fit, in his, quæ Didacus mandarat, perficiendis moram traherent; conteſtantibus litem noſtris, vadimonium obire coacti ſunt. Res denique ad concordiam redacta, quibuſdam pactis conditionibus, quas Paulus Pontifex XIV. Kalendas Novembris dato diplomate approbavit.

Iidem cœnobia recipiunt in Granatenſi provincia.

XIX. Conventuales apud Locarium Siciliæ oppidum, quod Saracenico nomine Calatafini appellatur, domicilium poſuere IV. Kalendas Novembris. Templum divi Jacobi Majoris cepit auſpicia. Dein, mutata appellatione, Patriarchæ Franciſco dicatum eſt.

Conventuales cœnobium ædificant apud Locarium Sicil.

XX. Per

Anno Christi 1543.	Paoli III. anno 9.	Caroli V. Imp. anno 25.	Religionis Minorum anno 336.

XX. Per idem tempus eorum Rhegienſe cœnobium in Brutiis, antiquitate maxime commendatum, incendio deletum eſt: quo tempore Ariadenus Barbaroſſa cum ingenti claſſe in Calabriæ littus advectus, eam regionem late populatus eſt VII. Kalendas Julii. Eam claſſem adverſus Cæſarem Franciſcus I. Gallorum Rex evocarat, gravi famæ jactura, magno rei Chriſtianæ detrimento. Primo quidem impetu Rhegium in freto Siculo, cum cives profugiſſent, captum incendit, arcemque tormentis muralibus quati cœptam in deditionem accepit, præſidiarioſque, ac plures cives, qui in eam perfugerant, ſervituti addixit. Inde Brutiorum oris vaſtatis, ad Terracinenſium littora delatus mox Oſtiam pervenit pridie Kalendas Julii. Tantuſque terror ex ejus adventu populo Romano incuſſus eſt, ut deſerere Urbem cogitaret, niſi Polinus Galliæ Regis Orator, qui in Turcica claſſe verſabatur, populum Romanum deſpondentem jam animos datis litteris confirmaſſet: eam claſſem a Solymanno ad præſidium Galliæ miſſam, nec Romanis, nec mortalibus ullis Pontificiam oram incolentibus damni quidpiam allaturam. Verum quia Barbarorum fides jure ſuſpecta, ubi ſe commodi occaſio tulerit, infida eſt, raptim undique auxilia contracta ſunt ad tuendam Urbem, quæ milite vacua a præferoci hoſte opprimi potuiſſet: ſed eam mentem a barbaro Deus avertit. Neque vero, ſi Roma capta fuiſſet, Oratoris blanditiæ valuiſſent, jactantis Franciſcum Regem nihil habere antiquius, quam ut rem Romanam non incolumem modo ab improborum injuria, ſed etiam maxime tutam, florentemque tueretur. Facta vero aquatione ad oſtia Tyberis, Barbaroſſa cum ſua claſſe diſceſſit; Etruriæque, ac Liguriæ oram ſine maleficio prætervectus, Maſſiliam contendit. Ea defuncti procella Conventuales, ut dictum eſt, novam domum ædificarunt, quæ nunquam tamen vel incolarum frequentia, vel ſtructuræ dignitate cœnobium vetus æquavit.

Eorum cœnobiũ in Brutiis incendio deletum ab Ariadeno Barbaroſſa.

XXI. Ludovicus a Sotomajore Hiſpanus Bellalcazari Comes, Duciſque Bejarenſium frater in Obſervantium ſodalitate ſolemnia vota nuncupavit: quod antequam faceret, legata pecuniæ ſumma imperavit, ut, qui adirent hæreditatem conſanguinei, novas ædes, ac templum eiſdem Fratribus exciterent. Ejuſdem Ludovici ſoror Philippa inter Virgines beatæ Claræ nomen datura, argenti portionem ſui liberaliter adjecit. Quibus opibus nixi Obſervantes, haud longe a Popula Ferraria Toletanæ diœceſis oppido, fundamenta jecerunt. Id cœnobium in Angelorum provinciam aſcitum eſt, educandiſque tironibus aſſignatum. Templum Deiparæ Virgini pacis conciliatrici dicatum.

Ludovicus a Sotomajore Obſervantibus, ejuſque ſoror Philippa Virginibus beatæ Claræ ſe adjungunt. Eorum pecunia Obſervantes cœnobium ædificant.

XXII. In Guatimalæ provincia præter illa, quæ diximus, cœnobia duo, Almolonganum, & ſancti Jacobi, alia multa condita ſunt: ſed, quo ſingula tempore, incertum eſt. Viſum eſt itaque nobis ea ſimul hoc loco percenſere. In oppido, quod Atitlanum appellatur, & in margine magni lacus eſt ſitum, domicilium Fratrum poſuere, brevique inquilinos a nefaria ſuperſtitione expiatos ad Chriſtianæ religionis cultum optimis legibus informarunt. E regione hujus oppidi vicus eſt alter in adverſa ripa ad Septentrionem, quem populares Tecpanatitam appellant, infeſtus maligno cœlo, ſoloque. Eam ſedem, quod propter incolarum frequentiam Evangelii propagatoribus apta videretur, valetudinis cura poſthabita delegerunt. Rurſus in oppido Totonicapa Hiſpani Regis pecunia cœnobium excitarunt; itemque in vico Quetſeltenango, quod ad radices ſulphurei montis eſt ſitum, oviumque, & caprarum gregibus, atque inerti hominum genere abundat. Domicilium vero apud oppidum Camajacum, quod aliquot ab hinc annos inha-

Perſenſentur Obſervantium cœnobia in Guatimalæ provincia recens condita.

bitarant, penuria coacti per id tempus deſeruere. Aucta deinde provincia, cum oppidani eorum convictum, & conſuetudinem peroptarent, eodem regreſſi ſunt anno MDLXXVII. Inter ejus provinciæ antiquiora Trepanguatemalicum, & Comalapenſe numerantur.

XXIII. Tibure in Latio olim cœnobium ſancti Joannis noſtræ Virgines occuparunt. Idem, extinctis peſtilentia Sororibus, quæ, Sixto IV. Pontifice Maximo, per Italiam deſæviit, multo tempore incolis vacuum fuit. Quippe Franciſcus Tiburtinus Conventualium presbyter, qui rem Virginum familiarem adminiſtrabat, cum ab eodem Pontifice in mandatis haberet, ut alias Virgines in cœnobium deduceret, nihil omnino per incuriam perſecit. Hoc vero tempore Marcus Antonius Crucius Tiburtinus Epiſcopus, ſorte perlecto Sixti diplomate, cum civibus tandem egit, ut id non modo a Pontifice Paulo approbandum, ſed quod ab ipſo imperatum fuiſſet, omni ſtudio, nullaque mora interpoſita perficiendum curarent. Itaque, libente Pontifice, Virgines ſex e Romano cœnobio ſancti Laurentii in pane, & perna in Tiburtinum deductæ ſunt, Evangeliſta Sublacenſis Antiſtita, Paula Romana Vicaria, Magdalena Romana, Agatha Palianenſis, Eliſabetha Verulana, Juliana Sublacenſis. Paula, & Magdalena haud multo poſt in Urbem reverſæ ſunt. Ceteræ vero, aggregatis ad inſtitutum puellis, triginta prope annos in ſanctæ Catharinæ cœnobio, dum antiquum illud inſtauraretur, conſtitere. Atque eo demum, Pio V. Pontifice, commigrarunt. Cum Sorores operi inſtarent, res mentoratu digna contigiſſe perhibetur. Hippolytus Ateſtinus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis per eos dies Tibure verſabatur, qua in urbe regio plane ſumtu palatium, atque hortos, & ad animi oblectationem hydrualici operis molem ædificabat. Is vero pietatis cauſa ad templi opifices aliquando divertere, iiſque lapides, ac cæmenta porrigere non erubuit. Abſoluto jam opere, novis ædibus nomen ab Angelorum Principe indictum eſt, in eaſque Sorores e divæ Catharinæ cœnobio ſolemni ritu deductæ ſunt anno MDLXXI. quarto Nonas Octobris. Pecuniam in ædificii ſumtus Gregoria, & Portia Sorores e Vicecomitum familia largitæ ſunt; atque ut vitam cœnobii Virgines tolerarent, Laura de Angelis femina locuples, bonis omnibus teſtamento relictis, liberaliter præſtitit.

Aliquot Virgines S. Claræ e Romano cœnobio ad Tiburtinum mittuntur.

Inſtauratur Tibure vetus cœnobium.

XXIV. In ea Liburniæ regione, quæ hodie Croatia dicitur, Magdalena Budriſia, claro genere nata, inſigni morum integritate, & Franciſcanæ paupertatis cultu magis inclaruit. Hæc in Arbum profecta inſulam Adriatici ſinus, apud ædiculam divi Antonii Anachoretæ, libentibus inquilinis, Gynæceum conſtituit. Primum Virgines quinque ad inſtitutum Tertii Ordinis aggregavit. Deinde cum Dorothea Zudenicenſis vidua nobilis, dato in ſodalitium nomine, pecuniæ aliquid contuliſſet, ampliſicatis paulatim ædibus, cœnobium fundavit. Eas ædes pius olim cœtus laicorum quorumdam poſſidebat; qui peregrinæ mulieris pietate permoti, eaſdem in cœnobii uſum permiſere. Jam obierat Magdalena an. MDXXXII. cum petentibus feminis Paulus Pontifex, dato apud Parmam diplomate, ejuſdem donationem collaudavit, novamque Virginum familiam Apoſtolicæ Sedis approbatione conſtabilivit. Plura de Magdalenæ vita, moribus, atque factis, libello typis edito, diſſeruit Joannes Mornavichius Mœſiæ ſuperioris Epiſcopus. Hunc adeat, qui ea plenius velit cognoſcere.

Magdalena Budriſia illuſtris femina ex Ordine Tertio.

Item Dorothea Zudenicenſis.

Ab his cœnobii Sororum ædificatur:

XXV. Hac tempeſtate earum Virginum ſodalitium, quod ab illibato Dei Matris conceptu ſumpſit auſpicia, mirum in modum florere cœpit. Eiſdem Petrus Toletus, qui pro Carolo Imperatore Neapolitanum Regnum

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 336.
1543.	anno 9.	anno 25.	

gnum administravit, domicilium posuit in suæ ditionis oppido, quod Villafranca appellabatur. Ejus vero procurationem Antonio Gusmano provinciæ sancti Jacobi Observantium Ministro demandavit.

Virgines ab Conceptione appellatæ cœnobium obtinent apud Villamfrancam in Hispania. Item apud Plecum in provincia Carthaginensi. Hurtadi Mendozæ laus.

XXVI. Hurtadus Mendoza secularis presbyter propensus animo in sodalitium, alias ædes apud oppidum Plecum in provincia Carthaginensi, paulo ante excitatas, eisdem attribuit. Is cum egregiæ cujusdam munificentiæ documenta dedisset, suaque bona omnia ad sublevandam Sororum inopiam contulisset, plura deinde ad cœnobii regimen pertinentia testamento decrevit. Eas Hurtadi leges Paulus Pontifex, dato diplomate, approbavit VII. Idus Decembris; quo diplomate quid Clemens VII. antea statuisset, dum id cœnobium exstrueretur, diserte significatur. Nec minore pietatis incensus studio Franciscus Ruizius, Tertii Ordinis Sorores in oppido sancti Martini Toletanæ diœcesis novis ædibus auxit, quas sub auspiciis Divinæ Parentis sine peccati labe conceptæ sua impensa ædificarat. Earum gubernationem Antonio a Cruce Castellæ Ministro, quibusdam pactis conditionibus, ipse permisit: quæ biennio post in provincialibus comitiis approbatæ, anno MDLVI. Pauli IV. publicis litteris confirmatæ sunt IX. Kalendas Februarii. Virgines in id cœnobium deductæ, cum aliquandiu consedissent, angustia loci, reique familiaris premi cœptæ, discessum cogitabant. Sed Antonii Maldaræ liberalitate respirarunt; qui, aucto domicilio, temploque ædificato, pecuniæ illis, ac tritici modum testamento legavit. Exinde triginta circiter numero locum incolere, editisque virtutum exemplis illustrare occœperunt. Demum cum Franciscus Zamora universam familiam administraret, religiosi recessus votum nuncuparunt, & ab eodem Francisco nigro capitis velo ornatæ sunt anno MDLX. In hujus ædis sacrario servari dicitur corpus unius Virginis ex iis, quæ in comitatu beatæ Ursulæ a furentibus barbaris cæsæ sunt. Pretiosum id pignus ad augendam Christiani populi religionem Didacus Avellaneda e Societate Jesu in Sororum templo collocavit, cum illud pridem a Maria Caroli Imperatoris conjuge accepisset.

Franciscus Ruizius ejusdem instituti Virginibus cœnobium condit.

XXVII. Magistratus Buxeti, quod est oppidum Galliæ Cisalpinæ in Cremonensi diœcesi, Virgines nostras, quæ divæ Claræ institutum profitebantur, acerba nimis exactione vectigalium divexabat. Ea de re apud Pontificem questæ sunt, qui Cremonensis Ecclesiæ sacerdoti primario, quem vocant Archipresbyterum, statim præcepit, ut ex Apostolicæ Sedis auctoritate Magistratum compesceret, Sororesque ab omni molestia incolumes, integrasque servaret.

Pontificis jussu eximitur vectigalibus cœnobium Virginum beatæ Claræ in oppido Buxeti.

XXVIII. Idem Pontifex Clementis Moniliani rogatu sanctæ Claræ Sororibus, quæ in universa citra Montes familia cœnobium haberent, vocis oraculo edixit, ut ne unquam seculares mulieres ingredi sinerent, præterquam semel quotannis. Rodulphus Pius Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, datis litteris ad sodalitium Sororum, voluntatem Pontificis declaravit. Dicitur autem in iis litteris Monilianus *Commissarius citra montes* familiæ, quod Calvi in Lusitaniam profecti Vicarium gereret.

Vetantur Virgines Franciscanæ intra septa cœnobiorum introducere secolares mulieres.

• Ut sup. pag. 48.

RODULPHUS PIUS tit. S. Clementis S.R.E. Presbyter Cardin. de Carpo, ac totius Seraphici Ordinis S. Francisci Protector &c. Universis, ac singulis Monialibus S. Claræ sub regulari observantia in Cismontanis partibus commorantibus, & degentibus salutem in Domino sempiternam.

NOs animarum vestrarum saluti, & quieti animum intendentes, & consultum iri cupientes, ac in quantum possumus etiam consulere debentes, fidem facimus, & præsentium tenore attestamur, a sanctissimo Domi-

Ea de re Cardinalis Carpensis litteræ.

no noſtro vivæ vocis oraculo ſuper hoc nobis facto exoraſſe, ac plane obtinuiſſe, præſertim inſtante Reverendo P. fratre Clemente de Monilia Ordinis Minorum de Obſervantia citra montes hoc tempore generali Commiſſario, ne vos, neve quælibet veſtrum mulieres ullas, ne unam quidem, cujuſcumque gradus, aut conditionis exiſtat, ſive exiſtant, ſub pœnis etiam graviſſimis, noſtro tamen arbitrio reſervatis, intra clauſuras veſtras admittatis, ſeu admittì curetis, etiam vigore Apoſtolicarum litterarum illi, ſeu illis conceſſarum, ſive concedendarum, præterquam ſemel tantum in anno. Pro qua vice duntaxat idem Sanctiſſimus vult, & intendit ſua ipſius diplomata, ut confeſſionalia, ſeu quaſvis alias hujuſmodi licentias, & gratias eidem, ſeu eiſdem ſuffragari. In quorum fidem &c. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ habitationis die XXIX. *Octobris* MDXLIII. *Ejuſdem vero ſanctiſſimi Domini noſtri Pauli Divina providentia Papæ III. anno* X.

R. Cardinalis de Carpo Protector.

B. Bovarinus Secretarius.

XXIX. Apud oppidum Brulam Colonienſis diœceſis laboranti jam cauſæ Catholicorum præſto fuit hoc anno egregius vir ex Obſervantium familia Servantius a Noetberga. Nam cum Bucerus in ea provincia incendii more late omnia depaſcentis deſævire cœpiſſet, ac vaſtitatem Romanis ſacris prope intuliſſet; eam flammam ab oppidi mœnibus Servantius arcere omni ope conſtituit. Erat in eo ſacrarum litterarum peritia cum inſigni eloquentia, & ex tempore concionandi facultate conjuncta. Itaque cum doctrinæ, & innocentiæ laude magnam a popularibus gratiam iniviſſet, facile tenuit, ut & ipſi in officio perſiſterent, & architecti novarum opinionum ignominia non minus, quam ſcelere cooperti e veſtigio diſcederent.

Servantius a Noetberga Obſervantium facerdos Bucerum, alioſque hæreticos exagitat.

XXX. Obſervantes Bononienſis provinciæ Mutinenſe cœnobium haud ita pridem ædificarant, & Pontificis Maximi auctoritate templum Martyris Margaritæ receperant, quod presbyteri ſeculares ante id tempus curarunt, permiſſo jure, ac poteſtate parœciæ adminiſtrandæ. Simul vetus cœnobium, quod extra mœnia civitatis habebant, incertum qua cauſa, deſeruerunt. Ejus cœnobii hortos cum ex præſcripto Franciſcani inſtituti procul ipſi degentes retinere non poſſent, mandante eodem Pontifice, quam celerrime divendendos, &, quod pecuniæ contraxerant, in uſum Eccleſiæ ſancti Joannis Baptiſtæ, quam Mutinenſis in agri vico (Corceum appellant) Annibal Thebaldus externus ſacerdos adminiſtrabat, reſervandum curarunt. Vicarius Mutinenſis Epiſcopi aureos mille, quos ex hujuſmodi venditione contraxerant, apud ſequeſtrem deponere, atque ubi primum occaſio ſe daret, ea ipſa pecunia fundum eidem templo aſſignandum coemere a Pontifice juſſus.

Obſervantes Mutinenſis cœnobii hortos divendût alterius cœnobii ſuburbani, abjudicantque a ſe pecuniam.

XXXI. In Monte Majo, quod ſitum eſt oppidum apud Leopolim civitatem in Feretranis, Obſervantes cœnobium poſuere. Joannes Franciſcus Lormanus Feretranorum Epiſcopus in Obſervantes præclare animatus, multis poſt annis egregiæ cujuſdam benevolentiæ in eos indicia, & argumenta præbuit: ut propterea nomen, ac merita optimi viri præterire ſilentio nefas duxerim.

Obſervantes cœnobium ædificant in Feretranis.

XXXII. Marcellus Cervinus, de quo ſupra commemoratum eſt, Cœleſtino Brixienſi, optimo, probatiſſimoque viro, quem Monilianus proximo anno Campaniæ felicis Miniſtrum delegerat, Apoſtolicæ munus auctoritatis demandavit, eundemque per litteras juſſit ad coercendos, qui turbas conciverant, provinciæ ejus alumnos omnem induſtriam conferre. Quamquam enim præfecturam adierat Cœleſtinus, eum tamen ſeditioſorum rogatu, qui dolo malo provocarant, Neapolitani Magiſtratus auctoritas ejus mu-

Anno Christi 1543.	Pauli III. anno 9.	Caroli V. Imp. anno 25.	Religionis Minorum anno 336.

muneris poreſtate uti vetuerat. Ergo Cervinus illius rei indignitate commotus, ſeditionis auctores ab incœpto deterrere, propoſitaque anathematis pœna detrectantes imperium Cœleſtini in ordinem cogere omni ope contendit.

Cardinalis Cervinus Apoſtolicæ auctoritatis arbitrium confert Cœleſtino Brixienſi.

MARCELLUS CERVINUS miſeratione Divina tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem S. R. E. Presbyter Cardinalis, ac totius Ordinis Minorum Vicep-otector Rev. Patri fratri Cœleſtino de Brixia Commiſſario Ordinis Regularis Obſervantiæ provinciæ Brixiæ, Patri probatiſſimo, æternam in Domino ſalutem, & his noſtris, immo veriùs ſanctiſſimi Domini noſtri parere mandatis.

NOn ſine maxima cordis noſtri amaritudine dudum accepimus, te a Generali Ciſalpino Commiſſario totius Terræ laboris provinciæ, ne ipſa acephala remaneret, in caput, prælatum, & Commiſſarium ad dictam provinciam regendam, viſitandam, & tam in capitibus, quam membris corrigendam inſtitutum fuiſſe; ipſiuſque muneris poſſeſſionem, nullo contradicente Fratre, accepiſſe: nihilominus eo temeritatis, perpetuo diſſidiorum, ac dementiæ diſcordiæ diſſeminatore Sathana inſtigante, deventum eſſe, ut dictum tibi traditum munus uſque in præſens minime debitæ executioni demandare potuiſti; eo quod ſeculare brachium, medio, ut probabiliter credi poteſt, nonnullorum prædictæ provinciæ Fratrum, ad illud in propriæ ſalutis diſcrimen, & ſcandalum plurimorum recurſum habentium, tibi interdixit dicti tui officii executionem, uſque ad novam ſui determinationem. Quod quam ſit a Deo, ratione, Eccleſiaſtica libertate, & ipſius provinciæ profectu alienum, nemo ſanæ mentis non perſpicit. Quare de ſpeciali mandato ipſius ſanctiſſimi Domini noſtri vivæ voci oraculo nobis facto, tibi in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut dictam Terræ laboris provinciam, uſque ad aliam Miniſtri, vel Commiſſarii Generalis determinationem, regas, viſites; eidemque, non modo præfati Generalis Commiſſarii, verum etiam ejuſdem ſanctiſſimi Domini noſtri auctoritate præſideas: ſimiliter, ut Fratrum errata, ſi quæ forſan, quod abſit, repereris, pro juſtitia, & æquitate, ut ceteri juxta Paulum timorem habeant, nulla humani vel timoris, vel amoris, aut favoris habita ratione, intrepide corrigas: præſertim quos probabiliter repereris ſuperioribus fuis, & tuis contumaces fuiſſe, ac rebelles, & ad ſeculares confugiſſe, illiſque Ordinis detexiſſe negotia, eos juxta dicti Ordinis provide ſancita decreta acriter punias. Inſuper de ſimili ejuſdem ſanctiſſimi Domini noſtri mandato, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto incurrenda, univerſis, & ſingulis tam Fratribus dictæ provinciæ, quam quibuſvis ſecularibus perſonis, cujuſcumque dignitatis, & conditionis exiterint, diſtrictius præcipientes mandamus, ne tibi in præmiſſis, ac in dicti tui muneris executione directe, vel indirecte, quovis quæſito colore, impedimento eſſe præſumant. In quorum omnium, & ſinguloram fidem has litteras fieri mandavimus, manuis propriæ ſubſcriptione, ac ſigilli noſtri appenſione probatas. Datum Peruſii v. *Auguſti anno a nativitate Domini* MDXLIII. *Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Pauli Divina providentia Papæ III. anno* IX.

Ita eſt. Marcellus Card. S. Crucis Proprotector.

Octavianus Brigidius Secretarius.

XXXIII. Hoc anno Joſephus a Teſmienica Obſervantium ſacerdos Hiſpanus apoplexia correptus interiit: quem ſacra eloquentia inſigniter floruiſſe apud pleroſque ſcriptum reperio.

Joſephus a Teſmienica Obſervantium presbyter eloquentia inſignis.

AR-

ARGUMENTUM.

Imperator, Septemvirique Gallorum Regi bellum indicunt. Ejus eventus Italiæ funesti. Divus Franciscus Xaverius in Oriente rem Christianam mirifice promovet. In urbe Roma monumentum insigne antiquitatis repertum. Georgius Bosnensis Montis Sion Cœnobiarcha designatus, inque mores populi ejus inquirere, quos Libani accolæ Maronitas appellant, a Pontifice jussus. Patres conscripti ex Observantium familia Assisium conveniunt. In provincia Picena, ut æquitatis ratio haberetur, creandis ministris alternæ vices constitutæ. Provincia Campaniæ felicis ad extinguenda semina dissidiorum in duas divisa. Provinciæ Bosnensis alumni maximis beneficiis a Pontifice ornantur. Capuccinorum familia ab ea, quam pridem contraxerat, ægritudine, ac luctu mirifice recreatur. Christianorum pietatem, cultumque erga Conradum Placentinum Pontifex Maximus dato diplomate ratum habet. Virtute, ac litteris floruere complures. Cornelius Musſus Bitunti, Blasius Fabricius Scamandriæ creantur Episcopi. Cœnobia ædificantur.

Indicitur bellum a Cæsare contra Gallorum Regē.

I. IN Spirensibus comitiis contra Gallorum Regem indictum est bellum, canente classicum Cæsare, cui mira Septemvirorum, Principumque alacritate promissa pecunia, atque copiæ. Interim Pontifex utrumque

Eos pacificare Pōtifex nequidquam conatur.

reconciliare conatus, Cardinalem Farnesium ad Cæsarem misérat, qui suo nomine eum ad ineundam cum Gallo Rege concordiam, ad comprimendam Lutheranorum audaciam, ad arma in barbaros convertenda magnopere adhortaretur. Sed tum quoque vota Pontificis in irritum cecidere. Quippe Carolus acerbe questus perfidiam Regis, qui Turcarum Tyrannum in Christianos sollicitasset; orantem frustra Legatum, re infecta, dimisit. Cum Turcica classis Massiliam applicuisset, Gallorum Rex, de illa

Turcica classis Massiliam appellit.

quid ageret, æstuare cœpit; nec facile agitata consilia explicabat, adeout barbarus de cunctatione Gallorum quereretur; resque ad diffidium vergeret: demum conjunctis viribus Galli, Turcæque Nicæam oppugnant Provinciæ urbem, quæ in Allobrogum Ducis fide, & clientela perseverabat.

Nicæam oppugnant Galli, Turcæque.

Cives extremam veriti cladem, datis, acceptisque conditionibus, deditionem faciunt. Tum ad arcem situ inexpugnabilem, & opere munitissimam conatus versi. Verum Alphonso Vastio ad ferendam obsessis opem appropinquante, perculsi metu fœderati discedunt; qua in fuga perfidi Turcæ, nullo Gallorum respectu habito, urbem diripiunt, civesque Gallicam fidem secutos in servitutem abducunt.

A Cæsarianis repulsi fugiunt.

Regis Ceilani filius a parente interfectus in odiū fidei.

II. Rem Christianam tum egregie promovebat in Oriente sanctus Franciscus Xaverius dictus magnus Pater: quando & Regis Ceilani filius factus Christianus una cum aliis multis a parente interfectus, numerum Martyrum auxit: cujus mortem placuisse Deo ignea Crux in cœlo, in terra lucida, nullis Mahumetanorum artibus eradenda, populis illis attonitis cecinerunt.

In Basilica Vaticana area marmorea cum inclusa muliebri mundo reperta.

III. Hoc ipso anno rem maxime memorabilem in urbe Roma accidisse testatur Surius: quam pro instituti muneris ratione silentio præterire non possumus. In Vaticano haud procul a Tiberi cum Basilica divi Petri magnificentius extrueretur, arca marmorea reperta est longitudine pedum octo, latitudine quinque: ubi Mariæ corpus Honorio Imperatori desponsæ, quæ ante nuptias virgo decessit, conditum fuit. In ea arca consumto cadavere, dentes aliquot erant, capillique, ac tibiarum ossa duo, vestes præ-

Anno Christi 1544.	Pauli III. anno 10.	Caroli V. Imp. anno 26.	Religionis Minorum anno 537.

præterea, palliumque auro intexta; ad hæc argentea capſula longa pedem unum cum dimidio, duodecim lata digitos, in qua vaſcula multa ex chryſtallo, ex achate nonnulla graphice elaborata; item annuli aurei quadraginta variis gemmis ornati. Erat & ſmaragdus auro incluſus, in quo caput inſculptum erat, quod Honorium ipſum repræſentare creditum eſt; inaures quoque, & monilia; ex lapide chelidonio ſorex, cochleaque, & patera ex chryſtallo, atque aurea pila luſoriæ perſimilis, quæ tamen in duas partes dividi potuit. Sed quod in primis veterum Chriſtianorum pietatem, & erga ſuperos cultum aperte declarat, aurea lamina in eo loculo erat, in qua Græcis expreſſa litteris Angelorum quatuor nomina, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel. Quæ res haud dubie ſignificavit, animorum cœleſtium invocationem, atque in eos religionis officia, quæ a populo Chriſtiano præſtari ſolent, in Eccleſiam Chriſti non recens invecta, ſed antiquitatis teſtimonio comprobata ſanctiſſime retineri. Eam muliebris mundi ſupellectilem dux clariſſimus Stilico, Mariæ pater, eidem Imperatoris conjugi futuræ dotis nomine aſſignarat.

IV. In Mantuanis comitiis ab hinc triennio decretum fuerat, uti hoc anno minora comitia, quæ intermedia a noſtris dici conſueverunt, in cœnobio Ambacienſi Turonenſis provinciæ Patres haberent. Hæc tamen, incertum quibus de cauſis, nuſquam habita ſunt. Itaque Generalis Miniſter poteſtate ſua uſus, Georgium e ſuperiori Mœſia oriundum (cujus nationis homines recenti vocabulo Boſnenſes dicimus) Montis Syon cœnobiarcham, & Paleſtinæ cuſtodem creavit. Quo iter moliente, reddita ſunt Pontifici litteræ, quibus litteris Petrus Libani Montis Patriarcha infimis precibus eum rogabat, ut in ea loca egregium aliquem virum ex Obſervantibus mitteret: Maronitas (ſic enim eos populos vocant) ut in officio contineantur, ut Romanum Pontificem omni obſervantia, ſtudioque colant, neu majorum ab inſtitutis, traditaque doctrina ullo modo deſciſcant, præceptoribus indigere: optare ſe, ut nationis ejus primarii latinæ linguæ rudimenta a Patribus doceantur: eam rem ad puritatem fidei retinendam, erroreſque opinionum vitandos valde conducere. Quocirca Georgium Paulus magna cum poteſtate in Syriam legavit, datoque diplomate, procurationem earum gentium, maximamque in religionis cauſa auctoritatem eidem permiſit.

Georgius Boſnenſis Montis Sion cœnobiarcha creatus ab Joanne Calvo.

Eidem magna poteſtas permittitur a Paulo III.

V. Præfectus Ordinis Calvus Euphemium Valdotum Lucaniæ Miniſtrum Procuratorem ejuſdem Ordinis declaravit apud Aſſiſium, quo & Patres conſcriptos conveniſſe Valdotus ipſe commemorat in ſuis Curiæ Commentariis. Eum cœtum Daza noſter Generalem appellat. Fortaſſe Generalis Miniſter ab Luſitania reverſus primarios viros ex Italiæ provinciis Aſſiſium vocavit, quos de ſummis familiæ rebus, noviſque ferendis legibus conſuleret. Antonius quoque a ſancto Michaele provinciæ Carthaginenſis alumnus in ſuis habet monumentis, ſeſe Calvi auctoritate, Patrumque conſenſu procurandis Tranſalpinorum rebus præfectum fuiſſe. Si quid ego conjectura aſſequor, ea non juſta comitia, quibus arbitri totius Ordinis interfuerint, fuiſſe puto; ſed Italorum, ut dixi, coitionem, qui, annuente Pontifice, una cum Calvo præſide ſummis de rebus familiæ inter ſe conſultarent.

In cœtu Patrum Aſſiſienſi Euphemius Valdotus procurator Ordinis declaratur.

Antonius a ſancto Michaele procurandis Tranſalpinorum rebus præfectus.

VI. In cœnobium Senogallienſe Picenorum comitia idem Calvus coegit, in quibus cum ſaluberrimæ leges rogatæ ſunt, tum illa præſertim alendæ Fratrum quieti, atque concordiæ peropportuna, ut, bifariam diſtributa provincia, Miniſtrum ejuſdem e regionum duarum altera per vices aſſumerent. Fluvius ex Alpium jugis haud procul oppido Fabriano decurrens, ſeque

Picenam provinciam bifariam diſtribuit Joannes Calvus.

ſeque Anconam inter,& Senogalliam in mare ſuperum exonerans regionum limes eſt conſtitutus.

VII. In provincia Campaniæ ſelicis magnis motibus turbatum eſt; quibus proinde ſedandis Calvus operam dare, ac Pontificis nomine diſcordiadiarum vel auctores compeſcere, vel ſemina extinguere aggreſſus eſt. Cum nihil hortando proficeret, cognoſceretque dominandi libidinem, inſanabile malum, reique publicæ infeſtum radices egiſſe, id tandem conſilii cepit, ut provinciam in primis amplam, ac nobilem in duas divideret. Vetere appellatione priori relicta, alteri Principatus nomen inditum eſt.

Provincia Campaniæ ſelicis in duas dividitur.

VIII. Dum hæc in Italia geruntur, in Mœſia ſuperiore Obſervantium familia magna rerum anguſtia premi cœpta. Eam regionem Turcarum Regi ſubjectam promiſcuum vulgus Chriſtianorum frequentat; quos in media barbarie ad omnem virtutem, pietatemque informare, ſanctiſſimiſque religionis myſteriis impertire nunquam noſtri deſtiterunt. Eiſdem vero, quod Epiſcopos admodum paucos haberent, quorum juniores auctoritate ſacris initiarentur, Pontifex Maximus dato diplomate edixit, ut quemcumque adirent Catholicæ profeſſionis Antiſtitem, ab eo Eccleſiæ Ordinibus inſigniri, neque ſingulos modo, uti fieri ſolet, ſed omnes uno die ſuſcipere rite poſſent. Ad hæc omnes immunitates, ac privilegia, quibus eos Clemens VII. ornarat, firma, & rata voluit eſſe. Ipſis denique, ut e Chriſtianorum terris in domeſticum uſum ferramenta aſportarent, poteſtas facta; quæ alioqui ne inter hoſtes Chriſtiani nominis inferantur, Eccleſiaſticis legibus cautum eſt.

Pontifex Maximus alumnos Boſnenſis provinciæ privilegiis ornat.

IX. Joannes a Metymna Hiſpanus Capuccinorum alumnus magnum inter ſuos nomen habuiſſe, cœlitumque gratia, & familiaritate floruiſſe perhibetur. Eum ab Franciſco Æſino familiæ præfecto ad Politianum montem divertere juſſum mirum domandi corporis ſtudium, & quotidianus labor exercuit. Cum in Divinarum rerum contemplatione diutius hæſiſſet, a contagione corporis quam maxime abſtractus, puriſſimorum ſpirituum cœtui ſeſe penitus immiſcuit. Ergo ipſius Chriſti conſuetudine, ac ſermonibus recreatus, multa de familiæ ſtatu,atque ærumnis, de humanarum rerum contemptu, de ſolidæ virtutis bono, ejuſdemque poſſidendi ratione inter orandum accepit. Ea Zacharias Boverius ſatis exaggerata oratione, magiſque ad fucum faciendum, quam exponendam veritatem accommodata fuſe perſequitur. Nitendum itaque nobis eſt, ut ineptiis abſtinentes, quas in hoc putido auctore ſcriptores alii merito reprehendunt, quæ Deus ipſe ad animorum diſciplinam, ad ſolatium univerſæ familiæ, atque ad virtutis commendationem effatus eſt, nudo, ac ſimplici ſcribendi genere complectamur. Primum igitur inſtituta Minorum ſibi valde probari aſſeveravit: qui ſanctiſſimas leges Patriarchæ Franciſci, quibus beata vita continetur, ſervare contenderet, ei ſeſe nunquam gratiæ præſidio ſuæ defuturum: novellam ſobolem Capuccinorum Dei nutu, & voluntate propagatam uberrimos Eccleſiæ fructus omni ætate laturam. Neminem porro vel hæretica peſte contaminatum, vel iis flagitiis coopertum, ex quibus in tota familia infamiæ labes hæſura eſſet, in ea diutius occultum fore: animi demiſſione, quæ nihil humana omnia præ cœleſtibus faciat, ſeſe magnopere delectari; id præcipuum decus, & ornamentum eorum eſſe, qui Franciſcano nomine cenſeantur; ab ea morum facilitatem, quamque ipſe mortalibus, dum in terris ageret, commendarat, charitatem proficiſci: idcirco monere uti veram, ſolidamque felicitatem, quam in iſtis virtutibus ſitam eſſe cognoſcant, aliarum rerum omni cura poſthabita, conſectentur: hæc prima bona, & a bonis

Joannes a Metymna inter Capuccinos virtute inſignis.

Boverius notatur.

bonis optanda eſſe ducant. His, atque aliis talibus dictis Joannem anxium, ac miſerantem calamitates familiæ confirmavit.

X. Boverius addit, habuiſſe in mandatis eundem, ut Æſinum adiret, eique nuntiaret, Pontificis animum, qui de Fratribus Capuceinis acerbe antea conſuluerat, derepente mutatum; Æſinus ad eum pergere maturaret; poteſtatem aggregandi familiæ perfugas Obſervantes facile impetraturum: quo eum oraculo commonefactum, ac bonæ ſpei plenum de antiquanda priſtina lege cum Pontifice egiſſe; qui proinde affirmavit, non eam mentem ſibi fuiſſe, uti cœtu Capuccinorum Obſervantibus interdiceret: ſe quidem certe Miniſtri precibus ſatigatum acerbam legem tuliſſe, ne ſibi aures importunis querelis continenter obtunderet; ſed jam ultro poteſtatem facere Æſino, uti captos inſtituti amore Obſervantes, quicumque ad eum ventitarent, latenter aſciſceret. Hæc Boverius; qui nihil tale tam confidenter pronuntiaſſet, quo graviſſimo Pontifici vanitatis notam vel imprudens inureret, ſi Paulinum diploma ad cohibendos Obſervantium perfugas non ſemel editum cognoviſſet, aut eodem coargui temeritatem eorum, qui quovis modo abrogatum dicerent, meminiſſet. Quppe in diplomate hujuſcemodi verba leguntur: *Cum autem, ſicut accepimus, dicti Fratres Capuccini nuncupati præfatos de Obſervantia profeſſores contra dictarum noſtrarum litterarum tenorem prætextu cujuſdam aſſertæ licentiæ a nobis vivæ vocis oraculo, ut prætendunt, obtentæ in antiquarum diſcordiarum, & litium ſuſcitationem, & ſcandalum plurimorum, paſſim recipere non verecantur; nos in præmiſſis opportune providere volentes, motu proprio, & ex certa ſcientia noſtra omnibus, & ſingulis Congregationis Capuccinorum hujuſmodi profeſſoribus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis, aliiſque eiſdem litteris noſtris appoſitis cenſuris, & pœnis ipſo facto incurrendis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium diſtricte præcipimus, & mandamus, ne de cetero quempiam ex dictis de Obſervantia profeſſoribus, etiamſi in ſeculari, vel cujuſvis alterius religionis habitu ad eos confugerint, hujuſmodi aſſertæ licentiæ vivæ vocis oraculo a nobis obtentæ, aut alio quovis prætextu, abſque hujuſmodi generalium, ſeu provincialium Prælatorum ſuorum licentia in ſcriptis habita, contra dictarum litterarum continentiam, & tenorem recipere, ſeu retinere præſumant.*

Boverii commentum.

Apud Wadding. Tom. XVI. anno 1515. num. 35. & alios.

XI. Inter eos, qui ex Obſervantium caſtris ad Capuccinos profecti eorum familiam majorem in modum amplificarunt, Franciſcus Palæmon fuit, Rhegio in Brutiis oriundus, qui & hoc anno e vivis deceſſit. Is cœnobium Meſſanenſe primus adminiſtravit; ubi Carolum Cæſarem ex Africa redeuntem, comitante Fratrum caterva, qui lætitiæ, atque honoris cauſa olearum ramos manibus præferebant, excepiſſe fertur. Mira continentia in omni victu, cultuque corporis fuit. Jejunia fere perpetua, rara cum ſuis Fratribus, præterquam de animi diſciplina, ſermonis communicatio. Plura tacendo ſe, quam loquendo, didiciſſe affirmabat. Summa in eo puritas ab omni corporis, animique turpitudine: quippe totos octoginta annos ſingulari Dei munere ita vixit, ut ſe nulla flagitii lethalis labe commacularit. Cum popularis eloquentiæ laude in primis excelleret, vix dici poteſt, quam in concionibus vehemens, quam incendii ſimilis fuerit cuncta mortalium vitia depaſcentis; quam uberes inde fructus ad animarum ſalutem in omni vita retulerit. Itaque dato ſodalitio adoleſcentibus multis, quibus humanarum rerum faſtidium incuſſerat, in Calabria, Siciliaque ſuorum numerum auxit. Eum Satanæ fraudibus circumventum, ut incœpto deſiſteret, neu propagare familiam tanta animi contentione niteretur, Boverius narrat. Qua in re deſi-

Franciſcus Palæmon ex Obſervante Capuccinus innocentia admirabili præditus.

Item ab eloquentiæ præſidiis egregie paratus.

De eo Boverii commentum refellitur.

defideranda mihi videtur hominis fides, atque prudentia; quippe qui intemperanti quodam in ſuos amore, & partium ſtudio provectus, multa inepte, atque odioſe de Obſervantium inſtitutis, ac moribus, de Pontificis interdicto, de ſuorum vexatione, & anguſtiis comminiſcitur. Ait enim Franciſcum ægritudine animi pene confectum, & familiæ caſibus ingemiſcentem argumenta ſolatii multa de Chriſti ore accepiſſe, ejuſque monitu clementer increpitum ad res ſuorum amplificandas omnem deinde operam contuliſſe. Quid attinebat iſta commemorare? cum probe compertum ſit, hominem Deo charum, qui ad ejus nutum, arbitriumque totum ſe finxerat, de ſanctione Pontificis non anxie quærere debuiſſe, neque de Obſervantium rebus, quos ab caſtris diſcedere præfecti nollent, tantopere laborare. Sed hominis eſt otio abutentis, ac litteris in perſequendis hujuſmodi tricis laborem conſumere. Quamobrem ad incœptum nunc redeo.

XII. Barbaroſſa pirata nobilis, de quo antea dictum eſt, cum in Gallico littore ſubſtitiſſet, Franciſco Regi ſignificavit, cuncta ſibi ad hoſtis perniciem parata eſſe; ſi juberetur, ſeſe celeri excurſione totius Hiſpaniæ oram a Pyrenæi promontorio ad Gaditanum uſque fretum pervaſtaturum. Id conſilium Rex, quamquam amiciſſime oblatum, continuo repudiavit. Cur enim Chriſtiani numinis gentes nihil tale meritas, parenteſque dumtaxat imperio Cæſaris, immanibus barbaris delendas permitteret? cur in hoc tam atroci facto antiqui ſui cognominis obliviſceretur? cur denique uſque adeo deteſtabilis, & impiæ cladis invidioſam ſibi, & poſteris memoriam relinqueret? Id virtutis exemplum in reprimenda ultionis cupidine (quippe Cæſar conjunctis cum Anglo viribus in Galliam irruperat) hoc ergo exemplum cum invidiam nominis, qua Gallus flagrare cœperat, paulatim extinxit, tum ita gratum ſummo Numini fuit, ut ad optata pacis conſilia animum Cæſaris inclinaret. Interea barbarus prædo Nicæa digreſſus, Tyrrhenum littus qua cæde, qua latrociniis infeſtum habuit. Mox ad Ænariam delatus inſulam, exſcenſione facta ingentem mortalium numerum intercepit: Puteolos fruſtra oppugnavit: e Brutiis multam prædam congeſſit: profectus deinde Liparim, ejus inſulæ urbem oppugnatione concuſſam ad deditionem compulit, civeſque in ſervitutem abduxit. Tantam omnis generis mortalium prædam, qui claſſe Turcica vehebantur, fuiſſe ferunt, ut in toto curſu ad Byzantium directæ navigationis plura captivorum corpora, uti erant in infirmis carinis inter naturæ ſordes anguſtiſſime conſtipata, omnibus prope horis in mare projicerentur, execrantibus cunctis Galliæ Regem, ac Cæſarem, qui veteribus odiis in communem perniciem ita ſtuderent, ut eorum imperio ſubditæ gentes, nec tale quidpiam profecto meritæ plecterentur; cum pertinaciter a concordia abhorrentes tantis calamitatibus uni cauſam præberent. Sed cum arderet civilibus odiis tota reſpublica, cum pulcherrimæ regiones diſcordiis Principum exagitatæ in magnas calamitates incidiſſent, cœlumque, & terra miſceretur, obrueretque omnia belli eluvies, ecce tandem lætiſſimus dies illuxit, quo, conciliata inter Reges pace, a tantis malis Chriſtianus populus reſpiraret. Petrus a Soto Dominicanæ familiæ inclytum decus, qui a ſacris confeſſionibus Carolo erat, Pontificis monitu eum flectere aggreſſus, ad hæc ſuſcipienda conſilia rogando compulerat. Leges pacis e dignitate Gallorum Regis obtulit Cæſar; quas ſi rogatu Pontificis antea dediſſet, cum Pannoniam e barbarorum jugo in libertatem aſſerere, tum Angliæ Regem in ordinem cogere, vireſque omnes hæreticorum frangere potuiſſet. Ita pacato Chriſtiano imperio, Pontifex Maximus ad Tridentinum Concilium adjecit animum; editoque diplomate XIII. Kalen-

Barbaroſſa Tyrrhenum mare latrociniis infeſtum habet.

Ingentem numerum Chriſtianorum in ſervitutem abducit.

Pacato Chriſtiano imperio Paulus III. Amiſinos vocat ad Concilium Tridentinum.

Anno Christi 1544.	Pauli III. anno 10.	Caroli V. Imp. anno 26.	Religionis Minorum anno 337.

lendas Decembris, Eccleſiarum Antiſtites, alioſque Patres in eam urbem convocavit.

XIII. Conradum Placentinum Tertii Ordinis profeſſorem, ſanctitatis inclytum fama, qui duobus ante ſeculis e vivis exceſſerat, honoris, ac dignitatis amplificatione idem Paulus ornavit. Cujus rei gratia Leonis X. de Conrado judicia, permiſſumque Netinis Siciliæ populis viri cultum non approbavit modo, verum etiam latiſſime propagavit. Paulinum diploma in volumine octavo ſuorum Annalium Waddingus deſcripſit, ubi ad annum MCCCLI. Conradi vitam, & facta litteris conſignavit. Chriſtianorum pietatem cultumque erga Conradum Placentinum Pontifex Maximus ratum habet.

XIV. Georgius Cardoſus natione Luſitanus popularium ſuorum, qui pietatis, & ſanctimoniæ laude floruerunt, acta perſcripſit. In his Gregorium Viſuntinum, ſeu Viſenſem excellenti virtute, animique ſimplicitate fuiſſe, & in Goano cœnobio hoc anno obiiſſe memoriæ prodit. Sed quod ad tempus attinet, in numerorum erraſſe notis typographum puto. Nam & Gaſparis Goani Epiſcopi ætate Gregorium vixiſſe, & Alexio Meneſio, qui Gaſpari vita functo ſucceſſit, eam Eccleſiam adminiſtrante, obiiſſe Cardoſus memorat: cum Joannes Albuquercius ex Obſervantium familia aliquot ante annis ad eam ſedem evectus, anno demum MDLII. deceſſerit. Natus eſt Gregorius Viſuntii, oppido Luſitaniæ. Inter laicos Excalceatos adſcitus, cum innocentiſſimæ vitæ tirocinia poſuiſſet, ad ſanctæ Helenæ inſulam cum ejuſdem ſacerdote familiæ Regis juſſu navigavit. In ea uti cœnobium ædificarent, in mandatis habebant. Sacerdos in itinere morbo periit. Gregorius igitur cum ſe nihil in inſula poſſe perficere intellexiſſet, directa in Indiam navigatione, Goam pervenit, atque in cœnobium Divinæ Matris aggregatus, aſſiduo domandi corporis uſu in primis excelluit. Mira in eo famis, ac ſitis patientia, ſeque flagris acerbiſſime verberandi perpetua conſuetudo: quo factum eſt, ut quacumque incederet, erumpens e venis cruor, ſolumque largo imbre madefaciens, tantæ aſperitatis argumento in omnium oculos incurreret. Itaque a cœnobii præfecto temperare juſſus, numquam tamen animi demiſſionis, modeſtiæ, cæterarumque virtutum, quæ in eam conditionem cadunt, intermiſit uſum. Vir profundiſſimæ humilitatis, & contemptus ſui iis rebus agendis delectabatur, quas cum vulgus animadverteret, fibilis excepturum, ſeque ludos haud dubie facturum exiſtimabat. Sed ea vota in irritum cecidere. Quippe nobiles viri, ipſique urbis magiſtratus velut exemplar quoddam moris antiqui Gregorium ſuſpicere, nihil ea ſimplicitate ſapientius, nihil præſtabilius dictitare. In Damanenſi cœnobio multis ab Goa paſſuum millibus verſabatur ad diem VIII. Kalendas Januarii, cum ſacris anniverſariis Natalis Chriſti dies Eccleſiæ ritu celebraretur. Eum porro cœnobiarcha in magna populi frequentia, qui ad templum convenerat, fidibus canere, ſaltandoque ante ſignum pueruli choros ducere juſſit. Gregorius imperata facere adortus redundantem lætitiam, & foras erumpere geſtientem ore, oculis, manibus indicabat. In ea mentis alienatione Gaſparis animam, qui tum Goæ deceſſerat, linteati Antiſtitis ſpecie, multoque lumine circumfuſam in cœlum ferri conſpexit. Ipſe paulo poſt ad urbem reverſus, inter ſuorum lacrymas mortem oppetiit, elatuſque eſt magno populi concurſu: quin etiam principes civitatis viri funus duxiſſe, & obſequii cauſa jacentis pedibus oſculum dediſſe perhibentur. Gregorius Viſuntinus laicus Excalceatus. Mitis ſui corporis domitor. Magno in honore a nobilibus viris habetur. Ejus mira ſimplicitas.

XV. Petrus Amatricenſis, cognomento Anachoreta, Obſervantium ſacerdos hac tempeſtate celebris inter Umbros fuit. Is Fulginii piorum hominum ſocietatem inſtituit, quæ beati Hieronymi cepit auſpicia, eidemque novum templum ſubinde dicavit. Petrus Amatricenſis Obſervantium ſacerdos piorum hominum ſocietatem inſtituit.

Paduanus Craſſus, & Philippus a Monte Calerio Cõventuales litterarum ſcientia præditi.

XVI. Floruere litteris in Conventualium familia, Paduanus Craſſus facundia præcellens, idemque Theologicis diſciplinis inſigniter eruditus, Philippus a Monte Calerio in Subalpinis; quorum lucubrationes in Indice ſcriptorum Ordinis recenſentur. Ex eadem familia Cornelius Muſſus vir eximius Bituntinam Eccleſiam gubernandam ſuſcepit, cum antea Bertinorienſium in Æmilia Antiſtes fuiſſet.

Cornelius Muſſus Bituntinus Epiſcopus declaratus.

XVII. Ex Obſervantibus Scamandriæ Epiſcopus, quæ Aſiæ civitas eſt inter Abydum, & Ilium, Blaſius Fabricius Creſſenenſis eſt declaratus. Is in provincia Boſnenſium ſolemnia vota nuncupaverat. Quem Pontifex Maximus, Boſnenſis populi quotidiana incommoda miſeratus, in hac regione verſari, ſacriſque ejus, ac religionibus præeſſe juſſit. Litteras Pauli, per quas ampliſſimum Fabricio munus, ac poteſtas defertur, inter publica monumenta ſuo loco reperies.

Blaſius Fabricius ex Obſervantiũ familia Epiſcopus Scamandriæ præficitur Eccleſiæ Boſnenſi a Pontifice Maximo.

XVIII. In ea Italiæ regione, quæ Forum Julii appellatur, mons eſt præcelſus, atque editus, cui nomen Sira olim fuit, ab Goritia diœceſis Aquilejenſis oppido viginti paſſuum millibus. In eo monte Urſula quædam agreſtis puella cum pecus paſceret, Dei Matrem e ſuperum ſedibus eo delapſam vidiſſe, ejuſque ab ore mandata ejuſmodi accepiſſe fertur: Goritienſibus ediceret, ut in faſtigio rupis templum extruerent, ſuoque nomini quam celerrime dedicarent. Cum Virgo imperata feciſſet, res oppidanis primum incredibilis viſa; deinde cœlorum Regina iterum, ac ſæpe Urſulæ auribus inculcante juſſa, de templo ædificando ab civitate univerſa cogitari cœptum. Ubi tellus effoſſa fundamentis locandis, quadratus lapis cum inſcripta characteribus miris Angeli Gabrielis ſalutatione repertus eſt. In Ara maxima, quam illibato Divinæ Matris conceptui conſecrarunt, eum lapidem poſuere. Hæc Pontifice Paulo III. contigiſſe perhibentur. Sub annum denique Chriſti MDLXVI. Carolus Auſtriacus, Ferdinandi I. Imperatoris filius, Obſervantium familiæ templum attribuit, curante in primis Bonaventura Sbona, qui Liburnorum provinciam adminiſtrabat. Locus ille cœleſtibus prodigiis, populique frequentia nobilitari, ac ſubinde Mons ſanctus vulgo appellari cœptus eſt.

Templum Deiparæ dedicatur Goritiæ.

Quod ſubinde Obſervantibus attributum.

XIX. Conventuales hoc anno apud montem ſancti Georgii in Piceno cœnobium poſuere, cum ibidem antea ſacerdos unus ex eadem familia anguſte habitare conſueviſſet. Eiſdem in Brutiis domicilia duo attributa: alterum apud ſanctum Severinum, quo in loco hoſpitalis domus, atque noſocomium antea fuerat; alterum Cropalati, quod eſt oppidum provinciæ ejuſdem. Capuccini etiam apud oppidum ſancti Petri in Galatina Hydruntinæ diœceſis domicilium excitarunt.

In monte ſancti Georgii Picenæ provinciæ Conventuales cœnobium excitant, tum alia duo in Brutiis.

Capuccini cœnobium condunt d'œceſi Hydruntina.

XX. Henricus Sebaſtiani Luſitaniæ Regis magnus patruus, primum Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, poſtea, cæſo in Africa Sebaſtiano, Rex ſalutatus, Obſervantium familiam multis benevolentiæ officiis eſt proſecutus. Eiſdem hoc anno cœnobium condidit, ſeptem ab urbe Ebora paſſuum millibus; quo idem Henricus, cum Epiſcopus ejus urbis eſſet, ſæpe animi cauſa divertere, animoque cœleſtium rerum commentatione excolendo operam dare conſuevit.

Henricus Cardinalis Luſitaniæ cœnobium ædificat Obſervantibus.

XXI. Inter Archidonam, & Benamexim Hiſpalenſis diœceſis oppida mons eſt amœnus, qui Arabico nomine Algaida appellatur, in eoque gemini ſpecus, necnon ædicula Mariæ Conſolatricis ab ſolitariis quibuſdam ædificata; quam decurrentibus e clivo imbribus labefactam, atque piorum ſumtibus hoc anno refectam Obſervantes provinciæ Bæticæ habitare occœperunt. Sed incertum quo tempore primum adierint, cœnobiumque ædi-

Obſervantes cœnobium condunt in Hiſpalenſi diœceſi.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 337.
1544.	anno 10.	anno 26.	

ædificarint. Officinis pleriſque, templique ſacellis locum excavatæ rupis opaca præbuere.

XXII. Apud Aſtam Pompejam puellæ quatuor Benedicti Guttarii filiæ cœnobium fundarunt, in eoque aſperrimum illud vitæ genus profeſſæ ſunt, quod ſanctæ Claræ Aſſiſiati traditur in deliciis fuiſſe. Plerique cives, Virginumque cognati ædificium curarunt; quo abſoluto feminas ſeptem ſpectata moribus anteactæ vitæ ſingulari integritate Alexandria evocarunt, quæ in hac urbe idem plane inſtitutum profitebantur. Itaque magna totius urbis frequentia intra portas receptæ, atque in cœnobium deductæ ſunt eo die, quo die feſſa jam bello civitas conventam Cæſari cum Gallo pacem effuſa lætitia celebrabat. Poſtero die puellæ quatuor ſacrum familiæ pallium ſumſere, obſtupeſcentibus cunctis, tot Sorores unanimes tantæ aſperitatis perferendæ ſtudio flagrare. Paulus Britius Aſtenſis olim Epiſcopus in hiſtoria provinciæ Subalpinæ re complures in hoc cœnobio ſumma Virgines innocentia vixiſſe commemorat, earumque nomen, ut ne memoria longinquitate temporis intercideret, in urbis tabularia relatum litteris prodit. In his Catharina Alipranda cœlitum gratia, & conſuetudine, editiſque Dei nutu prodigiis floruiſſe fertur. Dei Mater ejuſdem precibus exorata Fabricium Maramaldum hoſtilibus copiis per mœnium ruinas, cæſorumque civium cadavera irrumpentem, & Aſtæ excidium minitantem ab urbis expugnatione deterruit.

Apud Aſtam Pompejem cœnobium conditur Virginum beatæ Claræ.

In eo vitæ innocentia floruere complures, præſertim vero Catharina Alipranda.

XXIII. Legione in Hiſpaniæ civitate cœnobium Virginum Tertii Ordinis inſtitutum eſt, ejuſque templum ſanctiſſimæ feminæ Eliſabethæ Pannonum Regis filiæ dicatum.

Legione cœnobium ædificatur Sororibus Tertii Ordinis.

XXIV. Apud oppidum Clancianum Cluſinæ diœceſis in Tuſcia item Sorores Tertii Ordinis domicilium habebant: quas hoc anno ſuppliciter petentes, ut in Obſervantium eſſe tutela ſibi liceret, Paulus Pontifex voti compotes fecit. Idem Virgines omnes Franciſcani inſtituti quinta parte ſacrificiorum, quæ legatæ pecuniæ nomine ab iiſdem curanda erant, Apoſtolica auctoritate relevavit.

Cœnobiis quoddam Sororum Ordinis Tertii Obſervantium tutelæ concreditur.

Beneficium Pontificis erga omnes Sorores Franciſcani inſtituti.

XXV. Cardinalis ærarii quæſtor, cum decimarum exactorem, qui Tibure verſabatur, divæ Claræ Virginibus infeſtum eſſe intellexiſſet, eum graviter increpitum ab incœpto deſiſtere, modumque vel avaritiæ, vel in feminas inopes acerbitati ponere juſſit.

Exactor decimarum deterretur ab inferenda moleſtia Virginibus S. Claræ Tiburtinis.

R. Commiſſario decimarum Tibure noſtro thariſſimo.

REverende Commiſſarie. Cum S. N. Dominus intellexit, quod vos conſtringitis Monaſterium Sororum ſanctæ Claræ Tiburtinum per cenſuras, & interdictum ad ſolvendam quartam partem fructuum, facile credit, quod in aliis locis, unde non tam cito poſſit venire rei notitia, & factis pejus, & quod non procuret in res Cameræ, ſed peculiares veſtras indebite. Quapropter de ordine ſuæ Sanctitatis vobis dicimus, quod, viſis præſentibus, debeatis ceſſare ab omni moleſtia, & auferre interdictum a ſupra nominato Monaſterio, reſtituendo illi totum id, quod cauſa dictæ partis, vel aliarum expenſarum, aut honeſti viatici ab illis Sororibus acquiſiviſtis; quia ſcitis, quod Monaſteria, & loca Mendicantium non tenentur ſolvere quartam partem fructuum: & cavete, ne ex illo loco veniant ejuſmodi querelæ: alioquin cogemur credere quæ contra vos dicta ſunt, & vos caſtigare: quod ſi moleſtia, quam dictis Sororibus intuliſtis, fuerit propter decimas, monete quanti valeat, & ipſas amplius ne moleſtetis; quia cum veſtrum nuntium habuerimus,

Ea de re litteræ Cardinalis Camerarii.

Digitized by Google

rimus, dicetur vobis, quænam erit mens Suæ Sanctitatis in hoc caſu. Per præſentes, quæ vadunt apertæ, volumus, ut ſuſpenſæ maneant omnes cenſuræ, & interdictum, quæ dicta Monaſteria impoſuiſtis. Datum Romæ die XIX. *Novembris* MDXLIV.

V. Cardinalis Camerarius.

Beneficium Pontificis erga Obſervantes Portiunculæ.

XXVI. In itinere Peruſino ad Portiunculæ ædes Paulus divertit (id nomen eſt auguſti templi Obſervantium haud ita procul Aſſiſio) qui cum fratres egeſtate premi comperiſſet, ut valetudinarium, quod inchoarant, perficere ædificando non poſſent; dimidiam partem ſtipis illius, quæ in templi uſum toto quinquennio conferretur, eiſdem attribuit. Mox ejuſmodi beneficium Pontificis ad triennium eſt prorogatum. Cujus rei duo diplomata extant verbis ampliſſimis. Quo factum eſt, ut frequens illa familia, cum antea loci anguſtia laboraviſſet, aliqua jam ex parte reſpiraret. Itaque ægrotorum ædes paulatim amplificatæ non incolis modo, ſed & frequentibus peregrinis hoſpitium præbuere. Ea Pauli diplomata Julius deinde III. approbavit; cujus litteras, quod eorum diplomatum argumentum contineant, alio loco ſubjiciemus.

Chriſtianis Boſnenſibus indulgentiam plenariam a Pontifice impetrat Clemens Monilianus.

XXVII. Clemens Monialianus procurandis Ciſmontanorum rebus in urbe præfectus, impetravit a Pontifice Maximo, ut, quando in Mœſiæ provincia (eam nunc Boſnam Argentinam appellant) complures feminæ, ac viri, in media licet barbarie, atque impotenti Turcarum dominatu duriter affecti, tamen officia Chriſtianæ pietatis egregie præſtabant; plenariam, ut vocant, ſuorum criminum indulgentiam ex Eccleſiæ præſcripto conſequerentur. Cujus rei cauſa ad Miniſtrum provinciæ ejus litteras dedit Monilianus; quibus litteris conditiones propoſitæ, quas, ejuſmodi beneficio qui uti vellent, omnino ſervarent.

Ea de re ipſius litteræ ad Miniſtrum Boſnenſis provinciæ.

NOs Frater Clemens Monilianus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ in Romana Curia Procurator, & ſervus, notum facimus, & atteſtamur reverendo Patri Miniſtro provinciæ Boſnæ Argentinæ præfati Ordinis, qualiter Sanctiſſimus Dominus Noſter vivæ vocis oraculo, medio, & opera Reverendiſſimi Domini Cardinalis Sanctæ Crucis, de ſpeciali gratia concedit, ut Tua Paternitas viſitando ſibi creditam provinciam, in omnibus locis, ubi ſunt Catholici, promulgare poſſit cum plenaria poteſtate ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri eiſdem utriuſque ſexus Catholicis, qui ſcilicet intra ſpatium trium dierum a præſentium notitia ſemel ad confeſſorem acceſſerint, ac omnia ſua peccata confeſſi fuerint, vel ſaltem de eiſdem conterendo, propoſitum confitendi habuerint, & aliquam Eccleſiam in dictis locis conſiſtentem viſitaverint, & pro ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri felici ſtatu, ac totius ſanctæ Matris Eccleſiæ incremento, pro Chriſtianorum Principum pace, totiuſque Chriſtianæ Reipublicæ conſervatione devotas apud Altiſſimum preces effuderint, quod plenariam omnium ſuorum peccatorum remiſſionem, & indulgentiam conſequi poſſint, & valeant. Et hanc gratiam vult eis tantummodo ſemel ſuffragari; auctoritas vero, quam idem Sanctiſſimus Dominus confeſſoribus ſupradictorum Catholicorum concedit, ſe extendit ad omnia peccata citra reſervata in cœna Domini, & ad omnia vota, citra votum ultramarinum, ſancti Jacobi in Compoſtella, caſtitatis, & Religionis. In cujus conceſſionis fidem præſentes fecimus noſtris & Sigillo & Chirographo communitas. Datum Romæ VII. *Auguſti* MDXLIV.

XXVIII. Melchiora Maneſia civis Aquilana in Ordinem Franciſcanum egre-

egregie animata dimidiam partem frumenti, quod ex piſtrini vectigalibus ſui quotannis capiebat, Tertii Ordinis fratribus, ſeminiſque teſtamento legavit, cum eo tamen, ut *ſalmas* circiter octo (menſuræ genus id eſt) Obſervantibus attribuerent. Hujuſmodi in noſtros piæ mulieris voluntatem probavit Pontifex Maximus. Cujus rei cauſa litteras dedit ad Aquilanum cœnobiarcham verbis ampliſſimis.

Melchioræ Manefiæ in Franciſcanos liberalitas.

XXIX. Romani Pontifices cum alia multa in Ordinem noſtrum beneficia contulerant, tum præſertim eximio illo familias omnes virorum, ac feminarum ornarant, quod nihil eorum, quæ teſtamento legata ipſis eſſent, aut civitatum Epiſcopis, aut certis Collegiis, uti mos eſt, tribuendum publicis litteris conſtituerant. Sed cum ejuſmodi beneficium quæſtores aliqui Collegiorum in dubium vocarent, quartamque partem, aut quintam eorum omnium, quæ Franciſcani ea ratione obtinerent, ſibi deberi communi lege contenderent; Paulus III. noſtrorum vicem miſeratus, dato diplomate cavit, nequis deinceps ea de re negotium illis faceſſeret. Mandatum præterea univerſis Epiſcopis, ut provinciales miniſtros, ac cœnobiorum antiſtites, ſiquando ejuſmodi legatorum cauſa vexari eos contingeret, omni ope juvarent; quodque in gratiam eorum Apoſtolica auctoritate decretum eſſet, omnino perficerent.

Quæ teſtamento legata ſint Franciſcanis, ea ut integra ipſi percipiant, decernit Pontifex.

XXX. Extra muros Moguntiæ prope pagum Weiſſenam feminarum cœnobium conditum fuerat anno ſupra milleſimum quadringenteſimo nonageſimo nono; quæ ſingulari Dei beneficio ab amatoria veſania, & turpi quæſtu avocatæ Ordinis Tertii mores, & inſtituta profiterentur. Subinde, ut accidere ſolet, deſerveſcente paulatim ſtudio aſperitatis perſerendæ, ſoluta admodum diſciplina per id tempus vivebant. Itaque Moguntinus Antiſtes ejuſdem feminas inſtituti ex alio vico deduxit, qui in Septemviri Palatini ditione erat, & Winternheimium appellabatur. Iis vero negotium datum, ut Weiſſenenſis cœnobii diſciplinam quanta maxima poſſent diligentia inſtaurarent; veteres incolas in officio, atque obſervantia erga majorum leges continerent; quæ ad tantam aſperitatem perſerendam non adjicerent animos, eas impune abire permitterent. Nam & iiſdem domicilium Antiſtes in urbe Moguntia aſſignaverat, quo videlicet detrectantes imperium advenarum mulierum ſeſe reciperent. Cujus rei cauſa diploma Antiſtitis editum XVIII. Kalendas Octobris.

Pœnitentiæ mulierum Ordinis Tertii diſciplinam renovat Moguntinus Antiſtes in cœnobio Suburbano.

NOS ALBERTUS Dei gratia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſancti Petri ad vincula presbyter Cardinalis, & natus Legatus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſanctæ Sedis Moguntinæ, atque Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Elector S. Romani Imperii, per Germaniam Archicancellarius, ac Primas, Adminiſtrator Halberſtatenſis, Marchio Brandeburgenſis, Stetiniæ, Pomeraniæ, Caſſubiæ, ac Wandalorum Dux, Burgravius Norimbergæ, & Princeps Rugienſis atteſtamur, & notum facimus publice per præſentes pro Nobis, noſtriſque ſucceſſoribus & Moguntina Diœceſi. Cum Nobis uti Archiepiſcopo loci, & Ordinario incumbat advigilare, ut perſonarum Eccleſiaſticarum religio, vitaque in melius emendetur, divinum officium augeatur, & inter Chriſtianos pax, tranquillitas, & caritas conſervetur, hiſce præſertim temporibus, quibus eadem ex malevolorum perfidia videtur velle opprimi, & exſtingui; proindeque certo cognoverimus, qualiter quondam Joannes Heyll ad laudem, & honorem præcipue omnipotentis Dei, nec non ſui ipſius animæ ſalutem, & refrigerium domum ſupra noſtram civitatem Moguntinam ſitam in favorem ſexus muliebris reſipiſcentis, & ſeſe ad meliorem frugem convertentis, cum con-

conſenſu noſtrorum Prædeceſſorum tamquam Ordinariorum fundarit, & dotarit; cui quidem fundationi ſeſe Pœnitentes primævæ etiam pie, Chriſtianeque accommodarint; ex poſt facto autem earundem amor, & pietas ergæ Deum deſierit, perſonarumque numerus ſeu multitudo tum quoad devotionem, tum quoad neceſſariam ſuſtentationem ita defecerit, ut diu ſtare, ſeu manere non potuerit: hinc nos idipſum tamquam Chriſtianus Princeps, & Eccleſiaſticus mature conſideravimus, quomodo talis defectus ſuppleri, & conſervari poſſet fundatio. Et licet antedictus Fundator ſibi, ſuiſque heredibus reſervarit, quocumque tempore hujuſmodi Pœnitentiariæ juxta ordinem hunc ſtatum, atque nomen non ſorent habituræ, quod is ex tunc eaſdem expellere, atque alias Religioſas ſubſtituere, & introducere valeret; nihilominus hoc ex Chriſtiana commiſeratione haud permittere, quin potius per alia opportuna media præfatæ Domui ſubvenire voluimus, ut eidem ſecundum fundationem, deficientibus ejuſmodi Pœnitentiariis, de aliis Religioſis provideretur. Inſuperque Nobis Tertiariæ ſancti Franciſci hucuſque in pago Winternheim habitantes expoſuerunt, quod extrema inopia, maximo periculo, & gravamine adactæ ibidem diutius degere non poſſint, aut commorari, humillime rogantes, quatenus ſi ſibi prædictam domum ſanctæ Mariæ Magdolenæ cum ſuis adpertinentiis concedere, & aſſignare dignaremur, vellent ipſæ adhuc ſuperſtites pauperculas Pœnitentiarias, ad quas nulla amplius cuperet accedere, ad dies vitæ ſecum retinere, & decenter alimentare. Eapropter hiſce jam expoſitis, aliiſque cauſis gravibus multum conſideratis moventibus, præhabito etiam conſilio, conſenſu pariter, & aſſenſu honorabilium, & honeſtorum, devotorum, Nobis dilectorum, Decani, & Capituli noſtræ Metropolitanæ Moguntinenſis, heredumque ſupradicti Fundatoris, per noſtros deputatos Commiſſarios tranſactum eſt, quatenus Pœnitentiariæ Moniales de Winternheim ſuſtiperent, quotquot in ea domo exiſtiterent, intuitu, quod per hoc non tantum eæ de Winternheim ſublevarentur, verum etiam domus, & annexa bona ſanctæ Mariæ Magdalenæ meliorarentur, ac ipſæmet Pœnitentiariæ ædificarentur. Cum vero præter opinionem noſtram illud primitus recuſaſſent, ultronee ex propriis ſuis in alias intra urbem Moguntinam ſituatas ædes migrarunt.

Idcirco ex clementi, gratioſoque affectu utrimque ſuccurrendo, ſicut Nos tamquam Ordinarium oportet, ad ipſarum petitionem Monialibus de Winternheim numero copioſioribus domum Weiſſenam occupandam taliter deputamus, ut ipſæ, illarumque poſteræ eandem poſthac inhabitent, bonaque adhuc extantia uſurpent utendo, fruendo, excolantque. Ut autem Pœnitentiariis ipſis etiam, dum vixerint, ſit proviſum, maneantque ſub Religioſo Ordine, ſtatu, & nomine, aſſignavimus ipſis, prout petierunt, domum quandam in urbe noſtra Moguntina jacentem cum aliquibus vineis, pratis, cenſibus, & utenſilibus tota vita ſua inhabitandam, & uſurpandam, curavimuſque per noſtros Commiſſarios, ut Moniales ſancti Franciſci ex reliquis vineis apud domum permanentibus ipſis annuatim decem florenos pro deputato, jocalium ad inſtar, præter cetera onera exſolvant, vigore contractus per noſtros Commiſſarios, conſentientibus hinc inde partibus, erecti, & conſcripti ſub hoc verborum tenore: Quandoquidem anno MDXLIII. *per reverendiſſimum in Chriſto, illuſtrem, & ſereniſſimum Principem, ac Dominum D. Cardinalem, ac Archiepiſcopum Moguntinenſem Electorem Matri, & Sororibus in pago Winternheim antehac habitantibus in Monaſterio ſanctæ Magdalenæ extra Moguntiam habitare ſit datum, & Pœnitentiariis, quæ jam dictum Monaſterium poſſederunt, domum aliquam intra urbem Moguntinam cenſuerit inha-*

habitandam assignari, & deputari: postmodum vero inter Matres de Winternheim, atque Pœnitentiarias lis sit suborta; quam litem & discordiam ante memoratus Cardinalis, & Arebiepiscopus, ac Elector Moguntinus Nobis Michaeli in Pontificalibus, & Bernardo Seboilen in spiritualibus Vicariis Doctoribus dirimendam & componendam demandavit. Ideo Nos jam dicti Commissarii ambas, ratione Matris & Sororum de Winternheim bonorabilem Dominum Guardianum Nudipedum Franciscanorum ex una, & Pœnitentiarias ex altera, partes coram Nobis comparere curavimus, & inter utrasque subortas lites, & discordias in præsentia utriusque eum earundem consensu, & notitia consopiri atque componi fecimus mediis subsequentibus: primum, ut Pœnitentiariæ utensilia ea, quæ ex domo sanctæ Magdalenæ in domum suam Moguntinam transvexerunt, retineant. Similiter omnes super censibus loquentes litteras, quæ hucusque ad Pœnitentiarias spectarunt, in posterum ad suas manus recipiant, census, prout antea, exigant, iisdem fruantur, & utantur, exceptis iis censibus, qui specialiter in Monasterio sanctæ Magdalenæ pro peractione Divini officii empti sunt, atque fundati, iidem ita acquisiti census illis de Winternheim in Monasterio sanctæ Magdalenæ permanebunt, atque post, ut ante, ad peragenda divina convertentur, & applicabuntur. Ex de Winternheim etiam debebunt ex sex jugeribus vinearum penes Monasterium sanctæ Magdalenæ manentium quinque Pœnitentiariis adhuc superviventibus decem florenos loco deputati, seu jocalium, cuilibet duos, unumquemque per 24. albos computando, annuatim exsolvere hac conditione, ut Winternheimianis pro libitu suo liceat Pœnitentiariis centum paratos florenos specificatæ monetæ una vice pro designato deputato, seu jocaliis numerare, vel ipsis decem florenos, uti supra, quotannis tradere; sic tamen ut quoties aliqua Pœnitentiaria emoriatur, toties semper duo floreni a deputato, seu jocaliis detrahantur. Et tanto minus præstent, ut etiam Winternheimienses proventus, quos Pœnitentiariæ præterita ætate prope Monasterium cedentes, seu extantes emerunt, ac aliis in antiquis debitis ratione Monasterii octo florenos monetæ Moguntinensis successu temporis exsolvendos in se susciplant: & posteaquam Pœnitentiariæ retrolapsis annis præbendariam quandam ..... nunc pro tam assumserint, & ab eadem duodecim florenos receperint, insuper Præbendaria 12. superaddiderit, & sic ad dies vitæ usumfructum in domo sanctæ Magdalenæ habere deberet, per Nos supradictos Commissarios, partibus hinc inde consentientibus, decisum, & pronuntiatum est, ut Winternheimienses illos quatuordecim florenos, quos Pœnitentiariis adhuc de jocali debebant, reservarent, & duodecim florenos, quos Pœnitentiariæ a Præbendariæ accepissent, & posthac præbendariam in Monasterio sanctæ Magdalenæ decenter, uti Pœnitentiariæ eam administrarunt, ad dies vitæ alimentare teneantur. Hinc Winternheimienses decem & octo florenos, quos Præbendaria adhuc solvere tenetur, recipient, & in suum usum convertent. Hæc omnia, & singula, ut supra, utrinque ratione Winternheimiensium præfatus Guardianus ex una, & Pœnitentiariæ ex altera partibus, scienter, & voluntarie acceptarunt, & nobis sunt pollicitæ stricte, firmiter, & inviolabiliter servare. In cujus fidem nos ambo Commissarii nostra sigilla huic compositioni appendimus. Datum anno a Christi Nativitate MDXLIV. XXIX. *die Januarii.*

Ut autem in futurum omnis generis rixæ præveniantur, volumus, ut Pœnitentiariæ nullam personam amplius in suum ordinem susciplant, & fundationis litteris, & omni pretensioni & impetitioni sibi in præfata domo illiusque adpertinentiis sibi competentibus absque ulla exceptione renuntient,

numquam in æternum recordaturæ, nec allegaturæ per ſe ipſas, aut quemlibet alium earum nomine prorſus nullo modo, qui poſſet excogitari. Volumus etiam, ut Pœnitentiariæ bona ſua, quæ eis ad dies vitæ pro ſuſtentatione aſſignata ſunt, nullo modo debeant alienare, oppignorare, aut divendere, aut ullo onere gravare, ſed illa excolere, & elaborare, & ea ipſa bona poſt emortuas Pœnitentiarias ad ante dictam domum S. Mariæ Magdalenæ devolventur, ſpectabuntque. Idcirco Nos Albertus Cardinalis Archiepiſcopus Elector, ut Ordinarius, & Princeps, auctoritate ordinaria tranſactionem Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci, altera ex partibus per noſtros deputatos Commiſſarios conſentiente, confecimus, & ereximus, nec non omnia, & ſingula puncta, & articulos, ut ſupra confirmavimus & corroboravimus, confirmamus & corroboramus eoſdem per præſentes, & caſſantes revocamus, & annullamus omnem fundationem, & litteras, quas prænominatæ Pœnitentiariæ deſuper habuerunt. Volumus quoque, ut hæc confirmatio, & compoſitio in omnibus ſuis punctis, & articulis, ordinationibus, & opinionibus utrinque obſervetur, & adimpleatur ſub cautione noſtræ pœnæ, & indignationis, omni dolo, & fraude excluſis. In cujus atteſtationem ſigillum noſtrum præſentibus curavimus appendi. Et nos Joannes a Cronberg Decanus, & Capitulum univerſum Metropolitanum Moguntinenſe fidem facimus hiſce, omnia, & ſingula præmiſſa, ſcientibus, & volentibus Nobis, ita geſta, & acta eſſe, conſentientes in eadem per præſentes, inque teſtimonium Capituli noſtri ſigillum, quo ad cauſas utimur, juxta memorati noſtri gratioſi cari Domini ſigillum hiſce litterit appendimus. Datæ in arce noſtra ſancti Martini die Lunæ poſt Exaltationem ſanctæ Crucis anno MDXLIV.

L. S. Archiepiſcopi. L. S. Capituli.
Albertus Card. & Archiep. Moguntinus manu propria.

Fulginienſe cœnobium Virgines tres nobilitant e diſciplina B. Claræ.

XXXI. In Fulginienſi noſtrarum Virginum cœnobio, quæ inſtitutum beatæ Claræ profitebantur, Sorores tres hoc anno obierunt, magno ſui deſiderio apud omnes relicto; quarum nomina ſunt Euphroſyne, Sixta, Birgitta: quæ ſingularem in modum ſuis quæque virtutibus præſtitiſſe ferunturi Sixta enim precandi uſu, & conſuetudine; Euphroſyne humanarum rerum, ſuique contemtu, floruerunt. Birgitta vero cum difficili morbo conflictata miram ſane patientiam, animique æquitatem præ ſe tuliſſet, inſignem laudem ſanctimoniæ inter ceteras comparavit.

Maria Vaſquefia moritur.

XXXII. Apud Alcocerum Salinarum Luſitaniæ oppidum naturæ conceſſit Maria Vaſqueſia, quæ ineunte adoleſcentia cum in cœnobium noſtrarum Virginum nomen dediſſet, maturis Virgo moribus acerbam mortem oppetiit. Sub ejus obitum Chriſtus Jeſus inter cœleſtium Spirituum choros cœnobii ſepta circumviſſe fertur; ut migrantem videlicet ſponſæ animam ipſe ſuſciperet, atque ad capienda laborum præmia in cœlum deduceret.

Ejus laus.

Joannes Haya in Obſervantibus Concionator inſignis.

XXXIII. Apud Namurcum civitatem in Belgio Joannes Haya ex Obſervantium familia, inſignis hac tempeſtate concionator, extremum vitæ diem morte conſecit; qui cum pluribus familiæ cœnobiis præfuiſſet, tum tertium Miniſter provinciam Belgicam procurabat.

Thomas a Renda motum integritate celebris.

XXXIV. His denique adde Thomam a Renda Hiſpanum, in Obſervantium cœtu multi nominis virum; qui nullis licet aut ſacris initiatus, aut litteris imbutus, morum tamen integritate, vitæque innocentia tantam a Deo gratiam inire promeruit, ut dignus evaſerit, cui Chriſtus ipſe ſupre-

premum vitæ diem pro ſua in eum charitate prænuntiaret: quem ubi Thomas illuxiſſe cognovit, continuo omnibus Eccleſiæ ſubſidiis comparatis, in genua provolutus ad precandum aggreditur. Tum vero oculis, animoque defixus in Deiparæ effigiem, nullo morbo correptus placidiſſime efflavit animam. Illum præterea miraculorum gloria inter ſuos inclaruiſſe nonnulli prodiderunt.

ARGUMENTUM.

Tridentinæ Synodi initia. Ex noſtris qui interfuerint. Cornelii Muſſi ad Patres Concilii, ubi primum convenerunt, oratio pleriſque probatur. Boverii commentum, quo præfectos familiarum de principatu certantes inducit, perſpicue refellitur. Capucinis, ut concionei habeant, permiſſum eſt a Pontifice Maximo. Obſervantium in Peruvia labores, eorumque uberrimi fructus referuntur. Floret in Mexicanis Ludovicus a Fuenſalida. Obſervantes in India Orientis neophytis confirmandis egregiam operam locant. Cum vero eiſdem ſacerdotes externi negotium faceſſerent, Pontificis Maximi auctoritate coerciti ab incæpto deſiterunt. Ex Obſervantibus quinque in Pannonia glorioſo martyrio nobilitati. Franciſci Villari, qui Segobrigenſis reguli filius natu maximus fuit, & Obſervantibus aggregatus, egregiæ virtutes. Antonius Guevara ex Obſervantium familia Mindonienſis Epiſcopus diem obivit. Ejus res geſtæ referuntur, ac ſcripta vindicantur. Alii plures virtutibus clari. Conduntur cœnobia. Ampliantur favores Pontificii.

I. Compoſita inter Reges Chriſtianos pace, Pontifex Maximus ſalutare conſilium, quod de hæreſi profligandæ ſuſceperat, ad exitum perducere, Conciliumque ea de cauſa celebrare omnibus modis inſtituit. Quod bene, feliciterque ceſſurum jam tum omnes augurabantur, qui Dei opem laboranti rei Chriſtianæ non deſuturam intelligebant, quique eas artes animo reputabant, quibus hoſtis humani generis eam Patrum celebritatem diſſolvere, ac diſturbare conatus erat. Neque enim ille tanto ſtudio id egiſſet, niſi jacentem, afflictamque rempublicam excitari poſſe ea ratione præſenſiſſet: nec ſane Paulus in agendo Epiſcoporum conventu tantam animi contentionem adhibuiſſet, niſi conſtanter ſperaſſet fore, ut hominum moribus priſtinæ ſeveritati reſtitutis, omnibuſque idem de recta fide ſentientibus, facile non modo hoſtium vim repellere, ſed etiam priorum temporum calamitate amiſſa recipere, & vindicare poſſet. Quæ ſi aliquando ſingula tantum habere momenti viſa ſunt, ut agi de illis, niſi frequentiſſimo Epiſcoporum concurſu pro dignitate non poſſet, quid de tali, ac tanto Pontifice exiſtimandum eſt, quem tot, ac tam graves cauſæ ad agendum Concilium impulerunt? præſertim veteri Chriſtianæ reipublicæ diſciplina ita collapſa, & in tantam perturbationem adducta, ut etiamſi nullus vel hæreticorum ſeditiones, vel Turcarum incurſiones metuiſſet, ad colligendas tamen antiquæ ſeveritatis reliquias convenire Antiſtites oportuerit, & ſuo quemque loco ſententiam dicere. Ubi enim ſoluti mores hæreticorum improbitati, & hoſtium victoriæ aditum patefecerant, una ſpes erat fore, ut, ea parte diligenter conſtituta, qui a fidei veritate defecerant, aliquando redirent ad ſanitatem, quique imminebant Chriſtianorum cervicibus barbari, conjunctis Catholicorum viribus opprimerentur. Itaque Pau-

Paulus III. ad Concilium Tridentinum Præſides mittit.

lus tantarum rerum molem complexus animo, tres Cardinales egregios viros, pietatiſque, ac ſapientiæ laude præſtantes Tridentum miſit; quos & Concilii Prælides deſignavit. Hi fuere, Joannes Maria de Monte Epiſcopus Prænestinus, qui poſtea Julii III. accepto nomine Paulo ſucceſſit; Marcellus Cervinus, qui Pontificatum & ipſe geſſit; Reginaldus Polus religionis Catholicæ acerrimus propugnator. Præter Antiſtites Eccleſiarum, complures e ſacris familiis optimi viri, vel ipſius Pontificis, vel Principum miſſu convenere; quorum nominis gloriam nulla temporis longinquitas minuet, nulla umquam delebit oblivio. Ex noſtris interfuere multi, minimeque vulgari ſcientia Theologi; Joannes Calvus Ordinis Præfectus; Bonaventura Pius Conventualium Magiſter Generalis, aliique.

Cui Franciſcani pietique interfuere.

Cornelius Muſſus ſupra ceteros eminet.

Verum unus ceterorum ſplendorem viſus eſt obſcurare eloquentiæ, & eruditionis gloria Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus; de cujus viri laudibus plura mihi dicenda ſunt, ut omnes intelligant, in ampliſſimo illo ſummorum virorum conventu ita Cornelium excelluiſſe, ut Minorum familia, etiamſi alium præterea neminem habuiſſet, unius virtute, rebuſque præclare geſtis ornanda, & illuſtranda fuiſſet. Plenæ ſunt ſapientium litteræ, plena illorum temporum monumenta ejus laudibus, atque præconiis, ut mihi in his perſequendis non ſit magnopere laborandum. Ut domeſticos ſcriptores omittam, Muſſum ornarunt inſigni teſtimonio ſapientiæ Fridericus Borromæus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Archiepiſcopus Mediolanenſis in libro de claris Oratoribus ſuorum temporum; Sforzia Pallavicinus maximi vir ingenii, qui & ipſe ob hiſtoriam Concilii doctiſſime ſcriptam Romanæ purpuræ honorem eſt conſecutus; Ferdinandus Ughellus Italiæ ſacræ tomo ſecundo, ac ſeptimo; Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro; Hieronymus Ghislerius in Theatro virorum illuſtrium; & alii innumeri. Spondanus ex actis Concilii diſertiſſimum omnium Concionatorum fuiſſe refert. De illo ita Marracius: *Cornelius Muſſus Ordinis Minorum ſancti Franciſci natione Italus, patria Placentinus a Paulo III. Pontifice Maximo factus Epiſcopus Bituntinus, vir vitæ innocentia, morumque integritate inſignis, doctrina, omnibuſque ſcientiis exculti ſſimus, concionator facundiſſimus, atque incomparabilis, Catholicæ fidei propugnator acerrimus; cujus ingenii, & eloquentiæ præſtantiam numquam interitura monumenta teſtantur.* Gaſpar Contarenus, & Petrus Bembus, duo clariſſima Italiæ lumina, Cornelium noſtrum audientes dicere ſolebant, non hominem certe, ſed Angelum quendam ad inflammandas mortalium mentes e ſuperorum delapſum ſedibus ſibi videri. Extat etiam Maffoni ſcriptoris non contemnendi judicium ejuſmodi: *Cornelius Muſſus eloquentiſſimus mortalium, ſi eloqui eſt Italice dicere: tam diſerte enim, appoſiteque vir ille concionabatur, ut rapere hominum mentes, atque a ſeipſis abalienare videretur. Sacrarum ejus concionum aliquot volumina ſuperſunt, quæ teſtabuntur poſteris mirabilis illius viri facundiam. Admodum adoleſcens Franciſcanis ſeſe devoverat. Poſtea Epiſcopatu Bituntino ob facundiam donatus eſt a Paulo III. amantiſſimo excellentium ingeniorum. Cumque Pontificatum iniens Gregorius illum ſibi adeſſe juſſiſſet, laboreſque homuncionis illius (quippe futura puſillus erat) honeſto aliquo munere ornare vellet, ſexageſimo tertio ætatis anno deceſſit, reparatæ vero ſalutis ſeptuageſimo ſexto ſupra ſeſquimilleſimum. Atque eo me beatiorem puto, quod Cornelium publice dicentem Neapoli ſemel audivi.* Hæc de multis elogia clariſſimi viri ſeligenda putavi, & in hunc locum congerenda, ut prudens lector animadvertat, quam inique hæretici quidam, aut hæreticorum ſimiles orationem

In Bibliotheca Mariana.

In lib. de Epiſcopis Urbis in Greg. XIII.

Cor-

Cornelii, quam in Antiſtitum congreſſu habuit, paſſim carpere criminando fuerint auſi. Sed ſatis eos pro dignitate confutavit Pallavicinus, qui & ejuſmodi voces improborum levitatis indices a prudentibus viris merito contemnendas exiſtimavit. Hanc orationem ſubjicere æquum duxi, ut eruditionem viri vel ex ea una conjiciant, qui cetera illius opera numquam legerunt.

Oratio R. P. D. Cornelii Epiſcopi Bituntini tertia Dominica Adventus in Concilio Tridentino habita.

Cornelii Muſſi oratio habita in Concilio Tridentino.

Gaudete in Domino Patres, gaudete in Domino Fratres, iterum dico, gaudete omnes: ecce enim tempus acceptabile, ecce dies certiſſimæ, expetatiſſimæque ſalutis, quo non modo homines, quibus natura parens ſenſum, & mentem dedit, ſed & ipſa emortua tecta, inanimes agri, monteſque, & valles lætari mihi videntur; quia aliquando tandem propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum excitatus eſt Dominus: & quæ nobis interitum beri, & nudiustertius minabantur, dum is vel dormire, vel longius ire, myſterio, non dolo ſimularet, eo vigilante, cuncta illius ſupercilio bodie paveant, & palleant; fileſcant irata maria, reeludantur in theſauros ſuos venti, denique funeſta omnia abeant, feſta omnia redeant. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio Jeſu Chriſte, fons miſericordiarum, per quem jam oculis noſtris videmus, & manibus noſtris tangimus beatam illam ſpem, quam ante nos multi videre voluerunt, nec potuerunt, a longe portum navigantium more ſalutantes, non apprehendentes promiſſionem, ne ſine nobis conſummarentur.

Vos adeſte mihi animis omnes, ut adeſtis corporibus: Spiritum ſanctum terribilem has caſtrorum noſtrorum aciei habitantem, ſanctum hunc cœtum intuentem, & juvantem, Concilii auctorem, & adjutorem, Eccleſiæ Præſidem, & Obſidem, opportunis importuniſque pulſate precibus, ut labia mea aperiat, ut aures veſtras expurget, ut ipſi tranquillis mentibus intendatis, ut ipſe habeam verba paria ſanctæ rei. Hanc vero orationem ſane meam, poſtquam ego hujus cauſæ patronus, non tam electus ſum ex omnibus, quam relictus, & qui unus ob veſtram ſummam omniam auctoritatem, atque amplitudinem in concionem aſcendens, nullo periculo dicere poſſum unde vel aptius, vel felicius auſpicari queam, quam a ſacroſancta hujus Concilii neceſſitate, quæ profecto tanta eſt, ut omnium hominum animos (ſi qua in Chriſtium fides, ſi qua viſcera pietatis) inflammare maxime poſſit, & debeat. Nam poſt Concilium illud amabile, cujus etiam ſola memoria recreamur, quo, lætante cœlo, & exultante terra, Florentia aridum orbem florere fecit, medium parietem macerie ſolvens, & duos populos condens in unum, non quinque, non ſeptem, neque decem, quod conflantiſſima Conſtantia conſuluerat; ſed ſi ultimum Lateranenſe ſubduxeris, centum fere annis, prob dolor! quibus & domi, & foris, & telis, & facibus obſeſſa Eccleſia, vexata contumeliis, jactata injuriis, ſollicitata ſuſpicione, ſuſpenſa metu, dira, & dura perpeſſa eſt, longo Concilii deſiderio fatigata velut dolores parturientis habens, quæ cruciatur ut pariat? Clamans ini Concilium, imo coge Concilium, Concilio deſtituta pene languet, exaruit, defecit, eo calamitatis, & miſeriæ prolapſa, ut niſi eſſet ſervuta divinitus, fruſtra modo pro illius ſalute conventus hic ſacratiſſimus haberetur. Jam enim libertas, pax, tranquillitas, jura, leges, fortuna, opes, bonor, imperium denique ipſum, agri, urbes, mœnia, ædes, tecta, ſedes, areæ, omnia quibus ſpiritum, vitamque ducimus, amiſſa eſſent, ve-

velut quæ cum religione ita implicita eſſe, & cohærere videntur, ut non poſſit vuere, quin eodem debilitata modo omnia concidant. Non enim Aſiaticis opibus, Patres, non potentia Perſarum, non Hiſpaniarum bellicoſiſſima illa multitudine, non infractis viribus Gallorum, non Græcorum artibus, & technis, non calliditate Pœnorum, non Germanorum conſtantia, non Italorum armis, atque ingenio, ſed una religione, & pietate hæc omnia nata ſunt, aucta, & retenta.

Et cur, quæſo, putatis, omnis ordinis viri prudentiſſimi, magnam hanc Angelorum frequentiam, luminaria hæc Eccleſiarum, tot, inquam, Epiſcopos, Magiſtros populorum, Patres omnium, miniſtros Chriſti, Chriſtos Domini, ora, & oracula Dei, tam multis terrarum, mariumque difficultatibus ſuperatis, relictis etiam gregibus, quos anima charioreſ habere oportuit, exiiſſe de terra ſua, & de cognatione ſua, ut alienas caſulas magni hoſpitis implerent? niſi quia vicit iter durum pietas: nam ſancta eorum pectora imminens totius Eccleſiæ excidium coegit, ut crudele, & nefarium exiſtimarent, horrificum hoc bellum, quod omni imbutum odio, ac parietibus, & tectis, & columnis, & poſtibus, & ipſis etiam fundamentis noſtris illatum eſt, ſpectare, tangere, experiri, nec interim inito Concilio opponere ſe murum pro Iſraël, quando non ita pupilla oculi tegitur coeuntibus ciliis, ut defenditur Eccleſia ſancta Conciliis. Neque enim ob aliud magno huic corpori Deus varias, multipliceſque gratias, ut & membra, diſtribuit, niſi ut, quod in ſingulis diſperſa virtus non poteſt, in omnibus invicta unitas efficiat, quemadmodum & ipſa natura manus nobis geminas, geminoſque oculos, pedes item geminos ideo dediſſe videtur, ut quaſi collecta Concilio parvus hic mundus ſeſe juvare poſſit: nam manus manum iavat, pes pedem ſuſtentat, ſiniſtra ſuſciuntur dextris, ſiniſtriſque dextra levantur.

Et quis neſciat res arduas, atque difficiles, quæ ad unam ſanctam Catholicam, ac Apoſtolicam pertinent Eccleſiam, in Concilio, & cœtu Patrum, ubi ſuo quiſque loco ſententiam dicit, tractari prudentius, maturius definiri, probari ſolemnius, & gratiuc a cunctis populis acceptari? Neque enim temere dictum eſt: multitudo ſapientum ſanitas orbis; ibi laus, ubi multa Concilia. Sane nec Moyſes leges tulit, ante initum Synagogæ Concilium, neque ſanguinem fœderis reſperſit, niſi in Concilio; neque Apoſtoli Matthiam, aut ſeptem Diaconos elegerunt extra Concilium, neque prima illa juris Eccleſiaſtici decreta ediderunt, niſi in Concilio, in Concilio, inquam, illo, quod naſcentem in gentibus Eccleſiam, ne vel abortum patiendo, vel ſuffocationem, interiret, apud Hieroſolymam liberavit: & ubi Apoſtolicum Symbolum anguſtum verbis, non anguſtum ſacramentis, eſt explicatum latius, atque defenſum, quam in quatuor illis Conciliis, Nicæno, Epheſino, Conſtantinopolitano, Chalcedonenſi? Scripturæ ſanctæ canonicæ ubi delectæ ſunt, niſi in Concilio Laodiceno, & Carthaginenſi? Hæretici ubi revicti ſunt, ubi damnatæ hæreſes, ligatæque in faſciculos ad comburendum, niſi in Concilio apud Lateranum, apud Conſtantiam, apud Antiochiam, apud Viennam? Mores tum populi, tum principum, ac ſacerdotum quando emendati in melius, præterquam in Conciliis Gregorii VII. Alexandri III. Urbani VI.? Unio diſſidentium nationum ubi coaluit umquam felicius, quam in Concilia Lateranenſi, & Florentino? Turcæ rabiem quam umquam Chriſtianorum potentiam, atque animum ita ſenſit, ut in Lateranenſi illo Concilio, ubi trecenta hominum millia ad reparandam Hieroſolymam invictæ Crucis ſignum ſuſceperunt? Sed & Chriſtiani Principes diu in Eccleſiaſticam poteſtatem tyrannico furore ſurrexerunt, qui flectere genua, & caput ſubmittere debuerant: nonne ſacris

Con-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Mino-
1545.	anno 11.	anno 27.	rum anno 338.

Conciliis ſunt depoſiti, percuſſi anathemate, pulſi regno, atque imperio? ut Ladiſlaus, Leo III. Henricus III. Fridericus II. Conſtantinus VI. Quin ipſa ſchiſmata, quibus maxime frangitur, & evertitur Eccleſia Chriſti, non ſedantur umquam facilius, quam Concilio. Quod vetera exempla docent Symmachi, Benedicti, ac Gregorii. An non etiam conciliabula, ac malorum omnium conventicula, colloquia mala, quæ corrumpunt bonos mores, diſſolvuntur ſacris, & legitimis Conciliis, ut latrocinium illud Epheſinum ſecundum, Ariminenſe, Piſanum, Mediolanenſe? Porro Summorum Pontificum gloria, quæ numquam non blaſphematur ab impiis, Conciliorum virtute emergit clarior ſemper, atque illuſtrior: quod in ſumma patuit in Xyſto, in Marcellino, in Leone. O certe magna Conciliorum virtus. Hinc & poetæ Concilia deorum inducunt: & apud Moyſen, dum hominem, mundi miraculum, ex terra fingit Deus omnipotens, quem individuæ partitum, dividuæque conjunctum in ipſo ſupernaturalis hiſtoriæ veſtibulo docuerat, eſt vox illa pene conciliaris, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: altera quoque ad magnos illos Gigantum auſus reprimendos, venite confundamus linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui. Enimvero, Patres, ut præſentem rerum ſtatum compendio perſtringam (nam laconis mihi partes reliquiſſis, cum oratoris admiſiſtis) cum noſtra religio tribus quaſi capitibus conſtet; doctrina fidei, qua ut pane cæleſti vivimus, & ſaginamur; ſacramentis, quorum ſecreta ſacraque virtute Deo conciliamur in gratiam; charitate, qua ut nota præcipua Chriſtus agnoſci ſuos voluit a cæteris, quæ illud eſt fidei, quod lux coloribus, id ſacramentis, quod ſanitas medicinæ; quid iſtis temporibus expoſcit doctrina Catholica, niſi Concilium? quid poſtulant ſacramenta, niſi Concilium? quid communis charitas quærit, niſi Concilium? Deum immortalem! quam ſuperbe contentioſis noſtris concertationibus, quibus jam ſubverſus eſt orbis, præclara illa antiqua fidei noſtræ monumenta vexantur? quam perverſe Dei verbum vel poſthabetur, vel mutilatur, vel torquetur, vel intervertitur? quam temere etiam interdum a nobis, ut nonnihil ſcire videamur, unanimis ille omnium ſeculorum conſenſus nihili penditur? quam ingrate inter viſcera noſtra, ne Græcos commemorem, ſancta illa Romana Eccleſia omnium, quæ ſub cælo ſunt, Eccleſiarum nutrix, mater, & magiſtra, atque veræ doctrinæ Chriſtianæ vere lapis lydius, deſpicitur, reprobatur? & jam ſumus tanquam parvuli ipſi, qui circumferuntur omni vento; ut ſolidius ſibi conſtet Judæus, quam Chriſtianus.

Tacebo ne, qui vilueriit inter Chriſtianos felix illa Baptiſmatis renaſcentia, admirabile Euchariſtiæ ſacramentum, majeſtas ſacerdotii viſibilis, omnium Eccleſiaſticorum Ordinum firmamenta certiſſima, & maxima? An non & periit fervens ille amor, & in alterutrum, & in Rempublicam, quo olim Chriſtiani omnes (o dulce, & charum nomen) fratres vocabantur? Et impletum eſt Pauli Apoſtoli vaticinium, erunt homines ſemetipſos amantes. Profecto niſi periiſſet, non a ſanctis illis moribus, non ab honeſtis illis inſtitutis, quæ obſervata Rempublicam noſtram feliciſſime ſemper auxerunt, eſſet jam ubique modis omnibus degeneratum. Quibus enim turpitudinum monſtris, qua ſordium colluvie, quæ peſte non ſunt fœdati, non corrupti in Eccleſia ſancta Dei & populus, & ſacerdos? In veſtro judicio cauſam repono, Patres, & a ſanctuario Dei incipite, ſi ullus jam pudor, ſi ulla pudicitia, ſi ulla ſupererat bene vivendi vel ſpes, vel ratio, ſi non libido effrenata, & indomita, ſi non audacia ſingularis, ſi non ſcelus incredibile. Heu! quamodo obſcuratum erat aurum, quomodo mutatus color optimus: nam duæ illæ ſanguiſugæ, quæ ſemper dicunt, affer, affer, altera mater, altera nutrix malorum

lorum omnium, cupiditas, inquam, & ambitio, utraque ſubtile malum, utraque ſecretum virus, peſtis, & monſtrum orbis (dum ab iis, quot tamquam vivas, & animatas leges ſequi oportuerat, virtus ac doctrina negliguntur; vitium, & ignorantia, eorum loco, ſummis extoliuntur honoribus) effecerunt tandem, ut ædificatio in deſtructionem, exemplum in ſcandalum, mos in corruptelam, cuſtodia legum in contemptum, ſeveritas in relaxationem, miſericordia in impunitatem, pietas in fucum, & hypocriſin, prædicatio in contentionem, & faſtum, in turpiſſimum mercatum: grave hoc eſt (ut uno verbo dicam) vitæ odor in mortis odorem infeliciſſime commigraverit. Quid mirum, ſi inde & diſperſæ ſunt oves, & erraverunt in cunctis montibus, & agris? & potentiores quidem ab auctoritate in dominium, a dominio in tyrannidem, a jure in injuriam, a ſceptro in virgam ferream, a Dei cultu ad impietatem, a tutela Eccleſiæ ad internecionem, a modo ad libidinem, a ratione ad nutum, a tributis ad importabilia onera, a pace ad bella crudelia, a ſimplicitate ad dolos, a prudentia ad malitiam, a liberalitate ad luxum, a parſimonia ad avaritiam, ab ornatu ad pompam, ab obedientia ad apertam rebellionem converſi ſunt? Utinam non a religione ad ſuperſtitionem, a fide ad infidelitatem, a Chriſto ad Antichriſtum, quin a Deo ad Epicurum, vel ad Pythagoram, velut prorſus unanimes, declinaſſent, dicentes in corde impio, & in ore impudico, non eſt Deus. Neque tandiu fuit paſtor, qui requireret. Patres, non fuit, inquam, qui requireret, quia omnes, quæ ſua ſunt, quærebant, quæ Jeſu Chriſti, ne unus quidem.

Hinc illis aliud agentibus, & in utramque aurem dormientibus, quos greges paſcebant, non paſcebantur greges ab eis (nam parvuli petierunt panem, & non erat, qui illis frangeret) ſerpebat in orbe infinitum malum, ereſcebat in medullis, ac viſceribus noſtris, & in dies manabat latius, ut non modo ornamenta, dignitates, præſidia ſtabilitatis, & libertatis noſtræ quondoque amitteremus, ſed cum dedecore, & ignominia, quod miſerrimum, & turpiſſimum eſt, ſerviremus. Nam cervicibus noſtris imminebant Turcæ, neque Auſtriæ modo, & Germaniæ, ſed Italiæ, ſed Urbi, ſed Orbi pernicicm moliebantur, & ferrum, flammamque minitantes furebant audacia, ſeculus anhelabant, ſuperbi victoriis, elati triumphis, ditati ſpoliis Chriſtianorum; non ereſcebant ſuis viribus, ereſcebant noſtris corruptis moribus; non tam erant hoſtes, quam flagellum Dei; armis eorum impugnabamur, ſed peccatis noſtris expugnabamur; agebant illi ſua feritate, ſed patiebamur noſtra iniquitate. Utinam vel ipſi ſoli paſſi fuiſſemus, neque interim ſanctum illud, admirabile nomen Chriſti Jeſu, amandum Angelis, tremendum dæmonibus, mortalibus adorandum, propter nos, quorum diſſidia, & flagitia in omnem jam Orbem fœdiſſimo rumore penetrarunt, jocus fuiſſet, & fabula perfidis Judæis, ac gentibus. Nemo veſtrum mihi, quæſo, ſuccenſeat, Patres, & Fratres: mementote, quoniam meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis.

Itaque ne, cujus amplitudinem, & gloriam extendere animus erat, illius incolumitatem, & ſalutem deſerere videretur, ſanctiſſimus ille non tam ætate, quam prudentia ſenex Paulus III. primæ Sedis, & Catholicæ, & Univerſalis Epiſcopus, poſt omnium hominum memoriam & fortiſſimus, & optimus Pontifex, quem omnium gentium linguæ celebrabunt, nullaque unquam ætas de illius laudibus conticeſcet, optime intelligens, ſe non ſibi, ſed nobis in tantis periculis, in tam grandæva ætate, in tam duris itineribus, in tam magnis anguſtiis fuiſſe magno miraculo reſervatum, cujus ſapientia, fide, poteſtate e tantis malis erepti, Deo quandoque ſine timore ſerviremus, non

nunc

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 338.

nunc primum, ſed ab ea die, qua concuſſa in ſinum illius noſtra conjugit reſpublica, ut teſtaretur, illum ſummo hoc pontificatu beare nos potius, quam beari, majora beneficia dare, quam accipere, at doctrinæ antiquæ ſinceritatem colligeret, & ſacramentis priſtinam majeſtatem reſtitueret, ut collapſos mores Eccleſiaſticorum, Regum, Principum, & plebium revocaret ad normam veræ pietatis, & diſciplinæ; ne forte propter malos piſces alicubi retia rumperentur; ut a quibus intus, & foris oppugnabamur, illos per reliquias bonorum virorum placaret, hos per Dei potentiam reprimeret, hoc eſt, ut jam cadentem rempublicam noſtram confirmaret, ut afflictam erigeret, ut perditam recrearet, & liberaret conſtigrantem, & pene exuſtam: conſentiente, & favente Cæſare, magno quodam, & novo Conſtantino Auguſto, & omnibus Romanorum Imperatoribus meliore, ac feliciore, jamjam, Inquam, dum ab eo domitæ Africæ Cæſar ſuper alta Urbis Capitolia altior ipſe triumphos reportaret: probantibus ſummis Francorum, Romanorumque Regibus, ut ſanguine, ſic fide, & pietate germanis, Franciſco Chriſtianiſſimo, cujus gloria non paucioribus, quam ſolis ſpleudor, regionibus, & terminis continetur; Ferdinando, qui adverſus perpetuos Chriſti hoſtes armis, & animo invicto murus ſemper fuit, & antemurale: hortante pio Portugalliæ Rege, cujus ſancto nomini, ne hic facis eſſe videretur, a Deo datus eſt novus Orbis: annuntiantibus demum, ac rogantibus omnibus Catholicis Principibus, Statibus, Ordinibus, maximo animo, fide ſincera, conſtantia ſingulari, quæ nobis gloriam, amicis lætitiam, hoſtibus dolorem afferret, & gemitum: quaſi ad ſacram anchoram, quaſi ad portum ſalutis, quaſi ad aſylum, ad domum refugii, ad aream munitiſſimam, unde reipublicæ noſtræ mille propugnacula pendent, ad ſacroſanctum œcumenicum Concilium, quod collapſæ Eccleſiæ ſemper fuit, & eſt ſpes unica, more majorum confugiendum eſſe, & providit, & deliberavit, nullam exiſtimans tam morboſam, nullam tam vagam, nullam tam perditam, & errantem ovem, quam bonus paſtor non ſanare, non reducere, non requirere cupierit. Quæ tam immemor poſteritas erit, quæ tam ingrata hiſtoria reperiretur, quæ hujus rei gloriam, qua nulla unquam geſta eſt vel major, vel glorioſior, non immortali memoria proſequatur?

Audiantur hic, Patres, inter vos votes illæ, quæ apud Chalcedonem olim audiebantur, vivat Paulus ſanctiſſimus, œcumenicus, Apoſtolicus. En noſtis Nicæam, noſtis Lucam, Buxetum, noſtis nemora, flamina, maria, quanta fecit, quanta tulit, & patria, & virtute vere Romanus Paulus III. ut congregaret filios ſuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas. Et quis hominum eſt tam ignarus, tam in republica rudis, tam nihil, inquam, nec de ſua, nec de communi ſalute cogitans, qui neſciat, ut primum per bellorum incendia, & tumultus licuit, ſpe induciarum concepta inter orbis Monarchas, Mantuæ primum, deinde Vicentiæ, & jam altera vice Tridenti, quod diplomata, quod æbum, & terra teſtantur, ab optimo hoc reipublicæ noſtræ parente, & quaſi Deo indictum fuiſſe orbi generale Concilium? Cum primum igitur data eſt de exlis pax aurea, atque auguſta, quam longius fugientem hic cælo diguus Pontifex in ſpem contra ſpem ſequebatur, & perſequebatur, ſancta Synodus, conſtanti ſemper retenta animo, translata magna ratione, dilata dura neceſſitate, jam quarta vice ſuperiore anno indicitur, & tandem aliquando, tot antea actis menſibus, congregatur: & hac ipſi die omine omnium feliciſſimo, dum luna tenebras vertit in lucem, &, quia Dominus prope eſt, decreſcunt noctes, ereſcunt dies: his ductibus, atque ſuo ipſius Sedis Apoſtolicæ nomine auctoribus, quos in hac ſancta corona emi-

nere videt nova Hieruſalem; Joanne Maria de Monte, cujus ſurſum & oculi, & corda ad montem, qui Chriſtus eſt, unde veniat auxilium nobis, perpetuo diriguntur; Marcello Politiano, qui jamdudum ad unam Chriſtianæ politiæ emendationem, cujus labefactati mores hoſtibus noſtris aditum præbuerunt, graves illas adjecit ſeveri animi cogitationes; Reginaldo Pola non tam Anglo, quam Angelo: idipſum generale Concilium legitime indictum, legitime congregatum, Spiritu ſancto aſpirante, ingredimur, aggredimur: non in latibulis Græciæ, non in angulis Africæ, non in deſertis Arabiæ, non in finibus terræ, ſed in ampliſſimis foribus potentiſſimæ, & ſemper auguſtæ Germaniæ; quæ ut virtute bellica, & hominum numero, ſic religione, & conſtantia fidei ceteris nationibus præſtant, clariſſimis facinoribus, quæ nec deleri oblivione, nec æternitate obſcurari poterunt, ſane iſto Chriſtiani orbis imperio n Romanis Pontificibus tot antea ſeculis merito donnta eſt.

Jam quis nolit in hujus Concilii ſocietatem, velut in equum Trojanum, obſide iſta ultima Tridentina urbe, cum Principibus imperii, & religionis includi? Adjuro vos Tridentini ſaltus per capreas, cervoſque camporum, antequam aſpiret dies, & inclinentur umbræ, reſonate per concava montium ad extrema terræ, ut a ſolis ortu ad occaſum, ab aquilone nd meridiem cognoſcant tempus viſitationis ſuæ, & ſe Concilio conciliari. Quis erit tam injuſtus rerum æſtimator, qui non dicat, papæ lux venit in mundum? Sed dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: omnis, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, quia mala ſunt. Quamquam non vult Concilium ulciſci, Fratres, vult tolerare; non venit mactare, venit ſalvare; emendare omnes cupit, non delere; non erit rigiditati locus; ſi abundavit delictum, ſuperabundabit & gratia. Heu! cur non ades invictiſſime Cæſar, Conciliorum protector, defenſor fidei, propugnator Eccleſiæ, qui tot regna, fortunas, populos, vitam denique ipſam terra, marique pro Chriſto tuo in diſcrimen obtuliſti? Adeſſes ſaltem tu Didace, & longo rerum uſu, & ingenti fortunæ varietate prudentiſſime. Quamquam enim Divino illo judicio ſuo in aliis rebus utatur Cæſar, elegit te tamen, ut illius perſonam ſuſtineres: magna certe in te fides, & gravæ tuæ ſpectatæ virtutis teſtimonium: ſed ſolo tuo nomine, ac opinione Tridentinum Concilium promovere potes: nec enim tibi vel prudentia deeſt, vel auctoritas, vel felicitas.

Ab oriente addue ſemen Chriſte Jeſu, ab Occidente congrega reliquias; dic Aquiloni, & Auſtro, noli prohibere: piſcatores ſunt hominum Patres Concilii, piſcabuntur eos de aquis multis: venatores ſunt, venabuntur ad vitam, non ad mortem: paſtores ſunt, animam ſuam ponent pro ovibus Domini, & ſi quam invenerint aberrantem, imponent ſuper humeros ſuos, & convocatis amicis dicent; congratulamini, quia invenimus ovem, quæ perierat: debitores ſunt, ut rationem reddant paſcentibus de ea, quæ in eis eſt, fide, ac ſpe. Iidem ſatisfacient omnibus Græcis, barbaris, ſapientibus, & inſipientibus: non dicent, hæc dicitis, hæc dicimus: dicent, hæc dicit Dominus, rationi, quam indidit, verbo, quod docuit, auctoritati Eccleſiæ, quam tradidit. Quis ſobrius rationi, quis Catholicus Scripturæ, quis pacificus non cedat Eccleſiæ? Aperiantur jam portæ urbis tuæ, magnanime Princeps, die, ac nocte non claudantur: ſic conſurgent tibi montes, & colles, valles, & turres, & occupabit ſalus muros tuos, & portus tuas laudatio: & vocabunt omnes gentes civitatem tuam, civitatem Domini Syon, ſancti Iſrael: & ponetur in ſuperbiam ſeculorum, ut & gentes, & Reges ambulent in lumine ſplendoris tui: & magno illo tuo nomini, quod jam per omnes oras longe, lateque vaga-

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno II.	Caroli V. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 338.

vagatur, & domicilium certum non habet, perpetuis gratulationibus plaudant & Alemanni populi. O dilecte Deo, & hominibus Madruci, in cujus unius ditione nos olim vage defertos, & turbulentis erroribus implicitos incomparabilis ille Paulus III. Divina mente, & consilio præditus, Ecclesiæ memor, sui oblitus, per Spiritum sanctum ad viam veritatis revocavit.

Ad vos modo, Patres, a quibus exorta est, mea redit oratio, non ut vos admoneam, vel excitem, qui mihi studio, & fervore longe præcurritis; sed ne mea vox sacerdotis officio defuisse videatur. Venimus, vidimus, vicimus, Patres, & eum aditum, quem humani generis hostis summis, quibus potuit, conatibus, mensibus, & annis superioribus obstruxit, Deo favente reseravimus. Quanta est hæc gloria, quanta dignitas, quantus honor! Quid enim putamus sit aperire fores Concilii, nisi aperire fores cœli? ut effundat super nos thesaurum illum optimum, fontem aquæ vivæ, splendidum tamquam chrystallum procedentem de sede Dei, & agni: ut simus ipsi in primis Dei docibiles, deinde per nos repleatur terra scientia Domini, velut aqua maris operientis.

Cavendum est igitur, ne, dum ad nos curandos Dei munere aperitur cœlum, nostra iniquitate claudatur terra, nec vividos illos solius velleris imbres area infelix excipere possit. Aperiatur terra cordis nostri, Patres, etsi hactenus oppilati fumus fumo, & sulphure illius magnæ fornacis, & putei abyssi, jam exalare incipiamus, & dilatatis venis, tamquam sitientes glebæ, atque arida arva, scindamur planctu, fletu, orationibus, jejuniis, eleemosynis, lacrymis, plorantes inter vestibulum, & altare, velut indigni, qui accedamus ad aras, postquam omne malum prodire de templo vetus querela est. Nolito errare, Patres, Deus non irridetur, neque patitur irrisores; sed qui habitat in cœlis, irridebit eos. Spiritui sancto hodie sacra decreviftis, felix principium, ac multarum fragum multa principia: sed o quam bonum erat nobis, si mali non fuissemus! Si pietatem, & sinceritatem de cordibus nostris ejicientes, vel ficti, vel immundi sanctum Concilium, cujus vel solo nomine in tam magnam expectationem excitatus est totus orbis, auspicati fuerimus; ora quidem, & labia Spiritus sanctus aperiet, ut os Caiphæ, ut os Balaam, ne errante Concilio Ecclesiam solam errare contingat, pro qua rogavit Christus exauditus pro sua reverentia: at malas mentes replebit spiritus, neque missus a Domino, ut fiant novissima nostra pejora prioribus, & demum insultent nobis inimici nostri. Nunc sient, si possunt, consilia vestra: & ipse Deus ait, vel vobis, profundi corde, qui initis concilium, & non ex me; orditi estis telam, & non per spiritum meum: an non legistis, Simeon, & Levi fratres vasa iniquitatis bellantia, in concilium eorum non veniat anima mea? & quæ sequuntur.

Nihil in vobis sibi vindicet odium, Patres, nihil favor usurpet, nihil præmium evertat, nihil corrumpat munerum, vel personæ acceptio, nihil possit timor, vel amor potentium, absint colligationes impietatis, consilia vanitatis, supercilia contentionis, conventicula malignantium: cavete de lætitia iniquorum, & sine cæde, sine sanguine, sine excidio rempublicam nostram ab iis oppressam, ab illis desertam, a multis proditam liberabitis. Vobis præsidia Ecclesiæ non desunt: vos ne deesse Ecclesiæ videamini, providete. Voluntates vestræ igne illo ardeant Divinæ charitatis, quam Christus venit mittere in terram: intellectus vestri scrutentur quid sit optimum in primis pro Ecclesia, tum quid expediat, quid deceat, quid liceat: iracundi vis, scelerum, non hominum odio, pio, salubri, divinoque fervore exeandescat: & zelus domus Domini, quæ, nisi nova hæc lux Dei optimi maximi, &, qui potestate

ſtate proxime ad Deum accedit, Pauli III. providentia oblata fuiſſet, jam ad interitum vertebatur, illam non comedat modo, ſed devoret: poteſtas concupiſcibilis, ſanctis deſideriis accenſa, & perfuſa ſpiritali gaudio, unam illam pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, & deſideret, & ſuſpiret. Dirigite pedes veſtros in viam pacis hujus: meditamini in lege Domini die, ac nocte: ſanctificamini intus, & foris: veritatem diligite: agite, ut ſitis opere, & ſermone potentiores: nihil præcipitanter, nihil præpoſtere, imo mature omnia, & ſuo ordine fiant: nolite ſapere pluſquam oportet, ſed modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: ſobrietatem ſapite: de craſtino nihil ſolliciti ſitis: deſcendet ſuper vos, & requieſcet ſpiritus Domini, ut ex altis ils ſubſelliis judicantes orbem, quaſi obediente Deo votis hominum, quod nulli unquam tribunali conceſſum eſt, digne dicere valeatis, viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis. O vox, o tuba, o tonitru, ad cujus ſonitum retrorſum cadent inimici Chriſti, cujus juſſa, vel decreta neque ſummis Patribus contemnere, aut detrectare licebit. Vos enim omnibus, Patres, qui ſacroſanctæ huic œcumenicæ Synodo rebellantes eo inſolentiori furore proceſſerint, ut Pauli III. Caroli V. Franciſci I. (illum caput habet poſt Chriſtum hæc Tridentina Synodus, hos vero dexteram, & ſiniſtram) juſtam iram, atque indignationem quandoque mereantur, timorem incutietis: non inacceſſa montium juga, neque vaſtæ paludes, neque marium ſinus, aut fluvii immenſi eos tueri poterunt: viri aquilis velociores, ac leonibus fortiores, boſtes Concilii, rebelles Spiritus ſancti, qui illud eſt Concilio, quod anima corpori, perſequentur, & apprehendent, & concuicabunt, donec deficiant. Eja igitur Græcia mater noſtra, cui id totum debet, quod habet Latina Eccleſia. Eja Hiſpania, cujus ſi non propagatæ, at conſervatæ Catholicæ religionis perpetua gratulatio etiam a tuis boſtibus decreta erit. Eja Gallia, cujus Chriſtianiſſimum nomen non augeri poteſt meis laudibus, nec cujuſque vituperatione decreſcere. Eja Germania, quæ & gladium nunc, & imperium, & ſceptrum habes, quæ acerrimos hæreſis, & omnis infidelitatis boſtes ſemper protuliſti. Eja Italia, quæ eo magis in tantis rerum turbinibus ſanctæ Eccleſiæ debes, quæ, ut Germania rerum potitur, ſic tu illo ipſius Petri ſolio tanta gloria ceteris nationibus præſtas, & antecellis. Eja omnes, quotquot ſub cœlo eſtis, qui Chriſtiano nomine cenſemini, quos expetivit Satanas, ut cribraret ſicut triticum: orat, obſecrat, deprecatur eum ſacroſancto Concilio Paulus III. ſui oblitus, veſtri memor, venite, agnoſcite, vivite, nolite perire, reconciliamini, omnia parata ſunt, venite ad nuptias: ſi quis vero intrare erubeſcat, vos, qui potentiores eſtis, intrare compellite, ne quandoque eis dicatur, clauſa eſt janua, neſcio vos, diſcedite. O Chriſte, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, tibi inquam, non ſibi; tu aſpirando præveniſti, tu adjuvando proſequere, & intercedente beato Vigilio Tridentinæ vallis tutelari, Tridentinam Concilium ita fove, ut omnis ejus actio, quæ hodie feliciter cœpta eſt, per te quoque, & in tempore opportuno feliciſſime firmetur. Dixi.

II. Ea Muſſi oratione commoti Patres, ingenium viri ſuſpicere, virtutem, ac religionem in cœlum tollere, eumque Dei Numine afflatum in Concilio verba feciſſe vulgo affirmare. Itaque inter primos delectus eſt, qui univerſam doctrinam de hominum meritis, Deique adjutorio in certa capita diſtribuerent, atque in bono lumine collocatam ad Concilium referrent: eandemque poſtea in Patrum conſeſſu doctiſſime illuſtravit, atque defendit.

Cornelius Muſſus doctrinam de hominum meritis, Deique adjutorio in certa capita diſtribuit.

III. Boverius contra fidem Hiſtoriæ Franciſcanorum inter ſe contentionem

nem diſceptandi cauſam Concilio præbuiſſe ſcriptum reliquit. Quippe inter Familiarum præfectos de dignitate, ac principatu ortum eſſe certamen, ac, ſi ſuperis placet, magnum negotium Patribus exhibuiſſe comminiſcitur. Primum Generalem Magiſtrum Conventualium pro ſe, ſuaque familia acriter perorantem, inque Obſervantes convicia verius, quam argumenta undique congerentem inducit. Quod cum viri gravitate, atque prudentia prorſus indignum, tum vero in ſacroſanctum Senatum injurioſum, minimeque a Patribus tolerandum fuiſſe, nemo eſt, qui non videat. Deinde Bernardini Aſtenſis modeſtiam laudibus effert, qui oblatum a Concilio ſigillum, principatus inſigne, de quo tantopere diſputatum fuerat, repudiarit: quaſi vero immortale exemplum virtutis fuerit, omniumque ſeculorum prædicatione celebrandum, intra cuticulam, ut ajunt, ſuam ſe continere, nec eum, qui nuper ortæ familiæ minime deberetur, honoris locum affectare. Sed ut alia iſtius auctoris inania ſunt, ita hæc narratio ſupra quam dici poſſit inſulſa inſcitiam hominis manifeſtat. An tanti interfuit in conſeſſu graviſſimorum Antiſtitum de re leviſſima diſceptare, ut in hac una hærendum fuerit, nec, niſi cognita Minorum cauſa, ad religionis cernenda dogmata progrediendum? Sed quid attinet in re manifeſta argumentis uti, cum ex Actis Concilii perſpicuum ſit, nullum hoc anno Capuccinorum in Concilio fuiſſe? Sane, ut inde colligimus, pridie Idus Julii ſequentis anni Bernardinus interfuit; quo die ſuam de improborum expiatione ſententiam cum Ambroſio Catharino, ac Thoma Miranda dixiſſe traditur: non ille tamen in Patrum Senatu verba fecit, ut Boverius ad laudis cumulum litteris prodit, ſed in privato doctorum hominum cœtu; ubi, ut Acta teſtantur, cuicumque volenti ſententiam dicere facultas erat. Sed hæc Boverii commenta cum prudentum virorum ſibilis excipiuntur, tum Cardinalium R. E. judicio notata ſunt, qui corrigendos ejus Annales, eamque præſertim, in qua tantopere laboravit, de principatu diſputationem expungendam curarunt anno ſupra milleſimum ſexcenteſimo quinquageſimo ſecundo.

Boverii commentum refellitur, quo Præfectos Franciſcanorum inducit de dignatione, ac principatu in Concilio certantes.

Hoc anno in Concilio Capuccinus nullus interfuit.

Ex Decreto Congregation. Indicis anno citato, die 19. Novemb.

IV. Interea Capuccinorum familia integritate moris, ac diſciplinæ, atque adeo bonorum omnium benevolentia ubique gentium florebat. Eiſdem Pontifex, uti conciones publice haberent, tandem permiſit, ante perſpecta in fidei rebus, ac diligenter probata cujuſque mente, atque ſententia. Quippe ejus juſſu Cardinalis Carpenſis Chriſtianæ doctrinæ capita, quæ per id tempus hæretici in dubium vocabant, ſummatim complexus, percontatuſque, quid ad ſingula reſponderent, qui conciones habere vellent; eoſdem rectis omnino ſenſibus euntes probe cognoverat.

Capuccinis omnibus permiſit Pontifex, ut conciones publica haberent.

V. Obierunt hoc anno Capuccini duo egregii viri, Antonius Luſitanus clariſſimo ortus genere, qui ab Ludovico Foroſempronienſi ad ſodalitium aggregatus, cum aliarum virtutum laude inſigniter floruit, tum vero puritatem corporis, animique illibatam ſervavit. Et fato functus eſt adoleſcens tertio poſt anno, quam exacuto integumento caput obduxerat. Alter eſt Valerianus Viterbienſis, qui aliquandiu in familia Dominicana ætatem egit; deinde mutato pallio, animoque ad omnem patientiam obfirmato, rigidum vitæ genus continenter excoluit.

Antonius Luſitanus, & Valerianus Viterbienſis Capuccini illuſtres.

VI. Per idem tempus Obſervantium plurimi in Americæ regna trajecerunt, ac verbum Dei longe, lateque diſſeminarunt. Didacus a Vera Abulenſis eorum unus e Caſtellæ provincia, quæ per annos quadraginta ſunt geſta, litteris conſignavit anno MDLXXXV. ſed hujus in rebus narrandis ita implicata oratio eſt, ut nihil appareat, unde ſingulorum annorum ratio conſtet: nec ulla præterea ſuppetunt monumenta, quæ conanti progreſ-

Evangelii diſſeminandi cauſa Obſervantii plurimi in Americam trajiciunt. Didacus a Vera.

greſſiones, & exitus cum initiis contexere præſto ſint. Quocirca geſtorum ſummam, ut ab eodem perſcripta eſt, in hunc locum conjicio. Franciſcus Cebicus egregia pietate vir, qui Theologicas diſciplinas Valliſoleti profeſſus erat, cum ſociis aliquot in Americam navigavit. Fortaſſe hoc anno Panamam venit, civitatem in ora maris, quæ ad auſtrum pertinet; ubi terrarum, quas peragrarent, partitione facta, in provinciam Quitenſem Ludovicus a Lona, qui primus Lonenſis provinciæ Miniſter fuit; Franciſcus Moralis in Cuſcum propagandæ religionis cauſa proficiſcitur. Uterque in ſocietatem laborum idoneos aliquot ſibi delegerat. Cebicus, adſcito Didaco a Vera, dum Limam verſus profectionem pararet, repentino morbo extinctus eſt. Mox Philibertus Gallus Miſſionum, ut appellant, præfectus, eundem Didacum in Europam legavit, &, qui rerum præſentium ſtatus eſſet, Hiſpano Regi, Ordiniſque præfectis juſſit exponere. Is legationem cum obiiſſet, illud perfecit, ut Franciſcum Victoria in Peruanum regnum ſumma cum poteſtate Præſidem mitterent. Idem biennio ante, quam Franciſcus diſcederet, remenſo Oceano Limam pervenit: miſſus deinde in barbaras terras, quæ Caranque, & Cajambe dicuntur, Ethnicorum plurimis Evangelium impertiit. In iis, quos fonte ſacro regeneravit, Peruani Regis conſanguineus Inca nomine fuit, qui paulo poſt, quam ſalutaribus ablutus eſt aquis, inter Dei laudes e vita migravit. Mox aliam Didacus vineam excolendam ſuſcepit. Nam in Chimbum profectus, quinquennali labore ita profecit, ut plus triginta hominum millia ab infelicibus vepretis, ac ſaltitibus ad læta Domini paſcua, caulaſque traduxerit. Idem poſtea Sulcum ſe contulit, ubi quatuor barbarorum millia, qui Romana ſacra ſuſceperunt, Eccleſiæ aggregavit. In valle Truxilli Chriſtianorum numerum recreatis cœleſti lavacro tribus millibus auxit. In Caxamarchæ regione annos ſexdecim commoratus, ſupra viginti millia Chriſti jugo ſubjecit. Incredibile dictu eſt, quam multos mortales in libertatem filiorum Dei unus aſſeruit. Adiit gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas; ut laborum, quos Dei cauſa ſuſcepit, tanta patientia nunquam ſatis pro dignitate laudari poſſit. In Salinis Xauxatopenſibus cum mulierem offendiſſet extrema ætate, quæ pro gentis ſuperſtitione dicata Soli plus annis centum profanos ritus adminiſtrarat, eandem nullo negotio ad Chriſtum convertit. Nam ſuppliciter obteſtanti, ut in cœlum ſibi iter oſtenderet, Evangelii ſacem obtulit primum, deinde collato baptiſmo, cœli fores aperuit. Idem Didacus narrat, eam paulo poſt obiiſſe, ejuſque cadaveri dignitatem repente tantam circumfuſam fuiſſe, ut non anus decrepitæ, ſed elegantis puellæ ſpeciem repræſentaret.

Franciſcus Cebicus.

Ludovicus a Lona. Franciſcus Moralis.

Philibertus Gallus.

Franciſcus Victoria.

Didaci labores, ac res geſtæ in America.

VII. Multos etiam commemorat eximios viros, qui Evangelii proſeminandi cura ſuſcepta magno rei Chriſtianæ emolumento Eccleſiæ imperium amplificarunt: in primis Jodocum Richium, Divini, humanique juris conſultiſſimum, ſuique corporis domitorem mirum, qui apud Quitum cœnobiarcha fuit, & optimis legibus exemplique non fratres modo, ſed neophytos etiam inquilinos in officio continuit. Deinde Petrum Gandavenſem Jodoci comitem: quos Carolus V. Cæſar familiariter coluit, morumque innocentia, & ſuavitate permotus, idoneos cenſuit, qui ad agendam religionis cauſam in Americam mitterentur. Porro quam uberes fructus in unius Dei gloriam, & ſolatium Eccleſiæ Chriſti uterque protulerit, non Didacus modo Abulenſis, cujus in iſtis percenſendis auctoritatem ſequimur, ſed Waddingus etiam ad annum Chriſti MDXXII. memoriæ prodidit. Inſignem quoque virtutum ſparſere famam Joannes a Cruce, qui cœnobium

Jodocus Richius.

Petrus Gandavenſis.

Suam Americanis operam locant.

Wadding. Tomo XVI. ad. 1522. num. 6. & anno 1529. num. 14.

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 338.

bium Truxilli posuit; Matthæus a Jumilla, & Alphonsus Alcanicelius, de quorum moribus, atque factis alio in loco plura dicentur. De Martino a Valentia illud in primis memorabile fertur: cum acta innocentissime ætate Truxilli morbo decumberet, Petrus Annascus Hispanienſis cohortis dux, eique persamiliaris, qui in oppido Chachapaja tum versabatur, multa eum luce coruscantem intuitus, ac stupore defixus, hæc sibi dicentem insuper audivit: *ad capienda laborum præmia in cœlum contendo*. Cumque is haud interposita mora Truxillum misisset, qui de amici valetudine percontaretur, eundem paulo ante obiisse, quæque per visum ab eodem acceperat, omnino vera fuisse deprehendit.

Tum Joannes a Cruce, Matthæus a Jumilla, Alphonsus Alcanicelius, Martinus a Valentia. De Martino res mira.

VIII. His demum annumerandus Didacus Garzia, qui primus omnium in Peruano regno Observantium familiæ nomen dedit, &, cum gentis linguam teneret egregie, fructuosam Limensibus operam inter ceteros præstitit. Idem cum popularium scelera vehementius perstringeret, iniquorum insidiis circumventus, ac veneno sublatus in cœlum migravit. Hactenus Peruvianis de rebus Didacus Abulensis.

Didacus Garzia Peruvianus.

Popularium scelere sublatus a vivis.

IX. Ad hæc usque tempora munus idem obivit in Mexico Ludovicus a Fuensalida provinciæ sancti Gabrielis alumnus. Labor illi perpetuus fuit, vernacula gentis lingua conciones habere, & confluentem undique populum Christianæ vitæ institutionibus erudire. Ubi vacabat a publicis curis, cœlestium rerum contemplatione defixus, superorum dulci convictu, & consuetudine fruebatur. Quippe eum socius alienato a sensibus animo in sublime ferri, eodemque habitu corporis diutius hærentem non semel aspexit. Ea tempestate Hispanorum militum avaritia indignis modis Americanos exagitabat: eoque crudelitatis deventum erat, ut, quos metallis effodiendis operarios habebant, quominus Christiani fierent, improbi homines prohiberent; nimirum veriti, ne ascitos in Ecclesiæ gregem, atque a barbara servitute vindicatos ipsi tandem amitterent. Ad hæc neophytos a piorum conventu verberibus arcere; ut perdiscendis religionis mysteriis tempus insumerent, nullo modo permittere. Hinc Divinarum rerum summa contemptio, & sacerdotum peratrox ignominia; quos infestos rei familiari, refrenandosque proinde dictitarent, ne propagando Evangelio desidiæ causam inquilinis præberent, opes vero Hispanorum debilitarent, maximamque spem amplificandæ fortunæ in angustum adducerent. Ludovicus cum tot flagitia ferre non posset, domum retro, unde venerat, navigavit, petiturus a Cæsare, ut pro sua in Ecclesiam Christi pietate nefariam pestem excinderet. Visum est Cæsari Michoacanico Episcopatu Ludovicum ornare, uti muneris ejus auctoritate, ac potentia fretus, grassanti malo remedia opportunius afferret. Sed eum honoris, ac dignitatis gradum vir profundissimæ demissionis repudiavit; si per familiæ præfectos liceat, malle se, inquiens, in Africam trajicere, ubi inter hostes nominis Christiani sanguinem fundat, quam impium bellum suis oculis cernere, quod a perditis filiis in Ecclesiam parentem apud Mexicum gereretur. Divus Petrus Alcantarensis provinciam sancti Gabrielis administrabat, cum Ludovicus ea, quam dixi, causa in Hispaniam revertit: cujus nutu inter provinciæ arbitros adscitus, regendisque cœnobiis aliquot designatus, expectationem optimi viri non æquavit modo, verum etiam longo intervallo superavit. Hoc rursus anno in Americam destinatus, cum se dedisset in viam, apud sancti Germani municipium in insula sancti Joannis morbo decubit, qui supremus illi fuit. Nam & brevi decessit, & magno sociorum luctu elatus est, qui optimum disciplinæ magistrum magnæ spei Mexicanorum ereptum ægre tulerunt.

Ludovicus a Fuensalida in Mexicanis Domini vineam colit egregie.

Hispanorum militum avaritia, & in Americanos crudelitas.

Eos coercendos per Hispaniæ Regem curat Ludovicus.

X. Dum

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 338.

X. Dum hæc in Occidente geruntur, Obſervantium Luſitanorum, qui Orientis Indiam excolendam ſuſceperant, quietæ res non fuerunt. Hos præſertim avari quidam ſacerdotes, qui parœcias adminiſtrabant, præter fas omne divexare, eorumque fortunas, quæ ſuſtinendæ utcunque vitæ ſuppeterent, palam diripere non dubitabant. Nam privilegia deceſſorum Pontificum, quibus cautum erat, ne Franciſcanis vis ulla inferretur, quorum in templis mortuorum cadavera condererentur, homines ſordidi parvi facere; portionem ſtipis, quam interdum ducendo funere corrogaſſent, a noſtris exigere; cum illis denique, ubicumque ſe lucri daret occaſio, hoſtiliter agere. Itaque Luſitani apud Pontificem queſti ſunt, qui dato diplomate, iniquitatis, ut ait, filios ab inferenda Fratribus injuria ultro deterruit. Præterea Minorum alumnos miris laudibus celebravit; quos abductos a parentum convictu, & conſuetudine amicorum non auri, argentique cupiditas, ſed religionis amplificandæ ſtudium, quæ vera, & ſolida virtus eſt, longinqua terrarum ſpatia peragrare compulerit: non perpetua navigationis pericula, quæque in maligno plerumque ſulo victus incommoda paterentur, unquam eos a quotidianis laboribus, atque a curanda ethnicorum ſalute abſterruiſſe.

Presbyteri ſeculares avaritia inſtinctiObſervantes exagitent in India Orientis.

Deſiſtere jubentur edicto Pontificis.

XI. In Luſitania Excalceatos regebat Martinus a ſancta Maria, qui novam illam familiam aſperrimis inſtitutis, ac legibus in Arabida monte conſtituerat. Eidem ſublectus hoc anno Andreas Varella ex Algarbiorum provincia; cum ipſe Martinus, ut videlicet ſibi uni vacaret, animoque ſoluto, ac libero ad virtutis faſtigium niteretur, præfecturam depoſuiſſet.

Andreas Varelle Excalceatis præficitur in Luſitania.

XII. Haidones in Pannonia transfugæ milites, & latrociniis nobilitati, cum regionem cædibus, ac rapinis infeſtam haberent, impetu facto in Obſeruantium cœnobium, quod ab Divino Spiritu appellabatur, incolas quinque laicos immaniſſime necaverunt. Hi fuere, Petrus, Georgius, Laurentius, Benedictus, & Michael ex eadem Pannoniæ provincia.

In Pannonia cœnobium diripitur Obſervantium, e quibus quinque necantur a barbaris.

XIII. Franciſcus Villar claro genere natus e regulorum Segobrigenſium familia, humanæ contemtu gloriæ multo magis inclaruit. Is in aulam Caroli Cæſaris puer miſſus, cum Philippo tum principe, deinde Hiſpaniæ Rege, cujus erat æqualis, quinquennium vixit: quem aliquando cum inter ludendum procacioribus verbis accepiſſet, a magiſtro increpitus, metuque perculſus, clanculum ſe proripuit; ac mutato ſago cum agricola quodam paupere, ſocietatem inivit; cujus in domo aliquot annos laboribus duris vitam exercuit. Deinde Hiſpalim profectus, ab Obſervantium provinciæ Bæticæ Miniſtro inter laicos cooptatur. Cum præſtanti virtutum laude, & omnis aſperitatis patientia ſeptennium egiſſet, atque in humili vitæ conditione hactenus latuiſſet, agnitus tandem a ſuis eſt. Jam enim inaudierat aliquid Imperator; miſſique per Hiſpaniæ regiones, qui de illo ſciſciſcitarentur, inventumque in aulam reducerent, eundem ad Antiqueriæ cœnobium a mendicatione revertentem offenderunt. Cum iidem mandata Regis expoſuiſſent, rogaſſetque Franciſcus, ut tantiſper expectarent, ſibi dum a provinciæ Miniſtro eundi poteſtas fieret, ſtatim febri correptus eſt, alteroque poſt die, quam decubuerat, e vita migravit anno ætatis tertio ſupra trigeſimum. Ita quod maxime optarat, inimiſque precibus a Deo petierat, ut in toto vitæ curriculo deliteſceret, id ſingulari Dei munere, velut alter Alexius, eſt conſecutus. Ad ejus cadaver magni concurſus undique facti, obſtupeſcentibus cunctis rei novitate, quod antiquæ virtutis, & admirandæ humilitatis exemplum ſummo natus loco adoleſcens exhibuiſſet.

Franciſcus Villar ex aula Caroli V. ubi inter nobiles ephebos vixerat, in ſodalitium Obſervantium ſe recipit.

Ejus animi ſubmiſſio.

Antonius Guevare vivere deſiit.

XIV. Deceſſit hoc anno Antonius Guevara vir generis nobilitate, eruditio-

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 338.

ditione, pietate cum primis familiæ comparandus. Is Bertrando Guevara, & Elvira Harona claris parentibus ortus eſt in Aſturia Santillana anno Chriſti MCCCCLXXV. atque a patre liberaliter educatus, ut primum per ætatem in luce hominum verſari cœpit, ejuſmodi ſpeciem præſtantis ingenii omnibus præbuit, ut jam tum ex eo adhuc puero, qui poſtea vir futurus eſſet, facile homines conjectarent. Inter ephebos Ferdinandi Regis aſcitus, uſque ad obitum Iſabellæ Reginæ in aula verſatus eſt. Deinde humanis rebus valere juſſis, in Obſervantium ſodalitate ſolemnia vota nuncupavit. Villotus, aliique ſcriptores eum Neapoli Campaniæ urbe cucullo indutum prodidere. Verum id Valliſoleti contigiſſe inſcripta ejus tumulo verba diſerte teſtantur. Neque Antonium conſtat poſt mortem Reginæ in Italiam veniſſe, præterquam in comitatu Caroli Cæſaris, cum provectus ætate, & ſingulari ſapientiæ laude præcellens, ejuſdem Cæſaris conſuetudine, gratiaque floreret. In Italiam fortaſſe cum Ferdinando Rege antea navigavit, ſuſceptumque Neapoli conſilium de profitendo in Obſervantibus nomine Valliſoleti eſt executus. Verum de profectione illa Neapolitanum in regnum nihil litteris proditum. Conciones habuit in Hiſpania tanta cum laude eloquentiæ, ut ingenii fecunditatem doctiſſimi quique admirarentur, nihilque in eo, quod ad boni, & ex omni parte perfecti oratoris commendationem pertinet, deſiderarent. Sæpe regendis cœnobiis præfectus eſt, ſæpe in conſilium a Principibus viris ſummis de rebus adhibitus, ut jam tum appareret, tantum ſapientiæ lumen non longo tempore intra domeſticos parietes continendum, ſed in ſublimi aliqua ſpecula, ut in oculos omnium mortalium incurreret, collocandum. Cujuſmodi genus vitæ excoluerit, cum ab aulæ tumultibus, ac tempeſtate in cœnobii portum ſeſe recepit, ipſe non ſemel in iis, quas ſcripſit, epiſtolis aperte ſignificavit. Nocte intempeſta ſurgebat e lectulo ad ſtatas preces: ex antelucano tempore ad multam diem litterarum in ſtudiis verſabatur. Cum domandi corporis eſſet percupidus, nihil prætermittebat, quod ex præſcripto ſanctiſſimorum hominum ad eam rem pertinere commentando accepiſſet. Hinc vero bene longa jejunia, crebræque verberationes, & orandi conſuetudo nunquam fere, præterquam publicorum munerum, aut ſtudiorum cauſa intermiſſa. In obeundis pietatis exercitationibus ſedulus, ac conſtans, nocturnæ eripiebat quieti, ſi quid ad ea temporis interdiu defuiſſet. Singulis noctibus rationem inibat anteactæ vitæ, & ſicubi lapſum eſſe, aut offendiſſe conſcientia teſtis indicabat, tum acerbe ſemet objurgans, nec ſine lacrymis errati veniam a Deo petens, opportuna caſtigatione priſtinos mores corrigebat. Pervolutandis veterum auctorum libris ab ineunte ætate operam dedit; unde ſummam eruditionem, litterarumque divitias mutuatus eſt. Nimirum Antonius duo illa habebat, quæ vel in doctiſſimis, eruditiſſimiſque viris perraro inveniuntur, ſummum ingenium cum pari in perlegendis, obſervandiſque auctoribus diligentia, ac labore conjunctum. Sacram Hiſtoriam, libroſque Divinos, qui ab ſanctiſſimis viris inſtinctu Numinis ſcripti ſunt, callebat egregie, & confluenti ad templum populo non dilucide minus, quam ſubtiliter explicabat.

Ejus ortus ac pueritia.

Obſervantium familiæ nomen dat.

Conciones habet magna cum nominis laude.

Quotidiana ejus vita.

In ſacra Scriptura egregie verſatus. Eam explanat e. ſuperiore loco.

XV. Palentini cœnobii præfectus erat anno Chriſtiſti MDXX. cum in Germaniam profecto Carolo Rege, multo maxima pars nobilitatis civile bellum concitarat. Perduelles impetu facto Turrem Syllanam Caſtellæ oppidum, quo Joanna Caroli mater una cum filia Catharina ſeceſſerat, occuparunt. Ad eos motus reprimendos, qui Regis partes tuebantur, & ad Methymnam Siccam copias contraxerant, utendum Guevaræ fide, atque pru-

Civile bellum in Hiſpania.

prudentia decrevere. Multa in eo & dexteritas, & humanitas uſu probata, tum in principem pietas, ſtudiumque publicæ pacis, atque concordiæ: quæ magnam ſpem omnibus fecerant, fore, ut ejus conſiliis, monitiſque permoti ſeditionis auctores ultro ponerent arma; omneſque per Hiſpaniam tumultus ſine ſanguine, ac cæde componerentur. Ille rem perdifficilem, aleæque plenam aggreſſus, cum hortando, inſtandoque Petrum Gironium factionis primarium ad partes Caroli traduxiſſet, hoſtium vires debilitavit, ac fregit maxime. Cum enim ille obſidendæ Methymnæ conſilium abjeciſſet, illud perfecit, ut liberati eo metu Cæſariani oppido excurrerent, Turremque Syllanam ſubita expugnatione recuperarent. Ipſe Antonius in epiſtola quadam labores commemorat, quos ab initio conjurationis ad reditum uſque Cæſaris pro communi cauſa ſuſtinuit: *In his*, inquit, *quot malos dies habuerim, quot contumelias, & maledicta devoraverim, quot periculis vitam, ſalutemque meam objecerim, tu ipſe noſti*. A ſeditioſis in urbe Abula male acceptus, eorum manus, quos ad pacem cohortabatur, vix tandem evaſit. Quamquam vero quæſitus eſſet ad necem ab nefariis hominibus, nunquam tamen adduci potuit, ut ſuſceptam reipublicæ cauſam timore deſereret. Compoſitis rebus, cum eorum, qui a Rege defecerant, & in vincula conjecti fuerant, calamitatibus ingemiſceret, orare Cæſarem Antonius, ut victis parceret, neu ſupplicium de perduellibus ita ſumeret, ut eorum familias turpi egeſtati, atque ignominiæ ſæviendo proponeret. Eum Carolus opinione ſapientiæ ductus concionatorem ſuum, & hiſtoriæ ſcriptorem deſignavit anno MDXXXI. Incredibile dictu eſt, qua libertate munus illud obiverit, quanta vi orationis aulicorum principum vitia, nedum vulgarium, & infimorum in omni vita perſtrinxerit. Ergo magnum eſſe cœpit Guevaræ nomen tota Hiſpania, magnus illi honor a ſummis viris haberi. Præcipue doctorum hominum amicitiis floruit, qui eodem ſtudio litterarum, ac veræ laudis tenebantur. Quod ex quatuor epiſtolarum libris maxime apparet; quas omni ſapientia, & religione refertas ad complures Epiſcopos, proceresque, quibuſcum ſibi neceſſitudo intercedebat, frequentiſſime dedit.

Guevaræ artibus opprimitur.

Qui multa patitur ejus rei cauſa.

Eum Carolus V. concionatorem & hiſtoricum declarat.

XVI. Anno MDXXXII. Mahumetanorum reliquiæ Valentiæ regno nondum ejectæ nullo Chriſtianorum reſpectu neſarios ritus adminiſtrabant. Quin etiam in iis erant, qui, ejurata veri Numinis religione, cui ſe pridem addixerant, ad ingenium redire non dubitarent. Eam peſtem ut Cæſar extingueret, Concilium Matriti habuit excellentium virorum, qui remedium graſſanti malo compararent, ſemenque omne ſuperſtitionis ſunditus tollerent. Itaque ex omni cœtu viri quatuor delecti ſunt, quæſitoreſque ſumma cum poteſtate conſtituti. Eorum unus Guevara fuit, qui agendi ſolertia brevi perfecit, ut ſeptem ac viginti hominum millia religionem profiterentur, quique a Chriſto nuper deſciverant, perfidiæ veniam deprecati ſponte jugum ſubirent. Anno inſequenti cum in urbe Granata circumjectiſque oppidis morbus gliſcere cœpiſſet, eo Cæſaris juſſu profectus eſt. Quid vero in hac regione præſtiterit, in epiſtola ad Garziam Sanchezium ipſe declarat. *Tanta me*, inquit, *negotiorum moles premit, ut cogitare de meis rebus vix aliquando poſſim. Statim ac in regno Valentiæ ſeptem ac viginti Maurorum millia baptiſmo impertivi, Granatam miſſus ad Cæſarem, munus accepi, neceſſarium quidem certe, ſed mihi tamen permolеſtum. Ut mea fert opinio, in neophytis, quod emendem, in Chriſtianis, quod reparem, paſſim occurrit*. Rurſus in alia epiſtola idem teſtatur: *Cæſar mihi præcepit, ut hoc regnum adirem, ut Mauros ad Chriſti fidem converterem, ut*

Complures Mahumetanos in Valentiæ regno turbātes rempublicam convertit ad Chriſtum.

Iremque in urbe Granata.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 338.
1545.	anno 11.	anno 27.	

ut præceptionibus religionis imbutos fonte ſacro regenerarem. Quocirca ſummo Numini gratias ago, habeoque quantas poſſum maximas, quod hæc miranda hiſce oculis viderim, meiſque manibus contrectarim: quippe Apoſtolum gero, etſi Apoſtoli merita, virtuteſque mihi non ſuppetunt. Diſputandi in Mahumeticis delubris nullus eſt finis. Ignarum vulgus erudienti, ejuſque rei cauſa perpetuos labores perferenti triennium effluxit. Per id tempus Gaſpar Avalus Accitanus Antiſtes, & quæſitoris in munere Antonii collega, Granatenſi Epiſcopatu donatus eſt: eidemque Guevara ſucceſſor datus. Neque tamen idcirco a Regis latere unquam diſceſſit, ſed demandata optimis viris Eccleſiæ ſuæ procuratione, ipſe in Caroli domo concionator, & conſiliarius pari fide, ſtudioque priſtina officia eſt perſecutus. Anno MDXXXV. in Tunetana expeditione comes Cæſari fuit, curandiſque, qui ægrotarent, vel ſauciarentur, militibus præfectus eſt: quo in munere ita ſe geſſit, ut, quemadmodum Sandovalius ſcriptum reliquit, demiſſionem viri, & in infimum quemque benevolentiam claſſiarii vulgo ſuſpicerent. Poſt hæc in Hiſpaniam reverſus, Mindonenſis Antiſtes creatus eſt. Id ſacerdotium in primis amplum, ac nobile, ut fere cetera Hiſpaniæ, ſumma fide, ac religione, præſertim vero in egenos, ac miſeros benignitate adminiſtravit. Cum propter aulæ occupationes multas, & graves, atque adverſæ valetudinis incommoda (quippe angebatur fere perpetuis articulorum doloribus) ad implenda Epiſcopi munia non ſatis aptus videretur, ea tamen diligenter obivit, quam qui maxime: & cum ipſe per ſe diœceſim ſuam non tam ſæpe, quam voluiſſet, adire poſſet, eam officii partem, cui nempe deeſſe cogeretur, decernendi conſilio compenſavit. Præſtabat enim acumine ingenii ad difficillima quæque expediti, intelligendi celeritate, agendi induſtria; ut ipſo corporis labore purgari animus, atque illuſtrari videretur, tantoque magis exſurgere, atque unus dominari, quanto illud magis excruciatum, ac miſerum contabeſceret. Eminebat in eo perpetua verborum, vitæque continentia, flagrans ad omnia pietatis opera ſtudium, mira denique egregiæ indolis habitudo, quæ ubi ſe alicui dediſſet, in eo ſtatim admirationem, & benevolentiam commovebat.

Creatur Epiſcopus Accitanus.

Carolum V. comitatur in Tunetana expeditione.

Deſignatur Epiſcopus Mindonenſis.

Diœceſim ſuam egregie gubernat.

Ejus virtutes Epiſcopo dignæ.

XVII. Quamquam vero tanta mole curarum undique premebatur, nunquam tamen animum a litterarum ſtudiis avocavit. Primum ejus opus typis impreſſum Horologium Principum fuit, quod etiam Marci Aurelii librum inſcripſit. Nimirum ut ardebat incredibili ſtudio reſtituendæ diſciplinæ, quam depravatis hominum moribus labefactari videret, id potiſſimum dedit operam, ut amatorios libellos, unde in animos imperitorum fœda peſtis manaret, de nobilium adoleſcentium manibus, ac ſeminarum excuteret. Hoc igitur fuit cauſæ, ut opus illud moliretur, argumento cum primis grave, eruditionis varietate jucundum, eaque ſermonis elegantia, & puritate (ſcripſit autem vernacula lingua Hiſpanorum) ut & viri ſine faſtidio legere poſſent, & matronæ avidiſſime in manus ſumerent, novaque rerum dulcedine captæ futilium auctorum fabulas, nugaſque contemnerent. Eum librum non Hiſpani modo, verum etiam exteræ gentes magni fecerunt: neque immerito. Plurima enim continet, quæ ad vitam, moreſque principum componendos magnopere conducant; ideoque Horologium Principum appellatur. Ipſe auctor in operis argumento ſcribit, cum id nondum perfectum, & abſolutum Carolo Cæſari legendum dediſſet, ex ejus cubiculo ſublatum, & Hiſpalenſibus typis impreſſum fuiſſe. Quæ res Antonium permovit, ut, quando liber non ſine gravi auctoris injuria cum inſcripto alterius nomine circumferretur, ipſe ad eum perpoliendum dili-

Ejus opus inſcriptum *Horologium Principum* ad componendos virorum principum mores utiliſſimum.

gentius incumberet, ſuoque nomine adjecto in vulgus emitteret. Itaque totum opus in quatuor diſtribuit omnino partes. Prima demonſtrat, principem virum, ut probus ſit, Chriſtianum eſſe debere. Secunda, quæ ipſius in uxorem, ac liberos officia ſint. Tertia, quibus artibus componenda vita, reſque publica adminiſtranda. Quarta quid præſtare principem oporteat, ut familiam regat, & in officio contineat. Hanc tamen partem, cum amicorum precibus impulſus editionem operis maturaſſet, neque abſolvere ipſe potuit, neque typis edendam judicavit. Opus vero ita contexuit, ut cum duobus, tribuſque capitibus, quæ ſuo marte elucubrarat, vel epiſtolam Marci Aurelii, vel alterius cujuſpiam ex antiquis auctoribus pronuntiata conjungeret.

Gerardus Voſſius Guevaræ ſubinviquior.

XVIII. Quocirca mirari ſubit, Gerardum Voſſium, cum pro inſita carpendi omnia libidine Guevaram notavit, uſque adeo intemperanter invectum, ut eum diceret os lectoribus turpiter ſubleviſſe, cum librum ſuum Marci Aurelii vitam inſcripſit; neque enim hujus Principis vitam eo volumine contineri, ſed omnia ab auctore conficta ad fucum faciendum: Quid tum? quaſi Guevara unus ob idipſum reprehendendus videatur, unde maximam laudem ſcriptores alii, & ipſe adeo Marcus Aurelius eſt conſecutus. Hic namque in iis, qui omnium manibus teruntur, libris, non vitam profecto ſuam edere inſtituit, ſed imperii optime geſti quandam effigiem, in quam ipſe, qui ſcite expreſſerat, animo intuens, quid ſibi maxime præſtandum eſſet, contemplando intelligeret, quaſque virtutes dignas Cæſare propoſuerat, earum imitatione ad optimi Imperatoris gloriam niteretur. Quod & Guevara auſu non pœnitendo eſt perſecutus. At narrat interdum aliqua de Marco Aurelio, tamquam ſi contigiſſent. Eſto. Sed tamen danda venia ſcriptori, qui, cum opus illud ſuum adumbraret, manuſcriptum volumen Florentia miſſum de vita, & moribus Marci Aurelii ſe legiſſe teſtatur. Quod ſi vetus auctor Suida in ſuo Lexico Græco, cui regum multorum vitas, & tempora inſeruit, Aurelii vitam veriſſime ſcriptam eſt arbitratus; cur Guevaræ non licuit inde trahere ad inſtitutum exempla, quæ non Aurelii commenta, ſed eventus, & facta exiſtimaret? Verum in hoc fortaſſe criticorum judicio erravit Antonius, ut ante ipſum complures alii: non ideo tamen a Voſſio carpendus fuit, & per ſummam injuriam Sycophantæ nomine compellandus. Vulgaverat neſcio quis diſtichorum libellum, cujus auctor eſſe Cato Cenſorius ferebatur. Succenſuit illico Eraſmus, negavitque opuſculum illud Catonis eſſe. Geſnerus contraſtetit, hominemque moroſi ingenii revincere aggreſſus, Catonis opus inſcribi poſſe contendit, quod ſententias Catone dignas contineat, quod Roniani ſermonis cultum, & proprietatem redoleat, quod ad hominum vitam moreſque formandos apprime conducat. Ad hæc quis unquam Xenophontem arguerit, propterea quia, non ad hiſtoriæ fidem, ſed ad effigiem juſti imperii vitam Cyri deſcripſerit? quos quidem libros, ut Cicero ſcribit, non ſine cauſa ſapiens vir Africanus de manibus ponere non ſolebat: nullum eſt enim prætermiſſum in iis officium diligentis, & moderati imperii. Auſonius etiam novos ejuſmodi Xenophontes in ſua tempora incidere diſcupiebat. *Vellem*, inquit, *ſi rerum natura pateretur, Xenophon Attice in ævum noſtrum veniret, tu, qui ad Cyri virtutes exequendas votum potius, quam hiſtoriam commodaſti.* Itaque noſtri laudibus obtrectare deſinat Voſſius, qui eum videat excellentium virorum auctoritate ſuſcepti conſilii cauſam cum laude tueri. Profecto Guevaræ opus ejuſmodi eſt, ut principes viros multo melius ad honeſtatem fingere poſſit, quam Cyrus ille Xenophontis, qui Eraſmi judicio

Refellitur.

Defenditur Guevara Xenophontis exemplo.

Tuſcul. quæſt. lib. 3.

va-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Mino-
1545.	anno 11.	anno 27.	rum anno 338.

vafrum quendam potius, & παπᾶργον Principem, quam ſapientem, & reipublicæ ſtudioſum expreſſit.

XIX. Sed in epiſtolis gravius vapulat noſter Antonius litteratorum ſententia; quas ut exaggerata multarum rerum eruditione referſerit, nimium tamen velificatus ingenio ſuo, in effluenti verborum copia intemperantius exultat. Sunt qui in ejus nomiſmatis antiquæ hiſtoriæ veritatem, & in omnibus pene locis graviorum diſciplinarum notitiam, atque bonarum artium inſtrumenta requirant. Quibus ego facile aſſentior, modo illud concedant, in hujus generis epiſtolis, quæ quidem perpaucæ ſunt, & ad animi oblectationem ſcriptæ videntur, luſiſſe potius auctorem cum familiaribus lepide, quam veritatis inquiſitione ad laudem ſolidæ eruditionis contendiſſe. Ceterum viri ſolertiam in pleriſque facile agnoſcas; in quibus docet, quid pace, belloque præſtandum a Principe, quid in proſperis rebus, quid in adverſis; regionum præfectos, Eccleſiarum Antiſtites, artium profeſſores, maritos, uxores, virgines, viduas, dominos, ſervos prudentiſſime officii monet, rectèque inſtituendæ vitæ præcepta ad quotidianam conſuetudinem, atque ad actionum opportunitates accommodat. Ubique virtutis amorem incutere, hominesque a vitiorum illecebris abductos in ſpem cœleſtium bonorum vehementer erigere.

XX. Inter hæc Guevara, vergente in ſenium ætate, apud Pinciam Vaccæorum (nunc Valliſoletum appellant) ſacellum extruxit in Templo divi Franciſci; ſibique tumulum eodem loco excitavit, adjecta inſcriptione hujuſmodi.

Sepulchrum ſibi parat ante mortem Guevara.

Carolo V. Hiſpanorum Rege Imperante
Illuſtris Dominus D. Frater Antonius de Guevara
Fide Chriſtianus, Natione Hiſpanus, Patria Alavenſis,
Genere de Guevara, Religione ſancti Franciſci, Habitu hujus
Conventus, Dignitate Epiſcopus Mindonenſis fecit anno Domini
MDXLII. *Poſui finem curis: ſpes, & fortuna valete.*

XXI. Ab eo tempore, cum in Epiſcopi munus alacrius incubuit, tum libros conſcripſit de Cruciatibus Chriſti, quibus aſſidue commentandis mortem, a qua non procul abeſſet, æquiore animo exciperet, ſeque ad omnium virtutum exercitationem ita formaret, ut dignus tandem haberetur, qui ad beatos ejuſdem Chriſti complexus in cœlum decederet. Obiit anno reparatæ ſalutis MDXLV. elatuſque magnifico funere in eo, quem dixi, tumulo conditus eſt; cui etiam inſcriptum carmen hujuſmodi. Moritur.

Carmen inſcriptum ejus tumulo.

En jacet Antiſtes clariſſimus orbe Guevara
Artibus inſignis, religione probus.
Inclytus orator, cœleſtis præco ſophiæ,
Cæſaris interpres, hiſtoricuſque fuit.
Stemmata qui texit ſacco, ſaccumque tiara
Ornavit, nivco marmore nunc tegitur.

XXII. Multa de illo præclara extant doctorum hominum teſtimonia, in quibus Sixtus Senenſis acerrimi vir judicii, & qui Voſſium, alioſque Guevaræ reprehenſores auctoritate longe antecellit, ita ſcriptum reliquit Bibliothecæ ſanctæ libro 4. *Antonius Guevara ex Monacho Franciſcano Epiſcopus Mindonenſis Alavæ Hiſpaniæ urbe natus, Caroli V. Auguſti concionator, & Chronicus ſcripſit cultiore Hiſpanica lingua in hiſtoriam Dominicæ paſſionis ex quatuor Evangeliis collectam opus eruditiſſimum, cui Montis Calvarii titulum fecit, in duos tomos diſtributum; exaravit etiam in va-*

Sixti Senenſis de Guevara teſtimonium.

varios Divinæ Scripturæ locos venuſtiſſima colloquia, quæ ob ſermonis elegantiam, & argutam ſententiarum gravitatem, una cum ceteris ejus opuſculis Galli, Germani, Italique in ſuas quique linguas tranſtulerunt. Claruit anno Domini MDXL.

Antonius Salmanticenſis divino monitu humanis rebus ſtitium remittit.

XXIII. Antonius Maldonatus Salmanticenſis hac tempeſtate in Obſervantium ſodalitio inſigniter floruit. Is cum eſſet in ampla familia natu major, virginem pari nobilitate, opibuſque florentem ſibi deſponderat: jamque nuptiæ, uti fit, ingenti ſumtu, veſtiumque, & epularum magnificentia apparabantur; cum repentina conſilii mutatio interceſſit, qua factum eſt, ut, diſturbato matrimonio, juvenis animus meliora probaret, ac ſequeretur. Cum enim per noctem ſe quieti dediſſet, poſtero die uxorem ducturus, objectaque humani faſtus vanitate ſomnium capere non poſſet, in ejuſmodi cogitatione defixus, nuptias tandem abdicare, ſeculique omnem gloriam contemnere, & in cœtu Minorum Chriſtianam humilitatem profiteri conſtituit. Ubi vota more majorum nuncupavit, in provinciam ſancti Gabrielis aſperrimo vitæ inſtituto tum maxime florentem conceſſit: deinde in Americam miſſus, ac cœnobio Mexicano præfectus, nihil eorum prætermiſit, quæ cum ad optimi præſulis, tum amantiſſimi patris officium pertinere arbitraretur. Circa hæc tempora exuit mortalitatem, & in urbe ſanctiſſimis moribus, atque exemplis ad virtutem inſtituta triſte ſui deſiderium reliquit.

Inter Excalceatos admiſſus in Mexicum proficiſcitur.

Ejus laus.

XXIV. Bernardinus Laredus & ipſe Hiſpanus poſteritatis memoria dignus maxime fuit: quem Arturus a Monaſterio per idem tempus vixiſſe ſcribit; nos e codice manuſcripto decem ante annis obiiſſe colligimus. Natus eſt Hiſpali in Bætica, uſuſque patre diligente, ac mediocriter diti, in primiſque ſtudioſo litterarum. Ut primum ex pueris exceſſit, atque ab iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ad artis medicæ ſtudium ſe contulit, ac ſubinde Doctoris nomen, & inſignia ſumſit. Erat illi perfamiliaris in ea urbe Joannes Baptiſta Vinonius juriſconſultus; cujus hortatu Bernardinus humanis rebus valere juſſis, ut in noſtrorum ſodalitatem adſcriberetur, enixe rogavit. Joanni idem conſilium antea fuerat. Itaque in laicorum numerum adſcitus uterque eſt: tanta ſcilicet animorum demiſſio, ſtudiumque exercendæ per omne genus laborum vitæ eos inceſſerat. Joannes quidem orandi exercitatione veram Chriſti ſapientiam conſecutus, opus non contemnendum de inſtitutione optimæ vitæ ſubſecivis temporibus lucubravit: quod & ſpeculum conſcientiæ inſcriptum eſt, additoque alterius hominis nomine typis vulgatum anno MOXLII. Quippe auctor ipſe gloriolæ vitandæ cauſa nomen adſcribi ſuum nunquam eſt paſſus. Obiit Siſapone in Bætica oppido excellentium virtutum inclytus laude, famaque ſanctitatis per Hiſpaniæ regiones late diſperſa.

Bernardinus Laredus, & Joannes Baptiſta Vinonius clari viri Obſervantium familiæ nomina dant, inque ordinem laicorum adſcribuntur.

Eorum virtutes. Vinonii opus typis impreſſum. Ejuſdem obitus, ac laudes.

XXV. Bernardinus, ægrotorum fratrum cura ſuſcepta, effuſæ in omnes benignitatis, ac laborum patientiæ argumentum præbuit. Idem orandi aſſiduitate cœleſtium rerum tantam ſcientiam comparavit, ut librum de precandi ratione ſaluberrimis præceptionibus, exempliſque refertum per otium conſcripſerit. Inter orandum Satanæ fraudibus circumventus nullo negotio latentes inſidias eludebat. Quippe arrepta lignea cruce, ac pronuntiata Eccleſiæ verbis adjuratione: *Ecce crucem Domini fugite partes adverſæ*, adverſarium in fugam agebat. Frequens eidem fervidæ mentis alienatio, deſtituto pene ſenſibus corpore; præſertim vero, ubi refectus pane cœleſti, rerum omnium, quæ ſub ſenſum cadunt, cogitatione ſummo-

Bernardini liber de precandi ratione.

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 338.

mota, veſtigandis animo divinitatis arcanis totum ſe dabat. Inter hæc Deus mira in eum benignitatis argumenta non ſemel oſtendit. Cum in cœnobio divi Franciſci, quod juxta oppidum Vallis viridis ſitum eſt, intentius oraret, objecta illi cujuſdam hominis miſeri ſpecies eſt, qui apud Hiſpalim civitatem in quæſtionem vocatus, parum aberat, quin, haud ſatis comperto crimine, in patibulum ageretur. Perculſus nimirum eſt indignitate rei Bernardinus. Ergo ad Urbem profectus, coram judice ſtetit, ac pro inſontis periculo deprecatus, ut cauſa plenius cognoſceretur, ſolus evicit: qua retractata, abſolutus homo judicio eſt, ac ſingulari Dei munere vitæ propemodum reſtitutus. Eundem ferunt de Franciſci Quinonii Cardinalis, qui diem obierat, ſempiterna felicitate certum nuntium accepiſſe; itemque Thomæ a ſancto Ludovico, qui provinciam adminiſtrarat, vitaque defunctus, in mediis ignibus Purgatorii noxarum maculas eluebat. Cum Vallis viridis regionem peſtifera lues occupaſſet, fratreſque perterrefacti ſalubrius cœlum præpropera fuga quæſiſſent, ipſe unus in cœnobio conſiſtere, & quoad poſſet, ſibique liceret, curare templum decrevit.

Ejuſdem charitas in proximos.

XXVI. Ubi morbus furere deſtitit, reverſi qui abierant, Bernardino optime eſſe ex inſperato comperiunt. Ille vero, quod, inſultante in omnes paſſim contagione, valetudine ſatis firma fuiſſet, neque in ſumma egeſtate quotidiano unquam cibo caruiſſet, uni Mariæ Dei Genitrici acceptum ferebat; cujus videlicet ante ſignum frequens orare, publicamque calamitatem deprecari conſueviſſet. Magnum erat ejus nomen, non in Bætica ſolum, ſed & finitima Luſitania; quod artis medicæ ſumma peritia cum eximia innocentia, & religione conjuncta conciliarat. Itaque accitus Olyſiponem ab Joanne II. eſt, qui gravi morbo tum decumbebat; idemque unus in medicorum frequentia revocati ad valetudinem Principis laudem tulit. Atque idem Joannes, ut perpetuo liberalitatis argumento, quam eſſet in noſtros egregie animatus, ſignificaret, aromatum certas libras, quæ in cœnobia Angelorum provinciæ erogarentur, de regio ærario quotannis pendi decrevit.

Medicæ artis peritia clarus Luſitaniæ Regi ſanitatem reſtituit.

XXVII. In curandis, qui morbo aliquo laborarent, divina potius, quam artis humanæ ope ſubnixus, animorum ſalutem, ac præpotentis Numinis gloriam capta occaſione promovebat. In cœnobio noſtrarum Virginum Bellalcazarii lignea crux aſſervatur, qua ille tum malos Dæmones abigere ſolebat, tum ab ægris corporibus, divina virtute fretus, omnem labem depellere. Ejus ligni præſidio antiſtitam cœnobii, quæ morbo ſacro afflictabatur, ſanitati reſtituit. Libros etiam conſcripſit duos ad artis medicæ uſum, de quibus honorifica extant ejuſmodi artis peritorum judicia. Obiit placidiſſime inter Angelorum concentus, quos, qui lectulo morientis adſtabant, ſeſe audiviſſe teſtati ſunt. Accepto mortis ejus nuntio, magnus fit ad cœnobium concurſus hominum lamentantium, neque valentium continere lacrymas deſiderio viri. Funus ingenti pompa celebratum, non a noſtris modo apud divi Franciſci, ſed & Hiſpali civitate ab Archiepiſcopo, aliiſque primoribus, quorum ſumma in demortuum pietas, & obſervantia, & in viventem egregiæ cujuſdam benevolentiæ argumenta conſtiterant.

Cõſcribit libros in uſum medicæ artis.

Ejuſdem obitus, ac funus ampliſſimum.

XXVIII. Obiit hoc ipſo anno Martinus a ſancta Maria ejus provinciæ fundator, quæ a monte Luſitaniæ Arabida nomen accepit, ut a nobis commemoratum eſt alio loco. Nunc tempus ipſum poſtulare videtur, ut de ejus virtutibus diſſeramus. Is ergo aſperrimæ diſciplinæ uſu in eo primum, quem diximus, monte, tum in aliis cœnobiis præter ceteros floruit; ſi unum Pe-

Martinus a ſancta Maria moritur. Arabidæ provinciam fundavit. D. Petro Alcantarenſi diſciplinæ aſperitate prope par.

Petrum Alcantarenſem excipias. Tenuis eum victus, cultuſque in omni vita delectavit. Eſculentorum parcitas mira: ſiquidem raro pane veſcebatur, quodque famis domandæ cauſa guſtabat, id tum exiguum, tum delicati ſaporis expers omnino erat: in ejus corpore emaciato oſſa tantummodo eminebant: quod mirum ſane iis eſſe videbatur, qui hominem dignitate oris eximia antea cognoviſſent. Cum a ſociis curam corporis omnem abeſſe vellet, nihil obſonii in craſtinum diem domi eſſe patiebatur. Fratres habebat magna ſibi obſervantia, & charitate conjunctos: quibus videlicet auctor erat, ut pſalmodiæ, rerumque cœleſtium contemplationi operam dantes, in ſola Dei benignitate omnem ſpem ſuſtinendæ vitæ collocarent. Candidiſſimi vir ingenii, nunquam de aliis temere judicare, aut graviore animadverſione, ſi quid forte peccaſſent, in eos uti conſuevit. Quamquam vero tum propter generis nobilitatem, tum virtutis ſplendorem magnus ei honor ab omnibus habebatur, mirum tamen, quantam animi demiſſionem in ceterorum convictu, & conſuetudine præ ſe ferret. Eam virtutem firmiſſimum aliarum præſidium, imo vero fundamentum eſſe dictitabat. Quocirca domi inter vilia plerumque miniſteria diem tranſigere, foris cum egenti plebecula ſermones miſcere, ubique Divini Numinis cultum, & Chriſtianæ humilitatis officia commendare. Hiſce ergo moribus, cum ſibi laudem integritatis eximiæ comparaſſet, totumque vitæ curriculum ſine ulla prorſus offenſione confeciſſet, tandem ad laborum præmia vocatus, in cœnobio omnium Sanctorum Olyſipone migravit. Ejus tunicam Averani Duces magni pignoris loco apud ſe habent: quæ familia cum in monte Arabida Martinum, ac ſocios donavit ædibus, tum ejuſdem inſtituti homines perpetuæ benevolentiæ vinculo complexa eſt.

Ejuſdem candidiſſimi mores, animique demiſſio.

XXIX. Floruit etiam hac tempeſtate in Bætica provincia Joannes a Tavira mirus ſui corporis domitor, quique orandi conſuetudine divinarum rerum notitiam tantam eſt conſecutus, ut humanarum omni cura depoſita, ad exemplar puriſſimorum ſpirituum totum ſe finxerit.

Joannes a Tavira mirus domitor ſui corporis.

XXX. Per idem tempus Joannes Bruſtemius non mediocri litterarum laude celebratus eſt in provincia Brabantiæ: ejus ingenii monumenta in Indice Scriptorum Ordinis recenſentur.

Joannes Bruſtemius vir doctus.

XXXI. Deceſſit Venetiis Urbanus Bolſamius Conventualium Sacerdos, vir latinæ, græcæque linguæ peritiſſimus, de quo quidam cecinit.

Urbanus Bolſamius latine, græceque ſciens.

Græciane Urbanum mundo, Latiumne crearit,
Ambiguum: tam ore is novit utroque loqui.

XXXII. Natus eſt Belluni civitate Venetiæ ad Anaſſum fluvium. Is Leonem X. Pontificem Maximum humanioribus litteris erudivit. Cum Andrea Gritto, qui Venetiarum Princeps poſtea fuit, Byzantium profectus, Græcos codices manuſcriptos diligentiſſime conquiſivit. Inde in Siciliam ad Conſtantinum Laſcarem, græcas litteras in urbe Meſſana tum profitentem, ſe contulit. Apud quem aliquandiu diverſatus cum librorum optimam ſupellectilem comparaſſet, Venetias revertit. Qua in civitate magna auditorum frequentia Homerum interpretatus eſt, in eumque ſcripta reliquit commentaria. Poetas aliquot Græcos latinitate donavit, ejuſque linguæ inſtitutiones ad ſtudioſæ juventutis uſum duobus libris complexus eſt. In ejus tumulo Pierius Valerianus fratris filius, idemque ſcientia litterarum inſignis hoc elogium inſcripſit,

Præceptor Leonis X. Pontificis Maximi.

Scribit commentaria in Homerum. Alia ipſius opera.

Ur-

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 338.

Urbano Bolſamio Bellunenſi
Minorit. Familiæ Sacerdoti,
Summæ integritatis, & innocentiæ,
Qui Græcas litteras exterreï jam pridem,
Et procul a terra Italica exulantes
Nobis ſumma cum docendi, tum ſcribendi cura
Princeps aſſeruit.
Pierius Valerianus Bolſamius ex fratre nepos
Inſtitutionis, educationiſque memor poſuit.
Vixit annos LXXXV. *menſes* III. *dies* XII. *In voluntaria paupertate feliciſſimus,*
In omnes, quoad potuit, officioſiſſimus, nulli unquam injurius.
M.DXLV. *menſe Aprilis.*

XXXIII. Joſephus cognomento Codicis Erycino monte in Sicilia oriundus Neapoli Campaniæ urbe diem obivit. Is confecto in Obſervantium familia ſtudiorum curriculo Doctoris nomen, & inſignia Lutetiæ ſumſit. Deinde luculenta vulgavit commentaria in Ariſtotelis logicam. Joſephus Codicis, & Ludovicus Baccius in Obſervantibus elati.

XXXIV. Floruit in eadem familia Ludovicus Baccius, quem alio nomine Biaſſonium Scriptores Ordinis vocant, memorantque pietatis montem in egenorum levamen Modoëtiæ fundaſſe, in eoque oppido, dum pro concione vehementius diceret, repentino caſu e vivis ſublatum. Aſſervantur ibidem ejus lacerna, pileoluſque, laborantibus dolore capitis ſalutare præſidium.

XXXV. Volaterris in Tuſcia laici duo ex Obſervantium numero, Benedictus, & Auguſtinus admirandæ pietatis, & innocentiæ laudem tulere. Ferunt eoſdem ſupplicibus quorundam votis aliquando appellatos, Dei nutu, & voluntate prodigia edidiſſe, quibus videlicet mortales inclyti, ipſius Numinis beneficio, plerumque illuſtrantur. Item laici duo, Benedictus, & Auguſtinus.

XXXVI. Noſtrarum quoque Virginum aliquot inſigne in terris nomen, & virtus fuit. Celebratur in primis Iſabella ab Aſſumtione, quæ apud Scalabim Luſitaniæ oppidum ſanctæ Claræ cœnobium adminiſtravit. Hæc ab orandi aſſiduitate cum diſciplinæ aſperitate conjuncta maxime commendatur. Inſtitutam vitæ rationem, etſi perpetuis membrorum doloribus conflictabatur, nullo unquam tempore intermiſit. Cum ſub mortem ea verba pronuntiaſſet, *vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna*, pauloque poſt obiiſſet, æris campani ſonitu, quem Sorores nulla penitus impellente, exaudierunt, Virginis gloriam declaratam fuiſſe memoriæ proditum. De Felice Roteria Aſtenſis cœnobii Virgine memorabile illud fertur, eam cœleſti monitu diem mortis edoctam ad beatos Divini ſponſi complexus in cœlum migraſſe. Tertia fuit Maria de Fonte, quam Arturus in cœnobio Albazetano Carthaginenſis provinciæ omnis aſperitatis patientia excelluiſſe commemorat. Cruciatus Chriſti anxia commentatione ſecum ipſa meditabatur; quos ut quadamtenus in ſuis membris repræſentaret, ipſos quindecim annos in nuda humo decubuit, phthiſiſque morbum, diuturnum illum, & gravem, inſigni exemplo tolerantiæ ſortiter pertulit. Franciſcanæ Virgines illuſtres. Iſabella ab Aſſumtione. Felix Roteria. Maria de fonte.

XXXVII. Ceredanum eſt Inſubriæ oppidum diœceſis Novarienſis. Ejus oppidi incolæ cum cœli vitio laborarent, Obſervantibus templum voti cauſa ædificarunt; ſimul decretum fuerat, ut eo corpus deferretur beati Pacifici Ceredanenſis, quod ex Sardinia inſula delatum iidem Fratres in ædicula ejuſdem oppidi collocarant. Cujus rei monumentum publicum extat, Joannis Arcimboldi Novarienſis Epiſcopi auctoritate conſtitutum. Obſervantes in oppidum Ceredanum invehere parant corpus B. Pacifici Ceredanenſis permiſſu Novarienſis Epiſcopi.

JOANNES ANGELUS Arcimboldus Dei gratia, & Sedis Apoſtolicæ Epiſcopus Novarienſis.

NObis expoſitum fuit ex parte venerabilis Patris Guardiani ſanctæ Mariæ Gratiarum Viglevani Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, quatenus olim convenerant homines communitatis Ceredani, & Fratres dictæ domus ſanctæ Mariæ Gratiarum, ut fabricata quadam Eccleſia in terra Ceredani juxta habitationem eorumdem Fratrum ſub titulo SS. Joſephi, & Annæ ex vota tempore morbi epidemiæ ab incolis Ceredani emanato, corpus, ſive reliquias quondam beati Patris Pacifici de Ceredano prædicti Ordinis Obſervantiæ profeſſi a Sardinia ad terram Ceredani per eoſdem Fratres delatum, ſeu delatas ob devotionem populi, & hominum Ceredani in quadam Capella juxta majorem Eccleſiam ſitæ collocaverunt, prout in ſupplicatione nobis allata apparet. Nunc autem cupientes dicti venerabiles Fratres, juxta conventionem inter eos, & homines terræ Cerodani factam, corpus, ſive reliquias prædicti beati Pacifici ad Eccleſiam memoratam SS. Joſephi, & Annæ fabricatam traducere; ad nos benigne, & humiliter recurrerunt, noſtram ſuper hoc requirentes benignam aſſenſionem, conſenſum, auxilium, & favorem. Nos igitur, qui ab incunte ætate devotionem noſtram ſemper prædicto Ordini Seraphico conſervavimus, ob ejus continuos labores, & uberes fructus, quos in Eccleſia Dei in dies contulit: volentes præfatorum fratrum petitioni aſſentiri, harum noſtrarum litterarum tenore liberam licentiam, & facultatem concedimus venerando Patri Guardiano dictæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Gratiarum civitatis Viglevani, & quatenus opus eſt authoritate noſtra plenaria ad tranſlationem corporis, ſeu reliquiarum dicti beati fratris Pacifici a Capella, in qua de præſenti jacet, ad Eccleſiam SS. Joſephi, & Annæ fabricatam in terra Ceredani, ut illud cum veneratione traducere, & in loco tuto, & devoto collocare poſſit, & valeat. Ita tamen quod claves loci corpus prædictum, ſeu reliquias continentis remaneant penes duos viros idoneos dictæ terræ per Conſiliarios Ceredani eligendos. Mandantes omnibus, & ſingulis ſub ditione noſtra conſtitutis, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne quis eorum huic noſtræ conceſſioni contraire præſumat. In cujus fidem has noſtras fieri fecimus, & manus noſtræ ſubſcriptione, ſigillique noſtri impreſſione munivimus. Datum Mediolani in domo noſtræ habitationis die VII. *Januarii* MDXLV.

Joannes Angelus Epiſcopus Novarienſis, & Comes.

Andreas Giuli

De mandato Illuſtriſſimi.

XXXVIII. Sed tamen corpus beati Viri nunquam eo devectum fuiſſe Waddingus refert; qui etiam de Pacifici moribus, atque factis plura narrando eſt perſecutus.

Tom. 14. anno 1476. num. 15. & 1482. n. 47.

XXXIX. Barcinone clarnit Iſabella Duzala, quæ cœnobium ſanctæ Claræ Sororum adminiſtravit. Hujus vero plurima, & maxima in egentes, ac ſordidos effuſæ benignitatis argumenta conſtiterunt. Adventantis plebeculæ inopiam miſerata, aliquando lacernam ſibi detrahere, & egentiori cuipiam dono dare conſuevit. Orandi uſum una cum ſororibus aliquot, quæ ſibi maxime probarentur, in omni vita retinuit. In iis erat Eliſabetha Roſella, quæ ſanctum Ignatium Societatis Jeſu conditorem ſuis opibus juvit, ut Orlandinus ejuſdem Societatis Annalium ſcriptor egregius litteris prodidit. In odeo ejus cœnobii Barcinonenſis, quod Bethlemiticum appellatur, inſignis ejuſdem facti memoria expreſſa coloribus eſt, quæ ſic habet:

Iſabella Duzala mira in egentes benignitate inſignis.

Tum orandi conſuetudine.

bet: Antonius Araoxius beati Ignatii ſociorum unus, cum ad ſorores pietatis cauſa ventitaret, Jeſum Chriſtum in arcu ſedentem, feminaſque duodecim (tot enim ad ſtatas preces in eum locum convenerant) ducenda crucis in modum manu obſignantem eſt conſpicatus. Item cum Angeli ſinguli ſingularum capitibus diademata imponerent, bini Iſabellam honoris ergo coronabant. Qua una re ſingularis feminæ virtus eſt comprobata. Eam ſibi probari Chriſtus oſtendit.

XL. Hoc anno Carolus Cæſar in Antonium a Cruce Obſervantium presbyterum egregie animatus, eidem inſulas Canarienſis Eccleſiæ deferendas curavit. Antonius a Cruce ex Obſervantium familia Canariensis Epiſcopus.

XLI. Cœnobium Nicæenſe, quod a noſtris incolebatur, cum eam urbem Barboſſa oppugnaret, ſuperiore anno dirutum eſt. Carolus Emanuel Allobrogum Dux eam fratrum calamitatem miſeratus, quos & vita innocentiſſime acta, & exantlati pro communi cauſa labores maxime commendarent, novum illis cœnobium ſua impenſa excitavit. Id libente Generali Miniſtro in ſocietatem Genuenſis provinciæ adſcitum eſt, cum vetus illud ad provinciam Allobrogum pertineret. Quocirca Fratres ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate urbana domo emigrarunt, deductique ſolemni ritu ab Epiſcopo Nicæenſi, in amœno, editoque loco haud ita procul a mœnibus conſederunt. Templum Dei genitricis in colle ſitum Monachi ſancti Poncii per id tempus habebant: quod a noſtris coemptum eſt aureis quadringentis: atque in eo deinceps ſumma eorum pietate, populique approbatione divina res adminiſtrata. Extra muros Nicææ cœnobium obtinent Obſervantes.

XLII. In ſuburbiis Auguſtæ Taurinorum Obſervantium familia cœnobium frequens habebat. Quod anno Chriſti MDXXXVI. honeſta præſcriptione muniendæ urbis a præſidiario milite Gallo everſum eſt. Subinde cives convictu eorum, & conſuetudine delectati, ut intra mœnia domicilium collocarent, omni ope contenderunt. Ergo in ædes Apoſtoli Thomæ magna Ducis, procerumque voluntate commigrarunt, quibuſdam pactis conditionibus cum Matthæo Buſchetto, qui parœciam ejus Eccleſiæ adminiſtrabat. Eas Pontifex Maximus, dato diplomate, ratas habuit VI. Kalendas Julii. Conceptas pactorum leges, quæ Pontifici Paulo oblatæ ſunt, in litterarum publicarum indicem retuli. Subinde Matthæo vita defuncto, cum inter Fratres, alioſque Eccleſiæ Rectores minus res convenirent, Gregorius XIII. templum noſtris adjudicavit anno MDLXXV., eiſdemque perpetuum regimen parœciæ, dato diplomate, attribuit. Anno MDLXXXIV. Carolus Emanuel, civeſque primarii novum templum ædificarunt; atque ipſe Princeps inſigne pietatis editurus exemplum, præſente urbis Epiſcopo, plaudentibuſque mirum in modum civibus, primum lapidem poſuit. In excitando ædificio omnium ordinum ſtudio, & liberalitate certatum eſt. Quippe templum eleganti ſtructura, in primiſque urbis Baſilicis numerandum, unius anni prope intervallo perfectum eſt. Auguſtus Manfredus Scallia Verucæ Comes magnificam ſupellectilem ad ſacrificii uſum ingenti ſumtu curavit: odeum præterea, atque e marmore porphyretico aram principem poſuit cum ſui nominis inſcriptione. Ædes D. Thomæ Apoſtoli Auguſtæ Taurinorum iidem occupant. Taurinenſiũ civium in eoſdem liberalitatis officia.

D. D. Loci Præſidibus
Thomæ Apoſtolo, & Carolo
Jugi litatione propitiandis
Auguſtus Manfredus Scallia Comes Verucæ
Marchio Calviſii
D. D. D.
Anno Domini MDCXXIX.

XLIII. Jam enim templum Marcus Antonius Vitia Epiſcopus Vercellenſis anno MDCXXI. ſolemni ritu conſecraverat. Inſequentibus annis domicilium a noſtris amplificatum imbuendam Theologicis diſciplinis juventutem excepit.

Capuccini cœnobia obtinent Cluſis in Sicilia, & apud Melphictum in Peucetia.

XLIV. Cluſis in Sicilia Xenodochium olim fuit divi Antonii Abbatis nomine appellatum. Id ab oppidi magiſtratu Capuccinis eſt attributum, qui anno Chriſti MDLX. templum recens exſtructum Dei genitrici conſecrarunt. Item apud Melphictum in Peucetia ab iiſdem Capuccinis cœnobium fundatum. Anno deinde Chriſti MDLXV. cum parum ſalubri cœlo ea ſedes uteretur, trecentos circiter ab urbe paſſus domicilium poſuere. Templum eorum auguſtæ Cruci dicatum eſt.

Obſervantes cœnobium recipiunt apud oppidum Videguetam in Hiſpania.

XLV. Franciſcus Gama Hiſpanus Obſervantes provinciæ Pietatis novis ædibus auxit, haud procul ab oppido Videguera. Inquilinos ipſe, dum vixit, ſuis opibus ſuſtentavit: quod ut hæredes nullo non tempore præſtarent, teſtamento cavendum cenſuit. Templum ſalutatæ ab Gabriele Deiparæ ſacrum eſt, populique religione, præſertim vero in Ludovicum Toloſanum Epiſcopum cultu celebratum.

Virgines D. Claræ cœnobium condunt Syracuſis.

XLVI. Syracuſis Virgines Franciſcanæ cœnobium fundarunt, operam ad id ſuam conferente Hieronymo Bononio ejuſdem urbis Epiſcopo, qui & Sororibus Alexandram de Adamo primam antiſtitam dedit, quemadmodum Rochus Pyrrhus ſcriptum reliquit.

Ejuſdem inſtituti aliæ migrant e Loxano cœnobio in Granatenſe, quibuſdam pactis conditionibus cum Miniſtro Obſervantium.

XLVII. Ejuſdem feminis inſtituti, quæ apud Loxam Granatenſis diœceſis in Obſervantium tutela erant, ut in urbem Granatam commearent, a Miniſtro provinciæ poteſtas facta. Ut autem antiquas ſedes deſerere optarent, malignum ſolum, cœlumque in cauſa fuere. Itaque cœnobium Fratrum, pactis ultro, citroque conditionibus, occupare parabant, quas Robertus Puccius Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Pœnitentiarius, Apoſtolica auctoritate ratas habuit. Sed eas tamen numquam antiquis ſedibus emigraſſe Gonzaga teſtatur: ac cœnobium illud Granatenſe nullas hucuſque feminas incoluiſſe compertum eſt. Litteræ Cardinalis in hanc ſententiam perſcriptæ ſunt.

ROBERTUS miſeratione Divina tituli ſanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis, dilectis in Chriſto Abbatiſſæ, & Monialibus Monaſterii ſanctæ Claræ oppidi de Loxa Granatenſis diœceſis Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ ſalutem in Domino.

Ea de re litteræ Cardinalis Pœnitentiarii.

EXpoſcit debitum injunctii uobis ab Apoſtolica Sede ſeruitutis officii, ut circa ſtatum Monaſteriorum quorumlibet proſpere dirigendum ſollicitis ſtudiis intendentes hiis, per quæ perſonis in eiſdem Monaſteriis ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantibus, præſertim feminei ſexus pro earum ſpirituali conſolatione, & corporali ſanitate, & neceſſitatum ſublevamine de aliqua ſubventionis auxilio ſuccurritur, ut firma, perpetua, & illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis præſidium propenſius impartiamur, aliaque deſuper diſponamus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte veſtra nobis oblatæ petitionis ſeries continebat, quod poſtquam alias quondam Ferdinandus de Talavera, tunc Archiepiſcopus Granatenſis in ejus teſtamento, & ultima voluntate unum Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ in oppido de Loxa ſuæ diœceſis, & Eccleſiam ſanctæ Catharinæ in quodam burgo peramplo, & populato, eminenti, & amæno, fontes bonæ aquæ habente ſita erigi, & fundari mandaverat, illud-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Mino-
1545.	anno 11.	anno 27.	rum anno 338.

ludque certis reditibus, iu quo quotquot ſuſtentari poſſent Religioſe ex ſua, & familiarium ſuorum lineis deſcendentes, ſi reperirentur, alias ex pauperioribus reciperentur, ita quod earum ſingulis ter mille, & quingenti morapentini aſſignarentur, dotaverut; Hieronymus de Mudrid, Abbas de ſancta Fide, Teſtatoris familiaris, & Teſtumenturius, cui onus dicti Monaſterii fundandi injunctum fuit, propria authoritate, Monaſterium præfatum in ulio ſitu deſerto, inhabitabili, infimo, & humido, æſtiuaque a ſole nimis læſo, & hyemali tempore, quantum magis opus eo, umbroſo, in cujuſdam collis eminentis infimitate, quo aquæ pluviales, & naturales, aliæque immundtiæ conenrrunt, juxta quoddam flumeu, ex quo nebulæ, & humiditutes iuſalubres exeunt, ſitu ipſo terris, in quibus caunabes, & linu ſeminantur, circumdato, conſtruxit: & omnia, & ueris iutemperies corporali ſaluti valde nociva ſunt; ex quibus, & aliis, quæ exprimentur, cauſis dictus ſitus, & domus udeo infirma diguoſcuntur, & in fere jam decem, & ecto auuis Monaſterio hujuſmodi conſtructo multæ veſtrum Moniales ab humanis exemptæ ſunt, ſinguliſque aunis plures veſtrum iu gruves iufirmitates ineiditis, & omnes, quos habetis reditus, ſeu majorem purtem in Medicis, & pro antidotis, uliiſque neceſſariis expenditis, & ſi quæ veſtrum in infirmitutes non inciditis, reliquis inſerviendo, Divinaque officia iu Choro adimplendo gruvem neceſſitutem, & laborem patimini, & niſi per eleemoſynas vobis per Archiepiſcopos Granatenſes, & ulias perſonas factas majores paſſæ eſſetis neceſſitates.

Quare vos Provincialibus Ordiuis Fratrum Minorum ſancti Fraueiſci, ut de opportuno remedio vobis providerent, de illo loco tam iufirmo ad alium ſalubriorem vos transferendo, ſupplicaſtis. Quibus omnibus inſpectis, & experientiu viſis, dictiſque Archiepiſcopis dictum oppidum de Loxa viſitantibus tractatum, & practicatum fuit iuter eos, vos de dicto ſitu ud, per teſtatorem ordinatum, ſeu alium locum ſalubrem traniferri debere; & hujuſmodi damno in Capitulo proviuciali provinciæ Bæticæ Fratrum Miuorum dicti Ordinis, ſub quorum obedientia eſtis, in oppido, ſeu civitate uuncupata de Baeza Giennenſ. diœceſis XV. *Kalendas Novembris unui proxime præteriti* MDXLIV. *celebrato, propoſito, per dicti Capituli Definitores fratri Ludovico de Ezia dictæ proviuciæ Provinciali, ut, habito Archiepiſcopi Granateu., & Marchionum de Bondiar, nec non Comitum da Tondilla, quorum ſepulturu in capella majori Eccleſiæ ſancti Fruuciſci de Halhambra Grauaten. exiſtit, conſenſu, ad Mouaſterium, & Eccleſiam ſancti Fraueiſci hujuſmodi de Halhambra trauiferremiui, commiſſum fuit. Qui, primo dicto Monaſterio de Loxa præſenti anno* MDXLV. *per ſe ipſum viſitato, dictoque damno oculorum viſu perſpecto, & eum prænominatis Archiepiſcopo, Marchionibus, & Comitibus commuuicato, & tractato, de eorum conſenſu, & ſententia translationem hujuſmodi fieri deliberavit, ue per ſuas litterat patentes, nomine ſuo, & ſigillo Ordinis ſubſcriptas, & munitus, vobis domum primo dicti Monaſterii veſtri ſanctæ Clarc de Loxa, uua cum ejus ſitu, & pertinentiis omnibut, præter Eccleſiam, vendeudi, pretiumque exinde proveniens in veſtram utilitatem convertendi, ac ad ſecundo dictum Mouaſterium de Halhambru in loca ſalubri, & decenti, & houeſto ſitum, Eccleſiamque, Dormitorium, Refectorium, & alias officinas neceſſarius, nec non hortum, & aquam abunde habeus, ubi vos validiores degetis, vos transfereudi licentiam conceſſit, & facultatem. Qua vos utentes, omnibus requiſitis præcedentibus, domum, & Monaſterium prædictum de Loxa (præter Eccleſiam) & eorum ædificia beneficiatis dicti oppidi de Loxa, nullo ulio plus offerente reperto, pro duobus*

bus mille ducatis vendidiſſis, prout in teſtamento, licentia, & venditionis inſtrumento latius dicitur contineri.

Verum quia, ſicut eadem ſubjungebat petitio, per tunc dicti Ordinis Provincialem, & dicti Monaſterii de Loxa priores, Abbatiſſam, & Moniales, pro ſe, & ſuorum ſucceſſorum nomine, omnia per dictum teſtatorem ordinata obſervare, & adimplere, & contra ea non venire, & deſuper relaxationem a juramento non petere, nec ea etiam motu proprio, & ex certa ſcientia conceſſa uti, & tempore conſtructionis dicti Monaſterii de Loxa cum præfato Hieronymo de Madrid, quod ſingulis Monialibus ex quo ter mille, & quingenti morapetini per teſtatorem aſſignati non ſuppetebant, quinque millia morapetinorum aſſignarentur, capitulatum fuit, ſi, attentis præmiſſis, licentia dicti Provincialis vobis conceſſa, & per vos facta venditio hujuſmodi, juramentum præfatum, ut præmittitur, per dictum tunc Provincialem, & Moniales præfatum vobis relaxando, Apoſtolici munimiuis præſidio roborarentur, & confirmarentur, ac ex eo, quia reditus, & proventus per teſtatorem relicti ſunt diminuti adeo, quod numerus Monialium ex teſtatoris, & illius familiarium lineis deſcendentium, ſi fuerint, alias ex pauperioribus, gratis, & ſine dote recipiendarum, per teſtatorem ipſum taxatus ex illis ſuſtentari, neceſſariis humano victui hodie in magno pretii exceſſu exiſtentibus, & dictis quinque millibus morapetinis, pro qualibet aſſignatis, minime fieri poteſt; quod numerus Monialium ex dictis lineis, ut præfertur, recipiendarum duodecim non excedi debeat, ac in ipſo Monaſterio de Halbambra ultra quinquaginta Moniales numero eſſe non poſſint, nec pro tempore Provinciali plures recipere, aut vos ad recipiendum compellere poſſit, ſtatueretur, & ordinaretur, profecto Divinus cultus in Monaſterio de Halbambra præfato non modicum, ſed maximum incrementum acciperet.

Nos igitur teſtamenti, licentiæ, & venditionis inſtrumenti prædictorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, vobiſque, & Provinciali juramentum præfatum, per dictos tunc Provincialem, & Abbatiſſam, & Moniales prædeceſſores veſtros præfatum, ad effectum præſentium, & in eis contentorum duntaxat conſequendum relaxantes, ac vos de cetero ad illius obſervantiam quo ad eumdem effectum non teneri declarantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato, ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, licentiam per dictum fratrem Ludovicum de Ezia Provincialem, ut præfertur, vobis conceſſam, nec non venditionem primo dicti Monaſterii, & illius domus, ut præmittitur, dictis Beneficiatis de Loxa per vos dicta licentiæ vigore factam hujuſmodi, ac prout eas concernunt, omnia, & ſingula in dictis litteris licentiæ, & venditionis inſtrumento contenta, & inde ſequuta quæcumque, licita tamen, & honeſta, ſacriſque Canonibus non contraria approbamus, & confirmamus, ac Apoſtolico præſidio communimus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, venditionemque ipſam, & in illius inſtrumento contenta perpetuo valere, teneri, & per quos ſpectat, inviolabiliter obſervari mandamus, ac omnes, & ſingulos, tam juris, quam facti defectus, ſiqui forſan intervenerint in eiſdem, aut quos inſtrumentum venditionis hujuſmodi in ſe contineat, vel ei prius, non præcedente licentia a Sede Apoſtolica, opponi poſſent, ſupplemus, ac pro felici dicti Monaſterii, ad quod transferemini, de Halbambra ſtatu, & illius bono regimine, ac meliori veſtrum ſuſtentatione, ut, conſulto loci Ordinario, cujus conſcientiam ſuper his oneramus, reditus, &

pro-

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno 11.	Caroli V Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 338.

proventus per teſtatorem relictos, prout de præſenti reperiuntur, ad tot Monialium etiam, prout dictus Hieronymus juſſit, competentem portionem, per Ordinarium ipſum arbitrio ſuo cuilibet pro commoda ad præſens, & in futurum cujuslibet earum ſuſtentatione, etiam victu, veſtitu, & pro infirmitatibus, aliiſque expenſis neceſſariis computatis, aſſignatam ſufficere, ſuſtentari poſſint Moniales ex teſtatoris, & ejus familiarium lineis deſcendentes, ſi fuerint, alias ex pauperioribus, ita quod alterius ſuperveniente obitu, altera recipiatur gratis; & ſine dote recipi debere, & numerum duodecim, ſeu plurium hujuſmodi Monialium, ad quem Ordinarius ipſe reduxerit, & taxaverit, quem numerum ſic reductum, & taxatum eiſdem authoritate, & mandato confirmamus, minime excedi, in ipſoque Monaſterio veſtro futuro de Halhambra de cetero interea omnes ultra quinquaginta Moniales numero eſſe non poſſe, nec vos, & pro tempore exiſtentes Abbatiſſam, & Moniales, numero quinquaginta pleno exiſtente, ad plures recipiendum, vel admittendum minime teneri, nec ad id a pro tempore Provinciali, ſeu alio quoque ſuperiore compelli, vel Provincialem ipſum plures recipere minime poſſe, nec debere ſtatuimus, & ordinamus.

Nec non, quia, ſicut aſſeritis, etiam juratum fuit capellam majorem primo dicti Monaſterii de Loxa, quæ dicti teſtatoris deſcendentibus ſepultura erat, alienari per vos non poſſe, nec debere, ut loco dictæ capellæ capellam, in qua capitulariter congregamini, pro ſepultura dicti teſtatoris propinquis, & deſcendentibus dando, & aſſignando, per juramentum minime innodatæ, ſed ipſius teſtatoris voluntati ſatisfacere cenſeamini; ſicque per quoſcumque Judices, & Commiſſarios, ſublatis eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, interpretandi, & definiendi facultate, & authoritate, judicari, interpretari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper his a quocumque quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, voluntatem teſtatoris, in, & quoad effectum præſentium commutantes. Non obſtantibus præmiſſis, nec non Pauli Papæ II. de rebus Eccleſiaſticis non alienandis, aliiſque Apoſtolicis, ac in provincialibus, & ſynodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, Statutiſque quibuslibet, & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod confeſſor, quem ſuper hoc quilibet veſtrum duxerit eligendum, vos, & veſtrum quemlibet a perjurii reatu, ſi quem voluntati teſtatoris contraveniendo occaſione translationis Monaſterii hujuſmodi, reductionis numeri Monialium incurriſſe dici poſſit, abſolvat, & pœnitentiam, quam ipſe vobis propterea imponet, adimplere omnino teneamini, alioquin abſolutio ipſa vobis nullatenus ſuffragetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ IV. *Kalendas Novembris Pontif. D. Pauli Papæ III. anno* XI.

Jo: B. Lomellinus.

Julius Cardellus Scriptor.

XLVIII. In Hiſpaniæ regionibus exemplo malo mos obtinuerat, ut Franciſcani inſtituti feminæ, ac viri, quos ſibi mallent, Sacerdotes deligerent, qui confeſſiones eorum ſacras audirent, ut a noxis, quæ reſervatæ dicuntur, expiatos abſolverent. Quocirca cum ad externos ſæpe confugerent, præfectorum Ordinis imperium, ac Maximorum Pontificum leges parvi pendebant. Eam licentiam Paulus III. certis finibus circumſcripſit, fra-

Licentiam quorumdã Fratrum, ac Sororum coercet Pontifex Maximus.

Anno Christi 1545.	Pauli III. anno 11.	Caroli V. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 338.

fratreſque omnes, ac virgines, quod ad ejuſmodi confeſſiones attinet, Miniſtrorum nutui, ac poteſtati plane ſubjecit.

Permittitur Epiſcopo Rhegienſi arbitrium litis inter Obſervantes, & Epiſcopum Nicoſtæ.

XLIX. Cœnobiarcha Obſervantium apud Nicoteram (ea eſt ulterioris Calabriæ civitas) cum Epiſcopo diſſidebat, propterea quia non quartam modo ſunerum partem, quæ a noſtris identidem curabantur, Epiſcopus repetebat, ſed etiam tributum imperaverat, novum quidem, & grave, quod numquam alias ipſi pendere conſueviſſent. Hoc vero anno dijudicandæ ejus litis arbitrium Epiſcopo Rhegienſi Pontifex detulit.

Templum divi Pauli Spoletinâ antiquitate, ac religione clarum, quod Obſervantes curabant, cœnobiarchæ indulta inſtauratur, annuente Pontifice Maximo.

L. Spoleti in Umbria pervetus templum eſt divo Paulo dicatum, quod jam uſque a temporibus Gregorii Magni eximia populi religione celebrabatur. Quippe in eo prodigium clarum, ac memorabile ad revincendam Arianorum perfidiam Dei nutu contigiſſe perhibetur. Quod cujuſmodi fuerit, non eſt ſane hujus loci commemorare. Cum hanc ædem Pontifex Maximus vetuſtate ſemirutam cognoviſſet, corrogandæ pecuniæ cauſa ad ejus urbis Magiſtratum litteras dedit: quibus litteris imperavit, ut quem hominem ex circumjectis pagis, aut oppidis Obſervantium cœnobiarcha civitate donaret, ejus familiam inter patricias conſenſu referrent: pecunia, quam adſcitus tribueret, ædibus reficiendis inſumeretur.

Tertius Ordo cœnobium obtinet in Piceno.

LI. Hoc ipſo anno tertii Ordinis Profeſſores domicilio donati ſunt apud oppidum Montis Elpari in provincia Picena: quod a Bordono capite decimo nono Chronologii litteris proditum.

Pontif. Maxim. Camerinum recipit, Parmam, & Placentiâ Aloyſio filio permittit fiduciario jure.

LII. Sub exitum menſis Auguſti Paulus Pontifex Camerinum recepit; cujus imperium civitatis penes Farneſios ejuſdem Pontificis conſanguineos antea fuerat. Aloyſio Farneſio Parma, atque Placentina, Pontificiæ ditionis urbes, fiduciario jure permiſſæ. Quo factum eſt, ut cum ipſe Aloyſius finitimorum Principum invidia flagrare cœpiſſet, miſerandum in modum fraude ſuorum, ac proditione perierit. Hinc atrox bellum inter Carolum Cæſarem, & Galliæ Regem exarſit; continuandi apud Tridentum Concilii, ac proterendæ Lutheranorum audaciæ ſpes omnis adempta; Eccleſia prope univerſa ex ipſius Pontificis, Regumque Catholicorum ſimultatibus in extremum pene diſcrimen adducta. Verum hæc deinceps.

Ex qua re pluriſima mala evenerunt.

In inſula Ceilano complures Chriſti ſacra ſuſcipiunt, & cœleſtibus prodigiis commendantur.

LIII. Dum hæc in Europa geruntur, Chriſtiana Religio Numinis voluntate recentia mala compenſantis apud Indos amplificatur. In Ceilano inſula digna ſane memoratu res contigit. Reguli cujuſdam filius natu maximus, quod Chriſtiana ſacra ſuſcipere decreviſſet, patris juſſu necatus eſt: quem Luſitanus quidam habendum pro vero martyre haud dubie ratus, Chriſtiano ritu ſepeliendum curavit. Luſitani judicium Deus illuſtri miraculo comprobavit. Siquidem ejus nutu factum eſt, ut, ubi cadaver Principis conditum fuerat, ingeſta terra crucis in modum late fatiſceret: quæ barbarorum opera bis glebis oppleta, ſemel atque iterum in eundem hiatum eſt reſoluta. Ajunt etiam per eos dies crucem ignei coloris in cœlo conſpectam: quibus oſtentis Indorum plerique excitati, cum Evangelium alacri animo ſuſcepiſſent, ejuſdem reguli immanitate e vivis ſublati, glorioſi Martyrii palmam adepti ſunt. In eo numero alius quoque Regis filius fuiſſet, itemque ſororis filius, niſi eos præſenti periculo eadem Regis ſoror mature exemiſſet. Quippe accitos adoleſcentes, num Chriſtiani fieri velint, prudenter interrogat: cum ſe utique velle dixiſſent, cum Luſitano tranſigit mulier eodem ipſo, qui demortuum Principem terræ mandaverat, ut eos quam occultiſſime Goam uſque perducat. Quo ut venere, religionis præceptis, moribuſque inſtituti, ac ſalutari lavacro regenerati, magnum pietatis, virtutiſque ſpecimen præbuere. Hos imitatus regius quidam

dam præfectus, & alii decem nobiles viri, uxoribus, liberis, bonis denique omnibus ſponte relictis, paſſuum amplius ſexcenta millia terreſtri itinere emenſi, ubi Goam baptiſmi cauſa venere, in Chriſtianorum ſocietatem aſciti ſunt, eamque Eccleſiam præſtanti pietatis laude florentem incredibili gaudio compleverunt.

LIV. Bidgoſtienſe in Polonia Obſervantium cœnobium hoc anno de cœlo tactum, atque, incendio excitato, una cum ſacris ædibus igne abſumtum perhibetur. Qua quidem accepta calamitate fratres exterriti conſternantur; ſubinde, templo, ac domicilio incolarum pecunia reſtitutis, labantes animos confirmarunt. Obſervantes cœnobium ædificant in Polonia.

ARGUMENTUM.

In Concilio Tridentino egregii aliquot viri ex Minorum familia ſapientiæ laude excelluerunt. In primis Andreas Vega, Alphonſus de Caſtro, Richardus Cenomanus. De illibato conceptu Deiparæ Virginis controverſia propoſita. Scoti laudes; a quo litterariam ea de re diſputationem Lutetiæ habitam demonſtratur. Sententiam piam Tridentinis Patribus merito probatam fuiſſe. Peruviani regni conquiſitio. Matthæi Xumillani in Evangelio diſſeminando labores maximi. Franciſcani Sacerdotes paraciæ adminiſtrare in eo regno jubentur. Eorum item labores in India Orientis. Tertii Ordinis profeſſores comitia habent ſua in Italia; itemque Capuccini. In his floruit virtutum laude Joannes Hiſpanus. Antonius Civitatenſis, Marcus a Portu alacri, Bartholomæus Bergomas in Obſervantibus clari. Hieronymus Paganacius Capuccinis, Simon a Calataxibeta Reformatis, Joannes Velinus Conventualibus ornamento fuerunt. Minorum Ordinem Pontifex Max. privilegiis ornavit; cœnobia vero multarum gentium benevolentia, & pietas auxit.

I. JANUARIO menſe hæreticorum conventus habitus Francofurti, ut de Concilio abrogando, quod ſumma Patrum alacritate Tridenti agebatur, conſultarent. Habitum & aliquanto poſt colloquium Ratiſponenſe inter eoſdem, & Catholicos; ex quo tamen illi turpiter aufugere. Sed & additum huic dedecori gravius damnum: tum enim duodecimo Kalendas Martii apud Islebium Saxoniæ in patria ſua extinctus eſt Lutherus, fax Europæ, inimicus Pontificis, atque Dei, habitus tamen a ſuis uti ſanctus, & Prophetes Germaniæ, ſervatis ejus turpibus reliquiis, quibus nulla aromata fœtorem adimere potuerunt, ex libidine, & crapula a Monacho excucullato contractum. Expedita ſunt etiam a Proteſtantibus arma, quorum præcipui fuere Fridericus Dux Saxoniæ, & Philippus Haſſiæ Landgravius, conſcriptis ſeptuaginta millibus peditum, & quindecim equitum cum centum, & viginti tormentis bellicis, reliquoque ad magnum bellum apparatu. Hi tandem diu inter ſe altercati bellum denuntiant Carolo V. quod dum animis gerunt haud ſatis concordibus, recepit interea Cæſar armatorum duodecim millia a Pontifice Maximo, Duce Octavio Farneſio, cum ipſe Carolus ex Hiſpanicis, Belgicis, & Italicis copiis luculentum exercitum comparaſſet. Dum perduelles Germaniæ Principes inter ſe non conveniunt, eorum ſenſim defluxit exercitus, maxime ex quo Fridericus Elector Palatinus eorum auxiliator, ſapienti ſane conſilio in Cæſaris gratiam receptus eſt. Hæretici de Tridentino Concilio abrogando conſultant. Lutheri mors. Bellum Germanorum Principum adverſus Cæſarem.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

Henricus VIII. pauper poſt tot rapinas.

II. Henricus VIII. poſt tot rapinas, & ſacrilegia inops, cum Franciſco I. Galliarum Rege paciſci coactus eſt, redditaque Bononia Galliæ Belgicæ civitate, octingenta aureorum accepit millia. In Scotia magni motus, ac turbæ religionis cauſa fuere. David Cardinalis Betonius Archiepiſcopus Santandreanus cæſus eſt, & habitus Martyr, ejuſque percuſſores omnes & hominibus, & Deo pœnas graves dependerunt.

Cardinalis Betonius creditur a Scotis hæreticis.

Dionyſius Zanettinus ex Obſervant. familia Chironenſis Epiſcopus Concilio interfuit.

III. Ut ad inceptum nunc redeamus, interfuere Tridentino Concilio egregii viri ex Minorum familiis, quorum res præclare geſtas, quam accurata narratione perſequemur. Dionyſius Zanettinus Græcus Chironenſium Epiſcopus ex Obſervantium ſodalitio inter primos convenerat. Magnum in eo ſtudium renovandæ diſciplinæ, magna item in expendendis doctrinæ capitibus, quæ diſceptanda proponebantur, ingenii contentio. Sed eum nimia libertate dicendi, dum Catholicam veritatem ardentius propugnat, atrocis criminis perpetrandi anſam dediſſe, gravemque invidiam adverſus ejus auctorem concitaſſe Pallavicinus commemorat. Nam cum dogmata religionis, quæ ad hominum juſtificationem pertinent, ii, quorum intererat, excutienda obtuliſſent, Sanfelicius Cavenſis Epiſcopus in dicenda ſententia Catholicæ modum profeſſionis prætervectus, animos Patrum nonnihil offendit. Dimiſſo conventu, priuſquam Legati e conclavi diſcederent, Zannettinus Epiſcopos duos privatim conveniens, in futuro cœtu rejecturum ſe dixit, quidquid Cavenſis aut pertinaci conſilio, aut per ſummam inſcitiam affirmaviſſet. Sanfelicius, qui eum ſermonem obſcure perceperat, percontatus hominem eſt, quid de ſe ſubmurmuraret. Tum alter ea, quæ dixerat, Cavenſem intellexiſſe fortaſſe ratus, ſibique dedecori ducens, ex animi quaſi penuria, quæ imprudenter protulerat, reſorbere, Græcorum more animoſe reſpondit: *Enimvero mi præſul tuam tibi vel inſcitiam, vel proterviam excuſare non licet.* Ille vero impotens iræ, puniturusque peſſimo facto dolorem ſuum, in Chironenſis barbam injecta manu, multos ex ea pilos evulſit. Confluentibus eo compluribus, Chironenſis non aliud indignantis judicium prodidit, quam iterare elata voce, quæ dixerat, ſeque etiam ad ea comprobanda paratum confirmare. Sanfelicius violati Epiſcopi reus ad Concilium defertur. Exarſere nimirum Patres ad vindicandum gravi ſupplicio facinus fœdum, ac deteſtabile. Verum Cornelius Muſſus, de quo ſæpe commemoratum eſt, ut a Patribus veniam Sanfelicio impetraret, inſpergere eorum animos facundiæ melle non deſtitit. Ille inter primos Tridentum acceſſerat, non tam ut Synodum ingrederetur, quam ut formaret. Poſt in eo reipublicæ Chriſtianæ theatro, quaſi ſiparium ſubmoverat, luculenta oratione habita, quam ſupra deſcripſimus: deinde vero graviſſimis ſemper deliberationibus adhibitus, tanti corporis haud ſane membrum qualecumque, ſed pene dextera cenſebatur: ut eum propterea Legati ipſi, datis ad Pontificem litteris, laudibus ſummis in cœlum extulerint. Quocirca Muſſus eam ſibi auctoritatem comparaſſe videbatur, ut Antiſtites univerſos, vel argumentis, vel precibus poſſet ad ignoſcendum adducere. *Si Patres*, inquit, *Cavenſi parcerent, ea mihi clementia repenſum ïri quidquid operæ, ac diligentiæ contulerim ad res Concilii promovendas. Paria, quin potiùs majora ineſſe Cavenſi merita, qui Pontificis adminiſter Tridentum miſſus, diuturna, ac laboriosa procuratione auguſto illi Senatui domicilium paraverat: æquum non eſſe, ut opus egregium, unde ſibi tranquillitatem, & otium polliceretur Eccleſia, in auctorem præcipuum peſſime caderet. Ubi crinem uleiſci vellent, mutarent hominem: Muſſum adeſſe, qui caput ſuum luendæ pa-*

Ejuſdē cum Cavenſi Epiſcopo diſſidium.

Cavenſis facinus in Chironenſem.

Patrum indignatio in Cavenſem.

Quos placare conatur Bituntinus Epiſcopus.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

pœnæ libentius objectarct. Tum *Sanfelicii nobilitatem, ingenium, ſolertiam, probitatem extollere; qui muneribus multis præclare geſtis virtutem ſuam, atque innocentiam probaviſſet, cum Magiſtratibus bene gerendis, tum Bononia præſertim, Uumbriaque Prolegati nomine adminiſtrandis; qui nullam vitæ anteactæ partem ullo crimine commaculaſſet: quin vere ne illud quidem in ipſius vita patratum dici poſſe, hoc eſt in hominis vita, quæ compos rationis eſt, cum iracundia ſit brevis inſania, breviſque rationis interitus*. Hæc Muſſus.

IV. At Sanfelicium legati ex plurimorum ſententia in Obſervantium ejus urbis cœnobium detruſerunt, ut ibi eſſet tantiſper, dum Romanus Pontifex, cognita cauſa, quid demum facto opus eſſet, ſignificaret. Ad hæc, propterea quod Antiſtite violato anathematis vinculo obſtrictus eſſet, conſuetudinem ejus, convictumque vitandum monuere. Inter hæc Dionyſius inſigni charitatis exemplo flexis ante Patres genibus pro nocentis periculo eſt deprecatus. Sanfelicium Legati anathemate ſolutum Pontificis juſſu civitate ejecerunt. Chironenſis inſigne exemplum Chriſtianæ charitatis edit.

V. Chironenſis elogium extat hujuſmodi in actis ejus Congregationis, ubi de ſtatu priore juſtificationis eſt diſputstum: *R. D. Chironenſis diffuſe, Catholiceque locutus eſt, gratiam Dei, & liberum arbitrium congrue commendans, operaque neceſſaria eſſe ad juſtificationis gratiam recipiendam*. Idem in eo cœtu, qui de Divinæ certitudine gratiæ quæſtionem inſtituit, ſententiam ſuam non dilucide minus, quam prudenter aperuit; atque id ipſum pronuntiavit, quod Concilii ſanctione præſcriptum eſt. Ejus laus.

VI. Joannes Calvus totius Ordinis præfectus, cum Pontificis nomine ad Luſitaniæ, Galliæque Reges legationem obiiſſet, Tridentum & ipſe profectus eſt. De juſtitia mortalium, & ſanctitate, deque admirandis gratiæ muneribus, quibus animus noſter Deo ſimillimus, ac prope Deus efficitur, in Antiſtitum generali conſeſſu ſubtiliter diſputavit. Poſtrema ejus mentio eſt in Actis Concilii ad diem octavum Kalendas Decembris; deinceps nulla. Ex quo perſpicuum eſt, eum ſequentibus hujus anni diebus Concilio abfuiſſe. Joannes Calvus de juſtificatione diſſerit in Concilio.

VII. Interfuit etiam ex noſtris Vincentius Lunellus Hiſpanus, qui ante Calvum Ordinis præfecturam adminiſtrarat. Is eo munere ſumma cum laude perfunctus, ad cœnobium Eliocratenſe, ut quieti, ac pietatis officiis operam daret, conſeſtim divertit. Ubi hujuſmodi vitæ genus eſt perſecutus: ſummo mane in genua procumbens Divinas laudes ex Romanæ Eccleſiæ inſtituto recitare: poſt ad ægrotos, ſi qui domi ſorte decumberent, amantiſſime viſere: mox templum adire, ibique Sacerdotibus aliquot ſacrum facientibus miniſtrare: ipſe deinde religione ſumma, nec ſine lacrymis ſacrificium peragere. Poſtremo eſculentis communibus in cœnaculo veſcebatur, obſtupeſcentibus cunctis virum provecta ætate, laboribuſque in regenda familia pene confectum nihil admittere, quod ab tenui victu ceterorum quippiam differre videretur. Quod diei ſupererat, id omne litterarum in ſtudiis, aut certe privatis precibus inſumebat. Sed eum Carolus Cæſar diu latere non paſſus, primum in Murciæ regno componendis diſſidiis, quæ regiminis cauſa oborta erant navare operam juſſit: deinde ad Concilium legavit, atque in numero eorum, qui ſuo nomine Theologos agerent, voluit eſſe. Eidem Pontifex Tridentum profecturo vicariam poteſtatem regendæ familiæ, ubi Calvus præſto eſſe non poſſet, ultro permiſit: incertum tamen, quo tempore ad Concilium adierit. Vincentii Lunelli privata vita poſt præfecturā. Idem mittitur ad Concilium a Carolo V.

VIII. Scriptor quidam ſuperioris ætatis, idemque impuriſſimus obtre-

ctator Tridentini Concilii, Lunellum affirmat Februario menſe hujus anni interfuiſſe, cum de Scriptura, & traditionibus gravis quæſtio incidiſſet. Verum Pallavicinus accurate, ut in reliquis, mendacium refellit, nullamque ejus, vel in publicis Actis, vel Legatorum in litteris mentionem fieri diſerte ſcribit. Memoratur ſane ejus nomen in quibuſdam monumentis, quæ ad nos pervenerunt; traditurque ſententiam ſemel, atque iterum pronuntiaſſe; primum de juſtificatione in confeſſu Theologorum, qui minores ſunt appellati; mox de gratiæ Divinæ certa notitia, deque juſtitiæ genere illo, quæ ſcholarum vocabulo imputativa nominatur.

Sententiam dicit de juſtificatione, de certitudine, gratiæ, de juſtitia imputativa.

IX. Sed viri duo ex eadem familia ceterorum, qui adfuere, Obſervantium obſcurarunt gloriam ſapientiæ laude, Alphonſus de Caſtro, & Andreas Vega, quos Cardinalis Pallavicinus cum Oleaſtro, & Catharino commemorat, dignoſque teſtatur eſſe, quorum fama litterarum monumentis corroborata ad omnem poſteritatis memoriam propagetur. Alphonſus apud Senticam, ſeu Sarabrim, quæ nunc Zamora appellatur, Legionenſis regni civitatem natus, profanis, ſacriſque litteris cum primis excelluit. Theologicas diſciplinas in gymnaſio Salmanticenſi annos triginta profeſſus eſt: cumque tantam non eruditionis modo, ſed pietatis, ac prudentiæ famam late ſparſiſſet, ut ad ſumma quæque gerenda aptus eſſe videretur, primum a Carolo V. conſiliorum particeps factus eſt, ac multorum itinerum comes adhibitus: deinde ad Concilium miſſus egregiam Patribus operam, ſtudiumque navavit. Inter eos aſcitus hoc anno eſt, qui rem graviſſimam, quaſique baſim, ac fundamentum ſacrorum dogmatum diſceptarent, eaque mala commentando recenſerent, quæ ab licenter edendis, explicandiſque Divinis litteris in Eccleſiam dimanant. Ut alios prætereamus ſummos viros, qui honorifica de Alphonſo judicia litteris conſignarunt, unum affero Nicolaum Antonium equitem ſancti Jacobi, qui in Hiſpanica Bibliotheca de illo ita ſcribit: *Alphonſus de Caſtro Zamorenſis inter Minores Salmantinæ domus vitam religioſam profeſſus, ſtatim ſe ad Theologicæ veræ doctrinæ, totiuſque eruditionis ſtudia compoſuit eo animo, & ſucceſſu, ut præſtantiſſimorum ſui temporis Theologorum laudem, ac meritum adæquaverit. Celebrabatur jam concionum Eccleſiaſticarum nomine, cum Andreas Reſendius ille Luſitaniæ decus cauſa ſtadiorum hærens Salmanticæ, verba ad populum facientis actionibus frequens intererat, quo melius poſſet dictionis genus ad imitationem obſervare. Quevedo enim Toletano ſcribens, facta noſtri mentione, eſſe eum diſerte inquit multitudini ea in urbe gratum, & quem ipſe, poſt Laodicenſis Epiſcopi tubam ſonoram, ſibi imitandum propoſuiſſet. In quo ad Garciam Bajonem Dominicanum forte reſpexit, Catholicorum Regum Eccleſiaſtem, quem Laodicenſis perhibetur Eccleſiæ titulus in albo Epiſcoporum cohonеſtaſſe. Porro evocatum ipſum honorifice Brugas Flandrorum ab Hiſpanis hominibus, qui in illa urbe totius Belgii florentiſſima per eos dies magno numero negotiabantur, ut apud ſe vernacula oratione de rebus ſacris e ſuggeſtu diceret, Joannes Vaſcas & ipſe Brugenſis in ea epiſtola, quæ præfixa eſt Homiliis Alphonſi noſtri ad Pſalmum quinquageſimum, ſcribit. Hic dum manet, adverſus hæreſes conſcripſiſſe, ſeu abſolviſſe id opus dicitur, quod & immortale ei nomen peperit, & viginti duorum ſpatio annorum (teſte in ultima recognitione auctore ipſo) pluſquam decies Italiæ, Galliæ, atque Germaniæ officinas, exindeque ſæpius ad hunc diem exercuit. Nobis redditus, & Salmantinæ urbi, alia elucubravit haud minus ſe digna opera. Non adhuc tamen ſatis erat quæſitum dignitatis viro, quantumvis pio, & doctiſſimo, totaque Europa celeberrimo, abſque*

Interfuit etiam maximus vir Alphonſus de Caſtro.

Theologicis diſciplinis inſigniter eruditus.

Diſceptat in Cœtu de coercenda licentia edendi in vulgus explicandique Divinas litteras.

De Alphonſo teſtimonium Nicolai Antonii.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

abſque honoribus ei a Carolo Imperatore, ac Rege noſtro habitis. Juſſus nempe ab eo fuit concionatoris regii partes agere, atque aliquando Philippi Hiſpaniarum Principis, Angliæque recens ducta Maria Regina inaugurati Regis in comitatu ire, ad omniaque fidei negotia, ut ſine dolo ea, atque in integrum ab exilio ſuo reſtituerentur, Conſultor adhiberi Theologus. Andreæ etiam Schoto ſi credimus in Bibliotheca ſcriptores Hiſpanos recenſenti, Carolum ipſum Cæſarem reatus ſuos confitentem audivit, quod mihi domeſticorum fide, qui noſſe in primis rem debebant, hactenus incompertum eſt. Verum Philippo ad tractandas integræ Monarchiæ habenas, quam ei magnus renuntiaverat parens, admoto, conſtare jam tum cœpit, qua illius approbatione, & gratia rerum ſe Anglicarum negotiis, aſſerendoque ibi Eccleſiæ Romanæ imperio Alphonſus impenderit. Siquidem ante Regis, atque ſuum in Hiſpaniam reditum, ab eo fuit in locum Joannis Toletani S. R. E. Cardinalis, XVIII. *Kalendas Octobris* MDLVII. *Romæ demortui, Metropolitanus ampliſſimæ, atque ſanctiſſimæ apud nos Compoſtellanæ Eccleſiæ deſignatus. Qui tamen paulo poſt, & antequam obtineri poſſet diploma Pontificium, undecima nempe Februarii anni ſequentis, die ætatis tertio, ac ſexageſimo, qui ſcanſili annorum lege plurimos auferre ſolet, animam cœlo dignam exhalavit.*

X. In eo Opere, quod contra Hæreſes lucubravit Alphonſus, ſententiam unam, vel alteram Bellarminus notat, velut eam, quam libro XI. verbo, *Nuptiæ*, hæreſi tertia, Alphonſus tuetur, cum Matrimonium docet in veteri lege verum, ac proprium ſacramentum fuiſſe, & a Chriſto non tam inſtitutum, quam confirmatum. Hanc opinionem ita vellicat Bellarminus, ut, quemadmodum tuto defendi poſſit, ſibi quidem exploratum non eſſe conſtanter affirmet. Verum in tuto eſſe Alphonſi doctrinam complures Theologi exiſtimarunt; in quibus Petrus a Soto lectione ſecunda de Matrimonio eam ſententiam confirmat egregie, ſanctæque Scripturæ auctoritate, ac divi Leonis Pontificis Maximi teſtimonio recte probari animadvertit.

In Epiſt. 92. quæ eſt 2. in editione Queſnelliana.

XI. Alter ex iis, quos numeravi, præclaris viris Andreas fuit de Vega Segobienſis, clariſſimo ortus genere, qui cum Salmanticæ primam ætatem humanioribus in litteris, & linguarum ſtudio triviſſet, adjeciſſetque ſubinde animum gravioribus diſciplinis, incredibilem laudem eruditionis eſt conſecutus. Nam ubi primum more majorum Doctoris nomen, & inſignia ſumpſit, in eorum, qui ſacras litteras profitebantur, ampliſſimum ordinem cooptatus, ac Durandi ſententias ex Academiæ inſtituto aliquot annos interpretatus eſt. Deinde cum magnam ſui expectationem concitaſſet, humanarum rerum tædio affectus in Obſervantium ſodalitate ſolemnia vota nuncupavit. Cum Alphonſo Caſtrio juniores noſtros Theologicis diſciplinis imbuendos ſuſcepit: poſt Caroli Cæſaris, ejuſque filii Philippi juſſu ad Concilium proſectus, magna cum opinione ſapientiæ ſæpe auditus a Patribus eſt. Eo Pacecus Cardinalis familiariſſime utebatur; cujus in bibliotheca pervolutandis, explicandiſque veterum ſcriptis, expendendis, formandis, corrigendis omnibus fere Concilii decretis deſudavit. Quibus occupationibus Theologicam diſciplinam illuſtravit maxime, atque defendit. Nam inter publicas curas, laboreſque quotidianos præclarum opus in ea urbe adornavit, quod inde Venetiis retractatum in libros quindecim partitus eſt. In iis libris Eccleſiæ doctrinam, quæ ad hominum pertinet juſtificationem, univerſe complexus eſt, & adverſus hæreticos ejus temporis validiſſime propugnavit. Henricus Caniſius e Societate Jeſu in epiſtola ad Erneſtum Bavariæ Ducem Vegæ opus de juſtificatione miris laudibus effert, ceteriſque de hoc ipſo argu-

Cardinali Pacec. eo familiaris.

Ejus labores litterarii.

Libros de juſtificatione typis edit.

De opere illo judicium Henrici Caniſii.

argumento commentariis anteferendum exiſtimat: *Etſi vero*, inquit, *multi multorum Catholicorum de juſtificatione commentarii circumferuntur, qui & cum laude ſcripti ſunt, & utiliter evolvuntur, attamen operæ pretium me in primis facturum ſperavi, ſi ex Theologis omnibus deligerem unum, nec quidem vulgarem, de juſtificatione tum dextre, tam erudite, tum copioſe ſcribentem, qui uno volumine comprehenſus in lectorum gratiam evulgetur.* Ac paucis interjectis: *Et hunc quidem Theologum delegimus reverendum Patrem Andream Vegam, virum cum primis eruditum, pariquè ſanctimonia, cum viveret, commendatum; ſed & primariis Concilii Tridentini Theologis, quos præſtantiſſimos fuiſſe conſtat, doctorum judicio adnumeratum.* Et paulo poſt: *Illud dicam permagni ſane referre, ut ad manus habeamus quorundam teſtimonia ſcripta, qui velut oculati teſtes actionum Concilii Tridentini coram adfuere, ut horum etiam ſcientia & explicatione nobis, & poſteris explicatiora reddantur, quæ ſunt in eadem Synodo conſcripta. Eoque charior in hoc opere nobis Vega eſſe debet, qui Tridentini doctiſſimos Theologos, & ſapientiſſimos Patres tum differentes audivit, cum de juſtificatione multis eſt menſibus acerrime diſputatum; ipſe quoque cum diſputantibus aliis ſua ſenſa ſtudioſiſſime contulit. Ex cujus viri ſcripturis docti facile deprehendent, quam fuerit idem in eruenda, confirmandaque veritate acer, ac diligens; quam præterea ſolers, & exercitatus in quæſtionibus obſcuriſſimis, atque graviſſimis examinandis, quas ille quidem ad normam verbi Dei libenter revocare conſuevit: ſed ita ue ſimul exponat quid & antiquiores, & recentiores Theologi de re propoſita judicaverint.*

XII. Maximam quoque non ingenii modo, ſed etiam prudentiæ laudem adeptus eſt, ubi pondus auctoritatis, quæ Divinæ Scripturæ ineſt, ei nimirum, quam Latino ſermone exaratam legimus, & Vulgatam vetuſto nomine appellamus, ad calculum revocavit. Sententiam Vegæ, quæ inferius proferetur a nobis, quamque Cervinus in Concilio Legatus magnopere commendavit, Patribuſque, qui Decretum ediderant, conſentaneam eſt arbitratus, graviſſimi poſt eum viri magno conſenſu retinuerunt. In primis Melchior Canus Canarienſis Antiſtes, qui paucis poſt annis Julio III. Pontifice, necnon Didacus Payva, qui Pio IV. regnante Concilio interfuit. Item doctiſſimus Genebrardus, Nicolaus Serrarius, Jacobus Bonfrerius, Sixtus denique Senenſis in admirabili opere, cui nomen fecit *Bibliotheca ſancta*, judicium Vegæ ſequuti ſunt; quod Cardinalis Pallavicinus in hiſtoria Concilii, inſiſtens ejuſdem Vegæ veſtigiis, enucleate declarat in hunc modum.

Sententiam Vegæ de auctoritate Vulgatæ Scripturæ ſequuntur clariſſimi viri.

XIII. Cum pro comperto habeamus, traditas nobis eſſe Divinas litteras, ut inde normam veritatis certiſſimæ Eccleſia peteret univerſa; conſequens eſt duabus linguis coarctari non debuiſſe, quarum notitia ita præſtaret, ut ferendæ rite ſententiæ ſatis eſſet, a noſtræ ſalutis exordio ad hanc uſque diem conſtiterit in pauciſſimis, vel potius in nullo mortalium. Dixi *vel potius in nullo*: etenim in veteri apud Hebræos ratione ſcribendi, prout communior fert ſententia, puncta non aderant, quæ noſtris vocalibus litteris citra ambiguitatem definite reſpondent; ſed ſolæ litteræ, quarum aliæ ſignificatione certa ſunt conſonantes, aliæ variis reſpondent vocalibus, ſimulque etiam alicui conſonantium. Habent præterea quædam Hebraicæ conſonantes tantam inter ſe figuræ ſimilitudinem, ut evitari non potuerit, quin ſcribarum imperitia, & incuria per aliam, atque aliam ætatem ediderit exemplaria multis mendis corrupta, ſententiam vitiantibus. Quapropter tam clara, tamque certa eſt Hebraici exemplaris interpretatio

Exponitur Vegæ ſententia.

homi-

Anno Christi	Pauli III.	Carcli V. Imp.	Religionis Mino-
1546.	anno 12.	anno 28.	rum anno 339.

homini illius linguæ perito, quam foret Latini codicis, abſque certis definitiſque notis, ſed ambiguis dumtaxat, ac per disjunctionem vocales varias, & quaſdam etiam conſonantes ſignificantibus, & præterea multis erratis depravati, linguam latinam callenti. Quin eo plane minus, quo re vera major eſt intelligentia Latini ſermonis in quocumque mediocri Grammaticæ Doctore, quam Hebraici in quovis illius magnopere intelligente. Et, ſi quid amplius quiſquam venditat, ideo fidenter venditat, quod judices idoneos haud formidet, qui ſuam venditationem damnent.

XIV. Quod vero ſpectat ad novum Teſtamentum, quod maxima ſaltem ex parte Græce conſcriptum fuit, Græca exemplaria, quæ noſtra ætate ſuperſunt, mendorum non levium multis in locis revincuntur ex iis, quæ afferunt ſancti Patres, deſumta jam ab illis libris, dum magis incorrupti extabant adhuc in exemplaribus minus remotis, minuſque diſcrepantibus a legitimis autographis. Quare nunc illa Græca exemplaria haud idonei teſtes ſunt ad redarguendam verſionem tam diuturno tempore ab Eccleſia receptam. Denique quis eſt in præſentia, qui ſibi arroget & exquiſitiorem illarum litterarum intelligentiam, & acrius judicium, & emendatiores codices iis, quos ſanctus Hieronymus obtinebat, qui, ſi non auctor, certe reſtitutor fuit noſtræ Vulgatæ? Itaque ſi Vulgatam intelligere idem eſt, ac intelligere non Dei verbum, ſed hominis ab errore non immunis; multo magis id eveniet in ea interpretatione, qua pro ſuo quiſque ingenio, quantumvis in Hebraica lingua verſatus, Hebraicum codicem explicabit. Præterea ſi hujuſmodi rationi pondus ineſſet, oporteret credere primo tantummodo autographo ſacrarum litterarum, quod a primis auctoribus exaratum fuit, hoc eſt a Prophetis, ab Evangelii Scriptoribus, ab Apoſtolis. Nam qui legeret ab aliis exſcripta, non legeret verbum Dei, ſed hominis, qui exſcripſit, ac falli poteſt, & fallere. Quamobrem ſatis liquet, in hoc univerſo genere ad Divinam providentiam confugiendum eſſe; quæ cum & ſapientiſſima ſit, & potentiſſima, ubi finem ſibi præſcripſit, quidquid ad eum obtinendum neceſſe erat, pariter præſtitit. Ita videmus, cum a Deo tamquam rerum naturalium gubernatore curandum eſſet, ut homines certam obtinerent notitiam eorum, quæ ad civilia commercia opus forent, opportuna ad id adjumenta ab ipſo eſſe conſtituta; atque hinc effectum, ut ſuus cuique proprius character ineſſet, & qui difficulter ab alio exacte ſimulari poſſet: ut publicorum monumentorum cuſtodes, tametſi non raro pauperes, & abjecti, raro ad fraudem agendam inducantur: ut bini teſtes raro conveniant ad mentiendum; quoniam totum id & neceſſe ſimul, & ſatis erat illi generi vitæ, ac regiminis, quod Deus in hac republica deſtinaverat.

XV. Cum igitur ipſe voluiſſet in fide quandam firmitatem non ſolum moralem, ut vocant, ſed abſolutiſſimam, nulliuſque falſi capacem; oportuit, ut ſua providentia, naturæ ordinem ſupesante, quodcunque erroris periculum amoveret ab iis rebus, quæ huic fidei fundandæ opus erant, arceretque ab illa quodcunque prudentis dubitationis initium. Et quoniam Fidei cardo verbum Divinum eſt, quod per ipſam Dei linguam in omnium aures abſque interprete immittendum non erat; par fuit, ut ſuos ipſe nuntios conſtitueret, qui in eo exercendo munere fallí non poſſent. Sed quando nec his pariter licebat in aures vocem fundere, nec exemplar conſcribere omnium oculis exhibendum; opus fuit Divinæ providentiæ, ea ſe quaſi cautione obſtringere, ne in hujuſmodi Scripturarum diffuſione menda permitteret, quæ per accuratam collationem, humanamque ſolertiam tolli

non

non poſſent, in iis ſaltem myſteriis, quæ Deus voluerat ut innoteſcerent Eccleſiæ ſuæ, & ab ea per firmiſſimam Fidem crederentur. Ut autem id apte curaret, evitaretque omnem ſententiarum ambiguitatem, & quamcumque aliam dubitationem, deſignandus fuit in terris manifeſtus interpres, qui deberet quidem in hoc eam impendere diligentiam, quam patitur humana conditio, ne Deus ad prodigioſas inſpirationes compelleretur; ſed ſimul ita regeretur interius, ut in hoc ipſo præſtando illis erroribus haud eſſet obnoxius, quibus in aliis negotiis, adhibita quacumque ſtudioſiſſima induſtria, ſubjaceret. Is autem interpres ipſa eſt Eccleſia, & ipſius Caput.

XVI. Neceſſarium quoque fuit, ut, cum idiomata mortalium variarent, ac de remotioribus ab uſu tenuis ſuperſit notitia, cujuſmodi ea ſunt, quibus ſacroſancta Volumina ut plurimum conſcripta fuerant, perpetuo certa quædam verſio maneret in ſermone quam plurimis cognito cunctis mendis purgata, depravantibus id, quod Deus cultoribus ſuis certo Fidei aſſenſu credendum præciperet. Non eſt tamen neceſſe, hanc verſionem omni liberam labe, Divina verba pervertente, unicam prorſus eſſe: hinc noluit Concilium cunctas reliquas a Vulgata diſtinctas improbare; idque prudenti conſilio. Etenim antequam Vulgata perficeretur, cum adhuc apud perpaucos eſſet peritia utriuſque linguæ autographa complectentis, oportuit eam expoſitionem, qua tunc utebatur Eccleſia, incontaminatam pariter eſſe, puramque a corruptionibus memoratis, quantumvis licet minus correctam. Quare ſi etiam nunc ea perſtaret, mereretur pariter nomen legitimæ verſionis, quamvis alioqui minus perfecta, quam Vulgata. His poſitis, dijudicare, cuinam, vel quibus inter varias interpretationes inſit ea corruptionum vacuitas Divina oracula depravantium, adeoque nomen legitimæ debeatur, munus pariter eſt illius interpretis Divinorum verborum, qui erroribus immunis a Deo eſt inter homines conſtitutus. Jam vero Eccleſia primo quidem per uſum diuturnum, ſeu docendo, ſeu concinnando, adhibita translatione Vulgata, cœpit eam tacite comprobare; poſtea quoniam opus erat, ut in ſententia ferenda de tot rerum capitibus adverſus pertinaces hæreticos, & cavillatores, omnis abſtergeretur dubitatio de fundamentis futurarum deciſionum, ut recte loquitur Tridentinum Decretum, de quo nunc agimus, voluit freta ope divinitus promiſſa ſancti Spiritus ſibi adſuturi, legitimam, & certam declarare Latinam aliquam ſacrarum litterarum verſionem; cum Latina locutio ſola eſſet univerſe cognita cunctis hominibus Theologiæ peritis, adeoque idoneis ferendo de Fidei rebus judicio: cumque id per humanam ſolertiam peragendum eſſet, exiſtimavit Concilium, per eam ſibi non licere tunc aliam ex interpretationibus comprobare, quam Vulgatam; quippe quæ ceteris auctoritate præſtabat: & cum eadem a ſancti Gregorii ætate ad hæc uſque tempora ab Eccleſia generatim ſuiſſet uſurpata, & unanimi conſenſu adhibita a clariſſimis ejuſdem luminibus, Iſidoro, Beda, Remigio, Alcuino, Fortunato, Rabbano, Anſelmo, Bernardo, Haymone, Richardo, Hugone Victorino, Petro Cluniacenſi, Ruperto Abbate, aliiſque innumeris Doctoribus; ad ſupremam Dei providentiam pertinebat, illam immunem erroribus in rebus fidei morumque præſtare, quo pariter immunem ſervaret Eccleſiam, illius uſuram auctoritate. Animadvertit etiam Vega cum Patribus, ubi hujuſmodi ratio non ſufficeret, fruſtra futuram omnem operam, quæ de integro collocaretur, ad ejuſdem dubitationis incommodum evitandum: poſita præſertim apud homines tam tenui atque incerta notitia ſermonis Hebraici, tum punctorum defectu, qui creditur in ori-

originariis exemplaribus fuiſſe, adeoque penuria notarum, per quas vitaretur crebra ambiguitas, ac dubitatio, utrum hæc an illa vocalis eſſet apponenda; quæ vocales baſes dictionum ſunt, adeoque ſententiarum: poſita item characterum Hebraicorum ſimilitudine, quæ pariter origo eſt ſignificationis ancipitis, depravationiſque in longiſſima exemplarium ſerie, aliorum ex aliis exſcriptorum, uti jam diximus.

XVII. Quod ſi Canon, *Ut veterum*, diſtinctione nona præſcribit, ut Hebraicus codex ad Vetus, Græcuſque ad novum Teſtamentum intelligendum adhibeatur, cui Canoni tametſi non deſumpto a ſancto Auguſtino, ut affirmat Gratianus; ſed a ſancto Hieronymo in Epiſtola vigeſima octava ad Lucilium Beticum; conſentit tamen ſanctus Auguſtinus lib. II. de doctrina Chriſtiana cap. XIV. & XV. & lib. XI. contra Fauſtum cap. II. idemque Hieronymus confirmat in Epiſtola ad Juniam, & Fretelam; quid tandem hoc refert? Prætereo, nondum eo tempore ab Hieronymo Latinam ſuam Expoſitionem fuiſſe digeſtam: adeoque poſtmodum in ſecundo Bibliorum prologo eumdem haud ita locutum: quod apte notat Gloſſa in laudato Canone, *Ut veterum*. Sed certum eſt, confugiendum Hieronymo fuiſſe in elaboranda Latina verſione ad duos illos primævos codices: nunc vero in eam ætatem devenimus, qua interpretatio, ſi ab Hieronymo non confecta, certe ab eo reſtituta, per multa ſecula ab Eccleſia recepta eſt, ac proinde ſibi auctoritatem obtinuit a comprobatione Divina. Sed ut etiam ſancti illi Patres idem hodie ſcriberent, quid inde adverſus Tridentini definitionem conficeretur? Num forte inficiamur, in editione vulgata multa eſſe ambigua, obſcura multa, quibus lux affundatur a Bibliis primorum idiomatum? Nonne illorum ope Catholici interpretes paſſim utuntur? Non id etiam proxime poſt Concilii Decretum egerunt, quin & adhuc perdurante Concilio? Quod palam facit, id non opponi ſententiæ Patrum Tridentinorum. Aliud eſt, affirmare, verſionem aliquam eſſe legitimam, hoc eſt, neque data opera corruptam in quacumque parte, quantumvis minima, & ad præcipuam rei ſententiam non ſpectante, neque umquam plane ex inconſiderantia ab archetypo diſformem in iis, quæ rem conſtituunt: aliud vero, affirmare, eidem ineſſe omnem claritatem, omnem vim, omnes alludendi concinnitates, quæ inſunt archetypo. Primum de Vulgata Tridenti definitum eſt: alterum præſtari per nullam translationem poteſt; cum ſingula idiomata ſuis propriis dicendi rationibus & excellant invicem, & deficiant: unde in multarum dilucida explicatione rerum alterum alteri reſpondere non valet.

XVIII. Hinc Divinæ prudentiæ conſilium fuit, quo ſimul verbo ſuo perennem vitam in Paginis ſervaret, ſimulque divinitus non impediret mutationem linguarum, quæ ſuapte natura, ſicuti reliqua terreſtria variationi ſubjacent, non quidquid ſacræ Litteræ complectuntur, conſtituere tamquam dogma neceſſarium, ut innoteſcat Eccleſiæ ſuæ; cum ibi multa loca ſuperſint vel maxime dubia, & alia non minus obſcura, quæ probabile eſt ita per omnem mortalium ætatem permanſura. Articuli quoque neceſſarii non certis individuiſque vocibus a Deo reſtringuntur, ſed hujuſmodi conditionis ſunt, ut vim & pretium habeant non tam ex numero, quam ex pondere, ut ita dicam, pecuniæ; quod numquam variat ex quacumque permutatione; & ſecundum quod ſolum ab interprete fidelis expoſitio requiritur. Quod Marcus Tullius in vertendis Latine duabus Orationibus contrariis Demoſthenis, & Æſchinis a ſe præſtitum gloriatur. Id ipſum effecerunt ſeptuaginta Interpretes in ſacris Litteris Græce reddendis; quod patet,

Paginus in Isagoge cap. 9. 10. & 11.

ſi hæ cum Hebraicis conferantur: quod & ab explanatoribus obſervatum. Quid plura? Quo nos doceremur Divinum conſilium in ſua Fide ſacris oraculis ſtatuenda aliud, quam hoc idem, non fuiſſe; ipſi auctores Divinorum librorum, quos ſancto Spiritu dictante ſcripſerunt, non ſemper eadem facta dictaque commemorant cum iiſdem prorſus conditionibus, certiſque omnino verbis, quibuſcum evenere, ſed interdum ſatis habuerunt cum præcipua rei ſumma concordare. Quod in cauſa fuit, ut viderentur nonnumquam Evangelii Scriptores inter ſe diſcrepare in ejuſdem rei geſtæ narrationibus: quod ſancti Patres, ac recentes interpretes ſæpe annotarunt.

XIX. Quoniam itaque verbum nullum in illis libris exaratum fuit abſque Dei afflatu, adeoque abſque ſignificatione alicujus peculiaris veritatis, & abſque alicujus altioris magiſterii documento; ad has veritates, & myſteria detegenda, quorum certam diſtinctamque notitiam in Eccleſia non quæſivit, ſed voluit ut in ſuo verbo lateret inexhauſta vena, conferre plurimum valet linguarum intelligentia, quibus primo Divina verba conſignata ſunt. Nullam igitur vim habet popularis illa ratio, quam afferunt imperiti: ſi editio vulgata proba eſt & legitima, ergo reliquæ malæ ſunt, & inſipienter iis utimur. Mendoſa enimvero collectio! Fac, hiſtoria, vel quævis alia Latina ſcriptio magni momenti Italico ſermone mediocriter exponatur; ſi ea Italica expoſitio fidelis ſit, legitima dici poterit, adeoque idonea iis litibus dijudicandis, quæ a rebus præcipuis ac magni momenti in ea contentis dependent; ſed non idcirco elaborari non poterit alia pariter Italica verſio magis vivida, magis propria, magis dilucida vel in totum, vel ex parte, quæ multa auctoris acumina explicet, atque alluſiones in alia verſione minime declaratas.

XX. Neque quidquam amplius eo, quod hic dicimus, Decreti Tridentini verbis ex neceſſaria ipſorum vi Vulgatæ tribuitur. Atque in hanc ſententiam illa ſunt interpretati, ac declararunt præſtantiſſimi Theologi, etiam ex iis, qui Concilio interfuere. Quæ cum ita ſint, etiam perſpicuum eſt, quicumque impugnat arctiorem, & abſolutiſſimam conformationem expoſitionis Vulgatæ cum locutione Divina, impugnari ab eo peculiarem Theologorum claſſem, non Eccleſiam ſane univerſam, in qua interdictum non eſt cum altera claſſe ſentire minus arcte Decretum interpretante, utpote nixa ipſius verbis, quæ ſimpliciter authenticam illam verſionem appellant, ſimulque præcipiunt, ne illa in concionibus, neve in prælectionibus, aut in commentationibus rejiciatur. Quod argumento eſt, ipſi errores non ineſſe ad fidem moreſque pertinentes, ac præterea in eadem nec fraudem, nec apertam diſcrepantiam, ne minimam quidem a Divina ſcriptione, nec ullam ſecum ipſa repugnantiam contineri; in quibus illa ſi deficeret, nec authentica eſſet, nec digna, quæ ab Eccleſia reciperetur. Non minoris quoque temeritatis eſſet, quamcumque e reliquis interpretationibus Vulgatæ ex toto præferre: propterea quod cum apertis verbis declaret Synodus, a ſe hanc ceteris anteponi, & inter omnes unicam a ſe ſuſcipi tanquam legitimam; vel ipſa omnium optima eſt, vel imprudenter egit Eccleſia in rei tanti ponderis electione: quod affirmare impium foret.

XXI. Haud ſane conſtat, quamdiu Vega Tridenti ſit commoratus, aut quo tempore diem obierit. Michael Medina in ſuo opere de recta in Deum fide, quod anno Chriſti MDLXIII. in vulgus edidit, demortui laudes celebravit his verbis: *Andreas Vega Minorita libris quindecim contra Calvinum, & quoſdam alios hæreticos decretum Concilii Tridentini de juſtificatione tam dextre defendit, & hæreticas inſanias tam potenter fundit, ut*

Vegæ laudes.

ut non immerito ejus immaturam mortem Catholici doleant. Nicolaus Antonius in ea, quam diximus, Bibliotheca, *in reditu*, inquit, *ſe domui ſuæ reſtituens æquali omnium illius Academiæ ordinum plauſu, ejus meriti ac palmæ virum ſumme diligentis ac ſuſpicientis ordinariis lectionibus intentus, uſque ad obitus diem vixit. Fertur is in annum Chriſti incidiſſe* MDLX. Lucas Waddingus inter ejus opera concionem recenſet, quam primo die quadragenarii jejunii ad Patres habuit. Item Commentarios in aliquot Concilii decreta editos Compluti anno MDLXIV.

XXII. Non eſt autem hoc loco prætereundum, quod ſummus vir Dionyſius Petavius ad immortalem Vegæ gloriam ſcriptum reliquit, cum Tridentini de gratia ac libero arbitrio decreti interpretationem eſt perſecutus: *Quorum*, inquit, *in gratiam* (ideſt veritatis amantium) *aliquot hic appellabo teſtes, & interpretes mentis, ac propoſiti Tridentinorum Præſulum, ex iis, qui tum præſentes interfuere Synodo, cum decreta illa fierent. Ac præ ceteris duo illi producendi ſunt, qui omnium doctrina, & auctoritate, ex privatorum ordine, principes fuiſſe perhibentur; ac magnum ad decidendam illam controverſiam, quæ de juſtificatione tum eſt commota, momentum attuliſſe. Fuit autem* (*quod in Hiſtoria Concilii iſtius memoriæ proditum eſt*) *tam accurata, immo anxia, & laborioſa de illo decreto inquiſitio tum facta, ut centies de ea deliberatum ſit, & ituum in conſilium partim a Prælatis, partim a Theologis. Horum e numero, quod dicere cœperam, qui duo deſignati a me ſunt, extitere Dominicus a Soto Segobienſis ex Dominicanorum familia, & Andreas Vega Hiſpanus ex Franciſcanorum Ordine, qui ab Obſervantia inſigne nomen accepit, Salmanticenſis Academiæ Theologi profeſſores ambo: & ille inſuper Carolo V. Imperatori a Confeſſionibus. Hi cum in nonnullis, quæ ad illud argumentum attinent, & impune, ut fit in ſcholis, in utramque partem diſputantur, a ſe mutuo diſſiderent* (*quæ altercatio primorum inter ſe Theologorum deliberationi præcipue moras attuliſſe dicitur*) *poſt decretum conſenſu omnium temperatum, & editum, pro ſua quiſque ſententia perſeveravunt contendere, ac duo anno eodem* MDXLVIII. *inter ſe pugnantes prodiere libri: alter Dominici a Soto de Natura, & Gratia: alter Andreæ Vegæ de Juſtificatione. Hæc ex hiſtoria Tridentini Concilii ideo referre volui, ut conſtaret, id, in quo duo illi, ceteroquin adeo diſcordes, inter ſe conſentiunt, quod ad ſenſum Tridentini decreti pertinet, id, inquam, pro germano, certo, & indubitato tenendum. Atqui iidem duo clariſſimi graviſſimique Doctores Theologi in explicanda Tridentini Concilii doctrina ſecum invicem, & nobiſcum adamuſſim conſentiunt: ac novorum Dogmatiſtarum, & ante hos Lutheranorum, & Calviniſtorum opinionem pro hæretica judicant; & ad eam non alio, quam quo illi profitentur, intellectam ſenſu, damnandam, ac profligandam accommodari Synodica illa decreta confirmant.* Tum eorum deſcripta ſententia, laudibuſque utriuſque velificatus Petavius, *par nobiliſſimorum pugilum illos* appellat; *quos idcirco primos in hanc velut arenam ſe produxiſſe teſtatur, quod, ut ex Actis Tridentinis didicimus, celeberrimum illum Catholicæ fidei, doctrinæque campum ex privatorum ordine potiſſimum tenuerunt, quamdiu de libero arbitrio, & juſtificatione deliberatum eſt in illa Synodo.*

Petavius de Tridentini Concilii interpretatione cap. 15.

XXIII. Franciſcus quoque Salazarius ex Obſervantium familia non ſine laude memoratur ab iis, qui acta Concilii collegerunt. Is de propoſita ad diſceptandum materia, quæ juſtificationis appellatur, judicium tulit, quod cum Patrum decreto deinceps edito conſentaneum fuit. Idem anno MDXLVIII. Epiſcopus Salaminæ in Cypro inſula deſignatus eſt. Subio-

Franciſcus Salazarius de juſtificatione ſententiam dicit.

Creatur Epiſcopus Salaminæ.

de anno MDLI. orationem ad Patres Tridenti habuit, quam Julius III. Pontifex Maximus de ſcripto perlectam magnopere commendavit. Cumque diem obiiſſet Marcellus Creſcentius Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Concilii Præſes, ab eodem laudatus Veronæ eſt: cujus etiam oratio funebris edita Romæ fuit anno MDLII., & ab Oldoino in ſupplementa Ciaconii, qui Pontificum vitas fuſe deſcripſit, ſubinde relata.

Orationem habet in funere Cardinalis Creſcentii.

Ludovicus Carvajalis pro illibato conceptu Deiparæ Patribus diſputat.

XXIV. Cum Salazario interfuit ex noſtris Ludovicus Carvajalis Bæticus eruditione, & eloquentia præcellens, qui in cœnobio Pariſienſi, doctiſſimorum hominum domicilio aliquandiu verſatus, pro illibato Dei genitricis conceptu acerrime diſputavit. De eo meminerunt acta Concilii ad diem VII. Kalendas Novembris; traditurque orationem ad Patres habuiſſe Dominica ſecunda Quadrageſimæ anni ſequentis. Idem ſcripſit opus non contemnendum de reſtituta Theologia adverſus Eraſmum Roterodamum. De Carvajali plura Waddingus, & Nicolaus Antonius in ſuis Bibliothecis memoriæ prodiderunt.

Orationem ad Patres Concilii habet.

Opus conſcribit adverſus Eraſmum Roterodamum.

Richardus Cenomanus, & Joannes Concilius Galli Obſervantes: eorum hymnes in Concilio.

XXV. Præterea Galli duo non infimi nominis Theologi ex cœnobio Carnotenſi Concilium adiere. Primus Richardus Cenomanus, qui collationes edidit variarum verſionum pſalterii Davidici, necnon vindicias editionis vulgatæ. Alter Joannes Concilius, quem Waddingus in indice ſcriptorum Ordinis anno MDLXII. interfuiſſe, dieque ſolemni aſcendentis in cœlum Chriſti concionem habuiſſe ſcriptum reliquit. Fertur etiam opuſcula varia exaraſſe ex diſputationibus collecta, quæ Doctorum ingenia in Concilio exercuerunt. Cum his annumerandus Hieronymus Lombardellus Brixienſis, & Ludovicus Vitriarius Veronenſis, quorum in diſcutienda juſtificationis materia, ut ceterorum fere Obſervantium, præcipuus labor, & cura fuit. Cenomani ſententiam de vera cauſa juſtitiæ noſtræ Pallavicinus memorat hiſce verbis: multi cum Richardo Cenomano ex Minoribus Obſervantibus conſiderabant duo cauſarum genera: alias, quæ gignunt effectum ipſis poſtea non indigentem, ut conſervetur, qualis eſt filius a patre jam genitus: alias, quarum effecta non minus a cauſa pendent, dum conſervantur, quam dum generantur; quo pacto radius a ſole dependet. Hac poſteriore ratione nos a Deo pendere, tum ſpectata natura, quæ nos extrahit e nihilo, tum ſpectata gratia, quæ nos regenerat, & extrahit a peccato, quod alterum, & deterius nihilum eſt. Hoc poſito duas in nobis juſtitias non ineſſe, alteram intrinſecus, alteram extrinſecus, eoquod Chriſti merita imputentur: ſed interiorem nobis juſtitiam & a Chriſti meritis effici, & ab ipſis quovis temporis momento pendere; & niſi eorum vi conſervaretur, illico defecturam. Atque ita nobis Divinum Tribunal adeuntibus eſſe confidendum Chriſti juſtitiæ, non quidem ceu juſtitiæ, quæ vacuitatem noſtræ juſtitiæ interioris ſuppleat; ſed tamquam cauſæ efficienti, ac neutiquam pendenti a noſtra interius inhærente juſtitia, quæ cauſa formalis eſt, qua juſti ſumus. Et quamquam exiſtimarent quidam, juſtitiam ipſam, actioneſque ab ea genitas, ſi abſolute ipſarum natura ſpectetur, jus nobis ad æternam felicitatem haud impertiri, eamque poſſe a Deo denegari homini illis dotibus prædito; affirmarunt tamen, id negari non poſſe, poſito jam reſpectu, quo ipſa gratia, actuſque ab ea profecti connectuntur cum acceptatione, ac promiſſione Divina nobis exhibita ob merita Redemptoris, per quam Deus promiſit, habiturum ſe pro amico, filioque adoptivo hominem hujuſmodi donis ornatum.

Cenomani ſententia de vera cauſa juſtitiæ noſtræ exponitur.

XXVI. Cum igitur Fides ſit, quæ per firmiſſimam veritatem, intimamque ipſius naturam certos nos reddit hujuſce promiſſionis, acceptationiſ-

niſque Divinæ, ob Chriſti merita nobis conceſſæ; idcirco dicebant aliqui, in noſtra juſtitia præter gratiam, & opera, fidem etiam involvi, qua poſita, & intimum, & efficaciſſimum jus nobis ineſt, ut tamquam juſti accipiamur, & a Deo gloria ſempiterna donemur. Concedebant omnes, gratiam redemptis per Jeſu Chriſti merita impertitam; & hujuſce rei cauſa debere nos illis plene confidere; noſtram vero juſtitiam, Chriſti juſtitiam eſſe appellandam. Omnes quoque Theologi libenter conſentiebant, utcumque ras habeat, ſive gratia infuſa, quæ nobis per Chriſtum donatur, ſuapte natura obtineat, ut ſit adoptiva Dei filiatio, ac forma juſtificans; ſive id habeat ob diſtinctum reſpectum, quo ipſa reſpiciat Divinam acceptationem, ex Redemptoris promerito nobis præbitam; ab ipſa certe nobis perfecte applicari Chriſti merita: adeoque non eſſe in nobis duas juſtitias, quas Seripandus volebat, alteram imperfectam, nobiſque inhærentem, alteram perfectam, & exteriorem; ſed potius eam, quæ intus ineſt, eſſe communicationem quamdam, poſſeſſionem, atque effectum exterioris. Quemadmodum quamvis eſſe noſtræ naturæ ſit eſſe Dei, ſicut loquitur S. Dionyſius, quem ſecutus eſt Ægidius Romanus, illius Scholæ Princeps, unde prodiit Seripandus; non idcirco hoc eſſe noſtræ naturæ duplex eſt, alterum nobis intimum, & impotens nos a nihilo formaliter, ut loquuntur Scholæ, ſecernere; alterum exterius, & in Deo ſitum, quod nobis formaliter communicet id, quo noſtrum eſſe interius caret: ſed eſſe noſtrum interius eſt quædam communicatio eſſe Divini, per quamdam eminentiam illud continentis, ac procreantis.

Bonaventura Pius aliique Conventuales ſuam operam Eccleſiæ locant in Concilio.

XXVII. Ex Conventualibus claruit eruditionis fama Bonaventura Pius a Coſtaciaro eorumdem præfectus, de quo ſuperius narratum eſt; illudque fertur memorabile, Franciſcanorum neminem a Concilii primordiis ad uſque exitum anni hujus eo frequentius in Patrum cœtu verba feciſſe. Inter minores Theologos locum habuere Bernardinus item a Coſtaciaro, & Franciſcinus Vicedominus Ferrarienſis. Suam iſte ſententiam de inhærente nobis juſtitia, deque merito bonorum operum eleganter expoſuit. *Ut enim*, ait, *Jacobus ille antiquitatis teſtimonio celebratus, dum parentem convenit hæreditatem natu majoris impetraturus, fraterna veſte ſe induit; ſimul eidem attulit prædam ex venatione, quam multis laboribus, multaque induſtria quæſiſſet: ita homines cœleſti gratia præculti, dum & ipſi admovent manus ad Dei excepta promovenda, tandem juſtitiam adipiſcuntur, ſtabilem illam quidem, animoque inſidentem, quam ſi pro viribus tueantur, & foveant, & ad exitum uſque vitæ integram ſervent, hæreditatem æternæ vitæ, atque gloriæ amantiſſimi Numinis beneficio ſint adituri.*

In quibus Vicedominus ſuam de inhærente nobis juſtitia ſententiâ eleganter exponit.

XXVIII. Ejuſmodi judicium Vicedominus ipſe teſtimoniis veterum Patrum corroboravit. Itaque ejus oratio audientium animis pulchritudine exempli, dictorumque veritate incredibilem attulit voluptatem. Idem, teſte Waddingo, diſputationes emiſit aliquot de rebus fidei, itemque orationem ſatis luculentam de Abominationis, ac Deſolationis myſterio, quam vigeſima quarta poſt Pentecoſten Dominicam ad Patres habuit. Erat Vicedominus omnino factus, comparatuſque a natura ad ſacras litteras. Hebraicæ, Græcæque linguæ diſcendæ ab ineunte ætate operam dedit. Verum maximam ei laudem, ac nominis famam peperit eloquentia. Primus omnium veterem concionandi conſuetudinem, Patribuſque diſertiſſimis, Baſilio, Chryſoſtomo, Gregorio, aliiſque uſitatam poſtliminio revocavit. Cumque linguæ difficultate ſic laboraret, ut loquuturo prorſus hæreret, primaſque dictionum ſyllabas non ſine magna contentione formare poſſet, di-

Idem Hebraice, Græceque ſciens.

Eloquentia in primis clarus.

dicendi tamen aſſiduitate, improboque labore aſſecutus eſt, ut in ejus actione nihil homines deſiderarent, quod ad boni, & ex omni parte perfecti Oratoris laudem pertineret. Quocirca ſumma cum voluptate in Concionibus audiebatur. Fridericus Borromæus Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Vicedominum in ore omnium verſari ſolitum ſcripſit; præſertim vero corporis geſtu uſque adeo excelluiſſe, ut de illo dictitarent, ſi lingua careret, nihilominus perſuaſurum; ſecus vero, ſi brachiis, manibuſque careret: tanta nimirum inerat vis in actione loquentis, ut ea una, ſi partes ceteræ defuiſſent, maximos tamen animorum motus concitare potuiſſet. Multa mandavit litteris, quæ Waddingus, aliique Scriptores percenſuerunt.

Ejuſdem magna vis in actione.

Fridetici Borromæi Cardinalis de illo judicium.

XXIX. Julius Magnanus Placentinus, vir doctus, & gravis ſententiam dixit in eo conſeſſu Theologorum, qui de gratiæ Divinæ certitudine, deque juſtitia imputativa diſſeruerunt. Is paucis poſt annis primum Vicarius familiæ ſuæ ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate, deinde Generalis Magiſter creatus eſt; quam ſingulari humanitatis, ac manſuetudinis laude adminiſtravit. Tum Calenſem Eccleſiam in Campania felici gubernandam ſuſcepit, ſextoque poſt anno naturæ conceſſit.

Julius Magnanus ſententiam dicit de certitudine gratiæ, deque juſtitia imputativa. Creatur Magiſter Generalis familiæ ſuæ: tum Calenſium Epiſcopus.

XXX. Interfuerunt item ex Conventualibus, Petrus Paulus Picentinus, Joannes a Corrigio, Sigiſmundus a Ruta, Hieronymus Birellus, de quo Waddingus in Scriptoribus Ordinis; Franciſcus a Vita, Franciſcus de Pactis, Joannes Baptiſta Montechicius, Philippus Brancus, Clemens Thomaſinus, qui Kalendis Novembris in templo ſancti Vigilii orationem ad Patres habuit. De Pactenſi memorabile illud fertur: cum enim Epiſcopi privilegium Monachis irrogaſſent, decreviſſentque ſpoliare eos immunitatibus, quas Pontifices Maximi de Eccleſia Catholica optime meritis jam pridem dederant, ille flexis ante Patres genibus precatus eſt, ut negotium differrent, ac tantiſper expectarent, dum abſentes præfecti quorumdam Ordinum ad Concilium accederent. Ubi illi pro cauſa peroraverint, tum demum Patres, quæ ſalutaria, ac recta eſſe viderentur, ex arbitrio decernerent. Æqua Patribus viſa poſtulatio. Itaque dilatum judicium de immunitatibus Monachorum: poſtremo decreti ſeveritas e ſententia Concilii mitigata.

Conventuales alii multi Concilio interſunt.

Franciſci Pactenſis memorabile factum.

XXXI. Capuccinorum quinque præfectus inter Minores Theologos memoratur pridie Idus Julii: ut proinde mirari ſubeat, quod Zachariam Boverium ſcribere memini, a præfecto familiæ ſuæ de principatu, ac dignatione in Concilio diſceptatum: cum Miniſter totius Ordinis Calvus, itemque Magiſter Conventualium ſoli inter Antiſtites, Ordinumque Religioſorum præfectos locum habuerint; nec præter eos Franciſcanorum quempiam interfuiſſe, qui acta omnia ejus Concilii litteris conſignarunt, ſcriptum reliquerint.

Capuccinorum Generalis Vicarius inter Minores Theologos locum habet.

Ex edit. Reg. Pariſ. Conc. Tom. X. pag. 17. 19. & 22.

XXXII. Antequam Patres juſtificationis materiam diſcutiendam ſuſciperent, de peccati genere illo quæſitum eſt, quod jam tum ex ipſo conceptu, & origine contractum, *originale* propterea nominatur. Id utrum ad beatam Virginem adhæſerit, an, cum late manaret in Adami poſteros, eam penitus non attigerit, primo loco conſtituendum nonnulli Patres exiſtimarunt. Quæ quidem quæſtio aliquot ante ſeculis agitari cœpta, majores in quibuſdam impetus excitavit animorum, quam bene conſulta, prudenſque ratio pateretur: adcout in partes, & factiones, atque indidem in ſimultates, & propemodum internecina odia vis contentionis, & ardor eruperit. Atqui jam pridem graſſantis hujus belli ſemina graviſſima Pontificum Romanorum, immo Eccleſiæ totius auctoritas compreſſerat, cum ita de-

An peccatū originale contraxerit Virgo Deipara, in Concilio diſceptatum.

Ea quæſtio aliquot ante ſeculis agitari cœpta.

Diſcordiæ ſemina ſubinde compreſſa a Romanis Pontificibus.

cre-

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

crevere, neutrius partis ſautores eſſe damnandos, neque pro hæreticis, aut peccati ullius reis, & convictis habendos, eo quod nihil adhuc ſuper hac controverſia Romana Eccleſia, vel Sedes Apoſtolica pronuntiarit. Quamquam vero ſanctiſſimi viri, iidemque doctiſſimi Dei genitricem hujus labis expertem aliquando negarunt; ſenſim tamen in contrariam partem fere omnes iere Chriſtiani: ac paulatim tacito populorum aſſenſu ita percrebuit, ut in publicam profeſſionem tandem eruperit: adeout dies conceptui beatæ Virginis ſacer publico ritu per totam Eccleſiam conſtitutus fuerit VI. Idus Decembris, eumque Apoſtolico decreto, & auctoritate ratum eſſe voluerit Sixtus IV. anno Chriſti MCCCCLXVI., ac Miſſam, & Canonicum officium proprium illi dicaverit, iiſdem attributis Indulgentiis, quibus Urbanus IV. inſtitutum ab ſe ſolemne feſtum Corporis Chriſti, & ejus officium Eccleſiaſticum ornaverat. Quod ex illius conſtitutione perſpicuum eſt, *in qua univerſos Chriſti fideles invitat, ut omnipotenti Deo de Immaculatæ Virginis mira conceptione gratias, & laudes referant*. At idem poſtea, cum vehemens ea de re Catholicos inter eſſet orta contentio, ac mutuis altercationibus turbata pax, & tranquillitas videretur; alia ſanctione huic diſſidio interceſſit anno MCCCCLXXXIII., qua neutri parti hæreſis, aut lethalis criminis notam ſubſcribendam eſſe decrevit ſub anathematis pœna. Utraque conſtitutio ab Tridentinis Patribus ſeſſione quinta confirmata eſt, & rixantium impotens ardor eadem moderatione compreſſus. Sed hac de re poſtea. Secutæ ſunt aliæ Romanorum Pontificum Bullæ, quibus modus quidam illi controverſiæ poſitus eſt, piæque ſententiæ plurimum honoris, & gratiæ conciliatum: præſertim vero Alexandri VII., qui deceſſorum Pontificum de conceptu labis experte judicia confirmavit verbis ampliſſimis. Ejus autem diploma deſcribendum hoc loco exiſtimavi; ut, qui hæc legent homines noſtri, incredibilem capiant voluptatem, quando ſua erga Virginem ſtudia, & pietatis officia tantis niti præſidiis liquido intelligent.

In piam ſententiam ſenſim eſt itum a Chriſtianis.

Dies illibato ſæculi ſacer conſtitutus a Sixto IV.

Ejuſdem Pontificis ea de re Conſtitutiones duæ a Tridentinis Patribus confirmatæ.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI ALEXANDRI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VII.

Innovatio Conſtitutionum, & Decretorum in favorem ſententiæ aſſerentis, animam Beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione a peccato originali præſervatam fuiſſe, editorum.

ALEXANDER PAPA VII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Alexandri VII. Conſtitutio in favorem piæ ſententiæ.

Sollicitudo omnium Eccleſiarum, quam, licet meritis, & viribus longe impares, Dei Optimi Maximi voluntate, & providentia gerimus, in id Nos anxie tenet intentos, & vigilantes, ut ſcandala, quæ inter fideles pro humanæ naturæ corruptione, & fragilitate neceſſe eſt ut veniant, quantum fieri poteſt, paciſſima exoriantur, atque exorta, quam celerrime, & quam diligentiſſime amoveantur: nam iis, per quos veniunt, certam peccati perniciem, quibus vero præbentur, præſens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro Noſtro Paſtoralis officii debito & damnum ſummopere doleamus, & diſcrimine aſſidue urimur. Sane vetus eſt Chriſti fidelium erga ejus beatiſſi-

Pietas Christi fidelium in festum Conceptionis B. Virginis Mariæ.

tissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu coleutium, & celebrantium; crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus post editas a fel. rec. Sixto Papa IV. Prædecessore nostro in ejus commendationem Apostolicas Constitutiones, quas sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atque observari mandavit. Aucta rursus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam post erecta hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Religiosum Ordinem, & Confraternitates, ac concessas ab iisdem Indulgentias, ita ut accedentibus quoque plerisque celebrioribus Academiis ad hanc sententiam, jam fere omnes Catholici complectantur.

Contraria opinio publice doceri non potest.

Et quia ex occasione contrariæ assertionis in concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod nempe eadem beatissima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, jurgia, & dissensiones, rec. mem. Paulus Papa V. etiam prædecessor noster vetuit horum opinionem præfatæ sententiæ contrariam publice doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ memoriæ Gregorius XV. similiter prædecessor noster ad privata etiam colloquia extendit; mandans insuper in favorem ejusdem sententiæ, ut in sacrosancto Missæ sacrificio, ac Divino officio celebrandis tam publice, quam privatim, non alio, quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant. Nihilominus, prout venerabiles fratres Episcopi fere omnes Hispaniarum cum Ecclesiarum suarum Capitulis datis ad Nos litteris exposuerunt, accedente etiam insinuatione charissimi in Christo filii nostri Philippi earumdem Hispaniarum Regis Catholici, qui specialem super hoc misit ad Nos Oratorem venerabilem fratrem Ludovicum Episcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos supplicationes Regnorum earumdem Hispaniarum, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis assertores contra præfatas prohibitiones tum privatim, tum publice præfatam sententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem a Romanis Pontificibus cultui, & festo secundum illam præstitum ita interpretari, ut frustrentur; immo Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui juxta illam beatæ Virgini exhibito favere negant, pios Christi fideles e sua pacifica quasi possessione deturbare conando, unde offensiones, scandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt Paulus V., & Gregorius XV. nostri prædecessores, perdurant adhuc, & ex occasione eorumdem adversantium majora his incommoda in posterum prudenter, & merito timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quam memoratus Philippus Rex, ejusque Regna Nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt.

Supplicatio Regnorum Hispaniæ.

Innovat Constitutiones prædecessorum Pontificum.

Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperque Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc officium olim ordinavit juxta piam, devotam, & laudabilem institutionem, quæ a Sixto IV. prædecessore nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati, & devotioni, & festo, ac cultui secundum illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem numquam immutato, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem, & devotionem hanc colendi, & celebrandi beatissimam Virginem, præveniente scilicet Spiritus Sancti gratia, a peccato originali præservatam; cupientesque in Christi grege unitatem Spiritus in vin-

vinculo pacis, ſedatis offenſionibus, & jurgiis, amotiſque ſcandalis, conſervare: ad præfatorum Epiſcoporum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejuſque Regnorum oblatam Nobis inſtantiam, ac preces, Conſtitutiones, & Decreta a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & præcipue a Sixto IV., Paulo V., & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis, animam beatæ Mariæ Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & a peccato originali præſervatam fuiſſe, necnon & in favorem feſti, & cultus Conceptionis ejuſdem Virginis Deiparæ ſecundum piam iſtam ſententiam, ut præfertur, exhibiti innovamus, & ſub cenſuris, & pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis obſervari mandamus. Et inſuper omnes, & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones, ſeu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur, vel qui hanc eamdem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe, vel indirecte, aut ſub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ, ſive ſacram Scripturam, aut ſanctos Patres, ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce loqui, concionari, tractare, diſputare contra ea quidquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea aſſerendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis cogitabili modo differendo, auſi fuerint, præter pœnas, & cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubjacere volumus, & per præſentes ſubjicimus, etiam concionandi, publice legendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & paſſiva in quibuſcumque electionibus eo ipſo abſque alia declaratione privatos eſſe volumus, necnon ad concionandum, publice legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrere abſque alia declaratione; a quibus pœnis nonniſi a Nobis ipſis, vel a ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint: necnon eoſdem aliis pœnis noſtra, & eorumdem Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubjacere volumus, prout ſubjicimus per præſentes, innovantes Pauli V., & Gregorii XV. ſuperius memoratas Conſtitutiones, ſive Decreta.

Pœnæ contra tenentes contrariũ.

Ac libros, in quibus præfata ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocumque, ut ſupra, aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur, poſt Pauli V. ſupra laudatum Decretum edita, aut in poſterum quomodolibet edenda prohibemus, ſub pœnis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſſe prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum a Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit hoc deciſum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæreſi, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubjecit Sixtus IV., aliisque prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, gravioribus aliis pœnis ſubjicimus, quas in contrafacientes huic noſtræ Conſtitutionis ſuperius inſliximus. Volentes quod contra hujus noſtræ Conſtitutionis tranſgreſſores, etiam Regulares cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & quomodolibet exemptos, & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & ſeculares per-

Prohibet libros continentes contrariam opinionem.

Pœnæ contra omnes etiam Regulares aliter docentes.

perſonas cujuſcumque ſtatus, gradus, Ordinis, & dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quam ſecularis, ut præfertur, tam Epiſcopi, & Prælati ſuperiores, aliique locorum Ordinarii, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atque in eos ſtricte animadvertant. Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coercendi, & puniendi liberum facultatem, & auctoritatem iiſdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eoſque, ut præfertur, procedere, inquirere, & punire diſtricte præcipimus, & mandamus.

Contrariis derogat.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac quibuſvis indultis, & litteris Apoſtolicis quibuſvis perſonis quantumcumque qualificatis, & in quacumque, etiam Cardinalatus, Patriarchuli, Archiepiſcopali, Epiſcopali, & quavis alia dignitate, & honore conſtitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, ſuſpendi, vel excommunicari nequeat, quomodolibet conceſſis. Quibus omnibus, & eorum ſingulis, etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de eis, ipſorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes, clauſulas mentio habenda, aut alia exquiſitu forma obſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ut autem hæc noſtra Conſtitutio, & præmiſſa

Præcipit Ordinariis publicationem.

omnia ad eorum omnium, quorum intereſt, notitiam congruentius pervenire poſſint, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna privationis ab ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis locorum Ordinariis, ac eorum Vicariis, Suffraganeis, & Officialibus quibuſcumque, & aliis ſingulis, ad quos quomodolibet ſpectat, & pertinet, quatenus hujuſmodi noſtram Conſtitutionem ſingulis ſuæ diœceſis, vel diſtrictus prædicatoribus, & aliis, quibus expedire judicaverint, opportune inſinuent, & publicent, ac inſinuari, & publicari faciant, ne quis in poſterum quoquo modo ignorantiam de præmiſſis poſſit prætendere, aut ſe contra

Tranſumptorum fides.

præmiſſa valeat excuſare. Volumus, & ſimiliter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præſentes litteræ per aliquos ex noſtris Curſoribus in Baſilicarum ſancti Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, ac in acie Campi Floræ de Urbe de more publicentur, & affigantur: quæ affixio, & publicatio ita omnes, & ſingulos, ad quos ſpectat, afficiat, & arctet, ac ſi illis perſonaliter intimatæ faiſſent; & quod illarum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus litteris adhiberetur, ſi oſtenſæ, aut exhibitæ forent. Datum Romæ apud ſanctum Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die VIII. *Decembris* MDCLXI. *Pontificatus noſtri anno* VII.

Anno a Nativitate D. N. Jeſu Chriſti MDCLXI. *Indictione* XIII. *die vero* XI. *Decembris, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Alexandri Divina Providentia Papæ* VII. *anno* VII. *ſupra ſcriptæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt in Baſilicarum ſancti Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apoſtolicæ valvis, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Andream Caſtruccium prælibati ſanctiſſimi D. N. Papæ Curſ.*

Pro D. Mag. Petrus Paulus Deſiderius Curſor.

XXXIII.

Anno Christi 2546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

XXXIII. Clemens XI. noſtra ætate ſapientiſſimus Pontifex Conceptionis, qua de agitur, diem inter feſtos adnumeravit, & in orbe terrarum ſolemni ritu celebrandum decrevit. Verum de his omnibus legi poſſunt multorum Commentarii, qui de uno hoc argumento copioſiſſimi huc uſque perſcripti ſunt, & uſu, ac manu teruntur omnium. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus penſumque revocabo.

Clemens XI. diem feſtum immaculati Conceptus ſolemni ritu celebrandum præſcribit.

XXXIV. Cum multa ſunt Ordinis noſtri decora & ornamenta, tum vero illud perpetuum, ac ſingulare, quod in ornanda celebrandaque Dei Parente omnes induſtriæ nervos nmni ætate contendit, utque priſtinam labem ab ea depelleret, quam Theologi quidam eidem affingere non dubitarunt, magna ſtudiorum, & voluntatum conſenſione decertavit. Longum eſſet enumerare inſignes pietate ac ſapientia viros prope infinitos, qui beatiſſimum illud vitæ ejus exordium, de quo tantopere eſt diſceptatum, partim ſcriptis illuſtraverunt, partim acerrimis diſputationibus propugnarunt. Cujus gloriæ & ornamenti multo maaimam partem ſibi merito vendicat Joannes Dunſius Scotus, optimus idem, ac ſapientiſſimus Philoſophorum, ac Theologorum Magiſter, qui ſententiam de illibato conceptu in bono lumine collocatam, validiſque argumentis, ac teſtimoniis egregie munitam poſteritati commendavit. Ferdinandus Salazarius, qui de hoc ipſo argumento luculentos edidit commentarios, Joannem Scotum præcipuum ac maximum puræ Conceptionis vindicem nominat, *qui tantam huic doctrinæ ſuæ auctoritate fidem comparavit, quantam nullus ante, vel poſt ipſum*. Gabriel vero Vaſquezius hanc opinionem ait *primum ab Scoti temporibus vires cepiſſe, neque in ſcholis modo Theologorum, ſed omnium plane Chriſtianorum animis inſediſſe, ut nemo unus hac demum ætate ab ea deduci, aut dimoveri poſſit*.

Franciſcanus Ordo piam ſententiam egregie defendit.

Joannes Scotus Minorum omnium coryphæus ſo litteratis palæſtra.

XXXV. Eam laudem pietatis in illuſtrando propugnandoque conceptu labis experte cum ſæpe alias Joannes eſt conſecutus, tum præſertim litterario certamine, quod Lutetiæ Pariſiorum in frequentiſſimo Theologorum conſeſſu pugnaciſſime obivit. In eam urbem Conſalvi miſſu, qui tum familiam adminiſtrabat, ad ſumenda ea more ætatis, & inſtituto Doctoris inſignia paulo ante pervenerat. Eatant Conſalvi litteræ ad Pariſienſem cœnobiarcham, quibus ille litteris Joannis Scoti acerrimum ingenium, excellentem doctrinam, integerrimos mores, ceteraque animi bona cum longo uſu, & conſuetudine, tum vero ea hominum prædicatione ſibi perſpecta, atque explorata palam teſtatur. Cauſa mittendi fuit, quemadmodum ejus vitæ ſcriptores litteris prodiderunt, uti piam ſententiam in civitatis Academia totis viribus tueretur: id quod eum Oxonii in celeberrimo Angliæ gymnaſio inſigni cum laude ſapientiæ, & in ſententiam multorum hominum conſenſione præſtitiſſe meminerat. Cum enim Pariſiis, doctiſſimorum virorum ſede ac domicilio, Theologi multi contentionis ardore prætervecti eo uſque proceſſiſſent, ut eam quæſtionem ad fidei dogma pertinere arbitrarentur; quod proinde labefactarent, qui ab Deipara Virgine primævam labem depellerent: Benedictus XI. Pontifex Maximus gliſcenti diſſidio conſulendum ratus, diſputationem ſolemni ritu juſſit inſtitui, viroſque præſtantes duos, qui ſuo nomine locum in conſeſſu tenerent, legatos creavit. Joannes Scotus non modo ingenii doctrinæque præſidiis, verum etiam præſenti ope, ac patrocinio ſubniaus beatiſſimæ Virginis, magna cum animi alacritate ad differendum ſe contulit. Conſtanti fama proditum eſt, dum ad gymnaſium iter haberet, ante Mariæ ſimulacrum marmoreum, quod erat in via, ipſum pauliſper ſubſtitiſſe, brevique precatum, ut, quam

Ab Oxonienſi Academia Lutetiam mittitur, ut piam ſententiam publice tueatur.

Benedictus XI. ſolemnem diſputationé de Conceptu Deiparæ Pariſiis haberi jubet.

Joannem Scotum ante diſputationem ſupplicitet oranteni Deipara exaudit, cujus marmorea effigies caput inclinat.

eſſet diſputationem in ejus gratiam, gloriamque aggreſſurus, ad optatum illa exitum præpotenti tutela, additiſque de cœlo viribus ad differendum, perduceret. Oranti nimirum annuit clementiſſima Parens, inflexoque repente capite (quod Dei nutu, ac voluntate contigiſſe dubitandum non eſt) magnam ſpem ei fecit, in tuenda ſententia, quam tali indicio, atque prodigio ſibi ipſa probari ſignificaſſet, non modo alacri mentis acie, verum etiam eorum, qui contra ſtarent, conciliata voluntate decertaturum. Cujus rei teſtem habemus ipſum populum Pariſienſem, qui ſimulacrum hujuſmodi ea, quam diximus, habitudine hodieque intuetur, & ad illa, quæ memoravimus, initia cauſaſque miraculum referendum conſenſu decernit. Franciſcus Gonzaga, cum anno Chriſti ſeptuageſimo nono ſupra ſeſquimilleſimum univerſi Præfectus Ordinis renuntiatus Lutetiam veniſſet, de miraculi fama cum fide curaque percontari, ac quibus illa momentis certæ notitiæ niteretur, communicato conſilio cum probatiſſimis viris, explorare conſtituit. Cumque jam inde ab Scoti ætate recto curſu perductam liquido comperiſſet, innumera exemplа ſimulacri Virginei typis excuſa per Europæ provincias diſpertienda, utque facti memoria conſervaretur, iterata impreſſione in vulgus edenda curavit. Jam vero Scotus, ſupra quam dici poſſit, alacris erectuſque in illuſtri Theologorum corona ad diſputandum conſedit. Deinde copia, & varietate argumentorum nil territus, quæ adverſarii ex Eccleſiæ Conciliis, ſanctæque Scripturæ, ac veterum Patrum teſtimoniis in medium attulerant, exorſuſque ipſe loqui, plane omnia eodem ordine, nuſquam prope inſiſtens, nuſquam hæſitans, cunctis ſtupentibus, reddidit. Tum reſellere aggreſſus, tanta ingenii dexteritate, atque acumine, tanta doctrinæ ubertate, ac præſtantia eorum robur ac vim debilitavit, ut auditorum acclamatione plauſuque portenti inſtar exceptus, piam ſententiam, quam propugnarat, ceterorum in animis altius infixerit. Clemens eo nomine Quintus, Benedicto demortuo, per idem tempus Pontificatum ſuſceperat, qui de hujuſmodi controverſia, deque Joannis in diſſerendo ſolertia ubi nuntios accepit; honorificentiſſimo titulo & *Subtilem* vocavit ipſe, & in ſcholis Theologorum appellari præcepit. Niſi forte, ut aliis placet, Oxonienſis Academia eo nomine Scotum nuper ornaverat; cum in Conſalvi, quas memoravimus, litteris contineri perſpicuum ſit. Divus Bernardinus Senenſis in Pariſienſes Magiſtros, Waddingus vero in Colonienſes vocabuli ejus honorem, & originem rejicit. Cum ex ea diſputatione Joannes Scotus incredibilem laudem eruditionis eſt conſecutus, tum vero Minorum Ordinem univerſum ita ſibi devinxit, ut quodam veluti ſacramento obligati, qui Theologicas diſciplinas apud noſtros tractare inſtituerunt, conſenſu Ducem ac Magiſtrum delegerint, cujus ab placitis atque ſententiis aliquando diſcedere nefas putarent. Eam videlicet retulit gratiam bellatori fortiſſimo cœli Regina; ut, qui omnium primus ad ejus honorem ac dignitatem vindicandam toto pectore incubuiſſet, Franciſcanorum in ſcholis primum honoris ac dignitatis locum teneret; agmenque duceret excellentium virorum, qui explicandis illuſtrandiſque ejus ſcriptis inſumerent operam, & ad omnem poſteritatis memoriam ſapientiæ laudem propagarent. Quod deinde familiæ de Scoto judicium Innocentius XII. Pontifex Maximus ita probavit, ut ei robur atque præſidium Apoſtolicæ auctoritatis adjecerit; editoque diplomate Magiſtris omnibus edixerit Franciſcani inſtituti, ut bonis artibus ac diſciplinis tradendis eo Duce ac Præceptore uterentur; nec illam modo, quam is primus inivit, diſputandi ſubtiliter viam inſiſterent, ſed ad ejus ſententias, & dicta omnia corroboranda induſtriam conferrent;

Ea de re teſtimonia.

Scotus acerrime diſputat pro pia ſententia.

Unde *Subtilis* cognomen Scotus acceperit.

Quocirca Minorum Ordinem ſibi devinxit, & Scholæ princeps appellatur.

Judicium Ordinis de Joanne Scoto confirmat Innocentius XII. in Bulla, qua rata habet acta Comitiorum generalium anno 1694.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

XXXVI. Natalis Alexander in ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad ſeculum tertium decimum, & quartum decimum, quæ de Scoti certamine illo hactenus dixi, non modo in dubium vocavit, ſed omnium primus tam longo intervallo ab Scoti temporibus auſus eſt falſitatis inſimulare. Proinde hujuſmodi narratione meram fabulam contineri: Waddingum ex obſcuris auctoribus teſtimonia depromere; quorum nullus aut Scoto æqualis, aut ſuppar fuit: qui rerum Gallicarum hiſtoriam litteris conſignarunt, eorum in ſcriptis nihil tale commemorari. Nullas extare Pontificis, qui ſolemnem illam diſputationem indixerit, litteras, mandatum nullum: legatorum nomen ignotum eſſe: Scoti adverſarios æterno ſilentio fuiſſe præteritos: nullum eſſe in tabulario Pariſienſis Academiæ hujus rei monumentum. Poſtremo Joannem Scotum in celeberrimo totius orbis theatro tanta animi contentione ſententiam dixiſſe quis umquam ſibi perſuadeat, qui eumdem meminerit libro tertio Sententiarum, diſtinctione tertia, quæſtione prima de hoc ipſo argumento ita ſcripſiſſe, ut ſatis appareat, eum idemtidem hæſitare, neque in re plena difficultatis quippiam certi velle ſtatuere?

Natalis Alexander Scoti diſputationem de illibato Conceptu mordicus negat.

Ejus conjecturæ proponuntur.

XXXVII. Miror hominem eruditum hujus generis argumenta nobis obtrudere, quæ cum negantia dicantur, plerumque inepta cenſenda ſunt, & in ea, qua de agitur, cauſa minimum roboris habent ad facti fidem labefactandam. Cum ſimilibus argumentis Launojus contenderet, pro falſis habenda, quæ de Mariæ Magdalenæ ad urbem Maſſiliam profectione vulgo jactantur; ea videlicet imbecilla ipſe Natalis exiſtimavit: cujus ea ſunt verba ſeculi primi Diſſertatione decima ſeptima: *Reſpondeo hæc argumenta futilia eſſe, quia negantia ſunt. Quis enim apparitionem Stellæ, quæ Magos ad Chriſti cunas deduxit, commentitiam eſſe dixerit, quia nullus præter ſanctum Matthæum Evangelii ſcriptor ejus meminit? Quis reſurrectionem Lazari fictitiam eſſe effutiat, quia ſancti Matthæus, Marcus, & Lucas eam ſcriptis non commendarunt? Quis ædis Deiparæ mirabilem Lauretum advectionem fabulis accenſeat, ob ſilentium ſancti Antonini, qui & coævus auctor* (coævus ſcilicet, qui plus centum, & quinquaginta poſt annos floruit) *& Lauretanæ regioni erat finitimus? Perperam itaque infert ex ſilentio illorum auctorum Launojus, beatam Magdalenam numquam in Provinciam appulſſe, aut ſacrum ejus corpus ibi non quieſcere.* Quæ ſi vere ſolideque ab ſe dicta Natalis eſt arbitratus, cur eorum deinde, quæ in ſimili cauſa diſputarat, oblitus, in convellenda hujus facti opinione tantopere deſudavit? Præſertim vero cum nobis ſuppetant argumenta, quæ affirmandi vim habent, & negantia illa, quæ Natalis oppoſuit, nullo negotio poſſint evertere.

Ac diſſolvuntur.

Argumenta negantia plerûque inepta ipſius Alexandri judicio.

XXXVIII. Nimirum falſus eſt Alexander, cum Waddingum putavit ex obſcuris auctoribus teſtimonia ſumpſiſſe ad fidem faciendam. Quis enim D. Bernardino Senenſi aut fide dignior, aut fama nominis clarior, qui ſeculo Eccleſiæ quintodecimo ſanctitatis, & ingenii laude plurimum floruit? Is vero in oratione, cujus eſt argumentum ex ſacris litteris, *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram*, cum Deiparam Virginem ab originis noxa immunem eſſe demonſtrat, tum vero ſeptem egregios viros enumerat, quos vid dicet piæ ſententiæ adſtipulatos compertum erat. In his Joannem Scotum ſecundo loco recenſet; quo Lutetiæ commorante in ejus urbis Academia de hac re diſputatum; cumque Deiparam originis labe vitiatam Theologorum plerique exiſtimarent, eundem Scotum, qui ſtatura puſillus, ingenii tamen acumine ſupra ceteros eminebat, ad dicendum conſurrexiſſe, gladioque præcinctum Divini Spiritus, eorum dicta omnia recitaſſe: tum

Divi Bernardini Senenſis de Joannis Scoti diſputatione teſtimonium.

tum innumera protuliſſe argumenta, quibus oſtendit, beatiſſimam Virginem ſine ulla peccati labe fuiſſe conceptam. Quamobrem inter eos Magiſtros veluti Sidus matutinum emicuit, qui ejus acuminis admiratione defixi, Subtilis vocabulo nuncupandum ſtatuerunt, feſtumque præterea diem immaculati Conceptus ab ſe quotannis celebrandum. *Cujus rei*, idem ait Bernardinus, *teſtimonium perhibeo, qui duos annos ſpectator fui*. Tum illius diei celebritatem deſcribit: Epiſcopum Civitatis in ipſo templo Academiæ ſacrificare, ſimul officium veſpertinum obire ſolemni ritu conſueviſſe. His Magiſtros Academiæ Rectoris juſſu intereſſe; ex quibus unus in templo Dominicanæ familiæ, ſi conceptui ſacer dies Dominicus fuerit, in templo vero Minorum, ubi in hebdomadæ feriam inciderit, concionem habet. Hæc Bernardinus de facti ejus certa notitia memoriæ prodidit. In quo vel auctorem ſecutus eſt quempiam ſuperioris ætatis, cujus ſcripta deinde injuria temporis interciderint; vel ejus rei conſtanti fama permotus, quam Minorum familia ejus ætate argumentis certiſſimia comprobatam vulgo teneret. Neque vero Alexandrum latere debuit oratio illa Bernardini Senenſis; cum ejus meminerint auctores multi, iidemque graviſſimi, Poſſevinus, Willottus, Waddingus, Labbeus. Quorum poſtremus in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis Bernardinum de Buſtis teſtem inducit; qui ſermone quarto de Conceptu Deiparæ orationem illam, Bernardini Senenſia deſcriptam manu, ſe vidiſſe confirmat. Ad hæc, in veteri quodam volumine, cui titulus eſt: *Monumenta Seraphica*, aliiſque permultis contenta oratio circumfertur.

De oratione illa divi Bernardini meminerunt Poſſevinus, Labbeus aliique.

XXXIX. Hinc vero Bernardinus de Buſtis facti ſeriem narrandam cum deſumpſiſſet, eam deinde Officio adjunxit Eccleſiaſtico immaculati Conceptus, quod paulo ante ab ſe conſcriptum vulgare conſtituerat. Id autem Officium Sixtus IV. Pontifex Maximus rite approbavit; nec modo alumnis Franciſcani inſtituti, verum etiam quibuslibet, qui militiæ Eccleſiaſticæ nomen dediſſent, perſolvendi Officii ejus optionem, ac poteſtatem permiſit, iiſdem attributis Indulgentiis, quibus Officium ab Nogarola compoſitum antea ornaverat. Atqui fidem quis audeat abrogare Bernardino de Buſtis, eumque ſcriptorem obſcuri nominis appellare? Neque vero ſum neſcius, ſuiſſe permultos, qui factorum quorumdam, quæ ille narrat, utí fidem infringerent, omnem operam inſumpſerunt. Quorum tamen licentiam graviſſimi auctores compeſcere, illiuſque narrationem ab omni falſitatis ſuſpicione vindicare conati ſunt. Præterea nemo unus ex iis, qui Bernardinum refellere inſtituerunt, ejus certaminis litterarii narrationem in dubium vocavit. Quod mirum eſſet ab iis prætermiſſum, qui totis viribus piam ſententiam evertere adorti ſunt, ac Bandelli oppugnatoris acerrimi exemplo commoti Italia tota ingentes turbas conciverant; quo potiſſimum tempore Officium illud in lucem prodivit, & calentes recenti diſſidio multorum animos magis ac magis ad repugnandum incitavit. Ad hæc, Sixti IV. Pontificis Maximi auctoritate, quæ in eo Officio continebantur, probata fuiſſe perſpicuum erat; qui judicium ejuſmodi numquam ſane tuliſſet, ſi ab alumnis familiæ ſuæ falſa veris miſceri deprehendiſſet. Profecto non Ordinis modo Franciſcani ſcriptores, ſed etiam alii plerique eam Scoti diſputationem litteris conſignarunt. Quocirca negantia illa argumenta, quæ Natalis objecit, multo infirmiora videntur eſſe, quam ut iiſdem confutandis plus ſit operæ a nobis inſumendum.

Bernardinus de Buſtis in Officio illibati Conceptus diſputationem illam Scoti commemorat.

Idem libro Sermonum Marialis pag. 32. editionis antiquæ, ait: *Cum igitur Summus Pontifex approbaverit Officium immaculatæ Conceptionis per me editum, & illud quod edidit Leonardus Nogarola Protonotarius Apoſtolicus, ſequitur &c.*

Sixtus IV. quæ in eo Officio cõtinentur, rata habet.

XL. Jam vero, quod oppoſuerat Alexander, non eſſe credibile Joannem Scotum in Pariſienſi diſputatione tantos ſpiritus ſibi ſumpſiſſe, cujus

in

in ſcriptis eamdem ſententiam vel oſcitanter, vel meticuloſe propoſitam videamus; id, inquam, vel me tacente, Scotus ipſe refellit: cujus proinde argumenta cum Natalis fautores diligentius expenderint; in iis procul dubio non oſcitantis, aut meticuloſi, ſed experrecti, &, quid animo ſentiat, ſine ullis ambagibus confirmantis indicia cognoſcent. At enim Scotus cum ita ſcripſiſſet: *Deus potuit facere, quod ipſa numquam fuiſſet in peccato originali: potuit etiam feciſſe, ut tantum in uno inſtanti eſſet in peccato: potuit etiam facere, ut per tempus aliquod eſſet in peccato, & in ultimo inſtanti illius temporis purgaretur*: Cum ſic, inquam, diſſeruiſſet, nullum tandem ex tribus illis aſſeveranter pronuntiavit. *Quod autem*, ait, *horum trium, quæ oſtenſa ſunt eſſe poſſibilia, factum ſit, Deus novit: ſi auctoritati Eccleſiæ, vel auctoritati Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius eſt, attribuere Mariæ*. Ex quibus apparet, pendere animi Joannem Scotum in ſtatuenda ſententia, cum ſciret eſſe Scripturæ loca nonnulla, unde Theologi pro contraria opinione, quæ tum Scholas occupaviſſet, præſidium ſumebant. Sed eſt hujuſmodi inepta plane ac jocularis argumentatio. Quis enim neſciat, Doctorem Subtilem in reſutando argumento, quod ex iiſdem Scripturæ locis adverſarii petiverant, tam copioſe ſubtiliterque diſſerere, ut in eo ad cohibendum aſſenſum piæ ſententiæ nullum prorſus ineſſe robur agnoſcat?

Natalis objectio e Scoti verbis.

Accurate refellitur.

XLI. Sed ea tamen in ſcribendo cautione atque modeſtia non ſine prudenti conſilio uſus fuiſſe cenſendus eſt, qui probe cognoſceret, primum ſe omnium, qui pro Deiparæ illibato Conceptu accurate ſcripſerunt, compoſito velut agmine ad certamen aggreſſum, controverſiam ad ea tempora obſcuram, involutamque difficultatibus explicare, magnique nominis Theologos, qui ſaxum illud ante ſe volvere adorti erant, omnes reſellere inſtituiſſe. Qui, cum conceptus deſignanda natura magnopere diſcreparent, nec, in quo demum conſiſteret, tantis laboribus comperiſſent; quod caput erat diſceptationis illius, per miras ambages, & inutilium quæſtionum quaſi circuitus pene intactum reliquerant. At Subtilis Magiſter diſputandi rectam viam inſiſtens, omniaque acumine ingenii ad vivum reſecans, ita demum ſententiam conſtituit, ut firmamenta opinionis adverſæ ſunditus diruat, & Deiparam Virginem immunem noxæ originalis fuiſſe luculenter oſtendat. Quod cum facit, eorum nomini parcit, quos confutandos ſuſcepit; ac poſtremo quid ſentiat, ita proponit, ut contraria ſentientium vereri famam, ac dignitatem videatur. Id quod alias eumdem Scotum in ſimili cauſa præſtitiſſe compertum eſt. Quocirca ex ea cautione, quam in ejuſmodi pertractando argumento Scotus adhibuit, perperam colligit Alexander, nullum deinde certamen ejus litterarium apud Lutetiam fuiſſe, quod ardore animi tanto, ac diſputandi ſolertia idem obierit.

Cur modeſte aliquando piã ſententiam defendat Joannes Scotus.

XLII. Quid, quod in tertio Sententiarum volumine diſtinctione decima octava quæſtione unica, paragrapho, *Aliter dicitur*, non ille quidem pudenter, & caute, ſed affirmate, conſtanterque de hoc ipſo argumento judicium tulit? Sic enim ait, de beatitudine diſſerens: *Ibi ſunt aliqui beati, qui numquam fuerunt inimici actualiter peccato actuali, ut multi innocentes, & multi alii, qui aliquando fuerunt inimici, ut mortaliter peccantes, & poſtea pœnitentes. Eſt ibi etiam beata Virgo Mater Dei, quæ numquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis: fuiſſet tamen, niſi fuiſſet præſervata*.

In 3. Sententiã diſt. 18. quæſtione unica plam ſententiam affirmate tuetur.

XLIII. Sed quam futili conjectura ductus eſt Alexander, cum ex Joannis in ſcribendo modeſtia ſic arguit, non eſſe ſimile veri, in Pariſienſi diſpu-

Quo anno diſputavit Scotus in urbe Lutetia de illibato Conceptu, pia ſententia per orbem terrarum diſſeminata erat.

diſputatione confidentiam animi tantam præ ſe tuliſſe; id, inquam, notanti tempus diſputationis illius facile apparet. Scotus enim Lutetiæ diſſeruit anno a Virginis partu trecenteſimo quinto ſupra milleſimum, qui primus erat Pontificatus Clementis V. Atqui ſciebat piæ ſententiæ propugnator acerrimus, ſcripta ſua Oxonienſia, in quibus eam ante id tempus docuerat, tota paſſim Europa quam avidiſſime lectitari; quorum videlicet exempla quam plurima ab auditoribus ſuis, certante ſtudio pietatis in Deiparam Virginem, vulgata fuiſſent. Tum quæ pro ejus illibato Conceptu acutiſſime diſputarat, omnium ordinum conſenſione probari cœpta, ut jam ipſe familiam cum laude duceret, ac præſtantium Theologorum, qui ſententiæ tuendæ cauſa in aciem prodirent, multas catervas enumeraret. Quid ergo mirum, hiſce fretum præſidiis Joannem Scotum in Pariſienſi diſputatione omnes ingenii nervos contendiſſe, ac pro Deiparæ dignitate aſſerenda totis viribus decertaſſe? præſertim vero cum recenti miraculo confirmatus plane intelligeret, quæ tum eſſet in palæſtra dicturus, ea Cœlitum nutu, atque ſuffragio comprobari.

XLIV. Jam vero, ut ad incœptum redeamus, operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi quod Patrum Tridentinorum de ſanctiſſima Virgine ejuſque Conceptu judicium fuit, accurate perſequerer. Simul piam ſententiam ex more inſtitutoque Ordinis noſtri (quandoquidem res ipſa poſtulet, quam intactam reliquere nefas videtur) totis viribus confirmabo. Itaque cum de noxa originali in Patrum corona diſſereretur, eoque res proceſſiſſet, ut propediem vera ſententia ſuffragiis Patrum decernenda videretur, Cardinalis Pacecus pauliſper ſuperſedendum eſt arbitratus: æquum eſſe, ut de Conceptu Divinæ Matris opiniones expenderent: inſignem porro controverſiam, quæ ſapientum virorum contentionibus pene orbem terrarum occupaverat, aliquando tandem decidi oportere. Huic ſe Bertanus oppoſuit non infimi nominis Theologus ex familia Dominicana, compoſiteque ſubjecit, utrique ſententiæ viros ſanctiſſimos doctiſſimoſque patrocinari. Eccleſiam eouſque profeſſam, rei veritatem nondum ſibi innotuiſſe: neque locum, neque tempus poſtulare, ut ea re diſceptanda curam inſumerent, quæ rationibus religionis parum conduceret. Satius eſſe ſilentio controverſiam obvolvi, quo parum utiles, minuſque ad tempus accommodatæ altercationes ſedarentur. Cum Bertano Hiſpanorum plerique conſenſere. Paucis poſt diebus cum Pacecus inſtaret, ut de quæſtione propoſita Patres agerent, primum creditus eſt argumentum difficile atque involutum de induſtria obtuliſſe, ut, dum Epiſcopi moram traherent, quo minus ſulmen in Lutheranos torquerent, diſtinerentur. Qua profecto cunctatione gratificari eum Cæſari exiſtimabant. Sed poſtea compertum eſt, id ex ſincero erga Virginem cultu, & pietate profectum. Opportune vero Theologi duo nationis Hiſpanicæ venerant, paulo ante Tridentum miſſi a Pontifice Maximo, Didacus Lainius, & Alphonſus Salmeron e Societate Jeſu; quorum prior pro immaculato Conceptu ſemel magna eloquentia, boniſque lateribus peroravit. Decreti formulas de originis noxa jam conceperant ii Theologi, quibus Patres id negotium mandarant. Cumque in cœtu generali ad diem ſextum Idus Junias perlectum fuiſſet, Pacecus petiit, ut generali poſitioni, qua pertinere ad omnes homines eam labem edixerant, ea verba ſubjicerentur: *De beata Virgine ſancta Synodus nihil definire intendit; quamvis pie credatur, ipſam abſque peccato originali conceptam fuiſſe*. In ejus ſententiam plerique Patres ivere. Jam vero ſeriem contentionis obortæ, piæque ſententiæ defenſionem Pallavicinus accurate perſequitur in hunc modum.

De controverſia, quæ ad Deiparæ Conceptum pertinet, finienda in Concilio diſceptatur.

XLV. At

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

XLV. At Epiſcopi, aliique ex Ordine Dominicano, qui aderant, acriter interceſſere; quos nonnulli ſecuti. Opponebant illi, ubi altera opinio pia declararetur, alteram impiam declaratum iri: quod perinde foret, ac tacite quæſtionem decidi. Idcirco ſuaſum fuit, ut ea verba excogitarentur, quæ neutri opinionum officerent: ſed utraque in eo ſtatu perſiſteret, quem tunc apud Eccleſiam obtinebat. Hinc in Theologorum congreſſibus hujuſmodi tenore decretum confectum: *Declarat ſancta Synodus non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, & immaculatam Virginem Mariam, matrem Jeſu Chriſti; de qua re nihil in præſentia intendit decernere; ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV.* Verum decreto in hanc ſententiam concepto non acquievit Pacecus. Cauſabatur ille, in cœtu ſuperiore ſupra duas tertias partes in ea verba conſenſiſſe: *Quam pie creditur abſque peccato originali fuiſſe conceptam.* Hanc ſententiæ pietatem negari non poſſe, quando non ſolum cuncti Regularium Ordines, uno excepto, cunctæque Academiæ huic opinioni adhærebant, ceu magis piæ; ſed ipſa Eccleſia ſolemni ritu Conceptæ Virginis diem celebraret. Legati diverſa opinabantur: Montanus quidem immaculatum Virginis conceptum probabat: Cervinum Maſſarellus refert contrarium ſenſiſſe: de Polo nihil cnmpertum eſt. Verumtamen id inter eos conveniebat, haud committendum, ut diſſidii ſomes inter partes Catholicas inardeſceret; neque ut adhiberentur voces, quibus quidquam earum cuilibet detraheretur. Reſpondit proinde Cervinus; ſi quid in cœtu præterito ea de re Patres pronuntiaverant, id neque Legatis rogantibus peractnm, nec legitimo ad decernendum ritu: in anteacto conventu ad diem v. Kal. Junii ſtatutum fuiſſe, ut nihil in illa controverſia decideretur, & pars utraque illibata perſiſteret. Si cui partium forma propoſita quidquam officeret, eam poſſe mutari; ſin minus, par non eſſe aliam formam induci, per quam obliqua veluti via extorqueretur id, quod Synodus recta inconceſſum vnlebat. Tum propoſuit Aſturienſis, ut ea particula deleretur, qua dicebatur; *Nihil in præſentia Synodus intendit decernere.* Quod, quantum arbitror, eo reſpiciebat, ut ſaltem declararetur, in generali affirmatione contracti a cunctis hominibus originalis peccati haud neceſſario beatam Virginem comprehendi, adeoque per deductam inde ab adverſariis argumentationem nihilominus probabilem reddi ejus immunitatem. Hoc dictum Bertanus, aliique Dominicani plauſu excepere, ut accidit graviora periclitantibus. At Paceco, & aſſeclis ejus moleſtum accidit. Itaque ex integro repetita ſuffragia, & conventus ultra morem continuatus. Eo demum deventum, ut quamvis plerique conceptam ſine labe Virginem exiſtimarent, complures tamen ſatius ducerent, nihil oppoſitæ detrahendum ſententiæ eſſe. Quare decreti verba ex Aſturienſis dictis comprobata ſunt, ægerrime ferente Paceco.

XLVI. Scriptor ille iſtarum rerum, de quo alias a nobis commemoratum eſt, multa hoc loco mendacia narratione complectitur. Rem ille geſtam ita deſcribit, perinde quaſi tota Concilii controverſia in eo verteretur, an aperte ſubjicienda decreto eſſet exceptio, qua declararetur, de beata Virgine Synodum minime loqui. Id, nec amplius, poſtulatum a Franciſcanis, id ipſum pariter impugnatum ab Dominicanis. Quod tamen ſecus evenit. Quippe Dominicani in id facile conſenſerunt; verumtamen certatum eſt, adhibenda ne eſſent in decreto verba, quibus plus laudis, ac dignitatis piæ ſententiæ tribueretur. Alios tamen minus tolerabiles errores de iis, quæ ibidem ſunt geſta, idem auctor adjecit; cultumque Eccleſiæ erga Dei paren-

tem paulatim vires cepiſſe comminiſcitur, quaſi ex errore vulgi decepti. Ad hæreſim, ait, Neſtorianorum labefactandam, quæ Chriſtum negabat naturalem Dei eſſe Filium, adeoque Mariam Dei Matrem appellandam negabat, inductas fuiſſe pictas tabulas, in quibus Virgo proponebatur Chriſtum infantulum ulnis complexa; quo ſignificaretur, illum vel pro ea ætatula adoratione colendum. Itaque hic auctor affirmat inde profectam errandi occaſionem; quippe quod in illis picturis cultum Matri populus tribueret, & Filium quaſi appendicem quamdam arbitraretur.

XLVII. Enimvero tam inſigne mendacium mihi numquam obſtrepuit. Verum ſane eſt, poſt damnatam Neſtorii hæreſim, inductam fuiſſe tam in Orientis, quam in Occidentis Eccleſias conſuetudinem, piumque ſtudium appellandi frequenter beatiſſimam Virginem auguſto nomine *Dei Matrem*, adjectumque etiam illud eſſe ſolemni precationi, in ipſius honorem compoſitæ ex verbis Angeli eam ſalutantis, & Eliſabethæ excipientis. Verum quoque eſt, exæſtuaſſe tunc in omnibus ardorem, ac ſtudium ejus venerandæ, atque colendæ, in execrationem illius deteſtabilis hæreſeos, quæ Dei Matrem a tanto dignitatis faſtigio dejicere conabatur: quemadmodum pariter novimus increviſſe apud Chriſtianos aliarum, ſeu Divinarum, ſeu Sacrarum rerum reverentiam, veluti ſanctiſſimæ Triadis, Euchariſtiæ, Imaginum, ex oppugnationibus, quas identidem adverſus ea hæretici moliti ſunt. Ceterum de ſanctitate Virginis, ejuſque excellentia ſupra univerſum Cœlitum chorum tanto cum honore locuti ſunt Patres Græci, Latinique, vel ab ipſis Eccleſiæ primordiis, ac tam copioſe illorum teſtificationibus referta ſunt volumina, cum Theologicas, tum pias diſſertationes, meditationeſque complectentia, ut perinde ſit, vulgi imperitiæ adſcribere velle tantæ exiſtimationis originem, ac plane ſibi perſuadere, in cunctis lectoribus vulgi errorem, inſcientiamque repertum iri. Ne ſim longior in tam dilucido argumento, paucos adducam Neſtorianam hæreſim antecedentes. Inter Græcos S. Epiphanius longam in laudes Virginis Orationem contexit; de qua, more attoniti, atque obſtupeſcentis, ex reverentia haſce inter ceteras laudes commemorat. *Gratia ſanctæ Virginis eſt immenſa.* Et mox: *ſolo Deo excepto cunctis ſuperior extitit. Natura formoſior eſt ipſis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico; cui prædicandæ cœleſtis, ac terrena lingua minime ſuffecit, immo vero nec Angelorum. Etenim ipſi quidem hymnum, laudem, honorem protulerunt; non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt.* Et poſtea: *Conſpicio illam ab Angelis adorari.* Et rurſus: *Virgo ſublimior Angelis facta eſt, ſuperior ipſis Cherubim, & Seraphim.* Non igitur vulgi error fuit hic Mariæ cultus inter homines, ſed imitatio illius venerationis, qua illam tam præcelſæ mentes colunt, quarum perſpicaciſſima lumina picturæ ambiguitate non illuduntur.

Baronius anno 441.

XLVIII. Nolo concionem huc adducere, quæ nomen Athanaſii præfert, Virginis laudibus plane contextam, cum re vera nec ejus opus, nec alterius ejuſdem ætate ſcriptoris videatur. At ſanctus Joannes Chryſoſtomus in ſua Liturgia ſic Eccleſiam bis loquentem inducit: *Sanctiſſimæ, & intemeratæ, ac ſupra cunctos benedictæ Reginæ noſtræ, Matris Domini, ac ſemper Virginis Mariæ, cum omnibus Sanctis memoriam celebrando.* Ubi perſpicuum eſt, omnibus cœli civibus Virginem ab eo anteferri. Et priuſquam ad Latinos accedamus; S. Ephrem Syrus, cujus opera ex S. Hieronymo novimus legi ſolita publice in Eccleſiis poſt Divinæ Scripturæ lectionem, duas Orationes conſcripſit, alteram de Maria, alteram ad Mariam. In priori vocatur ab eo, *Regina omnium, ſpes deſperantium, Domina noſtra-*

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Carolt V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

ſtra glorioſiſſima, ſublimior Cœlitibus, honoratior Cherubim, ſanctior Seraphim, & incomparabiliter reliquis omnibus ſupremis exercitibus glorioſior, omnium Sanctorum corona, ob immenſum fulgorem, atque ſpleudorem inacceſſa. Ibique leguntur verba, quibus Eccleſia utitur, *ſub tuum præſidium confugimus ſancta Dei genitrix*: & dein eadem Virgo ſalutatur, *virorum pariter, atque mulierum Regina, & Patrona, Dei, & hominum mediatrix optima, Regina ſupernorum civium, & Domina Angelorum.*

XLIX. In altera ſuaviſſimo quodam pietatis ſenſu eam agnoſcit, ceu præſidium unicum ſuum, omniumque fidelium. Ita de Virgine ſenſerunt SS. Patres Græci, & Orientales, antequam imagines, impietatis Neſtorianæ cauſa depictæ, primum oculos Chriſtianorum, deinde animos poſſent decipere. Audiamus quænam fuerit apud Latinos opinio de Virgine iiſdem pariter vetuſtioribus ſeculis.

L. S. Hieronymus in præfatione ſuper Sophonia loquens de cunctis mulieribus, quæ ſanctimonia claruerunt, dixit: *Quarum velut ſiderum ignieulos elarum Mariæ lumen abſcondit.* S. Ambroſius in libro de inſtitutione Virginum illam proponit, tamquam cujuſvis excellentiſſimæ virtutis exemplar; affirmatque, ab ea vel oculorum conjectu caſtimoniæ donum in alios transfuſum. Sed mihi libet pauliſper inſiſtere in luculentiſſimo ſimul & efficaciſſimo ſancti Auguſtini teſtimonio, utpote quod ad argumentum, de quo agimus, potiſſimum pertinet. Defudabat ille in oppugnanda Pelagianorum hæreſi, homines ab originali peccato eximentium, & multos etiam a noxis libere contractis, eoſdemque in quodam ſtatu intaminatæ perfectionis hujus vitæ tempore collocantium. Ubi demonſtravit Auguſtinus, omnes quidem utrique peccatorum generi ſubjacere: tametſi vero diſputationis æſtu ferveſceret, ſibi plane hac exceptione temperavit: *Excepta ſancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem: inde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum. Hac ergo Virgine excepta, ſi omnes illos ſanctos, & eum hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare.* Et cetera, quæ ſequuntur. Intendatur nunc animus, an tam ſublimis exiſtimatio de ſingulari Virginis ſanctimonia ex vulgi ſimplicitate, ac teneritudine pietatis, atque ex ambigua imaginum figura poſt Neſtorianos errores inducta ortum traxerit. *De Natura, & Gratia cap. 36.*

LI. Sed quando imagines proferuntur; quid ad hæreſim Neſtorii, Jeſum oſtentare dignum adoratione etiamnum infantulum? Num forte id inficiabatur Neſtorius? nihil minus. Et qua ſane ſpecie inficiari poterat, cum adeo perſpicuis notis Evangelium demonſtret, Chriſtum Dominum infantem in præſepio adoratum fuiſſe, & a Magis prodigioſa Stella deductis, & a Paſtoribus Angelorum nuntio invitatis? Præter quam quod, ſi hujuſce rei gratia hæ imagines pingebantur, cur non etiam in cunis jacens, ſeu per aliam quampiam figuram infantis expreſſus, ſed in Matris brachiis? Quis Eccleſiæ conſilium non animadvertat? Chriſtum eſſe Deum negabat Neſtorius, atque ita Virginem eſſe Dei Matrem pariter negabat, adeoque cultum omnem illi adimebat, qui ob tam incomparabilem excellentiam ipſi debebatur. Damnatus is fuit in Epheſino Concilio, inductuſque mos pingendi Dei Parentis imagines adorandas cum infante Chriſto inter ulnas; quo ſignificaretur, adorari Mariam tamquam illius Puelluli Matrem, & per id eam eſſe Dei Parentem: ubi enim qualiſcumque alterius filii parens eſſet, nullus adorationi titulus præſtitui poterat.

LII. Per eadem ludibria deridet quaſi ex ignoratione populari ſubortam ſententiam, quæ ab originali peccato Virginem liberat. Non eſt hic mihi conſilium propriam mearum opinionum, ſed communem Eccleſiæ cauſam tueri: quapropter nolo pluribus perſequi teſtimonia, & argumenta, quæ tot Catholicorum Scholæ, & Academiæ hac de re congeſſere. Ea librorum copia pro hac ſententia ab aliis edita eſt, quæ ad inſtruendam Bibliothecam abunde foret. Solum obſervo, ab eo ſcriptore, ſeu fidelitatis, ſeu eruditionis experte, perperam adduci Scoti dicta in hac quæſtione; ſolum enim refert, hæc & non amplius ab eo dici: potuiſſe nimirum a Deo effici, ut Maria Virgo, vel numquam peccatum contraheret, vel unico ſolum momento, vel aliquo temporis ſpatio: ſoli Deo compertum eſſe quid re ipſa factum ſit: primum ex his eſſe probabile, ubi non obſtet Eccleſia, vel Scripturarum auctoritas. Ceterum ſcire oportet de Scoti ſententia (iis etiam prætermiſſis, quæ ex hiſtoria, ejuſque vitæ ſcriptoribus habentur) ipſum in tertio Sententiarum libro diſt. 3. quæſt. 1. tam in ſcripto Oxonii prius dictato, quam in eo, quod poſtea dictavit Pariſiis, non ſolum ſolvendis argumentis adverſus immunitatem Virginis ab originaria culpa dediſſe operam, ſed etiam ſtuduiſſe prævalidis argumentis hujuſmodi ſententiam confirmare. Præſertim vero id, quod Aquinatem impulit ad oppugnandum, Non poſſe Virginem a Chriſto redemptam affirmari, niſi prius peccato fuiſſet mancipata; retorſit Scotus affirmans; Quin immo futurum non fuiſſe Chriſtum perfectum Redemptorem, niſi aliquem perfecte, hoc eſt ab omni pœna redemiſſet: & quoniam Dei gratia vel per momentum carere, graviſſima pœna eſt, par fuiſſe, aliquem a Chriſto ita redimi, ut ne momento quidem temporis Deo eſſet inviſus: unde ut Chriſti merita ipſi tribuant nomen, ac laudem perfectiſſimi reconciliatoris, excellentiſſimi ſequeſtri, & abſolutiſſimi benefici, oportuit, ut aliquem liberaret a culpa, odioque Divino, quocumque temporis momento, ac demum ab omni labe, quæ animum inficit ex Adami delicto: poſtremo retortum argumentum his verbis claudit: *Magis igitur indiguit Maria redemptione, quam quicumque alius; quia tanto magis indiguit redemptione, quanto majus bonum ſibi conferebatur poſt redemptionem. Cum igitur majus bonum ſit innocentia perfecta, quam poſt lapſum culpa remiſſa; majus bonum ſibi conferebatur præſervando ipſam ab originali, quam ſi poſtea fuiſſet purgata.*

LII. Audire vellem a memorato ſcriptore, an hujuſmodi verba ad rem tam ummodo, quæ poſſit fieri, referantur; an ad effectæ rei veritatem oſtendendam. Præterea illa exceptio, *niſi cum Eccleſiæ, & Scripturæ auctoritate pugnet*, reperitur quidem in priori Oxonienſi ſcripto, quo tempore Scotus minori peritia præditus, adeoque formidoloſior erat; ſed non in Pariſienſi, poſtquam potuit pleniori ſtudio rem indagare. Et quamquam in tertio, diſtinctione prius allata, in neutro duorum ſcriptorum quidquam aſſeveranter concludat, ſolumque dicat, potuiſſe Deum quolibet ex hiſce modis ſe gerere, adeoque differat potius more ad affirmandum propendentis, quam affirmantis; tamen in Oxonienſi Commentario diſtinctione decima octava quæſtione unica, §. *Hoc viſum*, fidentiſſime hoc affirmat: ſiquidem ibi diſtinguit in Cœlo variam Sanctorum conditionem; aliorum, qui olim inimicitiam cum Deo contraxerant ex patrato a ſe delicto; aliorum ex ſolo originali; & alicujus, qui ex neutro illorum fuerit umquam inviſus Deo, & talem ait fuiſſe beatam Virginem. Haud tamen diſſimulaverim Scotum, quemadmodum in Pariſienſi ſcripto diſtinctione tertia timorem abjecerat, quem præ ſe tulerat in Oxonienſi eadem diſtinctione tertia

ob

ob auctoritatem Eccleſiæ, ſacræque Scripturæ, quem tamen exuerat in eodem Oxonienſi ſcripto ad memoratam diſtinctionem decimam octavam; ita e contrario cautiorem redditum in eo aſſeverando ex rei convenientia, quod in Divino ſolum arbitrio ſitum erat, addidiſſe dubitantis particulam *forſitan* illi doctrinæ, quam de perpetua beatæ Virginis innocentia in Oxonienſibus prælectionibus diſtinctione decima octava abſolute tradiderat.

LIV. Atque hæc de Scoto. Ad defenſionem Concilii gradiamur, adverſus quod inductis in ſuæ fabulæ ſcenam Germanis, Patrum Senatum objurgat, atque deridet ob memoratam exceptionem, prorſus a ratione alienam, ac dubitationi ſubjicientem cuncta generalia ſacrarum Litterarum effata, incertumque reddentem in ſingulis Adami poſteris originale peccatum. Ex eo enim, quod Mater Dei fuerit, nullum ait haberi fundamentum, quo ea immunitas innitatur; cùm ſanctus Bernardus ad Canonicos Lugdunenſes ſcribat: ubi hujuſmodi argumentum valeret, fore, ut oporteret etiam ab originaria labe ſubducere patrem Dei Parentis, atque ita procedere per ſuperiores totius ſtirpis generationes.

LV. Ab hoc poſtremo ordiamur. Scire cuperem, quibuſnam typis fuerit editus hic Bernardi liber, quo tantum ineptiarum continetur. Qui ſane poterat eximius ille Doctor hoc affirmare, quin una perverteret tot ſingulares dotes, quas in Dei Matre veneratur, non modo ſupra ipſius proavos, inter quos aliqui ſceleſti numerantur, ſed ſupra res omnes a Deo procreatas? Quo pacto non improbaſſet ſolemne feſtum Natæ Virginis, quod in eadem epiſtola comprobat, & quo nullum ejus proavorum natalem diem honeſtamus? Alia omnia Bernardus. Volebant Lugdunenſes Canonici propria auctoritate, Romanæ Eccleſiæ injuſſu, conceptæ Virginis celebritatem inducere. Id merito reprehendit Bernardus, eoſque admonet, ut Apoſtolicæ Sedis judicium conſulant, ac ſequantur; cui ſe & illam, & quamcumque aliam ſuarum opinionum ſubjicere conteſtatur. Qua igitur fronte ſcriptor ille Bernardum adverſus ejuſdem Sedis decreta producere audet? Jam vero quoniam illi Canonici ſic ratiocinabantur: Celebratur Natæ Virginis dies feſtus, ergo Conceptæ pariter eſt celebrandus; cum perſpicuum ſit, haud orituram fuiſſe beatam Virginem, niſi conceptus præceſſiſſet: ipſis reſpondet; Si quid argumentum illud probaret, eodem conficeretur, celebrandum eſſe diem natalem parentis, ejuſdemque conceptum, adeoque avorum, ac proavorum uſque ad Adamum; nam abſque illorum ortu, & conceptu Maria in lucem edita non fuiſſet: nullam ergo vim ineſſe hujuſmodi argumentationi, *Honorandus eſt conceptus, qui honorandum prævoit partum, quoniam ſi ille non præceſſiſſet, nec iſte eſſet, qui honoratur*: cum pro comperto ſit, non ſemper conditionem, ſine qua res non eveniſſet, ejuſdem eſſe præſtantiæ, eamdemque mereri venerationem, quæ ipſi rei debetur: alioqui pari eſſet habenda cultu nutrix, ac Rex: niſi enim nutrix Regem aluiſſet, haudquaquam ille vixiſſet.

LVI. Ita ratiocinatur Bernardus. At enim, ubinam vel ipſe, vel alius ex antiquis Patribus umquam attribuit, non inquam cunctis beatæ Virginis progenitoribus, ſed Abrahamo (in quo affirmat adverſarius eſſe ſolidius fundamentum, quam in Maria) ea ipſa privilegiorum miracula, quæ unanimes Virgini deferunt? Et tamen ea detulerunt non ex alio ſolidiore Scripturæ effato, niſi quod ibi Dei Mater appellatur. Cur ille ſcriptor non irridet pariter Auguſtinum, qui in citato a nobis loco ſanctorum quemcumque peccato aſſeveranter ſubjicit, Mariam vero Virginem ſubdere numquam audet, conteſtatus, ea ſe exceptione uti in honorem Chri-

Chriſti? Et tamen Chriſti honor nihil ipſum permovit, ne ſubderet peccati dedecori cunctos Chriſti non proximos genitores. Fac intelligat eo loco Auguſtinus peccata dumtaxat voluntate commiſſa; num forte tam de his, quam de originali non comperiuntur in ſacris Litteris generales ſententiæ? Nonne habetur in ſecundo Paralipomenon cap. 6. *Neque eſt homo qui non peccet*; & in cap. 3. S. Jacobi: *In multis offendimus omnes*? Sanctus idem Auguſtinus, tametſi id tamquam Fidei ſumat dogma, quod ſtatuit, omnem hominem peccare, non idcirco vult ea communi regula beatam Virginem includi. Quid ita? num quia Scriptura nominatim eam eximat ex iis, quæ diximus, generalibus pronuntiatis? minime vero: ſed ſolum, *quod ipſa meruit concipere, & parere eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum*. Quo pacto non occurrit Auguſtino haud hebetis ingenii viro iſtorum ratio, nimirum multo magis id Abrahamo debuiſſe convenire, cujus e lumbis Chriſtus prodierat, & cui Chriſtus fuerat promiſſus? Quo pacto non animadvertit, ſi ſemel generales enuntiationes in uno peculiari agnoſcuntur incertæ, incertas in ſingulis reliquis evaſuras?

LVII. Hæc ſi objecta ſanctus Auguſtinus acciperet, obtrectatorem piæ ſententiæ, ut arbitror, doceret; primo nihil obſtare veritati, ac firmitudini generalis ſententiæ aliquam exceptionem, quæ illi ſententiæ adhibeatur in iis peculiaribus, qui nominatim exprimi ſolent, ne ſub genere comprehendantur. Etenim cum eluceat in iis perſpicua quædam, ac prævalida ratio, ne ibi comprehendantur, ſatius fuit, locutores abſolvere obligatione eos nominandi, quoties intendunt eoſdem excludere, quod frequenter intendunt; quam ipſos diſerte appellandi, cum volunt includere, quod raro fit. Ita videmus in generalibus mandatis, conceſſionibus, aliiſque hujuſmodi expreſſionibus haud contineri ex Juris Conſultorum decretis quaſdam certas res, niſi nominentur. Cum itaque uni, vel pluribus ineſt conſpicuum quoddam diſcrimen, quo diſcernatur a reliquis omnibus in ea re, de qua fit ſermo, eo quod illa comprehenſa non cenſeatur lege in univerſum prolata, nihil plane ipſius veritas contaminatur, nec in ceteris incerta redditur.

LVIII. In promptu eſt exemplum in hac ipſa materia ſuppeditatum. Dicit Apoſtolus: *Sicut in Adam omnes moriantur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur*. Et tamen certum eſt, hoc effatum exceptione aliqua molliendum, & quidem hujuſmodi, quæ priorem ſolum partem, non poſteriorem reſtringat; adeoque rationem utriuſque omnino parem non eſſe: nam Heva in Chriſto vivificabitur, & tamen non eſt mortua in Adamo. Sed ea exceptio in hujuſmodi rem cadit, tam aperte a reliquis omnibus differentem in hac cauſa, ut nullam valeat neceſſitatem inducere ad idem de ceteris affirmandum. Cum itaque ſatis nobis conſtet, omnes Adami poſteros debitum contraxiſſe, ut infecti culpa naſcerentur, nec ex vi redemptionis eſſe illa purgandos abſque ſacramenti efficacia, ſeu re, ſeu voto ſuſcepti; cumque perſpicuum ſit, primo conceptus momento per neutrum ex his modis ſuſcipi ſacramentum; neceſſaria conſecutione conficitur, omnes peccato infectos concipi. Quod tamen generatim affirmatum locum non habeat in aliquo, ubi apparet peculiaris ratio, propter quam debuiſſet Deus privilegio illum donare modo quodam extraordinario infuſæ ſanctitatis, ob præcedentia Chriſti merita, ſuæque gratiæ dono præmunire, abſque ſacramentorum opera, primo illo conceptus momento. Similiter cum jam nobis innoteſcat, ex Adami lapſu noſtras facultates inferiores a ratione deſciviſſe, furoremque concupiſcentis facultatis effrenato impetu ferri ad fugacia oble-

oblectamenta, perſpicuum eſt diu neminem poſſe illorum aggreſſionibus reſiſtere. Et quamquam Divina ope noſtra curetur infirmitas, ne diuturno tempore in graves noxas neceſſario prolabatur; non tamen robuſtos eadem efficit, ut a levioribus abſtineamus: quod experientia quotidiana docemur, pluribuſque Scripturarum oraculis, & generali Chriſti monitu nos omnes cohortantis ad petendum a Deo, *ut dimittat nobis debita noſtra*; adeoque pro certo ponitur, debitores nos eſſe. Cumque per Scripturæ verba, ac per exempla id etiam intelligamus extendi ad præclariſſimos Sanctorum; haud certe licet nobis ex quacumque ſanctimoniæ præſtantia legem hanc coarctare, quin eam reddamus ambiguam, adeoque ſuſpectam falſitatis. Licet nihilominus eidem limites ponere in certo, ac peculiari capite, in quo emineat ratio plane ſingularis, ob quam debuerit Deus puriſsimum a quovis nævo candorem ipſi elargiri, adeoque a pravis animi affectionibus inviolabilem.

LIX. Num id nobis de aliquo ſingulariter fas eſt credere? De quo nimirum? De unica illa Virgine, cui Chriſtus totam hominis naturam referebat acceptam, hoc eſt de Matre, quæ Chriſto dedit ut eſſet, idque & voluntarie, & ex animo propenſiſſimo dedit. Chriſtus vero ubi jam conceptus fuit, nullum ab homine re vera beneficium accepit, cum omnium eſſet Dominus, ſuoque arbitratu Divina potentia uteretur. At primo ſuæ generationis momento ingens accepit beneficium ab ea, quæ ipſum concepit; eoque majus quam ceteris filiis conferatur, quo præcelſiore conditione conceptus fuit. Erat itaque peculiaris ratio, ut cum Chriſtus adeo futurus eſſet obnoxius Parenti ſuæ, Chriſti præviſa merita arcerent ab ea tam grave malum, cujuſmodi eſt Dei offenſio & inimicitia. Decebat & pietatem erga Matrem, & gratum animum erga de ſe optime meritam, ut Chriſtus efficaciter cuperet talem in ea ſtatum perpetuum, in quo, quocumque tempore inſpecta, numquam appareret Filio abominanda. Veri ſimile igitur eſt, id Chriſtum reipſa expetiiſſe, cum in eo virtutes omnes omnibus numeris abſolutiſſimæ excelluerint. Quod ſi expetiit, ejus votum ut a Patre præviſum eſt, ſic ab eodem expletum. Hac fortaſſe ratione diſſereret ſanctus Auguſtinus, ad tuendam immunitatem Virginis, quam ipſe immunitatem in generalibus Scripturæ locutionibus admittit a peccatis vel cujuſvis generis, prout multi opinantur, vel certe ab iis, quæ voluntarie patrantur, pro quibus non minus, quam pro originario, valet impuri ſcriptoris oppoſitio.

LX. Quantæ autem admirationis eſſet, ſi ſanctus Auguſtinus, adeo in Divinis Litteris verſatus, numquam illa Evangelii verba alioqui notiſſima obſervaſſet, quæ ille ſcriptor obtrudit ad hujuſmodi titulum infringendum, per quæ Chriſtus quibuſdam beatum appellantibus ventrem, qui eum portaverat, & ubera, quæ ille ſuxerat, reſpondit: *Quin immo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. At illa ſortaſſis Auguſtinus obſervarat, ac memoria retinebat; ſed perinde, ac peſtilens auctor & cum eo Lutherani, nequaquam intelligebat. Quare arbitror, hæc objectantibus reſponſurum illum fuiſſe, exemplo Matris terreni Principis, de qua vere prædicare licet, eſſe illam ſublimem atque felicem, non quod Regem pepererit, ſed quia Regis gratia floret: ea vero ſi careret, tametſi Regis mater, poſſet in miſeriis jacere: id quod Agrippinæ contigit, aliiſque compluribus. Verumtamen non hic negatur, eo quod illa Regem genuerit, non eſſe validum fundamentum credendi ejus gratiam apud Principem reliquis omnibus ſupra modum antecellere. Ita ſane certum eſt, proximam cauſam, cur beata Virgo poterat beata prædicari, quantum fas eſt homini in hac mortalitate viatori,

ſuiſſe

fuiſſe conjunctionem cum Deo per charitatem, qua jus beatitatis, cœleſtiſque gloriæ nitebatur: ſed verum pariter eſt, quod ipſa Deum genuerit, in cauſa fuiſſe, cur merito fuerit libitum Deo eam illi gratiam elargiri, qua omnium exactiſsime verbum Dei audiret, & cuſtodiret, ipſique Deo intime, arctiſſimeque adhæreret.

LXI. Quod vero attinet ad hujuſmodi immunitatem in Virginis proavos derivandam, idem Auguſtinus docere poſſet allata diſtinctione cauſarum, quarum Philoſophi appellant alias *per ſe*, hoc eſt, *quæ ſuapte intentione, ac ſuapte naturæ efficiunt*; alias *per accidens*, quæ proprium cauſarum nomen haud merentur: oſtenderetque ſecundi generis cauſam eſſe avum, ſi ad nepotem referatur. Etenim quidquid avus operatur, nihil per ſe, & ex intentione naturæ conſert ad generationem nepotis; ſed ſiſtit in filii effectione, a quo poterat nepos haud procreari: unde fortuito contigit, ut ab avi operatione nepotis procreatio per filium procederet. Jam vero quod ex accidente provenit, neque neceſsitudinem fundat, neque vinculum naturæ. Aliqua tamen inde oritur convenientia, ad utrumque conſtituendum pro hominum inſtituto, atque conſuetudine, ex ſuo genere contentis in eo jure, quod *Gentium jus* nuncupamus, & de quo omnes homines conveniunt. Nulla ſiquidem natio eſt, nulla reſpublica, quæ peculiare quoddam vinculum non agnoſcat etiam cum progenitoribus non proximis, ſicuti cum avo, & cum tranſverſis conſanguineis, qualis eſt frater: verum pro hujus neceſsitudinis, ac vinculi ratione uſque ad certum conſanguinitatis gradum, & cum quadam mutua debitione præſtandi hæc vel illa officia, ſpectant hæ neceſsitudines, & vincula ad leges civiles peculiarium rerumpublicarum; & pro conditionum, temporum, ac regionum varietate variantur.

LXII. Porro illud advertendum eſt, jus Gentium, ſicuti legum Romanarum ſcriptores adnotarunt, fuiſſe ab ipſis Gentibus conſtitutum uſu, & humanis neceſsitatibus id exigentibus. Unde fit, harum legum, conſuetudinumque vinculis Chriſtum nihil obſtrictum fuiſſe, utpote quacumque humana poteſtate majorem, ac talem, qui nullius hominis indigens, ideoque immunis erat ab iis nexibus, quibus propter mutuam indigentiam colligantur ceteri homines, & ad ea jura cuſtodienda coguntur. At idem Chriſtus ex ſacrorum Doctorum ſententia naturæ legibus ſubdebatur, quæ Deum ipſum proximum Legislatorem agnoſcunt, & ad quas citra controverſiam pertinet quartum Decalogi præceptum, quo jubemur cauſas, ut ajunt, ſecundas colere, a quibus proxime generamur; quemadmodum tria ſuperiora mandata primæ cauſæ, quæ itidem proxima eſt, cultum præcipiunt.

LXIII. Hiſce præmiſſis conficeret Auguſtinus, jure optimo ſanctos Patres, & Eccleſiam ipſam ex eo quod Scriptura narrat, Mariam Chriſti Parentem fuiſſe (qui titulus longe ſuperat Abrahami, & cujuſvis ſanctiſſimi hominis dignitatem) arguiſſe in Virgine innocentiæ candorem, virtutis excellentiam, Divinæque gratiæ exuberantiam, ultra menſuram omnem, veteris novique Teſtamenti homines quacumque ſanctitate conſpicuos ſupergreſſam; tametſi de illis egregie res geſtæ perſcriptæ fuerint, quæ de Virgine non leguntur. Quod ſi Auguſtini ea eſſet ratiocinatio; ex iiſdem poſitionibus Scotus, aliique ſcriptores, qui Scoto ſeu priores, ſeu poſteriores, Dei Parentem in ſui Conceptione immaculatam affirmavere, Pariſienſis Academia, Theologi Baſileæ congregati, ac denique Synodus Tridentina, inſtructa jam tum præſtantiſſimis Doctoribus, ut vidimus, colligeret hujuſ-

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

hujuſcemodi exceptionis probabile fundamentum; nihil tamen propterea inde in dubitationem revocata legis auctoritate in quibuſvis aliis ex Adami ſemine procreatis. Equidem ſi viveret adhuc ſcriptor ille, quem memoravi, admonitum ipſum vellem, licet qui ſummæ auctoritatis viros nonnumquam impugnat, notam temeritatis minime incurrat; qui tamen illos irridet, eum maxime dignum eſſe, quem ſcommatis ſibiliſque vulgus excipiat. Qua ille confidentia auſus eſt, nullo genere litterarum ſcriptor eximius, nullaque ingenii ſui præclara commentatione memorabilis, deridiculo habere cum Theologos omnes ejus Concilii, tum vero tot, ac tantos Doctores, qui tribus ſeculis veram, aut probabilem ſententiam hujuſmodi judicarunt? Qui fieri poterat, ut in mentem ipſi non caderet, tametſi Eccleſia Catholica Divini Numinis ope deſtituta eſſet, eam certe conſtare potiori parte ſapientiæ humanæ; adeoque poſſe quidem tunc fieri, ut in aliquo decipiatur; ſed ut plane deſipiat, fieri haudquaquam poſſe?

LXIV. Quicumque res tenues admiratur, imperite ſane, ſed reverenter ſe gerit: qui res maximas ridet, inſcite agit, ac petulanter.

LXV. Sed de hoc ſatis. Nam fortaſſe longiores fuimus in his perſequendis, quam inſtituti operis ratio poſtulare videretur. Ad alia jam tranſeamus.

LXVI. Franciſcanos pleroſque de certa per Fidem ſuſceptæ gratiæ notitia inter ſe digladiatos, tum ex Actis Concilii, tum ex aliis eorum temporum monumentis compertum eſt. Sexto decimo Kalendas Septembris latum erat a Patribus, in hæreticis numerandos, qui dicerent ab hujuſmodi certa fiducia Redemptoris merita nobis admoveri, juſtoſque nos reddi. Negatum pariter fuerat, eam eſſe homini juſto neceſſariam: quod affirmat Colonienſis quidam libellus Buceri afflatu conceptus. Pius tamen Conventualium Præfectus affirmabat, auctore, ut ipſe rebatur, Scoto, eam fiduciam, quibuſdam poſitis conditionibus, haberi poſſe. Et initio quidem in minorum Theologorum congreſſibus plerique cum Pio concordes diſſeruerunt. At Zannettinus, nihil uſquam tale mandatum litteris a ſubtili Doctore, vehementer contendit. Joannes Calvus fieri poſſe exiſtimabat, ut homo quiſpiam inditam ſibi Dei beneficio ſanctitatem aliquando cognoſcat. Calvo adhæſere ex Obſervantibus quatuor, Lunellus, Carvajalis, Lombardellus, Vitriarius, itemque octo Conventuales. At contrariam ſententiam, quæ magnopere Patribus probata eſt, ac poſt Concilium univerſe ſuſcepta, Obſervantes quatuor non ſine magna ſapientiæ laude defenderunt, Cenomanus, Salazarius, Concilius, & Vega: quorum prior teſte Pallavicino, ita diſſeruit. *Unuſquiſque Chriſtianorum, ubi ætatem rationis compotem attigit, noxam ſaltem originalem ab ſe contractam agnoſcit: jam vero ſi ita eſt, nullus ipſi patet aditus ad certo pernoſcendum, eam ſibi fuiſſe remiſſam, niſi Deus hoc ipſum manifeſtet. Id ex eo probatur, quod hujuſmodi certa notitia naturæ lumine comparari non poteſt. Neque vero ex ſacris litteris quippiam tale intelligimus: cum nuſquam affirment, quemquam noſtrum nunc Divina gratia præditum eſſe. Sed neque Eccleſia de quopiam viventium id definivit. Supereſt itaque unus modus, per eam videlicet certam cognitionem, quæ deducitur ex duabus poſitionibus, quarum alteram Deus diſerte manifeſtaret, altera naturæ lumine evidenter pateret. Exempli cauſa: Mihi certum eſt, me in Adamo peccaſſe, neque hominem eſſe conflat naturæ lumine. Sed ne hac quidem ratione certam hanc noſtræ juſtitiæ notitiam poſſumus obtinere. Fides enim tria juſtificationis eſſe genera docet. Alia fit per ſacramentum, dicente Chriſto de Baptiſmate: qui crediderit & baptizatus fuerit*

Bonaventura Pius Conventualium Generalis Magiſter de certa per fidem ſuſceptæ gratiæ notitia diſſerit in Concilio.

Zannettinus repugnat.

Ea de re Joannis Calvi aliorumque ſententia.

Cenomani, Salazarii, Concilii, & Vegæ contraria opinio.

Cenomani judicium de certitudine juſtificationis.

fuerit, ſalvus erit: & de Pœnitentia: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sed cum ad Baptiſmi efficacitatem neceſſaria ſit intentio miniſtri, quæ interior animi actus eſt, nulli hominum præter ipſum tanta illius evidentia ineſſe poteſt, quanta ſatis ſit, ut id juratus affirmet. Alia eſt per Martyrium, ex illo Chriſti dicto: qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. At Martyrium nonniſi morte perficitur. Igitur qui vivit, certus eſſe non poteſt gratiæ ſibi ex vi Martyrii collatæ. Tertium genus, quod per fidem etiam ſcimus, eſt ex amore Dei ſuper omnia, & perfecto dolore, quem contritionem perfectam nominant, ſecundum ea effata: ego diligentes me diligo: convertimini ad me, & ego convertar ad vos. At in primis, quiſnam certo noverit, amare ſe Numen Divinum ſuper omnia? ſe ex ejus amore ſuper omnia mala deteſtari peccatum? Præterea quidam, ut hic amor, ac deteſtatio extra ſacramentum efficaciter operentur, multas requirunt conditiones, ac præcipue certam quandam actus intentionem, de qua nemini evidenter conſtare poteſt. Fas quidem eſt ad timidiores animandos pronuntiare, homini dubitandum non eſſe de remiſſione ſuorum criminum, poſt adhibitam ab ſe, qua opus erat, diligentiam; haud, inquam, dubitandum ea dubitatione, quæ animum torqueat, operationemque præpediat. Verum ſanctorum Patrum ſententia eſt, incertam gratiæ notitiam nobis ineſſe. Sanctus Auguſtinus Homilia trigeſima quinta hæc habet: quamdiu vivimus hic, de nobis ipſis judicare non poſſumus, non dico quid erat erimus, ſed quid hodie ſimus. Pleniùs ſanctus Gregorius Papa in reſponſione ad Gregoriam Auguſtæ Cubicularium, cupientem ut per ipſum divinitus admonitum ſuas ſibi condonatas a Deo noxas cognoſceret: rem, inquit, & difficilem & inutilem poſtulaſti: difficilem quidem, quia ego indignus ſum, cui revelatio fieri debeat: inutilem vero, quia ſecura de peccatis tuis fieri non debet, niſi eam jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis; quæ dies quouſque veniat, ſemper ſuſpecta, ſemper trepida metuere debes, atque ea quotidianis fletibus lavare.

LXVII. Hæc & alia plura Cenomanus de ſcripto recitavit. Tum perſpicue diſſolvit, quæcumque ſecus opinantes de hac notitia Theologi ex ſacris literis teſtimonia in medium protulerant. Controverſia ſatis ſuperque diſceptata, neque noſtris modo, ſed aliis etiam aliorum Ordinum ſummis viris in diverſa abeuntibus, conſtitutum a Patribus eſt, nemini poſſe eam ineſſe certam fiduciam de ſuſcepta gratia per eam fidei firmitatem, cui falſum ſubeſſe non poſſit. De ſententiis Catholicorum nihil penitus definitum. Nam cum Patribus oblatum eſſet juſtificationis decretum, Vigerius Senogallienſis Antiſtes per ſchedam ſignificavit, placere ſibi decretum, modo hæretici ſoli proſcriberentur, omneſque Catholicorum ſententiæ illibatæ perſtarent. Et vero probatum Patribus Vigerii judicium. Cujus rei teſtimonium publicum extat in iis actis Concilii, quæ Maſſarellus deſcripſit. Patrum, inquit, ſententiæ in eo plurimum verſatæ ſunt, ut veritas inveniatur ejus articuli, quo in controverſiam poſitum fuit, nempe, an quis citra revelationem poſſit eſſe certus in hac vita ſe eſſe in gratia Dei: qua de re ita inter ſe pugnaverunt Patrum ſententiæ, ut difficile ſit invenire, in quam partem major pars inclinaverit. Giennenſis Cardinalis, & cum eo Hiſpani omnes, cum pleriſque aliis probatæ doctrinæ, atque virtutis negarunt quemquam certum eſſe poſſe: laudabant tamen eum, qui crederet ſe eſſe in gratia. Contra Cardinalis a Monte ſentire videbatur, & ſuæ ſententiæ aſſertores habuit non paucos, & in primis Epiſcopum Salmenſem & Minorenſem, & Generalem ſancti Franciſci Conventualium.

Me-

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minoum anno 339.

Media ſententia non paucis placere videbatur, ſcilicet ut quæſtio inſoluta relinqueretur, quando huc Concilium veniſſe dicebant, non ut Catholicorum invicem pugnantium controverſiæ diſſolverentur, ſed ut errores & hæreſes extirparentur. Et ita factum eſt, & in ea congregatione generali die XVII. Decembris, ſuffragiis quatuor & triginta Patrum, ex quinquaginta & quinque, qui aderant, pronuntiante primo Præſide Cardinali a Monte, deciſum fuit, ut tantummodo damnaretur aſſertio Lutherana, & articulus, qui inter Catholicos Theologos controvertitur, omittatur, cum alterutram ejus partem anathemate ferire nequaquam conveniret, cum utraque a gravibus & Catholicis viris, etiam inter Patres Concilii, defenſa fuerit.

Lutherana opinio de certitudine juſtificationis confixa.

Sententiæ Catholicorum intactæ.

LXVIII. Ad Scotum quod attinet, cujus auctoritate niti ſe putaverunt, qui ſententiam difficilem, ac periculi plenam una cum Pio tuebantur, Andreas Vega libro decimoquinto de juſtificatione ejus mentem aperuit, oſtenditque Subtilem Magiſtrum numquam fuiſſe in ea ſententia, ut putaret, hominem quempiam ſuæ ſanctitatis atque juſtitiæ certam ſcientiam poſſe adipiſci, citra Divinam revelationem. Tum ex iis, quæ huc pertinentia in Scoto leguntur, id unum colligi animadvertit, inhærentem nobis Dei charitatem probabili conjectura poſſe conſtare, non illa fidei firmitate, quam Theologi illi commenti fuerant. Sed de his ſatis.

Andreæ Vegæ de mente Scoti judicium.

LXIX. Dum hæc Tridenti geruntur, in ea Americæ regione, quæ ad auſtrum vergit, & vulgi nomine Peruvia appellatur, Chriſtiana religio de proſtrata inanium deorum ſuperſtitione triumphare cœpit. Simul Minorum familia cœnobiis aucta, in procuranda barbarorum ſalute laboris, ac diligentiæ laudem multo maximam tulit. Quod antequam narro, Peruvianæ conquiſitionis initia progreſſuſque deſcribam, quo rebus noſtris, quæ incredibili quadam obſcuritate ſunt involutæ, veluti facem præferamus. Sub annum MDXXV. æterni Numinis providentia Peruviæ terras aperuit, ductu Franciſci Pizarri, devicto & capto potentiſſimo Rege Atabalipa. Nos quæ hujuſmodi expeditionis auctores inter belli difficultates memoranda geſſerunt, narrando perſequi aggrediamur.

Peruvianæ conquiſitionis narratio.

LXX. Apud Panamam civitatem in Iſthmo ſitam, qui auſtrales Americæ terras cum Mexicanis conjungit, commorabantur Franciſcus Pizarrus veteranus miles, Didacus Almagrus, & Ferdinandus Lucius, qui cum opibus atque facultatum copia longe ceteros anteirent, communicatis inter ſe fortunis, omniumque bonorum inita ſocietate, in id unum erant intenti, uti nova navigatione detecto aliquo terræ tractu, nominis ſui æternam memoriam ad poſteros propagarent. Hæc inter ſe quotidianis ſermonibus agitantes, occidentalia littora æquatori vicina, aut ſubiecta nova perquiſitione tentare, aggredique decernunt. Franciſcus itaque Pizarrus, cui ex pactionibus ſocietatis audendi proficiſcendique provincia obvenerat, inſtructo myoparone, poſt diuturnam ignoti littoris explorationem cum centum & quatuordecim militibus ad Peruvianos, obſcuram ignotamque per id temporis gentem, defertur. Cumque ab littore Peruviano ad Ambuſtos veniſſet, paſſimque barbari infeſtis telis occurrerent, ipſe, amiſſis aliquot militibus, in prælio ictus retro cedere, & in propinquiorem Iſthmo portum deflectere coactus eſt. Almagrus interea, cum fauſti benignique rumores de Pizarro ſubinde vulgarentur, adornato inſtructoque navigio, in quo ſeptuaginta viri fortiſſimi erant, Pizarrum ſequutus, ſimilem navigationem aggreſſus eſt, delatuſque ad ſancti Joannis portum, qui centum paſſuum millibus a Panama diſtat, nuſquam invento Pizarro, luſtrabundus tamen inſtitutum perſe-

Franciſcus Pizarrus explorator miſſus.

Didaci Almagri navigatio.

quens iter, circa hæc littora hæſit. Sed cum Pizarrum ad Ambuſtorum fines penetraſſe intellexiſſet, eodem contendit. Nihilo tamen benigniorem fortunam expertus eſt. Nam ingruentibus barbaris cum ſagittis veneno illitis, Almagrus altero oculo orbatus eſt, multiſque ſuorum cæſis in fugam actus, cum paucis ad naves fugiendo vix evaſit. Damni tamen ſolatium fuit Pizarri inventio, quem iniquo hoc littore diſcedens conſequutus eſt.

Ejus pericula.

LXXI. Tum quidem inter ſe gratulatione facta, communicatiſque conſiliis viribuſque, eandem rurſus navigationem adorti ſunt, in qua pericula laboreſque graviſſimos exantlarunt. Littora namque ingentium fluminum, quæ a præcelſis rupibus, magnis oſtiis in pelagus evolvuntur, agmine undarum obruta, & conſtrata ſunt, cæciſque vadorum ſyrtibus infeſta, quæ difficilem advenis exſcenſionem præbent. Quin & hæc ipſa fluminum oſtia ſtridentibus immanibuſque hydris plena ſunt, quæ viginti, aut viginti quinque pedum longitudinem æquant (indigenæ Caymanes vocant) hæ magna ubique frequentia fluminum acceſſus obſidentes, diram proficiſcentibus cladem inferunt: in terram quoque exeunt ova repoſituræ, quæ in arena littoris recondunt, ut Solis calore excludantur. Niloticis Crocodilis perſimiles, ſi quid in aquis ſentiant, conſeſtim ad ima detrahunt & dilaniant: canibus præcipue delectantur. Harum belluarum incurſu Pizarrus, & Almagrus magna ſæpius incommoda accepere. Incredibili inſuper fame premebantur, cum abſumpto longinqua peregrinatione commeatu, in regione inculta neglectaque nihil ad victum alimoniamque parare, aut nanciſci poſſent, præter unas littorialium retarum, quas manglos vocant, inſuaves baccas, ac muriæ ſalſugine inſperſas. Quamcumque in partem proras converterent, aderant infeſti barbari, qui venenatis telis navigantes ſine intermiſſione fatigabant. Hiſce circumventi difficultatibus, cum etiam ex ducentis militibus vix octoginta incolumes ſupereſſent, communi ſententia decernunt, Almagrum ad novum, in mortuorum locum, legendum militem proficiſci.

Utriuſque nova expeditio.

Calamitates.

Almagrus ad novum legendum militem proficiſcitur.

LXXII. Interea Pizarrus ad Galli inſulam ſeceſſit, ubi inter ſummas anguſtias delituit. Sed Almagrus dum, procuratis negotiis ſcriptiſque militibus, ad Pizarrum redire cogitaret, a Petro Rio Iſthmi Darienſis præfecto præter expectationem retentus eſt: quod milites pertæſi navigationis periculoſæ, per litteras clam præfectum rogaſſent, ne plures abducendi Almagro poteſtatem faceret, utque ſibi redeundi licentiam daret. Itaque præfectus Almagro Panamæ retento, reliquis, uti redirent, per Tafurum legatum poteſtatem fecit. Ac Pizarro relicto, Panamam pene omnes rediere, ſic ut ex octoginta militibus duodecim tantum multis precibus deliniti ſubſtiterint: quos ille blanda oratione cohortatus, ut pauliſper durarent, meminiſſentque, ad ingentes honores, divitiaſque enitentibus per omnes difficultatum anguſtias fortiſſime gradiendum; eaque in vita jucundiſſima accidere, quæ multis maximiſque laboribus parta eſſent: hiſce dictis confirmatos Gorgonam ad inſulam recta deduxit. Didacus Almagrus, ægre impetrata venia, commeatum Pizarro in ea inſula degenti uno navigio ſubmiſit, ſine ullo tamen militum ſupplemento. Pizarrus relicta Gorgona naves conſcendit, perpetuiſque jactatus ventorum tempeſtatibus, id tandem littus tenuit, quod inter ſancti Michaelis, & Trugilli colonias eſt. Sed cum præ ſuorum paucitate longius progredi non auderet, ovium gregem ad Chiræ amnis ripas depaſcentem cum aliquot barbaris cepit. Inde fugienti ſimilis Tumbæum pervenit. Cumque ibi aliquot dies explorabundus haſſet, Panamam rediit triennio poſt, quam inde receſſerat. Subinde in

Pizarro cõmeatum ſubmittit.

Pizarrus Panamam redit.

Hi-

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

Hiſpaniam contendit; expoſitaque Cæſari Carolo ſuæ navigationis fortuna, Peruvianæ regionis, quam certo eſſet occupaturus, præfecturam impetravit. Confecta itaque claſſe, Panamam rediit cum fratribus quatuor, Ferdinando, Joanne, Franciſco, Conſalvo; inſtructaque liburnica in altum provectus, Peruvianum ad littus appulit. Ac militibus expoſitis ad Coaccios populos pervenit: inde ad Portum veterem, ubi caſas, coloniæque fundamenta moliri inſtituit. His conſtitutis, in inſulam Punam continentis littoribus objectam trajecit. Exſcenſione facta Pizarrus humaniter quidem ab ejus inſulæ regulo acceptus, ſed poſtea fallaciſſimæ gentis inſidiis pene oppreſſus eſt. Namque abdito milite opportunis in locis, atque eruptione in ſequentis noctis tempus deſtinata, legatos de pace, & communibus rebus tranſigendis ad Pizarrum miſerunt, oratione in perfidiæ ſimulationem tam apte compoſita, ut Pizarrus ſincere ſecum agi crederet, neque tantum fraudis perfidiæque rudibus barbarorum ingeniis ineſſe ſuſpicari poſſet. Itaque prolixe collaudatos, habitoſque perhumaniter dimiſit. Sed ubi rem certius cognovit, magna cæde incautos, nihilque tale timentes oppreſſit, inſulamque pene totam depopulatus eſt.

In Hiſpaniam proficiſcitur.

Panamam redit.

Pizarri expeditio.

Puna inſula.

Pizarri ex Punenſium perfidia diſcrimen.

LXXIII. Poſtero die barbari lintribus ſuis, quas Canoas appellant, adnavigantes, Conſalvum Pizarri fratrem, qui uti navibus præſidio eſſet, relictus erat, magna vi adoriuntur; jamque vulnerato in ſemore Conſalvo, non dubia clades imminebat, niſi in tempore a Franciſco Pizarro ſubmiſſum equitum præſidium navium propugnatores, cæſis quamplurimis barbaris, metu periculoque liberaſſet. Tumbæum inde petere ſtatuit. Sed priuſquam in continentem trajiceret, demulcendos beneficio animos incolarum ratus, captivos ſexcentos domum remiſit, miſsis una tribus militibus, qui regionis urbiſque ſitum cognoſcerent. Sed barbari ſimul atque terram contigere, immemores beneficii, omniſque humanitatis expertes, Hiſpanos ſocios, veluti receptæ libertatis boſtias, diis inanibus immolarunt.

LXXIV. Tumbæi, maritimæque oræ accolæ interea, jubentibus regulis dynaſtiſque, ad montes profugerant. Quæ res Pizarri conatus retardavit. Quippe barbari ſcaphas lintreſque, quibus in terram exponere milites poſſet, fugientes abduxerant. Per ſummas itaque difficultates Tumbæum proceſſit, miſſiſque ad barbarorum principes legatis, ad colloquia conferenda, pacemque & amicitiam conſtabiliendam invitavit. Nuſquam benigne audita legatio eſt. Quinimmo pabulatum profectos, aut commeatus quærendi cauſa procul ab ſociis digreſſos repentina incurſione barbari opprimebant. Quam contumeliam ut vindicaret Pizarrus, ſub veſpertinum crepuſculum cum equitibus quinquaginta Chiram amnem trajecit, celeriterque inde per aſperos ignotoſque montium calles ad hoſtium caſtra pervenit; quos attonitos rei novitate, ac nihil tale ſuſpicantes pecudum more fudit fugavitque. Hujus victoriæ improviſi rumores Tangaramæ provinciæ regulos accolaſque ad petendam a victoribus pacem impulerunt. Coloniam inde ſancti Michaelis ad Chiram fluvium in Tangorana valle deduxit, portumque Paytam, quo ab Panama navigantibus receptus, ac ſtatio eſſet, communivit.

Pizarrus Tumbæum procedit.

LXXV. Pizarrum hiſce rebus intentum legati Guaſcaris Ingæ adierc, adverſus vim & injuriam Atabalipæ auxilium orantes: nam Atabalipa Gynacavæ filiorum minimus pro regni Quitonici poſſeſſione fratri bellum intulerat. Hunc Gynacava pater Quitonico regno ſubjugato, & in provinciam redacto, cum ob loci amœnitatem diutius ibi permanſiſſet, relicto ad Cu-

Atabalipa cum Guaſcare fratre de Quitonici regni poſſeſſione dimicat.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

Cuſconem Guaſcare cum duobus aliis filiis, Mangone, & Paulo, ex alia uxore genuerat, eumque ſupra modum diligebat: Cuſcumque reverſus, in Quitonico regno nutriri parvulum juſſerat: cumque aliquandiu apud Cuſcum hæſiſſet, Quitonici agri, & Atabalipæ filii, quem præ ceteris diligebat, viſendi deſiderio ductus, cum ipſius filii conſuetudine, & aſpectu ſe ſe oblectaſſet, legato eidem Quitonico regno, vita exceſſit.

LXXVI. Atabalipa, defuncto patre, confeſtim legatos ad Guaſcarem miſit, qui ei felix fauſtumque precarentur imperium. Simul petiit, ut Quitonici regni, quod ſibi pater teſtamento reliquerat, poſſeſſionem permitteret. Sed Guaſcar averſatus Atabalipæ petitionem, tamen immenſos regiæ gazæ theſauros eidem promiſit, quibus, ſi conceptam cupiditatem regni deponeret, avitum decus, & amplitudinem tueri poſſet: ſin contra tendere mallet, regnandique cupidine abriperetur, eidem renuntiari juſſit, tum ſe ſe regnum vindicaturum, & Atabalipæ temeritatem armis perſequuturum. Atabalipa, cognita fratris voluntate, conatus ejus prævertere, ac modis omnibus frangere conatus eſt. Itaque expedito cum milite progreſſus, ingentia terrarum ſpatia auſtrum verſus invaſit: jamque Tumebambam uſque pervenerat. Hic Guaſcar cum infeſto exercitu occurrit, atrociſſimaque trium dierum dimicatione, cum militum numero ſuperior eſſet, Atabalipam magna principum militumque ſtrage, qui circa illum memorabili morte dimicando ceciderant, vicit, vivumque cepit. Victoria iſta non in hujus modo prælii gloriam, ſed ad totius belli ſummam profuiſſet, niſi inſolentia vulgi pulcherrimam hujus rei occaſionem corrupiſſet. Quippe Atabalipa, cum Guaſcarianus miles frequenti cantu, & in multam noctem extracta potatione, de victoria triumpharet, effracto muro fugit, & ſalvus ad ſuos Quitonem rediit. Ubi reparatis viribus, ut in ſpem melioris fortunæ ſuos erigeret, a patre Gynacava ſe ſe in ſerpentem mutatum per rimulam evaſiſſe, certamque ſibi de Guaſcare victoriam a patre promiſſam ementiebatur, ſi virilibus animis acceptæ cladis labem eluerent. Per has fallacias confirmatis ſuorum animis, eductoque rurſus exercitu, Guaſcaris copias multis præliis profligavit. Mox comite fortuna Cuſconem verſus contendit, & in Canares populos impreſſione facta, regionem vaſtavit; ubi ſupra ſexaginta hominum millia interfeciſſe creditur. Tumbæum inde progreſſus, civitatem evertit, totumque hoc Peruviæ latus, quod ab Quitonicis finibus ad Caxamalcam uſque protenditur, cepit. Punam inde inſulam Tumbæi littori objectam tentavit armis. Verum magna ſuorum ſtrage repulſus, incœpto deſtitit, cum Guaſcaris exercitum appropinquare certis explorationibus didiciſſet. Inter hæc Guaſcaris legati Pizarrum adeunt, plurimum opis atque præſidii in eo fore arbitrati, ſi regis cauſam tuendam ſuſciperet, ac perduellem Atabalipam conjunctis viribus perſequeretur.

Capitur.

Evadit.

Guaſcaris legati a Pizarro auxilium petunt.

LXXVII. Pizarrus Guaſcari regi nuntiari jubet, cauſam ipſius ſibi curæ fore. Tum dimiſſis legatis, Ferdinandum fratrem Tumbæum remiſit, uti militum manipulos, quos paratos haberet, propere adduceret. Ipſe interim ad ſancti Michaelis fanum contendit, relictaque militum parte, qui aut adverſa valetudine, aut ætate ingraveſcente arma ferre non poterant, cum reliquis Guaxamalcam contendit. Guaſcar, propterea quod Pizarri adventum expectabat, ante urbem Cuſconem ſtativa habebat. Atabalipa, qui fratrem Guaſcarem magnis itineribus adventare audierat, miratus quid ita cunctaretur, Quiſquiſium, & Calicuchimam ſtrenuos duces cum quinque hominum millibus Cuſconem uſque præcurrere, hoſtiumque conſilia, & ſitum caſtrorum explorare juſſit. Qui cum haud procul ab hoſtium exercitu

citu eſſent, ut occultiores hoſtem deciperent, alterius viæ diverticulum ingreſſi, Guaſcarem venationi intentum, longiuſque a caſtris cum comitatu octingentorum militum provectum, obvium habuerunt. Atabalipani ad primum hoſtium conſpectum arma expediunt, Guaſcarem circumſiſtunt, & nihil contra tendere auſum capiunt. Ad famam capti regis, quam per medias hoſtium ſtationes fugientes pauci attulerunt, primo ſtupor & metus omnes invaſit. Dehinc pudore amiſſi regis accenſi, arma ſumunt, contentoque curſu Atabalipanos aſſequuti, explicatis quam longiſsime alis, ne qua hoſtis fallere, aut elabi poſſet, incautos circumdant. Jamque inſtans dimicatio, & ingens clamor poſcentium regem ita omnes exanimaverat, ut contra Guaſcarianos ordines, ac coronam trepidi nihil auderent. Sed duces Atabalipani novo conſilio Guaſcarem adoriuntur, ſtrictoque ferro præſentem mortem comminantur, niſi ſuos illico inde faceſſere jubeat. Tum Guaſcarem inter ſpem libertatis, mortiſque præſentis metum æſtuantem tantus repente horror invaſit, ut & ſuos abire, & ipſe in vinculis eſſe, quam occaſione data ad libertatem niti, maluerit. Guaſcariani, tamquam ſupremo erga reluctantem principem officio functi, cum operam ſuam ab eo negligi cognoviſſent, dilapſi diſperſique domum abiere. Ita Atabalipa, nullo reſiſtente, Caxamalcam victor tenuit. Pizarrus, audita Guaſcaris calamitate, per Motupianas ſolitudines Caxamalcam verſus iter intendit; quo in itinere Atabalipæ legatum obvium habuit, ſibi calceos pictos aureaſque armillas deferentem, ut quum his indutus veniret, ab Atabalipa internoſci poſſet. Ubi vero appropinquavit, alter ei legatus ab urbe venit cum mandatis hujuſmodi: ſuperſederet hoſpitio deligendo, dum a principe Atabalipa tempus ac locus aſsignarentur. Pizarrus, nullo dato reſponſo, militari more caſtra locavit, & communivit. Ferdinandum deinde Sotum ad Atabalipam cum viginti equitibus miſit, ut voluntatem ejus, pacem ne, an bellum mallet, certius intelligeret. Sotus cum equitibus pruvectus ad uſque hoſtium caſtra, cum liberiore & concitatiore curſu procurreret, ingentem barbaris terrorem attulit, & cum nonnulli fuga, aut corporis declinatione in ſe ruentium equorum impetum devitaſſent, ne currentium pedibus proterrerentur; hos Atabalipa, ut aliis metum demeret, interfici juſsit. Quippe Hiſpanorum paucitatem contemptui habens, ignominiæ ac turpitudini fugam ſuis vertebat. Michabalica enim Pochechicanorum regulus nec dum expertus equorum ferociam, aut Hiſpanici mucronis aciem, cum per legatos de adventu exterorum Atabalipam monuiſſet, per contemptum addiderat, barbatos hoſce exiguo tantum numero adveniſſe, aſsiduoque proficiſcendi labore adeo fatigata corpora trahere, ut immenſi itineris magnitudine victi, pedibus ulterius progredi non poſsint; ideoque ovibus grandioribus vectos inſidere, quas, ut terrorem aliis incutiant, equos vocitent. Ceterum venientem ad ſe Sotum Atabalipa nullo alloquio dignatus, Pizarri poſtulata per interpretem excepit. Poſtmodum miſſus Ferdinandus Pizarrus, quæ in mandatis a fratre habebat breviter expoſuit: *Franciſcum Pizarrum Hiſpani Regis auſpiciis & voluntate veniſſe, ut de communibus rebus cum Atabalipa tranſigeret, ejuſdemque Regis nomine pacem amicitiamque firmaret*. Atabalipa conditionem concordiæ unam ſupereſſe reſpondit, ſi Pizarrus extemplo regnis illis decederet, aurique & argenti ſpolia, quæ Punenſibus Tumbæiſque abſtuliſſet, ſtatim reſtitueret: tum licere illi, ut de ceteris diſceptaturus regiam accedat. Ita Ferdinandus re infecta dimiſſus, prælio, non blanditiis decernendum fratri denuntiat; plurimaque de hoſtium caſtris ac multitudine commemorans, haud dubia timoris

Guaſcar a fratre capitur.

Sotus a Pizarro ad Atabalipam mittitur.

Tum Ferdinandus Pizarri frater.

Obſervantes in Caxamalcæ provincia parœcias adminiſtrare jubentur, poſt aliquanto ab munere ſe abdicant.

ſus, qui Regis Hiſpani nomine jus populo diceret. Is Obſervantibus confeſtim edixit, ut parœcias adminiſtrare ne gravarentur. Quod ſane munus, etſi minus libenter, ſedulo tamen & cumulate præſtiterunt ad uſque annum MDLX. Per idem tempus, cum eos rerum domeſticarum cura magis urgeret, ſacerdotibus aliis ex eorum numero, qui ſeculares dicuntur, paſcendi gregis negotium demandarunt. Ea res populorum animos vehementer offendit, qui ſe deſeri a Franciſcanis egre ferebant, quibus unis tantum quiſque debere videbatur, quantum homo homini proxime, ac ſecundum naturam debere poteſt. Quocirca cum Franciſcus Toletus proregis munere ornatus a Philippo II. Paytanum ad littus appuliſſet, occurrit ei miſerabile agmen complorantium, qui per divinam humanamque fidem obteſtabantur, ut, quando ſummum in ea terra obtineret imperium, deſtitutis jam pridem ſalutari tutela Obſervantes præficeret: ab his olim parœcias eximia cum laude pietatis atque prudentiæ adminiſtratas: mirum propterea ſibi videri, quod mutato conſilio eam curam depoſuerint. Toletus ergo gentis vicem miſeratus, ut modis omnibus voti compotem faceret, induxit animum: accitumque, ubi Limam pervenit, Obſervantium Miniſtrum de neglecta, ut ferebatur, inquilinorum ſalute clementer increpuit; eidemque præcepit, ut provinciæ Caxamalcanæ præfectum e veſtigio crearet; ſocios duodecim, qui Eccleſiam curarent, attribueret. Nec mora, Gaſparem Bannium Luſitanum ſpectatæ virtutis hominem deſignavit. Sacerdotes, qui Franciſcani non eſſent, ab regendis in poſterum parœciis abſtinere juſſi. Hæc a Didaco Cordubenſi in hiſtoria Limenſis provinciæ luculenter deſcripta.

Populares ægre ferunt ſe deſeri a Franciſcanis.

Impetrantque a protege, ut parœcias ipſis iterum mandet.

XCIII. Dum hæc in Occidente geruntur, magnis in India bellorum motibus turbatum eſt. Horum ego libenter jam inde ab initio narrationem ſuſcipiam; quod illuſtrandi nominis Chriſtiani, ac religionis ampliſicandæ magna opportunitas inde manavit; tum quod præſtantes aliquot viri ex Obſervantium familia inſigni cum laude pietatis in id maxime incubuerunt, interque gladios ac tela ſuam in Principes Luſitanos fidem, ſtudiumque in Eccleſiam ſacroſanctam eximie probarunt. Dium eſt inſula & oppidum oræ Cambaicæ: quam regionem priſcis Carmaniam fuiſſe nonnulli recentiores falſo putarunt. Id oppidum quod magnas habet oppurtunitates, & furtivis Ægyptiorum & Saracenorum navigationibus tutum ab Calecuto receptum dabat, Luſitano præſidio locum aliquem ibi obtineri ad hoſtes arcendos Indiæ prætor optabat. Is erat Nonnius Acunia, militari virtute atque gloria cum primis excellens, qui ſub annum MDXXXIV. ad Dienſem expeditionem, quam Luſitani dudum coquebant, animum adjecit. Ac primum idoneos homines, magnis præmiis invitatos, mercatorum ſpecie Dium ex urbe Goa præmiſit: qui cuncta probe cognoſcerent; ac Luſitanas vires augendo verbis, Tocanem dynaſtam ad vitanda certamina, & componendam quavis conditione pacem impellerent; ac demum appropinquanti ſibi omnia explorata clam ex urbe renuntiarent. In horum opera & fide, quam multis rebus perſpectam habebat, magnam rei perficiendæ ſpem collocaverat Nonnius. Dein ſatis proviſis omnibus, quæ ad rem pertinebant, diem ad conveniendum nauticis omnibus Ciaulum edixit. Ultra Dium leucas circiter quinquaginta id emporium eſt; duas recedit introrſus a mari. Præterlabitur ejuſdem nominis fluvius, quem, ut ceteros ferme Orientis amnes, longo tractu æſtuarium influens, capacem ac patientem omnis generis navium reddit. Ab Ciaulo profectus cum ornatiſſimis navibus variæ formæ trecentis, in quibus erant Luſitanorum tria millia, Malabarium totidem, & Canarini bis mille; Damanum oppidum oræ Cambaicæ proceſſit, metu deſertum ab incolis.

Obſervantes in Indico bello ſuâ Eccleſiæ cagique Luſitano operâ locant.

Luſitani inſulam Dium occupare ſtudent, ac Mahumetanos exigere.

nis laboribus, ac ſenectute confectus ibidem deceſſit anno MDLXXVIII. eum ad alia permulta, quæ ſingulari Dei beneficio futura præſenſit, obitus diem ſui prænuntiaviſſet. Nam gratulanti familiari cuidam, quod decrepita ætate vir optima corporis valetudine, viribuſque uteretur, perendie ſe moriturum aſſeveravit: ejuſque mors conſentanea vitæ fuit ſanctiſſime honeſtiſſimeque actæ. De qua ſimul acceptum eſt, magnus civium concurſus ad cœnobium eſt factus, luctuoſam reipublicæ orbitatem talis viri lamentantium. Attrita uſu lacerna, quam gerebat, in partes diviſa, maximique muneris loco ſua ſingulis attributa. Cilicium quoque globulique, ut appellant, coronæ ad preces adhibitæ in multitudinem diſpertita, ut hac ratione deſiderium parentis optimi leniretur, atque ut memoriam nominis ejus cultumque ſuſceptum ea pignora conſervarent. Balthaſſar Ortixius Chachapaja oriundus perſancte affirmavit, Matthæi ſpeciem, cum de vita migraret, ſibi in lectulo decumbenti repente viſam: tum humaniſſimis verbis, bono animo ut eſſet, edixiſſe; quippe brevi futurum, ut a diutino gravique morbo, quo ſeptennium implicabatur, Dei munere convaleſceret. Ille promiſſi novitate commotus, cum ſpem omnem ſalutis in optimi viri patrocinio, rerumque omnium auctore numine collocaſſet, ſtatim doloribus relevatus, optima valetudine deinceps eſt uſus. Simile quiddam Peruvianæ mulieri contigiſſe memoriæ proditum; quæ ſinuoſum in crure ulcus, quam fiſtulam vocant, implorata Matthæi ope, nullo negotio ſanavit. Multa præterea de illius virtutibus atque factis Peruviæ rerum ſcriptores literis conſignarunt. Alia item prodigia commemorantur, quæ gentium earum pervulgata ſermonibus, publiciſque auctoritatibus comprobata, memoriam hominis innocentiſſimi ad immortalitatem produxerunt.

Moritur.

Magno deſiderio ſui relicto.

Complures homines juvat e cœlo.

XCI. Ab his, quæ diximus, initiis Peruviana Eccleſia ad eam crevit amplitudinem, ut vel ceteras novi orbis Eccleſias inſigni cultu religionis, hominumque ſanctiſſimorum numero longe antecellere videatur. In qua re perficienda laboris ac diligentiæ multo maximam laudem Franciſcani tulerunt; qui duce Marco Nicæenſi, ſimul ut aditus in eas terras eſt patefactus, nihil antiquius habuerunt, quam ut Catholicæ profeſſionis arcana longe lateque diſſeminarent. Non enim vera dixiſſe Calancanus putandus eſt, cum Franciſcum Victoriam ex Obſervantium familia primum in præfectura fuiſſe ſcriptum reliquit. Atque iſte quidem anno MDLXVII. amplificata in Peruvianis familia, inque Provincias diſtributa, generalis præfecti munus omnium primus adminiſtravit. Sed non inde conficitur, ſuperioribus annis Nicæenſem aut non eo veniſſe, aut certe ſocios, quibus præeſſet, non habuiſſe. Quod exploratum Calancanus exiſtimat, ut nimirum lectoribus fidem faciat, multis ante annis, quam Victoria adventaret, Eremitanis dumtaxat ſuis Eccleſiæ conſtabiliendæ demandatam provinciam, neque Obſervantes in partem laboris ab initio vocatos. Verum ex iis, quæ dicta ſunt, vehementer erraſſe Calancanum ſatis apparet; ut propterea ſupervacaneum videatur in levitate hujus auctoris exagitanda tempus inſumere.

Franciſcus Victoria non primus omnino præfectos Obſervantium fuit in Peruvia, ſed primus præfectus generalis.

XCII. Pervetus hominum Franciſcanæ familiæ mos fuit, ut cujus provinciæ populos in ſocietatem Romanæ Eccleſiæ ſuis laboribus aggregaſſent, eos optime conſtitutos ſacerdotibus aliis, qui de familia non eſſent, regendos permitterent. Ipſis interea, tamquam levioris armaturæ militibus longius progredi certum erat, ut in alias provincias nefariæ ſuperſtitioni, ipſique adeo humani generis hoſti bellum inferrent. Verum in Caxamalcæ regione ſecus facere coacti ſunt, quam eorum inſtituti ratio pateretur. Hoc ipſo anno MDXLVI. Petrus Gaſca ſumma cum poteſtate in Peruviam eſt miſſus

ferret: leviora eos pati, quam pro morum nequitia flagitiisque commeruissent. Verumtamen bono animo essent, & malorum levamen in sola Dei benignitate situm esse cognoscerent; quem constaret ex sacris litteris ita irasci solere peccatis hominum, ut sibi solvi eas pœnas velit, quæ illis ipsis, qui deliquerunt, utiles sint & salutares. Cui enim castigatio fuit, eidem est Deo salus nostra curæ. Idque cum diceret, tanta utebatur lenitate sermonis, ut morborum reliquias plane abstergere videretur, &, quo nihil accidere optatius poterat, ad amorem virtutis multorum animos inflammaret.

Quædam de Matthæo mira.

LXXXIX. Jam superstitio inanium deorum in Peruvia deleri cœpta erat, jam sacrificia Christiano ritu in templis fiebant, passimque in agris & montibus augustæ Crucis insigne conspiciebatur. Quæ res in causa fuit, ut, cum a Deo cœlitibusque Matthæus magnam gratiam iniisset, eorum præsenti ope adversa quæque superaret, maximisque præterea beneficiis ad sustinendam Ecclesiæ causam afficeretur. Ex abrupta montis crepidine aliquando delapsus, cum itineris comites exanimatum eo casu putarent, repente alacris erectusque in viam revertit. Idem cum ædificio præesset, unaque cum cæmentariis tectum curaret, nutantibus fundamentis in præceps ruit. Atque ille quidem, luxatis ceteris miserandum in modum, unus evasit, cum tutelam Divinæ Matris in aperto discrimine invocasset. Illud etiam constanti fama vulgatum est, ægrotos cum tangeret, aut in Crucis effigiem ductu manu obsignaret, aut cibo quopiam reficeret, fretos eosdem virtute ejus, & apud Superos gratia procul dubio convaluisse. Hinc fiducia earum gentium, studiumque erga Matthæum plane incredibile. Catechismum illius cura exaratum nullo non tempore magni fecerunt, eosque rhythmos, quibus Fidei summa capita continebantur, multis etiam post annis, quam e vita migrarat, in templis canere consueverunt: ut satis appareat, Cyprianum Herreram in vita divi Turibii Limani Archiepiscopi falsa scripsisse, cum diceret, sub ipsius adventum in Peruviæ provincias Catechismi ne nomen quidem auditum fuisse. Sed Calancanum suum legebat Herrera; & domestico auctori non gravate fidem adhibuit.

Cyprianus Herrera Calancanū sequutus refellitur.

XC. Mortales plerosque, ut antea dictum est, vitæ infortuniis periculisque propositos illustri miraculo non semel eripuit. In quibus illud fertur eximium. Nocte intempesta nuntiatum fuit, plebejum quemdam præ temulentia furiosum ictu *machanæ*, quod teli genus est acutissimi in ea terra, uxoris caput diffidisse, eamque depositam sacerdotis auxilium postulare, qui confitentem Christiano ritu peccata in tempore absolveret, sacrisque, si posset, reliquis rite muniret. Accurrit una cum sacerdote Matthæus, oleoque, quod lumen alebat ante aras divorum, inunxit immane vulnus, & obligavit. Quæ res plane mulieri in summa desperatione saluti fuit. Nam summo mane (mirabile dictu) quam doloris oppressam acerbitate interiisse putarant, ad cœnobium venientem attoniti Fratres conspexere. Illa vero, quod superum nutu & voluntate ex gravi vulnere convaluerat, iisdem gratias egit immortales; Matthæumque de se optime meritum, qui sanitatis recuperandæ sibi auctor fuisset, magno in honore deinceps habuit. Cum in provincia Caxamalcana diu versatus disseminando Evangelio maxime omnium desudavisset, præfectorum familiæ jussu Chachapajam se contulit, urbemque sancti Joannis, quam Hispani paulo ante condiderant, excellentium virtutum admiratione perinde complevit. In ea urbe cœnobium constituxit, primusque administravit Ferdinandus Barrionovanus anno Christi MDLI. qui postea Chilensis Episcopus fuit. Matthæus vero diuturnis

Depositam ex vulnere mulierē mirabiliter sanat Matthæus.

ces conveniſſent, in procinctu ſtare indicabat, ut, quandocumque per ipſum liceret, Chriſtiana ſacra ſuſcipientes neophytorum in numero cenſerentur. Eoſdem ut congregaret, per montium juga ſaltuſque avios diſcurrebat, ſemper pedes, plerumque jejunus: nec eum a ſuſcepto conſilio vel itineris longitudo, vel aſperitas viarum, vel ætas denique ingraveſcens retardabat. Videre erat optimum virum, cum firma ætate, tum prima & ultima ſenectute ita flagrans ad omnia pietatis opera ſtudium, tam effuſam in egentes ac miſeros benignitatem præ ſe ferre, ut una omnium voce non cum æqualibus modo ſuis, qui pari munere ſungerentur, ſed cum primis illis Eccleſiæ conditoribus comparandus eſſe judicaretur.

Cum Apoſtolis certat amplificandæ religionis ardore.

LXXXVII. Cum ad populi confertiſſimam turbam conciones haberet, hominis caput carne nudatum manu geſtabat, indeque ſumens dicendi argumentum, de brevitate vitæ atque inferorum ſuppliciis, quæ ſummi Dei ſempiterno judicio nocentes manerent, vehementi oratione diſſerebat. Mos illi erat ad ethnicorum ſepulchreta cum auditoribus proficiſci; ibi eorum, qui Numine irato diem obierant, calamitatibus ingemiſcere, quod nefaria ſuperſtitione inanes deos, ipſumque adeo humani generis inimicum venerati fuiſſent: tum circumfuſam loculis multitudinem infimis precibus orare, ut, quando tempus ſuppeteret, licentiam vitæ, moreſque teterrimos tandem exuerent, profanos ritus ac cæremonias ab patriis finibus averruncarent, neu ſe majorum exemplis in præceps trahi ad certum interitum paterentur. Incredibile dictu eſt, quam miris modis inter curas Apoſtolici muneris, & quotidiana negotia ſuum ipſe corpuſculum divexaret. Catenam ferream, qua, cum nomen familiæ daret, lumbos præcinxerat, numquam dimiſit. Nocturnas preces in abdito loco diverſorii, ſæpe ſub dio, cum iter haberet, ad Solis ortum producebat. Si quando ſomnus opprimebat orantem, humo nuda cubare, ſuppoſitoque cervicibus ſaxo ad diſturbandum ſoporem uti conſueverat. Provecta ætate ſemper in templo ad multam noctem oravit, numquam vero diſceſſit, quin ſe flagris aſperrimis, uſque dum late manaret cruor, verberaviſſet. Inſigni præterea fuit parſimonia cibi potuſque. Decem omnino dies ante Pentecoſten eſculentorum genere omni quotannis abſtinuit. Feſtis anni diebus, qui Dominici appellantur, limaces aliquot, paululumque frumenti ejus, quod Hiſpani Maitium vocant, in deliciis habebat. Feria ſexta, itemque Sabbatho nihil guſtabat; ceteros dies non plane jejunus tranſigebat; verumtamen ipſe cibatus erat ejuſmodi, ut famem potius irritare, quam ſedare, aut expellere videretur.

Miris modis corpuſculum domat.

LXXXVIII. Verum qui tantus erat ſui corporis domitor, idem ceterorum ærumnas, jacentemque fortunam humaniſſime ſublevare, tum decumbentibus morbo aliquo vel ſolatium, vel opem ferre nullo tempore deſtitit. Pallium, quo tegebatur, ſæpe dedit egenti cuipiam, qui ab ſe petiviſſet; interdum etiam, orantibus multis, in partes diviſit, ſuamque ſingulis attribuit. Ubi quempiam ægrotare intellexiſſet, amantiſſime ad eum viſere, morbique ſedandi cauſa delectos cibos & pharmaca ſecum ferre ſolebat. Quo genere officii cum ægrotis plerumque ſaluti fuit, tum præpoteotis Dei benignitatem & gloriam divulgavit palam. Percrebuit enim opinio, multorum quoque ſermonibus corroborata, uſque adeo Superorum gratia florere Matthæum, ut rogatus ab iis, quos in lectulo decumbentes ultro adiiſſet, quod cibi genus frangendis cruciatibus opportunum maxime eſſet, id ſingulari Dei beneficio proferret, cum in manticis tamen nihil ejuſmodi attuliſſet. Interim vero jacentes hortari, ut membrorum dolores æquo animo ſuſtinerent, eorum cauſam in vitæ labes, & crimina unuſquiſque refer-

Ejuſdem charitas in proximos.

nensi in Peruviam legavit, datis ad eum litteris, anno Christi MDXXXII. quibus eidem potestatem fecit, ut optimos duodecim probatissimosque deligeret, quos sodalitii Peruvianis in terris constituendi administros haberet. Insequentibus annis alii subinde profecti, custodiam, ut vocant, Apostolorum, Nicænsium Comitiorum auctoritate fundatam, amplificarunt ab anno sesquimillesimo trigesimo quinto: quo videlicet anno Vincentius Lunellus Generalis Minister renuntiatus, Hieronymum ab Villa Carilla custodem Peruviæ designavit. Verum plus fortasse, quam opus fuit, in refellendis Calancani mendaciis versati sumus; quæque huc pertinentia Waddingus, aliique scriptores litterarum monumentis consignarunt, in ea liberius, tamquam secundo Mercurio nobis oblata, involavimus. Nunc, quod instat, agendum est, &, quantum laboris industriæque in unius Dei gloriam, & solatium Ecclesiæ Christi Observantes insumpserint, accurata narratione persequendum. De Matthæi potissimum Xumillani vita factisque scribere aggredior, quem Waddingus inter primos enumerat, qui cum Marco Nicænsi ad Peruvianæ regionis oram appulerunt.

Matthæus Xumillanus in Peruvia Domini vineam excolendã aggreditur.

LXXXVI. Matthæus igitur apud Xumillam Hispaniæ vicum in regno Murciæ natus, inter Laicos, ut appellant, Observantium adscitus, religionis propagandæ studium pari vitæ innocentia & sanctitate conjunxit. Missis in varia loca Peruviani regni, quos habuerat socios expeditionis, ipse post captum interfectumque Atabalipam Caxamalcæ consedit, ejusque urbis ac provinciæ inquilinos Christianis legibus instituere aggressus est. Magnus illi honor non ab Hispanis modo, sed a barbaris ipsis haberi cœptus, ex quo primum Apostolici muneris tirocinium posuit. Quippe id unum versabat animo, totisque ingenii viribus contendebat, ut, quam vellet populorum in animis religionem inferere, eidem gratiam, & fidem optimis moribus exemplisque conciliaret. Oppida erant in ea provincia fere quinquaginta, ad quæ Matthæus itineribus bene longis pedes itabat, oppidanosque cum disciplinæ asperitate, tum elegantia moris, ac suavitate ad amorem virtutis incendebat. Christianæ doctrinæ capita vernacula gentis lingua exaravit, eademque complexus metrica lege, adolescentes, qui ea canerent, numero circiter quinquaginta per vicos circumducebat. Præibat ipse conceptum carmen jam referre paratis; simul crucis vexillum, Christique in ea pendentis effigiem manu tenebat. Ita complures barbaros cantionibus primum delinitos, sensimque mysteriis religionis imbutos, a detestabili Solis cultu, impiaque superstitione paulatim abduxit: quos deinde sacerdos, qui statis temporibus ventitare solebat, Christianæ vitæ præceptis institutisque eruditos salutaribus aquis regenerabat. Non enim solum fuisse in provincia Matthæum verisimile est; cum post necem Atabalipæ expiatum a profano cultu regis palatium divo Antonio Patavino Hispanos dicasse Gonzaga commemoret. Unus ergo sacerdos, qui novum templum curaret, sacramenta Christiano ritu perficeret, nostrisque militibus, cum opus esset, administraret, Caxamalcæ commorabatur. Subinde cum Observantes duodecim eo profecti cœnobium fundassent, nascenti Ecclesiæ Peruvianæ, quæ aliquandiu Ministrorum penuria laboraverat, suppetias tulere. Matthæus, universa provincia in parœcias distributa, Solis fana diruenda, templa ritu Christiano excitanda, agrestes montanosque diligentissime conquisitos ad humanitatem religionemque informandos enixe curavit. Adventanti catechismi gratia sacerdoti alacris erectusque sæpe occurrebat, deque communi laborum fructu, qui & maximus idem, & jucundissimus esset, gratulabatur. Quippe hominum octo millia, interdum decem, qui ejus accitu ad statas pre-

Ejus res gesta in Caxamalcæ provincia.

Quam in parœcias distribuit.

ces

Hiſpanis præliabantur: & qui aderant ſacerdotes, aut arma ipſi tractare atque in acie cum hoſtibus congredi, aut inter vitæ difficultates & incommoda quotidiana ſe ſe tueri ab eorum inſidiis cogebantur. Ac Pizarrus quidem in prima ad inſulam Galli expeditione neminem ſacris initiatum eo deduxerat. Anno MDXXXI. *cum ad Coaccios penetravit, Vincentium Valverdium ex familia Dominicana, & Joannem Soſam ſecularem presbyterum ſocios habuit. Poſt necem vero Atabalipæ, quæ in annum incidit* MDXXXI. *aut* MDXXXII. *Valverdius in Hiſpaniam profectus non ante annum* MDXXXVI. *in Peruviam remeavit, ac poſtero anno Limam pervenit: ita in Peruviæ regione ille unus, quem memoravimus, Soſa eſt commoratus: huic paulo poſt ſacerdotes non amplius duo acceſſerunt; alter ſecularis cognomento Occana; alter ex eorum ſodalitio, qui ſub auſpiciis Mariæ Virginis redimendi ab ethnicorum jugo captivi operam navant. Ex illo tempore cum ab Hiſpanis Peruviæ populi defeciſſent, arderetque ſervili bello univerſa provincia, nemo unus repertus eſt, qui Evangelium diſſeminaret, abductoſque a ſervitute dæmonis Peruvianos ad veri Numinis religionem cultumque traduceret. Inter hæc civile bellum ad Cuſconem exarſit, admoventibus facem Almagro, ac Ferdinando Pizarro: quod in annum* MDXL. *continuatum eſt. Sequenti anno Franciſcus Pizarrus Limæ interficitur, bellumque inteſtinum Almagri junioris opera renovatum biennium tenuit. Anno* MDXLIII. *in urbe Cuſcone Didacus Almagrus ſecuri percutitur. Per id tempus Limam venere homines quatuor e familia Dominicana, itemque Marcus Nicæenſis cum ſociis quatuor aut quinque e ſodalitio divi Franciſci. Ex his duos apud Quitum civitatem Marcus reliquit: ipſe e veſtigio ad Mexicanos conceſſit: ceteri bellorum metu palantes ac profugi latuerunt ad uſque annum* MDXLVIII. *quo Pizarrus, & Carvajalis a Gaſca præſide in acie victi captique ſunt: eodemque anno Franciſcus Victoria Obſervantium præfectus cum ſociis aliquot Peruviam adivit, cœnobiumque in urbe Lima fundavit.*

Marcus Nicæenſis e familia Obſervantium cum ſociis aliquot in Peruviam profectus Evangelii diſſeminandi cauſa.

LXXXV. Profecto Colancanus iſte aut notandis temporibus inſcitia lapſus, aut partium ſtudio præter modum abreptus, in his, quæ narrat de noſtrorum adventu, veritatem vel turpiter ignoraſſe, vel de induſtria diſſimulaſſe mihi videtur. Franciſcani, ut alios prætream ceterorum Ordinum alumnos, duodecim ante annis, quam ab iſto ſcriptore Peruvianum ad littus appuliſſe dicuntur, eas terras incoluerunt. Marcus a Nicæa eorum præfectus idipſum de ſe teſtatur his verbis: *Ego frater Marcus a Nicæa Ordinis ſancti Franciſci Commiſſarius ſupra Fratres ejuſdem Ordinis in provinciis Peruvianis, qui fui ex primis religioſis, qui cum primis Chriſtianis dictas provincias ingreſſi fuerunt, dando teſtimonium veritati in aliquibus rebus, quas oculis meis vidi, maxime circa debellationem, & adminiſtrationem indigenarum..* Eum conſtat cum claſſe Pizarri ad inſulam ſancti Dominici perveniſſe anno MDXXXI. unde cum ſociis aliquot in Peruviæ regionem recta contendit. Cum Sebaſtianus Belalcazarius Quitenſe regnum occupaſſet, ſtatim primariæ urbis fundamenta locavit; cumque eſſet in Minorum familiam præclare animatus, divi Franciſci nomen civitati dedit, in eaque cœnobium noſtris attribuit anno MDXXXIV. id quod epiſtolæ teſtimonio comprobatur, quam Jodocus quidam Obſervantium ſacerdos anno Chriſti MDLVI. cum ſcriberet, annos jam duos ſupra viginti in Quitenſi civitate ſancti Franciſci verſatum ſe eſſe, Petrumque Goſſealium ad uſque diem Januarii duodecimum, quo die litteras Quito dedit, laborum vitæque ſocium habuiſſe teſtatus eſt. Ad hæc Paulus Piſottus Franciſcanæ familiæ Præſul Franciſcum Aragonium ex provincia Tarraconenſi

De ipſius, aliorumque Obſervantium in Peruviam adventu Antonii Colancani palmaris error.

Ad quem oſtendendum argumenta proferuntur.

Vide Wadding. tomo XVI. anno 1514. num. 84.

gibus imbuendam Franciſcani potiſsimum ſuſceperunt, oratio delabitur. Antequam Peruviani ſub unius imperium cogerentur, varia illis inſtituta vivendique ritus fuere. Plantas, animalia, flumina, montes, in primis vero immanes belluas impenſe colebant. Sed poſtquam Yncarum jugum ſubierunt, religiones eorum barbaræ humanis legibus temperari, ac regi cœptæ. Ab eo tempore Solem, ejuſque, ut rebantur, uxorem Lunam venerati ſunt. Ynca tamen Garcillaſſus Peruvianus natione teſtatus eſt, populariorum ſuorum animos ad veri Numinis cognitionem erectos omni ætate fuiſſe: Animatorem mundi patria lingua appellabant. Verum levis hæc & umbratilis perſuaſio ad expromendam religionem, cultumque ejus conſtituendum vires non habuit. Quippe animatori illi orbis terrarum unicum templum in regione latiſſima conſecratum; cum delubra Soli pene infinita, eademque magnificentiſſima ædificaverint, ſacerdotes, ac virgines attribuerint. Immortalem hominis eſſe animum ſapientes eorum exiſtimarunt. Quam longiſſime porro abfuerunt ab ferис moribus inſtitutiſque Mexicanorum. Neque enim humanis carnibus veſcebantur; nec unquam cruore hominum litaviſſe perhibentur. Peruvianis a Pizarro ſubactis, de inſerendo in ampliſſimas terras Chriſti cultu ac religione cogitari cœptum. Franciſcani, ſcriptorum omnium conſenſu, earum gentium procuranda ſalute, excolendaque Domini vinea omnium maxime laborarunt. Sed admodum pauci rerum ab ſe geſtarum memoriam litteris prodidere. Qui deinde ſcripſerunt, eorum brevis ac perobſcura narratio eſt. Nullam fere rationem temporum in iis reperias, qua res videlicet unaquæque ad annos ſuos dirigatur. Qui vero facta percenſentes, annos notant ac tempora ſingulorum, plerumque contraria narrant, itaque diſſident inter ſe, ut quem ſequare prorſus ignores, nec veritatis quærendæ viam poſſis inſiſtere. Omnium accuratiſſime Peruvianis de rebus diſſeruerunt ſcriptores duo, Ynca Garcillaſſus is, quem ſupra commemoravi, & Antonius Colancanus ex familia Eremitana ſancti Auguſtini. Verba utriuſque ex Hiſpanica lingua latine reddam: deinde quod magis certum videbitur, indicabo.

Chriſtiana ſacra in Peruviam inferri cœpta. Franciſcani egregiam operam navant Peruvianis ad Chriſtum cõvertendis.

LXXXIII. Itaque Garcillaſſus parte ſecunda Hiſtoriæ Peruvianæ annos recenſet, quibus maxime digna memoratu contigere. *Pizarrus*, inquit, *ſociique, anno Chriſti* MDXXXI. *primum inſula Puna, deinde vero Tumbæo potiti ſunt: ejuſdem anni menſe Decembri captus Atabalipa cuſtodiæ traditur, qui menſe Aprili ſequentis anni diem clauſit extremum. Octobri menſe hujus anni Cuſconis provincia in Hiſpanorum ceſſit imperium, cujus præfectus ubi Petrum de Alvarado adventare cognovit, eadem per manus tradita ultro diſceſſit anno* MDXXXIII. *Principio ſequentis anni, quo die reges ex oriente profectos ad Chriſti cunas procubuiſſe a majoribus traditum eſt, Lima civitas Peruviæ caput, ac totius Americæ Meridionalis emporium, ædificari cœpta.* Hactenus Garcillaſſus. Conſtituto utcumque imperio, inter duces expeditionis orta diſſidia ſuſceptas olim ſimultates novis ac civilibus odiis vehementer auxerunt. Quæ res in cauſa fuit, ut, diſtractis admodum viribus, ferentes gravate jugum indigenas in officio continere non poſſent. Itaque annis fere viginti bellatum cum iis eſt.

Ynca Garcillaſſus Peruviæ rerum ſcriptor.

LXXXIV. Cujus eventa belli cum Antonius Colancanus ſuſe narraſſet: *Duobus*, inquit, *poſt annis, quam Peruviæ regionem Auguſtinianæ familiæ homines adierunt, de impertiendo ethnicis Evangelio cogitari non potuit. Si qui vero aliorum Ordinum viri ſedes antea poſuerunt, ab iis tamen propagandæ religionis cauſa nihil penitus actum. Quippe inquilini vel in montibus ac ſpeluncis perterrefacti latebant, vel pro aris & focis cum Hiſpa-*

Antonius Colancanus Peruviæ rerum ſcriptor alter.

colis. Ibi ſolemni peracto ſacrificio, Antonius Petronius ex Obſervantium familia, pro concione cunctos ad obeunda fortiter militiæ munera, pellendoſque ex urbe Dio neſarios Chriſtiani nominis hoſtes, Mahometanæ ſectæ cultores, hortatus eſt. Ab Damano claſſis, præciſo Cambaico ſinu, Betelem tenuit. Hoc nomine inſula eſt, perexiguo circuitu leucæ ferme unius, anguſto admodum freto a continenti diſiuncta, difficili acceſſu, pæne undique ſepta præruptis haud modicæ altitudinis rupibus. Ea, quod leucarum octo non amplius trajectu peropportune imminet in urbem Dium, & circumdato muro inexpugnabilis reddi facile poterat; ad eum locum muniendum paulo ante Cambajæ Rex quemdam e ſuis præfectis, Turcam natione, cum duobus millibus armatorum, & ſtructoribus operiſque circiter mille tranſmiſerat.

Antonius Petronius Franciſcanus pro concione milites hortatur ad Dienſem expeditionem.

XCIV. Sed nondum eo pervenerat opus, ut arceri munimento externa vis poſſet, ac proinde repentino tantæ claſſis adventu perterriti milites, & præter ceteras difficultates etiam navigiis ad tranſmittendum, vel accerſenda e propinquo auxilia deſtituti; conſilio habito, de arce honeſtis conditionibus tradenda conſentiunt. Dux ipſe, quo plus auctoritatis ineſſet legationi, accepta fide, ad colloquium prodiit. Petebat, uti ſibi ceteriſque inſula excedere, ſuaque ſecum exportare tuto liceret. Cui Prætor, inſolito ferox apparatu, & avidus rei gerendæ, ipſi quidem id petenti dare ſe dixit: cum reliquis, niſi permittentibus omnia, negavit ullam pacis conditionem eſſe. Hoc tam triſte reſponſum in arcem relatum, miſtam deſperatione iram in militum pectoribus accendit. Extemplo regius Quæſtor, ex obviis trabibus raptim conſerta rate, per tenebras pecuniam regiam in continentem avexit. Hunc nando ſubſequuti ex imbelli turba qui poterant. Ceteri, fero & infando conſilio, uxores, & liberos, & quæ habebant cariſſima, in unum congeſta cumulum, ea ipſa nocte ſuccendunt, & ex univerſo præſidio ſeptingenti ferme, certo devotionis genere, monachorum inſtar vertice capitis ad coronæ ſeu diadematis figuram abraſo (adeo is ritus apud barbaras quoque nationes defunctum humanis curis animum, & ipſius prodigum vitæ ſignificat) ad mortem ſortiter oppetendam obſtinata meote conjurant. Inde cæci furore & amentia, non ſine probris convitiiſque, Luſitanum vario telorum genere ſuperne laceſſunt. Ea commotus audacia Prætor, non expectato, uti decreverat, Solis ortu (& forte nox erat Lunæ radiis admodum illuſtris) expoſito milite, a quatuor ſimul partibus adortus inchoatam arcem expugnat. Variis inde locis, uti ſe ſe paſſim conglobaverant hoſtes, atrociter dimicatum eſt. Dux ipſe cum egregiis aliquot, eques primo, tum pedes ingenti animo prælium ciens, haud inultus occubuit. Cæſo duce, fuga in omnes partes illico fieri cœpta: eumque hinc infeſtæ cuſpides, inde vaſtæ crepidines, & obſeſſum navibus mare ad ſalutem obſtarent; urgente metu alii per ſaxa cauteſque ſeſe devolvunt; alii ſpecus & latibula circumſpiciunt: multi eminus trajecti miſſilibus, multi cominus gladio haſtave confoſſi, pauci admodum in ſervitutem abducti. Ceterum unius memorabile in primis exitium fuit. Is in anguſtiis deprehenſus, cum adhærentem lateri comitem interfectum, & in ſe deinceps intentam Luſitani lanceam cerneret; nulla cunctatione in vulnus ac ferrum ultro ſemet impellens, ad corpus adverſarii per ipſum haſtile furibundus effluxit; & ſtricta ſica, nec opinantis abſcidit femur. Ita, mutuis ictibus, alterius uterque ſanguine expleti, in eodem pæne veſtigio corruerunt. E Luſitanis deſiderati nobiles viri ſeptendecim, vulnerati centum & viginti, quorum nonnulli poſtmodum expirarunt. Poſt hæc, everſis, aut incenſis Cambæorum operibus, eorum-

Luſitanâ claſſis Betelem appellit inſulam Dio propinquam.

Luſitanorum cū Betelenſibus pugna.

que tormentis in classem acceptis, Prætor circa eamdem insulam octo ferme dies in anchoris stetit; nuntium ab exploratoribus de statu rei Diensis ibidem expectans.

Dium ab hoste munitur.

XCV. Ea mora saluti Diensibus fuit. Siquidem per eos ipsos dies Mustafa & Sofar, fugitiva Turcarum tyranni mancipia, novam & conditionem & sedem quærentes, Dium classe devenere; secumque sexcentos Turcas, Arabes mille & trecentos, & præter minora tormenta, basiliscos æneos egregie formæ tres in urbem invexere. Hoc tam insperato subsidio magnopere confirmatus est Tocan, cum paulo ante, Lusitanæ classis fama conterritus, ad deditionem haud dubie inclinaret. Exinde, Mustafæ suasu, emissa extra oppidum cum pretiosis rebus puerorum ac mulierum turba; reliquos oppidanos recensuit. Inventi qui arma ferre possent, præter novos auxiliatores, undecim fere millia; & omnea gravi edicto vetiti egredi ex urbe. Tum, eodem hortante atque adjuvante Mustafa, stationes ad portas, in muris tormenta vigiliæque dispositæ: & sub præcipuas urbis vias acti, & sulphureo pulvere completi cuniculi; quibus, si in urbem irrupissent hostes, in extremam eorum perniciem ignis applicaretur: & intra ostium portus, quod ferrea catena claudi solitum erat, tres & septuaginta biremes instructæ: denique nihil omissum, quod ad urbem, præsertim a mari, firmandam tali tempore pertineret. Nonnius, uti dicebamus, consulto ad Betelem interea trahebat moram. Dein, cum ii, quos ob idipsum ab Goa præmiserat, neque ipsi venirent, neque nuntium aut litteras mitterent; quippe custodibus ad exitus omnes appositis; ignarus omnium, quæ apud hostes fierent, ad incertum eventum a Betele Dium ire perrexit; haud dubie ratus, ad conspectum tantæ classis motum aliquem in urbe futurum. Ubi eo perventum est, vixdum in salo jecerat anchoras, paratus per colloquia tentare animos incolarum; cum ex omnibus repente propugnaculis in classem vis ingens pilarum emissa. E quibus, inspectante Nonnio, in ipsam pæne Prætoriam tres illatæ, magnam consternationem fecere. Inde subducta extra ictum classe, & omni spe non voluntariæ deditionis modo, sed etiam pacis abscissa; cum speculatoriis navigiis missi, qui e proximo, quoad liceret, lustrata oculis urbe, certi quippiam referrent. Ii, abraso ad jacula vitanda littore, sensim progressi, ingentem aspiciunt pro muris hominum frequentiam, & navium multitudinem in portu paratam; & omnia telis, atque tormentis, micantibusque cum ingenti sono flammis horrentia. Simul animadvertunt, non æque ab terra atque a mari difficilem oppugnationem esse: & sicubi descensio facta sit, a Septentrionibus maxime succedi ad mœnia posse. Hisce rebus cognitis Prætor, quod io unam rem navalem intentus, terrestris pugnæ machinas & instrumenta nequaquam advexerat; portus claustra perfringere, classemque aduriri, & simul e navibus mœnia diverberare decrevit. In eam rem postridie cum tormentis majoribus promotæ, centonibus & pluteis tectæ, scaphæ complures; triremibus ab tergo & ab latere adjunctis; quæ, simulatque per stragem aliquis aditus daretur, ad irrumpendum inter volitantia tela militem audacter exponerent. Hæc, turbatis inexpectata hostium vi plerisque, adverso insuper æstu, per metum ac trepidationem ægre fiebant: & simul periniqua erat verberandi conditio: quippe cum oppidani e fixo & immobili ad ictus destinatos tormenta librarent; Lusitani e fluxo & instabili prope in incertum mitterent tela. Ergo, ut in hujusmodi conditione, alteris nihil ferme illatum damni; ex alteris propugnatores & nautæ non pauci pæne momento discerpti sunt: &, quod vel in primis oppugnantium fregit animos, omnia fer-

Ex cujus propugnaculis in Lusitanam classem vis ingens pilarum emissa.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

ferme tormenta majoribus, quam quos paterentur, bolis, & nimia defatigatione diſrupta.

XCVI. Hoc tam infelici ſucceſſu perculſus Nonnius, ne ſimul ad procellas ac tempeſtates expoſitam in ſalo claſſem haberet, ſimul milites remigeſque tanto cum detrimento denſiſſimis hoſtium globis objiceret; ſublatis anchoris, fremens gemenſque irrito conatu ad Betelem rediit. Inde, Antonio Saldania ad pervaſtandam Cambaicam oram cum parte copiarum relicto, ceteras ipſe Goam reduxit incolumes. Eodem paulo poſt Saldania quoque rediit, inter ceteras clades everſa Goga (id oppidi nomen) & onuſtis Indica fruge quinque & viginti paronibus uno incendio abſumptis. Cambaici ſinus cuſtodia viro egregie forti Jacobo Sylveriæ tradita. Goæ hyems jure dicundo, & navibus reficiendis exacta. Deinde ubi ſeſe æſtas aperuit, Cialem Prætor claſſe contendit. Is locus ultra Calecutum duas leucas apprime navigabili æſtuario impoſitus, mire factus erat ad Arabum inſeſtanda commercia, & Zamorini Malabarici Regis potentiſſimi conſilia exploranda, conatuſque opprimendos. Ibi ergo Prætor, quieto Calecutano, neque ad impediendam ædificationem auſo inire certamen, arcem egregiam opere militari paucis diebus extruxit. In eam rem agri pars cum palmetis ab Cialenſi regulo præſentibus nummis coempta: & regulus ipſe, ne Zamorini vim extimeſceret, in fidem ac ſocietatem acceptus eſt. Eadem æſtate Jacobus Sylveria Tanahenſem dynaſtam Dienſis auxilii fiducia tributum pendere recuſantem aggreſſus, oppido exegit; ipſumque oppidum egeſta præda cremavit. In eodem tractu Bandoram, qui locus erat in Tocanis ditione, & opere magno, & valido præſidio munitus, vi cepit, ac diruit. Multos præterea Cambaicæ oræ vicos evertit; naves partim ſubductas exuſſit, partim cum oneribus Dium petentes excepit, aut depreſſit: ad hæc, in remigum ſupplementum quatuor millia captivorum abducta; & clauſis undique maritimis commeatibus, Dienſi portorio & annonæ ingens eo anno detrimentum illatum eſt. Eadem pæne vaſtitas, eodem Sylveria duce, anno inſequenti propioribus etiam urbi Dio littoribus atque agris invecta: villæ, vici, navigia paſſim incenſa: multi mortales abducti: opulenta emporia duo, Pate, & Patene, haud ſine certamine capta, & direpta. Mangalor oppidum inſigne (quo item nomine emporium eſt in ora Malabarica) dilapſis metu Mahometanis, deletum: ditati præda milites: nec parum pecuniæ in regios quoque fiſcos redactum: impune cuncta: cum & novo Cambaiæ Regi Badurio interioribus implicito bellis haudquaquam vacaret opem ferre quamvis adeo laboranti oræ maritimæ, & Melicus Tocan circumferenti bellum Luſitano occurrere nec poſſet, nec ſatis auderet abſente Muſtafa, qui poſt repulſos ab Dio Luſitanos, in regiam cum læto nuntio ad præmia petenda, & venditandam in poſterum operam ſuam Regi, haud ſane magna Tocanis voluntate contenderat. Eo adjumento ac præſidio deſtitutus Tocan, omnibus circa populis ob recentia damna terrore nominis Luſitani perculſis, quicquid habebat copiarum ac virium, partim ad urbis Dii cuſtodiam, partim ad muniendum Bazainum ſummo ſtudio conſerebat.

Luſitani ab Dio re infecta diſcedunt.

Sed ora Cambaica pervaſtata, Tocanis Dienſis reguli vires debilitant.

XCVII. Et Nonnius ardens dolore ſuſceptæ ad Dium labis, ad eam eluendam, excidium Bazaini tacitus dudum apud ſe voluebat. Ac maturandum ratus, antequam ab terrore populationum reficerentur hoſtium animi; cum navibus amplius octoginta, & bellatorum quatuor millibus, quorum dimidia pars Luſitani, ceteri Malabares aut Canarini erant, Ciaulum acceſſit. Inde præmiſſo cum expeditis navigiis Emmanuele Albuquercio ad portus introitum occupandum, ipſe, Jacobo Sylveria trans Dium accito, cum

Tum Bazainum Tocanis oppidū oppugnare conſtituunt.

cetera classe subsequitur. Bazaini tum agebat Tocan, magno equitum peditumque numero ad famam classis Lusitanæ contracto. Munitionis autem ratio erat hujusmodi. Arcem idoneo loco ædificatam habebant. Præterea ad euripi fauces, qua descensuros putabant hostes, propugnaculum excitarant: inde perpetuam fossam immisso mari, itemque aggerem cum crebris turribus, magna tormentorum imposita vi, ad oppidum usque perduxerant. Neque oppugnari, nisi eo munimento superato, arx poterat; & frequentia tectis loca protinus petenti hosti, nullis circa sylvis aut collibus, turres ab latere minabantur. Nonnius, duce transfuga locorum perito, paulo supra id, quod dixi, propugnaculum, tripartito exposuit copias. Primo agmini Jacobus Sylveria; secundo Ferdinandus Deza, & navarchi aliquot præerant; postremum ducebat ipse. Ubi propius ad munitiones ventum est; Lusitani, tentata, dein omissa propter altitudinem fossa, præter hostium oculos ad oppidum recta contendunt. Scilicet in prætereuntes confestim ex aggere sævus imber telorum perpetua jaculatione conjectus. Quacumque audax incedit agmen, igniferæ bolides, plumbei ac ferrei globi, spicula densa circumvolant. Mirum profecto, & quod, nisi in potentiam Dei referatur, plane fidem excesserit. Puro & patenti littore, cum e turribus ac senestellis undique peterentur; nemo prorsus omnium ictus est. Quo miraculo commoti auxiliares multi, sponte dein Christianam fidem amplexi; cum ita affirmarent, angustis in rebus nullum omnino æque atque Lusitanorum Deum suis cultoribus esse præsentem, atque propitium. Ad extremas munitiones cum decem amplius millibus armatorum sese Tocan ostendit. Ibi acrior concursu primo, quam perseverantior pugna fuit. Invehentem se magno impetu Lusitanum, gladiisque & hastis adversa ora & pectora fodientem, diutius non ferentes Mahometani, transmisso per pontem euripo, ad proximos montes celeri fuga succedunt, eodemque loco castra communiunt. Nec major inclusis intra arcem ad sustinendam oppugnationem animus fuit. Eminus conspicati suos abeuntes, & hostium adventans agmen, extemplo sese per aversam arcis partem omnes ejiciunt: trajectoque pariter euripo, Tocanis vestigia subsequuntur. Per hunc modum arx oppidumque minore, quam timebatur, certamine in potestatem venit. E Mahomeranis tum in prælio, tum in fuga cæsi quingenti & quinquaginta: e Lusitanis desiderati non amplius sex. Multum ibi sulphurei pulveris & globorum inventum; & majora tormenta circiter quadringenta. Prætor, collaudato præcipue Sylveria & iis, qui in primo agmine dimicarant (nam ad secundam aciem & subsidia prælium non pervenerat) donisque militaribus de more distributis, in ipso littore castra posuit. Inde quicquid erat fertile in agris, ferro ignique corruptum; oppleta hostium fossæ; prorutum vallum; & arx ipsa, quod ad eam tuendam copiæ non suppeterent, a fundamentis excisa. Et Nonnius, per se perque suos egregie repenso barbaris, quod ad Dium acceperat, damno, incolumi classe Goam hyemandi causa repetiit.

Oppidanorū telis undique appetiti nihil accipiunt detrimenti.

Quo miraculo multi ad Christum conversi.

Bazaimum a Lusitanis captum.

XCVIII. Circa idem tempus Ugentanæ Rex Malacensem oram crebris excursionibus habebat infestam. Adversus eum cum quadringentis Lusitanis a Malaca profectus Stephanus Gamma, qui tum urbi præerat, adverso flumine ad hostem subiit: ac munitiones primum in itinere objectas, exposito milite per vim cepit: dein fugato Rege, desertam arcem & urbem Ugentanam incendit; tormenta complura, navesque captivas cum insigni laude victor Malacam reduxit. Sub hæc, e Lusitania cum onerariis quinque Martinus Alphonsus Sosa, præfectus maris Indici designatus, Goam defertur. Is, accepta a Nonnio classe, naves quinque & triginta, in qui-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Mino-
1546.	anno 12.	anno 28.	rum anno 339.

quibus erant Luſitani ſexcenti, ad Damanum duxit oppugnandum. Cambaici littoris id quoque oppidum eſt, ſupra Bazainum leucas ferme quatuordecim. Carebat mœnibus, atque ob id oppidani cognito adventu diffugerant. Sed firmi operis arcem Turcæ admiſti Resbutis, quæ gens latrociniis dedita Carmaniæ fines attingit, quingenti numero tuebantur. Iidem urbis aditum a portu tumultuariis munitionibus crebriſque tormentis obſepſerant. Soſa in conſpectum hoſtium delatus, levi primum navigio ad contemplandam loci naturam, & opera circumvectus eſt; dein vitato portu, nocte intempeſta in aſperum littus non ſine periculo repente deſcendit; ac partim ſcalis ad muros appoſitis; partim, dum pavidi quidam elabuntur, portis raptim occupatis, in arcem irrupit. Intra mœnia, cum Turcis præſertim, intercluſo exitu, atrociter dimicatum eſt: ac, paucis exceptis, qui inter primum, ut dixi, tumultum evaſerant, ceteri ad unum omnes occiſi. E Luſitanis decem deſiderati non amplius: graviter icti complures. Arx triduo diruta, & ſolo, vix ut veſtigium extaret, æquata eſt. Inde victor Soſa totam Cambaicam oram, non ſine magno terrore, Dium uſque percurrit. Capti & everſi Damani fama Badurium Cambajæ regem valde commovit; præſertim quod eo ipſo tempore gravia ex aliis partibus bella imminerent; in quæ dum totis incumbit viribus, ne interim acrior ab tergo Luſitanus inſtaret; oratorem petendæ pacis ad Nonnium miſit; ſcriptiſque & obſignatis conditionibus, Joanni Regi Bazainum, vicinaſque inſulas, quo in numero Salſetanæ ſunt, & partem inſuper continentis attribuit. Pace cum Luſitanis facta, ſe ſe ad ceteras expeditiones accinxit. Duo tum a Septentrione hoſtes in primis urgebant: Crementina vidua, Sangæ Regina, eximia ſpecie, ceterum præferoci, & pluſquam virili ingenio mulier; a prima ætate militiæ rudimentis imbuta, pugnamque inire, Amazonum inſtar, intrepide ſolita; itemque Mogores, Scythica gens, præpollens viribus; & cum finitimis Perſis bello certare aſſueta. Horum Rex Miramudius, a magno Tamberlane originem trahens, Mandoo dynaſta ſollicitante (cujus avunculum Badurius pepulerat regno) paulo ante in Cambajæ fines valido cum exercitu irruperat. Inde ſublatis animis Crementina, filii gerens tutelam, ſtatutum olim vectigal Badurio abnuebat pendere; coactiſque duobus equitum, triginta peditum millibus, in regia ſe ſe continebat urbe, cui nomen Citor. Hæ duæ maxime Badurium eo tempore diſtinebant curæ. Super iis cum aliquandiu apud ſe deliberaſſet (nam alienis conſiliis admodum raro utebatur) Sangam edomare quamprimum, dein Mogoribus omni conatu obviam ire conſtituit. Apparatus autem hujuſce expeditionis erat ejuſmodi, quemadmodum a Chriſtianis cognitum eſt, qui in eo ipſo bello Badurii ſtipendia meruere.

Damanum oppidum in Cambaico littore diruûr Luſitani.

Pacem faciunt cum Cambajæ rege Badurio.

Qui cum Sangæ regina, ac Mogoribus bellum gerit.

XCIX. Equitum ſub ſignis habebat centum & quinquaginta millia, e quibus erant gravis armaturæ triginta: peditatus quingentorum millium explebat ſummam: in iis externi variarum nationum ad quindecim millia; id erat exercitus robur. Fartacas, & Abaſſinos alii præfecti; Turcas trecentos Muſtafa ducebat: acceſſerant Chriſtiani captivi, demptis ad militiam vinculis; non plus octoginta; quorum erant quinquaginta Luſitani; Galli reliqui, incertum quo caſu; Dobriga, quam vocabant, navi ad Cambaicas regiones appulſi. Armorum telorumque omnis generis vim ingentem, curulia tormenta mille admodum ex ære cuncta paraverat: in iis vaſtæ magnitudinis quatuor baſiliſcos, intremente ſolo, centena ſingulos boum juga trahebant. Hiſce addita ſulphurei pulveris pilarumque plauſtra quingenta, & libratores, ac fuſoriæ artis magiſtri complures, cum omni jacu-

Baduri contra Sangæ reginam militaris apparatus plane admirabilis.

jaculandi, & conflandi inſtrumento. Ad hæc turriti elephanti amplius ducenti; quaternas alii minores fiſtulas, majuſculas alii binas, totidemque milites dorſo vectabant. Signato in ſtipendium auro argentoque vehes onuſtæ quingentæ, & ſuper hæc omnia, Satrapæ, ac dynaſtæ permulti cum ſuis quiſque theſauris, & magno comitatu ſequebantur. Jam vero mercatorum, opificum, liaarumque, & calonum ſumma iniri vix poterat. Cum hiſce copiis e Mandoo regno, quod nuper invaſerat, profectus in Sangæ fines Badurius ad Citorem caſtra poſuit. Ea urbs edito loco duodecim millia paſſuum obtinet ambitu, ſumptuoſis admodum ædificiis publice, ac privatim ornata, mœnibuſque, ac propugnaculis egregie cincta. Itaque propter majeſtatem, ac pulchritudinem, quamquam arroganti vocabulo, Mundi umbella (id enim Citor gentis lingua ſignificat) appellatur. Et quoniam, ſi vel ad muros ex inferiore loco ſuccedere Cambæus, vel fame ſubigere incluſos inſtaret; cum anceps oppugnatio, tum lenta fore videbatur obſidio; conſilium cepit hoſti plane exitiale, magnis operibus machiniſque ex tuto urbem adoriundi: neque difficilis erat ei molitio quantavis, nimirum exſuperante ad omnia multitudine. Ergo ad urbis radices denſum ordinem trabium, qui munientes ab tergo protegeret, pluteorum vice defixit. Poſt hoſce pluteos brevi tempore duas turres, quæ faſtigio altitudinem æquarent mœnium, latas pedes quinquaginta, e lapide & argilla excitavit; graduſque ad aſcenſum adſtruxit. In iis turribus delecti bellatores, & muralia tormenta diſpoſita cum neque in adverſis propugnaculis quemquam conſiſtere paterentur; & tectis, ac delubris ultimum haud dubie minarentur excidium; Regina, alioquin ad defenſionem parata, admoto hoc tanto terrore deſpondit animum: perque notos calles, cum liberis, & paucis familiaribus clam ex urbe profugit. Oppidani fruſtra hoſtem aliquandiu arcere conati, ad extremum perditis rebus, in auri, argentique, & pretioſæ veſtis acervos (quos in idipſum ex publico privatoque collegerant) ad Betelanam converſi rabiem, ſubditis ignibus injecere ſe. Tres ipſos dies incendium tenuit. Ad ſeptuaginta millia ſexus utriuſque mortalium per eam deſperationem abſumpta. Sultanus urbem ingreſſus ingenti lætitia, purpuratos amicoſque novis beneficiis, ac vectigalibus auget; militi ſtipendia duplicat; ſe ipſe adeo magnifice, & elate circumſpicit, ut omnium Regum uni ſibi, qui Citorem expugnaſſet, umbellæ honorem deberi haud abſurda quidem alluſione jactaret. Verum quæ ſunt humanæ viciſſitudines, non diuturnum Sultano ejus victoriæ gaudium fuit. Adventanti copiis auctis Mogori obviam progreſſus; ad Docerem urbem ſemel, ad Mandoum iterum profligatur, & caſtris exuitur; inde cum ab aliis, tum ab ipſo Muſtafa deſertus; barba, ne dignoſceretur, abraſa, gregali cultu, perpaucis comitibus Dium uſque contendit. Ibi, a concepto pavore, de aſportandis Mecam theſauris, qui ſupererant, & regno relinquendo agitaſſe dicitur. Sed ſuorum hortatu retentus, dum hoſtes populando agro, & egerenda e deſertis urbibus præda morantur, & ditati ſpoliis, ut fit, patriam cogitant; interim ad opem a Solimano Turcarum tyranno petendam oratores miſit: iis dona ad ipſum Turcam data, quorum æſtimatio ad ſexcentorum millium aureorum ſummam aſcenderet; ad milites vero quam exercitatiſſimos (nam id unum ab Turca implorabat auxilium) mercede conducendos, magna pecuniæ vis. Hoc in præſentia reparandi belli conſilium Badurius cepit.

Citor urbs obſidetur.

Regina cum liberis fugit.

Citor expugnatur a Badurio.

Qui ſubinde a Mogore profligatur & caſtris exuitur.

C. Veritus deinde, ne ferum afflictis rebus id remedium eſſet; fracta demum ſuperbia, Soſam ab Ciaulo (nam in ea tum ſtatione claſſem habebat)

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

bebat) dein ab Goa Prætorem ipſum Nonnium ad ſe per legatos, ac litteras invitavit: iiſque, modo partem capeſſerent belli, poteſtatem arcis ad Dium ædificandæ (quod fruſtra jam toties omni arte quæſierant) ultro detulit. Hiſce nuntiis allatis, ab neutro in tam præclara occaſione ceſſatum eſt. Soſa prior, tum Nonnius Dium inſtructa claſſe contendunt. Ibi novis utrinque fœderis & amicitiæ legibus in publicas tabulas teſtato relatis, deſignati communi conſenſu fines arcis in extremo inſulæ promontorio, qui locus imminet in ipſum introitum portus, ut clauſtra maris haud dubie Luſitani tenerent. Annus tum agebatur ſeculi hujuſce trigeſimus quintus. Area dimenſa, confeſtim ad ſtructuram admotæ manus, non fabris tantum, & navali turba, ſed ipſis etiam militibus, & præfectis enixe rem adjuvantibus. Triquetra, utpote in promontorium deſinens, loci eſt figura. Jactis fundamentis, ab aperto mari ad interiorem tumulum e regione oppidi murus eſt ductus pedum ſeptendecim craſſitudine, altus ad coronam uſque viginti. In eo tumulo rotunda, uti mos tum erat, ceſpite ingeſto erigitur ante omnia turris dodrantium nonaginta diametro. Thomæa appellata, quod ejus Apoſtoli feſto die exordium ſumpſerat: inde rurſus ad alterum inſulæ marginem continuata mœnia ſunt; qua rupes abſciſſæ portum attingunt. Ibi turris altera extructa diametro dodrantium ſexaginta. Huic ab divo Jacobo Hiſpaniarum præſide inditum nomen. Muris foſſa circumdata, quoad cautes, & præcipitia tulere. Inter duas turres medio ferme ſpatio portam cum lorica in urbem aperiunt. Intra mœnia ſacellum, & præfecto præſidii militibuſque tecta militariter excitant. Per hunc modum in præſentia duntaxat arx ab urbe interſepta eſt; laterum munitio, quod ea mari alluuntur, in aliud tempus rejecta: ceterum opus undequinquageſimo die, non ſine Sultani admiratione perfectum. Simul ad recuperandum in Cambajæ finibus Varivenem pagum, arcemque oppoſitam Indo flumini, miſſus rogatu Sultani Vaſcus Petrejus a ſancto Pelagio cum Luſitanis ducentis & quinquaginta; Sofare adjuncto cum Turcis trecentis. Mogores centum & quinquaginta, incenſo pago, arcem obtinebant: ii, quandiu levioribus miſſilibus dimicatum eſt, hoſtibus egregie reſtitere. Aſt ubi provectis e claſſe majoribus tormentis mœnia quati cœpta; diffiſi viribus arcem deſeruere. Ita Varivenes denuo in Sultani poteſtatem redigitur. Præterea in maritima Cambajæ oppida præcipua Luſitanorum manipuli aliquot præſidii cauſa profecti: cujus auxilii fama e longinquo, ut fit, in majus aucta, retardatus Mogor ſpoliis Cambajanis gravem exercitum trahens, inſtante jam hyene, domum revertit. Is Mogorici belli finis Badurio fuit. Inde Sultanus ad refovenda quæ recentibus cladibus afflicta & proſtrata jacebant, itemque ad continendos in fide populares intendit animum. Quippe non pauci ea tempeſtate Sultani tyrannidis jugum excutere conabantur.

Fracta demum ſuperbia, Luſitanorum implorat auxilium, iiſque arcis ad Dium ædificandæ poteſtatem facit.

Arx ædificatur.

Badurio egregiè operam navant Luſitani.

CI. Compoſitis utcumque ad Dium rebus, Prætor ad arcis tutelam relicto cum octingentis militibus, & idoneo tormentorum apparatu, Emmanuele Soſa, Goam hybernandi cauſa revertit. Inter hæc Sultanum Badurium, vel ab ingenii levitate, vel quod Prætor non pro ſpe copias ad perſequendum bello Mogorem miſiſſet, pœnitere cœpit indomitæ gentis in ſuum regnum admiſſæ. Ninarao Dienſi præfecto mandat, uti extemplo per ſpeciem cingendi ex omni parte oppidi, & includendi, quod in extremo patebat, regii ſtabuli, modico intervallo murum arci Luſitanæ prætendat. Id cum ſe Luſitani paſſuros negarent, quod ex eo munimento periculum ingens immineret arci; elatus iracundia Sultanus, convitia in eos, & minas intemperanter effudit: dein, ſimulata rurſus amicitia, incautos adoriri, atque adeo

Badurius iterum offenſus Luſitanis.

adeo Prætorem ipſum, ut fertur, ſimulatque rediret, ad epulas invitatum opprimere ſtatuit. Super hæc ad diſtinendas quam maxime Luſitanas vires, miſſis clam litteris nuntiiſque, Zamorinum ceteroſque ejus oræ dynaſtas in Luſitanum inſtigabat nomen. Prætor, pluribus ac minime obſcuris indiciis frande comperta, ineunte ſeculi hujus anno trigeſimo ſeptimo, navibus triginta, in quibus erant Luſitani quingenti, Dium iter edixit. Eodem cum ſua claſſe Martinum Alphonſum ex ora Malabarica ſubſequi jubet; paratus, ubi res facultatem daret, Sultani inſidias antevertere. Ea facultas opinione celerius oblata. Cum enim in Dienſi portu ſub arcem jactis anchoris Prætor morbum egregie ſimulans, Regi ſalutem nuntiari juſſiſſet; ac ſe, quominus ad eum adiret, valetudine prohiberi; Sultanus, nimirum ad ſua tegenda conſilia, ultro ipſe parva biremi ad inviſendum in prætoria Nonnium acceſſit, venatorio amictu viridi, atro capitis diademate, gladio inaurato ſuccinctus. Vehebantur eodem navigio, præter Emmanuelem Soſam (quem ipſe pro amicitia ex arce evocarat) Satrapæ vel amici non amplius tredecim; præterea pueri duo: regium pugionem alter, pharetram alter & arcum de more geſtabant. Lembi quatuor cum cetera familia ſequebantur. Ubi ad prætoriam applicuit, conſcendenti Nonnius aperto capite obviam ad ſcalas magna cum obſequii ſignificatione progreditur; acceptumque perhonorifice in puppim inſtar cubiculi regio apparatu exornatam induxit. Introniſſi cum eo, præter interpretem & puerum unum, præcipui Satrapæ tres. In prætoria Luſitani milites erant ducenti. Scilicet ingrediens Rex a conſciis arcanorum illico morti deſtinatus: intentique ad imperia exſequenda, ſuſpenſo omnes exſpectabant animo, quam mox Prætor ad occidionem vocaret. Sed apud Nonnium, tantiſper dum in navi moratur Sultanus, hoſpitii valuit fas. Taciti ambo, & alter concepti facinoris, alter aditi periculi magnitudine, conſuſi, aliquandiu perſtitiſſe dicuntur. Ad extremum Sultanus, cum a ſuis Perſico ſermone quæriſſet, num in pergula, quæ ad gubernaculum eſt, armati laterent; reſponſumque eſſet, nihil videri tale; tandem proſequente officii cauſa Nonnio, ad ſcalas rediit, ſuamque in biremem ſaltu ſe miſit, defunctum periculo varia opinione confidens. At Nonnius, uti abeuntem vidit, quaſi omni religione ſolutus, confeſtim ſuos aſpera voce vultuque ceſſatores increpitat. Illi, dudum ad cædem inſtructi, in expedita navigia extemplo deſiliunt; contentoque remigio Sultanum intra Luſitana præſidia claſſemque deprehenſum invadunt. Emmanuel Soſa cum promptiſſimis in regiam e ſua navi tranſcendit. Alii ab lateribus circumſiſtunt. Atrox circa Regem pugna cooritur: multi utrinque vulnerantur, aut cadunt; in iis Soſa ab Sofaris genero, quem Tigrem mundi a virtute appellabant, gladio confoſſus, in mare projicitur, & puer is, qui pharetram & arcum Sultani ferebat, artis ſagittariæ peritiſſimus, octodecim ſpiculis totidem Luſitanos, nullo prorſus in irritum miſſo, confixit: atque ipſe ad extremum glande trajectus occubuit. In eo tumultu armatæ celnces regiæ tres a Mangalore ſuperveniunt, in quibus erant mercenarii Turcæ complures. Ii, ut Regem in extremo diſcrimine circumventum videre, haudquaquam exterriti, ad enim eripiendum per media hoſtium tela naveſque perrumpunt; neque a prælio abſtitere, quoad affluente in ſingula momenta majore Luſitanorum numero, ad unum omnes interfecti ſunt. Interea regiam navem promiſcua cædes vacuam epibatis fecerat. Rex ipſe, vulnere accepto, nautis ac remigibus omni ope adhortandis inſtabat. Jam prope littus erat navis, cum e remigibus duo treſve uno tormenti ictu diſcerpti ſunt. Inde biremis, præſertim

Officium ſimulans Badurius prætorem adit.

Abeuntem Badurii invadunt Luſitani.

Fit atrox pugna.

tim æſtu recedente, tranſverſa repente vadis inhæſit. Neque ſegniter Sultanus ad vicinam ſalutem in mare deſiliit. Sed nimirum fruſtra eluctanti extremus aderat dies: inter enatandum, affecto corpore, cum in adverſos fluctus aliquandiu tetendiſſet; denique ad Luſitanam actuariam, cui præerat Triſtanus Paiva Scalabitanus, ipſo aquarum impetu abripitur. Ibi, ſpem inter ac metum, cum ingentibus promiſſis, ac precibus ut reciperetur, qua Regem, qua Sultanum ſe clamitans miſer, dum illi remum ad evadendum porrigit Paiva; præter expectationem, a quodam e nautis infimæ ſortis homine, conto ſeu haſta conficitur. Exanime corpus cum diutius fluitaſſet, ſubſidit deinde, neque unquam apparuit. Ita opulentus in primis Indiæ Regum, cum nuper maria terraſque ſui nominis terrore compleſſet; ab iis demum, quos magna mercede conduxerat, tetterrimo genere lethi ſuorum in conſpectu peremptus; cæcitatem humani conſilii, & vanitatem eorum, quæ vulgo ſolida, ac præclara putantur, exitu comprobavit. Badurius occiditur.

CII. Ex iis, qui pugnæ ſuperfuerant, femineces aliquot in claſſem accepti: quo in numero Sofarem Nonnius clementer habitum, curatis vulneribus, miſit ad comprimendos in urbe tumultus. Namque omnis multitudo (& erat eo tempore frequentiſſima) ut in ejuſmodi perturbatione rerum, incendii, ac direptionis metu perculſi, ad portas ac muros, fugæ cauſa ruebant eo impetu, ut, præ conferta in anguſtiis turba, eliſi aut obtriti ſint aliquot. Is pavor ac trepidatio, Sofaris demum adventu atque auctoritate ſedatus. Badurii mors, non tam interfectoribus glorioſa, quam læta iis gentibus fuit: fœdam quippe in populares tyrannidem exercuerat, vitiis omnibus a pueritia deditus; numinum contemptor, æque ſui prodigus, & rapax alieni; potentiæ viriumque per libidinem, & ſævitiam oſtentator dirus: multos per calumniam omnibus fortunis everterat; multis beneficia dederat idem, ademeratque; multos etiam ex amicis, in iis duos Jazii filios, ut Dium inde reciperet, omnibus tormentis excruciatos necarat. Ergo tot ſcelerum ſibi conſcius, adeo omnes homines, omnia loca temporaque ſuſpecta habebat; ut cibum ſuis ipſe ſibi pararet manibus, perque ſummam indignitatem, principis ſimul, & coqui munere fungeretur. Quo magis mirandum eſt, ad inviſendum Prætorem veniſſe tam exiguo comitatu. Sed illum videlicet ultrices furiæ in eam amentiam impulerunt; ut quibus perniciem extremam haud obſcure machinabatur, eorum poteſtati ſemet vel nimis callida ſimulatione, vel ſtolida temeritate permitteret. Sublato Badurio, tota inſula in Luſitanam ditionem extemplo conceſſit. Cuſtodes ad caſtella tuenda, itemque vectigalibus in portu exigendis ad Dium, atque ad Rumæpolim (nam eo quoque facili appulſu commeabant naves) ſcripturæ magiſtri a Prætore diſpoſiti. In regiis theſauris haud ita multum pecuniæ inventum: in horreis vero, & armamentariis, commeatuum, & inſtrumenti bellici omnis generis ingens copia. In navalibus etiam haud exiguus navium variæ formæ numerus. Omnium ratio in codices a Quæſtoribus relata. Neque multo poſt, contra omnes belli caſus arx ab utraque parte, qua in mare vergit, muro circumdari cœpta; & e vaſto ſpecu, in quem medio ferme ſpatio tellus receſſerat, admodum capax effecta ciſterna; & everſa Rumæpoli, quod ad ejus præſidium copiæ non ſuppeterent, ejus loco novum propugnaculum excitatum eſt. Badurii ſcelera.

Luſitani Dienſem arcem muro circumdant; & everſa Rumæpoli novum propugnaculum excitant.

CIII. Nonnius arcis cuſtodia cum ſexcentis fere militibus Antonio Sylveriæ commiſſa, Goam, uti ſolebat, in hyberna ſe contulit. Vulgato Badurii caſu, Cambajæ proceres Mamudium puerum, ejus ſorore genitum, creant Regem. Rectores pueritiæ, iidemque tutores regni, tres, Dria-

Mamudius puer Baduzii ſororis filius Cambajæ rex ſalutatur.

can, Madremalucus, Alucan adjuncti. Ad hoſce poſt Nonnii profectionem Sofar, vel ob novas offenſiones, vel Chriſtianæ religionis odio in Luſitanos accenſus, omnibus ſuis rebus miro ſilentio in tutum avectis (& erat totius civitatis longe ditiſſimus) triginta ferme leucarum itinere ad urbem Madabam ab Dio contendit. Jamque ad bellum ſponte inclinatos, facili negotio perpulit, ut omni conatu ad pellendos ex arce Luſitanos incumberent. Conſeſtim habito delectu, conſcripta decem peditum, quinque equitum millia. Alucan dux iis copiis datur. Præterea Sofar egregiæ virtutis pedites ter mille, equites mille ſuo ære conduxit. Pari ferme imperio uterque ex urbe Madaba Junio menſe profecti, non longe ab Rumæpoli caſtra locant. Ex recentibus ejus loci ruinis, continuo Luſitani in novum necdum omnino abſolutum, de quo dixi, caſtellum ſe ſe recipiunt. Id caſtellum Sofar, Alucane interim operibus occupato, cum ſuis magno impetu adortus, dum muros incautius ſubit, altera manu plumbeo globo transfixa, prælio exceſſit. Eo vulnere ſpatium Luſitanis datum perficiendo caſtello; itemque ciſternæ intra arcem, convectis e vicino aquis, ad juſtam altitudinem implendæ. Ac primo conſilium Antonii Sylveriæ fuit, totam inſulam tueri, atque ob idipſum navarchos aliquot, cum ſuo quemque manipulo, ad loca idonea toto freto diſpoſuit, qui tranſitum hoſtium ex continente impedirent. Simul, quoniam Dienſem populum aliena ab ſe voluntate, multoſque inſtitorum habitu peregrinos milites in urbe verſari didicerat; eorum cœtus aliquoties vi miniſque diſcuſſit; arma pleriſque ademit; & mercatores quatuor, in primis pecunioſos, qui obſidum loco eſſent, repente in arcem arripuit. Dein, cum promotis munitionibus Alucan fretum omne tormentis infeſtum faceret; nec poſſent ſine pernicie Luſitani diutius in ea ſtatione perſtare; navibus inſuper aliquot tormentiſque, alieno ſane tempore, ſubitæ procellæ impetu amiſſis; Antonius, de ſuorum ſententia denique relicta inſula, navarchos in arcem recepit. Rumæo caſtello Franciſcum Patiecum, adjunctis ex univerſo præſidio militibus ad ſeptuaginta, præpoſuit. In marino propugnaculo, quod in ipſo aditu portus olim Jazius extruxerat, Franciſcum Goveanum cum delectis locavit; itemque in arce, prout res poſtulabat, aliis alias partes cuſtodiendas attribuit. Relicta ab Luſitanis inſula, confeſtim hoſtes libero tranſitu ſumma civium gratulatione in urbem admiſſi. Alucan regiis in ædibus procul ab hoſte conſedit: neque in aleam pugnæ, grandi jam ætate vir, ſe ſe facile committebat. Soſar prope arcis mœnia locum cepit, atque communiit. Inde per occaſionem levia certamina ſeri cœpta, quibus ferme ſuperior Luſitana res erat: duce plerunque Lupo Soſa Cotinio, qui cum præſidio lignatoribus aderat, idemque poſtea totam hanc obſidionem duobus libris diligenter eſt perſecutus.

Sofar Dienſium ditiſſimus ejus tutores hortatur, ut Luſitanos ex arce pellant.

Luſitani arcem munium, tranſitum hoſtium ex continente impediunt.

Dienſes continent in officio.

Luſitanorum cū hoſtibus varia prælia.

CIV. Dum hæc in Cambaja geruntur; Ottomanus interea aliis aliiſque Badurii nuntiis precibuſque fatigatus, ac demum de ejuſdem cæde ab uxore vidua & profuga coram edoctus; non tam ad laceſſendum bello Mogorem, quam ad pellendos ex India Luſitanos, & Orientis regna ad ſuum imperium adjungenda, conatus omnes adhibuit. Claſſem ad Svezium, cura Abrahemi purpurati ædificatam & inſtructam habebat majorum navium (quarum pleræque remis agebantur) ad ſexaginta quatuor: ad quas acceſſere deinde Cambaicæ ſeptem, Malabaricæ tres. Ei claſſi cum ſumma poteſtate præpoſuit Solimanum Peloponneſium, prælidem Ægypti, virum enormi non minus adipe, quam avaritia & crudelitate notiſſimum. Huic remigum ad ſeptem millia, bellatorum ſex attributa, in quibus erant Janizari

Ottomanus rex Luſitanos ex India pellere meditatus.

Solimanum claſſis præfectum in Indiam mittit.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

zari ſeu prætoriani mille quingenti; Turcæ bis mille; aliarum gentium ceteri, maritimæ ferme rei callentes; qui & militum, ubi opus eſſet, & nautarum partes obirent. Solimanus, luſtratis ad Svezium copiis, cum remigum pars imperium detrectaret; ducentos uno imperio juſſit occidi. Eo metu ſeditione compreſſa, profectus, ad Giddam appulit urbem ab incolis metu relictam. Dynaſta, cui Solimani rapacitas & immanitas haud erat ignota, cum popularibus in avia loca feceſſerat. Ab Gidda ad Camaranum, inde ad Zebitum trajecit claſſis. Nocoda Hamedius Turca oppido imperabat. Is, large & munifice accepto Solimano, ejuſdem juſſu repente ſecuri percutitur. Oppidum Muſtafæ Mammaluco donatum. Ab Zebito Adenum ſuperatis faucibus ventum eſt, præmiſſis jam ante legatis, qui ab Rege commeatum, vacuaſque in urbe ædes curandis ægrotis pro amicitia peterent. Utrumque cum cura præſtitit Rex: & alimenta in claſſem, & hoſpitium laborantibus datum. In id hoſpitium, ſimulato morbo, ſinguli milites a quatuor valentibus e mari tranſvehebantur, armis in lectulo ſub veſte contectis. Per eam fallaciam, nihil ejuſmodi ſuſpicante populo, quingenti paulatim intromiſſi. Tum Solimanus ex compoſito per ſatellites Regem ad naves accerſit. Ille, cum ſuæ dignitatis haudquaquam oblitus, indignabundus abnueret; confeſtim inſidiatoribus, quod jam ante convenerat, e claſſe proponitur ſignum. Ii cum armis extemplo coorti, ſtupente ad inopinatam rem civitate, regiam circumſiſtunt, comprehenſumque Regem ad Solimanum vi pertrahunt. Ibi ſuperbe interrogatus ab eo, cur tertium jam diem ad ſe officii cauſa venire diſtuliſſet; cum liberius reſponderet, quam prædonis aures ferre conſueſſent; arreptus propalam ex ipſius prætoriæ navis antenna ſuſpenditur. Urbe dein crudelem in modum direpta, præſidioque impoſito, Solimanus ex eo portu ſolvit: ac tametſi ex Ottomani mandatis Goam primo intenderat curſum, tamen mutato poſtmodum conſilio, Dium flexit, haud dubius quin facili negotio Luſitanam eſſet expugnaturus arcem; ac ſimul potiturus inſula magni ad univerſam Indiam obtinendam momenti. Qua tota de re cum litteras ab Sofare jamdudum accepiſſet, Sofarem deinde ipſum in itinere ad leucas ab Dio circiter quindecim obvium habuit.

Res ab eo geſtæ in itinere.

Dium appellit.

CV. Interea de Turcarum adventu & ante rumor, & ipſi poſtremo ſpeculatores ad Antonium Sylveriam attulerant. Ille tam multis variiſque terroribus minime fractus, pro ea quam habebat copia vigilias intendit; cuſtodias auget; munitiones inſtaurat: ſimul ad petendum a Prætore ſubſidium nuntios Goam cum epiſtolis mittit. Jam Turcæ appropinquabant, in hunc fere modum inſtructi: dextrum cornu e quatuordecim triremibus, quas regias vocant, in altum Solimanus extenderat: ſiniſtrum e triremibus non amplius ſeptem, propius ad terram admoverat: medium locum tenebant onerariæ; totum agmen reliquæ triremes & roſtratæ claudebant. Ut in conſpectu fuit claſſis; ad nobiles, qui ad ſpectaculum ex arce convenerant, Sylveria per quam ſerena fronte converſus: en, inquit, viri, tempus acceptam a majoribus bellicam gloriam, debitamque tum Deo, tum Regi noſtro fidem nobis ob oculos proponendi. Horum utrumque ſi attentis animis intuebimur, profecto labores omnes atque pericula, quæ ex hoſtili tanto tamque multiplici apparatu nobis impendent, præ officii, ac pietatis fructu levia ducemus. Equidem, & ex ipſa quam agimus cauſa, & ex veſtra virtute commilitones, magna in ſpe ſum, fore ut de immanibus hiſce barbaris illuſtrem intra paucos dies victoriam reportemus. Qua vos eadem fiducia quoniam teneri certo ſcio; ſupervacaneum reor hoc loco trophæa

Arcemque obſidere parat.

Antonii Sylveriæ virtus, & arcis tuendæ conſilium.

recenſere, quæ toties jam ex communibus & Chriſtianæ religionis, & Luſitani ſanguinis hoſtibus, Deo bene juvante, retulimus. Ab hiſce dictis, ad ſtationes diſponendas animum intendit. Feſſis in tutum receptis, alios de more ſubſtituit. Ceſpitis & materiæ ad renovandos aggeres, itemque lanæ & centonum ad protegenda mœnia vim ſedulo comportari jubet. Ad hæc ſervitiis, ne quid eorum perfidia occultæ fraudis erumpat, cuſtodes apponit. In primis vero annonæ diligens habita eſt cura: ut ſalubri temperamento, ac dimenſione per idoneos miniſtros erogaretur. Super omnia, propitiando immortali Deo diurnæ pariter, ac nocturnæ ſupplicationes adhibitæ. At Solimanus, in ſalo anchoris jactis, ad tentandam arcis oppugnationem ſeptingentos prætorianos in proximum littus exponit. Ii miſti ſagittariis egregio ornatu fiſtulatores, cum ad mœnia ſubiiſſent; repentina miſſilium vi ſex e Luſitanis occidunt; viginti conſauciant. Neque ſegniter ab incluſis reddita jaculatio eſt. Janizari quinquaginta interfecti, vulnerati complures. Ceteri minoribus, quam venerant, animis ad Sofaris munimenta ſe recepere. Per eoſdem dies, tranſverſo cum ſordidis nubibus Auſtro, claſſis propemodum ad terram alliditur. Eo metu Solimanus, & quod telis ex arce peteretur, ad Madraſabæ portum leucas ultra Dium quinque proceſſit. Deſcendenti paratus iterum ad omne obſequium prætio fuit Sofar. Cum eo Solimanus conſilia de totius belli ratione, atque adeo de ipſius Cambajæ occupando regno communicat. Expoſito dein milite, muralibuſque tormentis, Dium terreſtri itinere accedunt. Eodem fere tempore Alucan, haud levibus argumentis ſuſpectum habens Turcicum ſcelus, ac dominandi libidinem; cum parte copiarum (nam reliquas promiſſis, & auctoritate Sofar apud ſe retinuit) omiſſa obſidione, in mediterranea loca ſecedit; Regemque Mamudium, & rectores de ſuo conſilio per litteras edocet. Rex & factum probavit; & miſſis circum populos, & dynaſtas edictis, nequicquam expoſtulante Solimano, commeatus in caſtra ſubvehi vetuit: quæ res non parvo Turcis impedimento ad victoriam fuit. Inter hæc operibus, ad ſtatuenda maxime tormenta, inſtabant barbari. Illud etiam incendiariæ machinæ genus ab iiſdem excogitatum. Vaſtæ magnitudinis, ad onera tranſvahenda, navis erat in portu. Huic navi præceſſam ex arida materia pyram, pice, ſulphure, nitro, aliiſque ad fœtorem ſimul ac fumum excitandum rebus, imponunt. Conſilium erat, ardentem ſtruem in marinum propugnaculum æſtu reciprocante demittere, ut vel præſidiariis flamma tetroque vapore ſpiritum includeret; vel certe, dum extinguendis ignibus occupantur, inter eam trepidationem atque caliginem Turcæ, trajecto celeriter euripo, ſcalis in muros evaderent. Verum ad eam molitionem, quo tanti ponderis machina innatare fluctibus, & muris applicari poſſet; nimirum expectanda erant ſumma per plenilunium incrementa maris, quas vulgo nautici aquas vivas appellant. Ea re animadverſa, Luſitani ultro navem incendere, & illud utcunque ſeu exitiale commentum, ſeu inane ludibrium amovere conſtituunt. Ad eam rem Franciſcus ipſe Goveanus eligitur, qui maritimæ rei, & propugnaculo præerat, inſigni conſtantia vir. Is proxima nocte duobus egregie armatis caturibus eo ſenſim accedens, non fefellit excubias. Continuo e ſtationibus denſæ pilæ in prætereuntes emiſſæ. Ac ille nihilo ſecius in incœpto perſiſtit; perque media tela, favente Deo, ad locum ſine damno provectus; in pyram multis ſimul partibus ignes conjicit. Cuſtodes ad viginti conſeſtim in mare deſiliunt: ii e caturibus plerique confoſſi. Ubi materiam flammæ tenacius occuparunt, quam ut opprimi facile poſſent; pari audacia & feli-

Solimanus oppugnationem tentat.

Mamudius rex cõmeatus in caſtra Turcarum ſubvehi vetat.

Turcæ machinã incendiariam in marinum arcis Dientis propugnaculum immittere cogitant.

Eam incendunt Luſitani.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

licitate Goveanus, volitantibus undique globis, retro, unde venerat, cum ſuis incolumis abiit.

CVI. Ea ſpe deluſi Turcæ, haud omiſſa interim arcis Dienſis obſidione, ſe ſe cum magna parte exercitus ad Rumæi caſtelli mœnia quaſſanda convertunt. Inde cum utrinque ſumma vi pugnaretur, & multi quotidie occumberent; in Luſitana muliere (Barbaram nomine appellabant) invictum animi vere Chriſtiani robur enituit. Huic, amiſſo conjuge, duo ſupererant filii, ætate viribuſque florentes, Aloyſius, & Chriſtophorus. Ille ad Rumæpolim, hic in eadem arce Dienſi agitabat excubias. Forte ita evenit, ut Chriſtophoro, cum pro muri corona ſtaret armatus, contorta ab hoſtibus e tranſverſo pila partem ventris una cum inteſtinis abriperet. Extemplo ſemianimis domum relatus, uti erat de æterna ſalute ſollicitus, parentem optimam interrupta compellans voce: *Peto*, ait, *abi te, quæſoque, mater, uti mihi prius ad expianda crimina ſacerdotem, quam ad proſequendum obitum lacrymas, ac ſuſpiria præbeas. Vereor enim, ſi te ingemiſcentem audiero, ne dolor tuus, ac mœror, meam ad ſupremum hoc iter neceſſariam exigui temporis præparationem impediat.* Cui parens, inter adſtantium ſingultus, & complorationem una ſiccis oculis, & placido vultu: *Ego vero quod doleam*, inquit, *fili, habeo nihil, niſi noxæ aut piaculi quippiam tibi ſupereſſe, quod eluas. Nam alioqui probe intelligo, iis, qui iſtud obierint lethi genus, præclaram eſſe mercedem paratam in cælo. Tu modo clementis Dei pacem, ac veniam fidenter implora; teque in hoc tranſitu virum præbe. Id unum in hac orbitate maximo mihi ſolatio fuerit.* Inter haſce adhortationes, labentia moribundi viſcera manu ſuffulciens, ſugientis animæ reliquiaa tandiu fovit, quoad accito in id ſacerdoti peccata cum ſalutari deteſtatione confeſſus, & abſolutus, in ſinu parentis animam efflavit. Vixdum demortui corpus vidua terræ mandaverat; cum de alterius filii nece nuntius affertur. In propugnatione Rumæi caſtelli paulo ante ceciderat. Scilicet nemo fuit, quin, geminato intra paucas horas vulnere, conſectum iri feminam pro certo putaret. At illa, in tam acerbo caſu, tantum abfuit, ut quicquam Chriſtiana ſpe, & gravitate indignum admitteret, ut etiam venientes ad ſe doloris leniendi cauſa notos, ac familiares ultro conſolaretur. Hujus mihi matronæ ſenſus, & in liberos charitas laudabilior haud paulo viſa, quam ejus, quæ ad primum de morte filii nuntium exanimata eſt; aut illius, quæ lætitia conſpecti repente nati, quem mortuum crediderat, expiravit. Ceterum Patiecus Rumæo caſtello præpoſitus, magna parte muri diruta, cum hoſtium multitudini ultra obſiſti non poſſet; ſalvis, præter arma, rebus, atque corporibus, deditionem fecit. Vix ea facta deditione, hoſtes ex omni parte in caſtellum irrumpunt, Sylverianis, qui freto divulſi rem ex arce ipſa cernebant, ad ſpectaculum adeo triſte collacrymantibus. Inter eam irruptionem plane memoranda contigit res. Vexillum erat Chriſti Domini in ſummis mœnibus de more defixum. Id vexillum Turca ſignifer contemptim raptum abjecit, & Mahometanum ejus loco ſubſtitnit. Non longe inde aberat Joannes Petrejus, exacta jam ætate vir; ceterum egregie pius idem, ac ſtrenuus. Is, ubi ſtrata humi divina trophæa conſpexit, generoſo quodam ardore ſuccenſus, eos, qui circa ſe erant, ad illam una ſecum vindicandam contumeliam invitat. Sex ferme ſequuti. Cum iis ad locum intrepidus vadit; evulſiſque pſeudoprophetæ, Chriſtiana reponit inſignia. Id conſpicati extemplo victores accurrunt; Luſitanis interminantur; Mahometana reſtituunt. Nil valuerunt minæ. Turcis vixdum digreſſis, pari conſtantia Petrejus, & ſocii ad locum advolant;

Turcæ Rumæum caſtellum oppugnant.

Luſitanæ mulieris egregia virtus.

Rumæum caſtellum Turcis deditur.

Joannis Petrejus pium factum ac ſtrenuum.

lant; Mahometis afflicta rurſus imagine, Crucem extollunt. Hoc ipſum tertio vel quarto Luſitanorum incredibili perſeverantia factum eſt. Neque certamini modus fuit, quoad exaſperati, & perciti rabie barbari, obtruncatos Chriſtianæ dignitatis aſſertores in mare dejicerent. Hinc mira viſu dictuque res. Militum Chriſti cadavera, divino ſcilicet nutu, ne honore ſepulcri carerent, obliquo euripo, contra vim æſtus rapidiſſimi, ſponte ad ipſam arcis Luſitanæ portam evaſere; haud obſcuro ſane documento, cum tanta ſit corporum divinitus habita ratio in terris, quam glorioſa fuerint eorum animis in cœlo præmia perſoluta. Reliqui dedititii, cum honeſtæ morti antetuliſſent exiguæ lucis uſuram; initio comiter accepti ab Solimano, atque adeo donis culti: ſed iiſdem poſtea in reditu, ab ira male geſtæ rei, capita ad Zebitum præciſa dicuntur.

Oppugnatio Dienſis arcis.

CVII. Capto Rumæo caſtello, in unam Dienſem arcem tota belli moles incubuit: ac ſimul terra marique oppugnatio cœpta. Majoribus primum tormentis per dies aliquot ſine intermiſſione muri quatiebantur; Luſitanis, ubi quid procidiſſet, impigre obmolientibus. Aſpera dein prælia, promoto ab hoſtibus aggere vineiſque, commiſſa: acti utrinque cuniculi: ſæpe eruptionibus, ſæpe in ipſa mœnium ſtrage pugnatum eſt. Verum atrociſſima omnium poſtrema dimicatio fuit. Triplici acie deinceps ad mœnia ſucceſſerant Turcæ: quatuor ipſas horas mira contentione certatum: ac tantus fuit ardor animorum, ut Luſitanus fiſtulator, aſſidua neque irrita jaculatione jam loculis pilarum exhauſtis, dentem excuſſerit ſibimet, raptimque in fiſtulam inditum plumbi loco in hoſtes emiſerit. E Turcis quingenti eo die deſiderati: vulnerati circiter mille. E Luſitanis fortiſſimi viri cecidere quatuordecim; e reliquo numero partim ambuſti, partim graviter vulnerati adeo multi, ut non plus quadraginta idonei ad ſuſtinenda arma ſupereſſent. Jamque ad extrema ventum erat: una cum viribus annona quoque, & tormentarius pulvis, & pleraque inſtrumenta belli deſecerant. Vicit nihilominus pertinacia Luſitanus, quod nulla vi, nullis cladibus, non modo ad arcis deditionem, ſed ne ad pacis quidem mentionem adduci potuit: ipſis quoque feminis pueriſque, ſupra ſexum & ætatem, omni ope adjuvantibus viros; eoſque ad certamen, ac decus, & oppetendam in Chriſtiana cauſa mortem adhortantibus.

Vincit pertinacia Luſitanus.

Nonnius prætor obſeſſis auxilium fert.

CVIII. Inter hæc ab Nonnio, dum ad ſubſidium incluſis ferendum reliquam ornat claſſem, celeriter præmiſſæ liburnicæ ſexdecim, ad Madrafabam acceſſerant noctu, quaternis in ſingulas puppes luminibus ad ſpeciem augendam haud fruſtra ſublatis. Eo quippe terrore Turcæ perculſi, tribus jam millibus ſuorum amiſſis, & ſuper alia damna, arctioris etiam in dies commeatus, & imminentis hyemis pavore perterriti, Soſarem exſecrantes, urbem incendunt; & noctis intempeſtæ ſilentio conſcendunt naves, duobus circiter menſibus in obſidione conſumptis: ac vela dant in Arabiam tanta cum trepidatione, ut ſaucios quingentos, & magnam tormentorum partem fœde reliquerint. Is dies fuit feſtus Sanctorum omnium: quo etiam pulchrior lætiorque Luſitanis, exitii metu præter ſpem liberatis, illuxit. Turcico amoto auxilio, Soſar quoque cum ſuis in loca remotiora diſceſſit. Inſulam dein totam Luſitani ſine certamine recepere. Inclyta per gentes ea fuit victoria; bonamque Aſiæ atque Africæ partem, Europamque pæne totam nova cum nominis Luſitani laude pervaſit. Quippe, non cum incondito ac ſemiermi Ethiope, vel cum fugacibus Indis, ſed cum paratiſſimo & exercitatiſſimo milite, & imperatore, in ſumma propugnatorum inopia fuerat res. Ergo Franciſcus ipſe Rex Galliæ, magnus virtutum æſtimator, captus

Turcæ perterriti diſcedunt.

Anno Christi 1546.	Paulæ III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

ptus admiratione Sylveriæ, pictam ejus imaginem e Luſitania poſtmodum expetiit, præſtantium virorum, ac ducum tabulis inſerendam.

Antonii Sylveriæ laus.

CIX. Dum Luſitani obſidentur, paranti Nonnio quam primum incluſis auxilium ferre præter opinionem ſucceſſor e Luſitania venit Garzias Noronia. Huic ob turcici belli famam naves undecim, armatorum ſeptem millia tribuerat Rex. Præter militares autem copias, Epiſcopo Fernando jam vita functo, virum egregium, qui eo munere fungeretur, ſecum Garzias adduxerat Joannem Albuquercium ex Obſervantium Ordine Caſtellanum, ejuſque comites atque adjutores, Vincentium a Lacu ex eadem familia, Catechiſtam eximium; & Clericum quemdam, nomine Jacobum ex oppido Luſitaniæ Borbâ, notæ facundiæ concionatorem. Horum vero, cum in Epiſcopatu adminiſtrando, tum in excolendis, atque ad Chriſtum allicien-dis hominibus, fructus pietatis, ac induſtriæ conſtitit. Vincentio etiam memorabile quiddam contigiſſe perhibetur. Cum enim Epiſcopi juſſu in Malabarica regione juventutem Chriſtianæ doctrinæ rudimentis imbueret, pueris aliquot, vel tardioribus, vel aliud forſan agentibus colaphos infregit: quæ res apud eas quoque nationes probro vel maximo ducitur. Inde ira parentibus mota: cumque furore perciti, ad eam, ut ipſi rebantur, ignominiam demendam, arreptis armis in Dei famulum irent; quamvis læſa puerilis ætas, tantum abfuit, ut patrum facinus adjuvarent, ut etiam facta manu lapidibus eos arcere non dubitaverint. Cujus rei miraculo ſtupentes barbari, gradum illico retulere, & ſuam quiſque domum re infecta dilapſi ſunt.

Garzias Noronia Nonnio ſucceſſor in Indica præ-tura deſignatus.

Joannes Albu-quercius ex Ob-ſervantium fami-lia Epiſcopus, cũ Garzia in Indiam proficiſcitur.

Item ex eadem familia Vincen-tius a Lacu.

Vincentio me-morabile quid-dam contigit.

CX. Noronia, ut primum iniit magiſtratum, ad componendas maxime res Dienſes, injuria belli profligatas, ac perditas adjecit animum. Id quia nonniſi pacatis Guzaratibus fieri poterat; tentatis ante procerum voluntati-bus, legatos de pace ad Mamudium miſit. Ægre impetrata: nam etſi re-ctores jam tum propenſi ad quietem, & otium erant; duæ tamen faces Re-gem adoleſcentem aſſidue ad ulciſcendam avunculi cædem omni arte incen-debant, Badurii mater, & Sofar: quanquam is quidem occulte ac diſſimulanter, ut ſpatium ad reparandas interim vires ab Luſitanis haberet. Pax in has maxime convenit leges: uti portum arcemque Luſitanus; reliquam inſu-lam & oppidum Cambæus haberet, dimidiumque portorii caperet. Eidem quandocumque libuiſſet, murum e regione arcis liceret ducere; verum-tamen remoto ab arce, & nequaquam ſuſpecto præſidiariis loco. Ii fines communi conſenſu præſcripti. Jacobus Lupius Soſa, loco Sylveriæ, cum nongentis militibus arci præpoſitus: & otium, quod ita utrique parti expe-diret, in multos annos fore videbatur. Ceterum inquietus adoleſcens, aviæ præſertim ſtimulis agitatus, ad recuperandum ab Luſitanis Bazainum, vicinaſque inſuper inſulas, quod nihil in novo fœdere cautum de iis diceret, præfectos cum modico exercitu miſit. Cum iis ab Rhoderico Laurentio Ta-vora, qui Bazaino præerat, minutis aliquot præliis, proſpero fere ſemper eventu pugnatum eſt. Guzarates ad extremum ſeſſi bellicis incommodis, ultro pacem ab Laurentio petiere. Neque ea conceſſa: per vim omnes haud ſine magna cæde ex iis locis exacti.

Garzia legatos de pace ad Ma-mudium mittit.

Pacis leges.

Mamudius ictum cũ Luſitanis fœ-dus negligit, & Bazainum recu-perare aggredi-tur.

Luſitani fere ſe-per victores.

CXI. Ex eo tempore tranquilla Luſitano aliquot annos res fuit Indica, finitimis Tyrannis dynaſtiſque partim vi, ac metu ſubactis; partim etiam æquo fœdere in amicitiam ac ſocietatem adſcitis: cum repente periculoſum, & grave bellum, unde minime putabatur, exortum eſt. Ejus belli concita-tor, ac princeps fuit Sofar, qui poſt fœdum ab urbe Dio Solimani diſceſ-ſum, pacemque redditam Luſitanis, numquam animum remiſerat a colli-gendis per otium viribus, quibus, ubi maturum eſſet, ad eorum perniciem utere-

uteretur. Sex amplius annorum ſpatium liberum in omnes apparatus habuerat: quo tempore ita ſeſe in Mamudii adulta jam ætate Regis gratiam inſinuarat, ut omnium arcanorum non particeps eſſet modo; ſed pæne moderator, & arbiter: ac ſimul animum adoleſcentis, & ſuo ipſum dolore, & muliebribus jam ſat incenſum facibus, ad ulciſcendos avunculi Badurii manes, delendumque ex India Luſitanum omne nomen, miris artibus incitarat. In eam rem, præter veteres copias, novos quotidie variis e nationibus milites, ducesque belli peritos, ingentibus præmiis evocabat Rex: iis in diſciplinam tyrones, & collectitii tradebantur. Fabrum, artificum, ac munitorum multitudo quam maxima cogebatur: ac præter ceteros, architecti etiam & machinatores egregii quinque a Byzantio urbe conducti, menſtruo in ſingulos trecentorum aureorum pacto ſtipendio: armorum, ac tormentorum omnis generis officinæ locis idoneis peramplæ inſtitutæ: ſollicitati occultis legationibus Indi Reges, ac Principes *ad puniendas injurias, & recuperandam mariti poſſeſſionem, quam latrones pauculi, ſpecie mercaturæ ſubreptam, aliena magis ignavia, quam ſua virtute obtinerent. Sibi eſſe certum, ac fixum, primo quoque tempore Dienſem arcem invadere. Si una cuncti conſurgant, libertatemque, ac dignitatem, qua nihil prius deberi eſſe, tandem aliquando reſpiciant; tam exiguam profecto manum, tot ſparſam præſidiis, ab ope domeſtica toto pene terrarum orbe diſcluſam, mutui demum inter ipſos auxilii communione ſublata, nullo negotio prorſus obrui, & extingui poſſe.* Cum ejuſmodi fere mandatis dimiſſi quoquoverſum legati. Et omnia hæc interim, clandeſtinis agitata conſiliis, alto ſilentio tegebantur. Univerſæ comparationi, tantiſque delectibus, probabili ſane commento prætendebatur imminens in ſingulos dies a Patanio Rege bellum, quicum propter vicinitatem quotidianæ diſcordiarum cauſæ non deerant.

Mamudius bellum coquit adverſus Luſitanos.

Cereos inde reges occulte ſollicitat.

Commenti Mamudii ad tegenda ſua conſilia.

CXII. Sofar, ſimulandi æque, ac diſſimulandi magiſter, tum vel maxime cum Luſitanis honore verborum, officiis, humanitate certare. Neque vero callidi veteratoris fucum aſtutiamque inſcite Mamudius imitari: quippe tum ſuopte ingenio tectus, ac perfidus; tum domeſticis diſciplinis ad omnes dolos, atque fallacias eruditus: adeoque ſe per id ipſum tempus in Luſitanos bene animatum oſtendere; ut noxios etiam perfugaſque, ſi qui ex eorum ditione in ſuos tranſiſſent fines, magna cum benevolentiæ ſignificatione iiſdem ad ſupplicium redderet. Porro artificium hoc dupliciter proderat Cambajanis: quod cum ſuas ipſi cogitationes vario obtentu celarent; tum Luſitanos (ut eſt omnis incauta ſecuritas) ad cuncta, quæ noſſe cuperent de viribus ipſorum opibusque, de numero militum, ac navium, deque omni ſtatu provinciæ, palam & ſine ambagibus promenda perlicerent. Erant autem, ſive ſuperiorum temporum vitio, ſive inani fiducia diuturnæ pacis, tum ejuſmodi res, quæ vel quietum hoſtem, & otii cupidum, pæne explorata victoriæ ſpe, irritare facile poſſent. Diſciplinæ bellicæ ſtudium ad mercimonia quæſtuſque converſum: regius fiſcus vario ſumptu, & fraude multorum exhauſtus: claſſis in navalibus interna vermium labe, ac ſitu corrupta: nautæ remigeſque neglectis cuſtodiis infrequentes: milites e ſtativis atque præſidiis, cauſati ſibi ſtipendia non pernumerari, plerique diffugerant, atque arma flagitioſe vendiderant. In ipſa Dienſi arce, quæ maxime omnium erat, propter loci naturam, ſubitis, ac variis belli caſibus opportuna, e deſenſoribus nongentis, quos ibi Garzias pace conſtituta reliquerat, ad ducentos circiter, & quinquaginta redierat ſumma: atque hos ipſos Joannes Maſcarenias præfectus, privata magis munificentia, & comitate, quam auctoritate imperii, vel ſacramenti religione retinebat.

Sofar Mamudio familiaris ſimulandi artifex mittus.

Luſitanorum vires debilitatæ.

Joannes Maſcarenias Dienſis arcis præfectus.

Ibi-

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

Ibidem adſervabatur pulveris tormentarii, ſi acrior inſtaret neceſſitas, quod vix unum in menſem eſſet ſatis: ac ne frumenti quidem, vel oryzæ, & reliqui commeatus ex ante convecto atque ſepoſito copia ſuppetebat. Hæc Sofar in primis, & alia id genus ab Luſitanis, qui in Cambaja negotiabantur, ſeparatim, ac ſæpius pro familiari conſuetudine percontando, probe cognorat. Inde Regum exterorum, præſertim qui mare accolunt, pertentari animos denuo placuit: miſſi rurſus legati: iis auditis, Reges alii pecunia, & milite juvere Mamudium: alii, quominus eandem coirent ſocietatem, inteſtino, ac propius urente bello diſtenti ſunt: apud quoſdam etiam, rei eventum expectantes, compoſita nuper cum Luſitano pax, & amicitia valuit.

CXIII. At Cambajanus, poſtquam ſat ſibi copiarum viriumque paratum ad omnes conatus animadvertit; gerendi belli hanc maxime rationem inſtituit. Sofarem, ingentibus inflatum promiſſis, ſummæ rerum ampla cum poteſtate præfecit. Rumecani Sofaris filio rei tormentariæ procurationem attribuit: hyems ad obſidionem arcis delecta, cujus initium in iis regionibus eſt a Kalendis Aprilis: ut ipſum anni tempus, præcluſa navigatione, Luſitanos maritimis, quæ una ſupererant, auxiliis prohiberet. Rebus ita conſtitutis, ad earum ſuſpicionem, quoad fieri poſſet, avertendam, rumorem inſuper e compoſito diſſipant; urbem Dium Sofari pro amicitia donatam ab Rege, in eamque poſſeſſionem brevi Sofarem eſſe venturum; nec ſine magno comitatu, revocandæ veteris frequentiæ cauſa: quæ res eo propius ad veri ſimilitudinem accedebat, quod & plenus certaminum, & controverſiarum eſſet is dominatus, ut non multum ex ea largitione Rex damni facere videretur; & huic eidem Sofari oppida nobilia duo, Surratum, & Reinelum paulo ante conceſſerat. Ea fama vulgata, Sofar Surrato, ubi tum agebat, litteras ad Maſcareniam dat: in quibus erat ſcriptum. *Ad cetera loca, quæ Mamudii Regis benignitate obtineret, noviſſime Dium urbem acceſſiſſe: id munus eo ſibi accidiſſe jucundius, quo majorem inde facultatem ſit habiturus, optata Maſcareniæ tanti viri conſuetudine perfruendi: ſimul ſibi eſſe in animo, urbem ſuperioribus belli cladibus magna ex parte dirutam, & everſam inſtaurare, & in priſtinam, ſi fieri poſſit, celebritatem reducere; tumultus ac rapinas arcere; advenis, ac mercatoribus, quo libentius affluant, pacem, annonam, fidem omni ratione præſtare: neque id ſuæ tantum, ſed etiam ipſius Regis Luſitaniæ cauſa: hæc quoniam in tanta hominum perfidia, tamque ſeditioſis incolarum ingeniis fieri ſine magno apparatu copiiſque non poſſint; petere ſe, & orare, ſi armatus, & cinctus amicorum frequentia Dium advenerit; nequid ideireo adverſus Luſitanam rem, aut amplitudinem ab ſe, vel a Mamudio cogitatum interpretetur: id adeo reapſe daturum operam, uti æqui pariter, & iniqui omnes intelligant. Si fallat; diras omnes in ſe, caputque ſuum, fortunas, ac liberos, imprecatur.* Hæc per ſummam impudentiam a Sofare in præſens tempus de more conficta. Maſcarenias haud ita pridem in ejus arcis præfecturam ſucceſſerat Emmanueli Soſæ (alteri ab eo, qui a Badurianis eſt cæſus) cognomento Sepulvedæ: atque is initio præfecturæ, cum in Cambajæ finibus multa miſceri, ac parari contra Patanium Regem audiſſet; haud ſane commotus eſt: quippe nec ſine cauſa Mamudio, rebus jam a Mogore acciſis, æmuli atque opulenti Regis inſidias omni conatu præcavendas putabat; & quo minus temere Luſitanum, conſtituta jam pace, Cambæi laceſſerent, vel ſibi obnoxium ducerent, ſat magna ipſorum mercede recentibus eventis edoctos arbitrabatur. Hæc ferme principio Maſcareniam ſollicitudine liberabant.

Sofar a Mamudio adminiſtrando bello præficitur.

Sofaris litteræ ad Maſcareniam adulatione blanditiſque cóſperſæ.

rabant. Aſt ubi tempore procedente Patanius nihil movebat; ac nihilominus Cambaja erat in armis, & militari concurſatione, machinarum opificio, carriſque, ac jumentis omnia perſtrepebant; enimvero tum ſuſpicari Maſcarenias cœpit ſubeſſe fraudem, atque ad Luſitanæ arcis excidium ea cuncta ſpectare. Suſpicionem auxere commeatus atque tormenta, in pagos Dio propinquos paulatim ſubvehi cœpta. Poſtremo dubitationem eximere omnem Sofaris ipſius litteræ, tanta præſertim adulatione blanditiiſque conſperſæ; necnon magna calonum lixarumque turba, cum plauſtris, & impedimentis in urbem ingreſſa, itemque ſub ſignis cohortes armatorum aliquot ſubſequutæ. Annus tum numerabatur ſupra ſeſquimilleſimum XLVI. & exacto jam autumno Martius menſis erat in exitu.

Maſcarenias fraudem ſuſpicatus arcem firmat.

CXIV. Maſcarenias quamquam atroci, ac ſubita perculſus re, tamen extemplo collegit animum; ſeque in omnes firmandæ arcis, & ſervandi præſidii partes intendit. Prima fuit propitiandi præpotentis Dei cura: cœleſtem opem & ſupplex imploravit ipſe; & aliorum precibus juſſit expoſci. Tum per expedita navigia Caſtrium Indiæ Prætorem, itemque Bazaini, & Ciauli præfectos, Hieronymum Meneſium, & Antonium Soſam, de hoſtium apparatu, & conatibus edocet: ni ſuppetiæ quamprimum ferantur, ultimum haud dubie ſibi ſuiſque imminere diſcrimen. In eadem loca mox navibus inſtitorum amandat imbellem turbam, exceptis aliquot uſus quotidiani mancipiis, & paucis inſuper matronis; quæ ſexus oblitæ, ne deſererent viros, ſocietatem periculi, & diuturnæ obſidionis incommoda minime recuſabant. Luſitanos præterea negotiatores, quibus erat arctior cum Dienſibus amicitia, hortatur tum publicæ ſalutis, tum privati compendii cauſa, uti coemptam frumenti, & oryzæ vim, carnes, piſceſque ſale duratos, & alia id genus alimenta militibus deinde vendenda, celeriter in arcis apothecas Importent. Id, uti potuit in tanta temporis anguſtia, & Dienſium iniquitate, ſedulo factum: ſimul tecta, & tabernæ in veſtibulo arcis everſæ: tigna, tabulæ, ferramenta, mali navium introlati. Inter hæc Maſcarenias pari diſſimulatione, & iiſdem, quibus peti ſe videt, artibus ad Sofaris epiſtolam ita reſcribit: *Quod Sofar, præter cetera in eum a Mamudio collata ornamenta, honoreſque, nuper etiam Dienſi toparchia decoratus auctuſque ſit; neque mirari ſe, qui præclara ejus in Regem, regnumque Cambajæ merita dudum norit; & magnam cepiſſe animo voluptatem non ipſius modo Sofaris, verum etiam reipublicæ cauſa; quod bonorum omnium interſit, fortibus, & induſtriis viris laborum præmia pro dignitate perſolvi. Quod ad ipſius adventum in urbem attineat, nequaquam ſe illi concedere, uti majorem fructum e mutuo conſpectu, & familiari conſuetudine percepturus ſit. De copiarum numero, quas ad urbem variis de cauſis cogatur adducere; neque pudoris, neque arbitrii ſui eſſe definire quicquam: tantum admonere pro amicitia, videat etiam atque etiam, ne quid in tanta hominum colluvie, & Luſitani præſidii vicinitate turbetur.* Hiſce litteris acceptis, magnopere lætari Sofar, tam belle tecta ſua conſilia; tam læta initia dare ſeſe. Neque diutius morandum ratus; inſtante jam hyeme, Dium alias identidem aliaſque ſubmittit manus: interdiu milites, ac lixæ cum ſarcinis, noctu majora tormenta cum reliquo inſtrumento oppugnationis intrabant.

Pari diſſimulatione reſcribit ad Sofaris epiſtolam.

CXV. Poſtremo Sofar ipſe ad XIV. Kalendas Majas cum Rumecane filio urbem invehitur: millia quinque Turcarum ducebat: ii erant exercitus nervi: ſequebatur longe major e variis gentibus multitudo. Novus dominus, vetus inquilinus, ingenti gratulatione, & plauſu civitatis exceptus, divertit in regiam: inde per cauſam Maſcareniæ ſalutandi ſpeculatores in

Sofar Dium ingreditur.

arcem

arcem mittit: a Maſcarenia viciſſim ad eum honoris, & officii cauſa deſtinatur Simon Pheus limenarcha, notæ prudentiæ vir. Hunc Sofar advenientem primo comiter accipit: mox, variis de rebus inſtituto ſermone, *deliberatum eſſe*, ait, *ſibi, ad rixas vitandas, muro urbem ab arce dividere; volde optare ſe, ne Luſitani, ut olim, adeo ſalutare impediant opus.* Dein eorumdem injuriam inſtituit queri, *quod pene precario in eas regiones admiſſi, totum ſibi vindicent mare; & cum alios populos, ac dynaſtas, tum vero ipſum quoque Cambajæ Regem injuſſu navigare prohibeant. Sat jam peregrinos, & advenas veteribus incolis inſultaſſe: tantam indignitatem ferri non poſſe diutius: hæc Pheum renuntiare ſuis, ac ſimul reputare jubet quemque apud ſe, quam pauci, quam procul ab domo, quam a rebus omnibus imparati, quam incommodo anni tempore, tot tamque infenſis nationibus ad prædam objecti ſint: ad ea ſi prudenter animum adverterint; profecto fore, uti, vel cum jactura, paci atque otio conſulant, nedum in tanta rerum iniquitate deprehenſi, validiorum opes, atque arma ultro laceſſant.* Ejuſdem ad Luſitanos mandata.

CXVI. Cum hiſce mandatis Pheus in arcem regreditur. Maſcarenias ad conſilium refert: ac tametſi liquido cunctis apparuit, a Sofare non certamen juris quæri, ſed vim; tamen, ne furendi materiam hoſti armato præbuiſſe viderentur; de ceteris rebus placuit reſponderi, *nihil ipſorum juris, aut poteſtatis eſſe; haud longe diſtare Prætorem Indiæ Caſtrium: ſi ad eum legati mittantur, ſperare pro ejus juſtitia, quod fas æquumque ſit, facile impetraturos. Quod vero ad murum attineat extruendum, in Garziano fœdere diſertis verbis cautum eſſe de limite: ſi intra id ſpatium ædificare Sofar animum induceat; ſe non modo non prohibituros, verum etiam adjuturos manu. Sin terminos tranſilire, &, quod Ninarans ante fruſtra tentarit, arci obmoliri, atque officere cogitet; daturos operam, uti denuo Cambaja, atque India omnis intelligat, Luſitanos nullo terrore, nullis difficultatibus, vel de jure finium, vel de gradu conſtantiæ demoveri.* Hæc Pheus idem referre juſſus in regiam, & una exemplum fœderis, teſtato deſcriptum. Ad ea denuntiata nimirum Chriſti deſertor excanduit: traditumque ſibi a Pheo libellum, incenſus ira, diſcerpſit. Id Sofari & committendi belli principium; & finis alienæ gerendæ perſonæ fuit. Confeſtim injectæ legato catenæ: & ambulantes in proximo Luſitani alii duo repente comprehenſi, & in cuſtodiam traditi. Nimbus telorum in arcem ſubito procurſu conjectus. Per hunc modum hoſtili ſcelere patefacto, Maſcarenias, quo propius cernit periculum, eo in ſpeciem erectior celſiorque; ſuos omni ratione confirmat: hortatur *ne improviſo malo illi contrahant animos: proprium eſſe Luſitani generis, & ſanguinis, demonſtrare quidnam divino fulta præſidio, neque tamen idcirco in ſocordiam reſoluta, paucitas poſſit. Ejus rei multa eaque illuſtria variis orbis terræ partibus edita documenta. Sed ne longe abeant, nuper hanc ipſam arcem, Antonio Sylveria præfecto, majoribus etiam copiis terra marique oppugnatam obſeſſamque. Luſitanos perexiguo numero ad ultimum inopiæ redactos, multo maxima parte ſuorum amiſſa; tamen fletiſſe cæleſti ſubnixos ope; & quæ pati in iis anguſtiis poſſit humanum corpus, omnia pertuliſſe, quoad fracti metu adventantis ab Goa ſubſidii Turcæ pariter, & Guzarates, atque adeo Sofar idem ille, relictis per ſummam trepidationem impedimentis, abſceſſerint. Inde prædicatione omnium, & fama nomini Luſitano ingens additum decus: haud diſparis exitus, in ſimili cauſa, nunc quoque præcipiendum animis gaudium: nam & adverſus ruptores fœderum, contemptores divini, atque humani juris, teterrima dæmonum mancipia, pro inſontibus & circumventis, &, quod caput* Maſcarenias reſponſum. Sofar aperte bellum gerere inſtituit. Maſcarenias ſuos confirmat.

eſt, rectæ fidei defenſoribus, haud dubie ſuperos bellum eſſe geſturos: & accita jam ab Goa, Bazaino, Ciaulo, & aliis oppidis fideliſſima ſuorum auxilia propediem affutura. Neque vera, quod ad timorem vel maxime proponatur, extineſcendam eſſe hyemem. Luſitanæ pietati, virtuti, navigandi ſcientiæ non regionum intervalla, non ventos, non tempeſtates, quominus ultima experiantur, obſtare. Tantum interea ſe ipſi viros præbeant; omni conatu enitantur ad laudem; neu committant, uti vel Chriſtiana fiducia, vel duritie militari, Sylverianis, aut aliis inferiores ulla ex parte faiſſe videantur.

Stationes vigiliaſque in arce diſponit.

CXVII. Ejuſmodi vocibus publice privatimque obfirmato ad omnem patientiam milite, Maſcarenias, pro tenuitate præſidii, ſtationes, vigiliaſque diſponit. Septem inſtauratæ paulo ante arcis erant propugnacula: in iis totidem duces cum vicenis fere militibus collocat. Marinum caſtellum Fernando Carvallio committit. Huic defenſores triginta attributi. Cambaicam oram Jacobus Lacteus duobus caturibus tueri juſſus, & hoſtem, quoad liceret, maritimis commeatibus intercludere. Reliquam manum ſibi Maſcarenias ad ſubita belli reſervat. Duces ad ſua quiſque digreſſi loca, ſe ſe alacriter ad opus accingere: centonibus, ac molli tomento protegere muros: aggerere ceſpitem: ſarta glebis dolia inter pinnas locare: arma, contos, machinas, & quicquid ad repellendum hoſtem opus eſt, pro copia præſenti raptim expedire: ad nominis Chriſtiani gloriam retinendam; ſubeunda pericula; ſamem, ſitim, vigiliaſque, & ultima perferenda; mutuis adhortationibus incitari. Inter hæc Sofar, omnibus jam rebus in proximo comparatis, qua parte ex oppido eſt aditus, aggerem, vineaſque agere inſtituit. Apertam quippe oppugnationem, & repentinum ad mœnia ſucceſſum impediebat, præter defenſorum virtutem, ipſa quoque altitudo, & latitudo foſſæ; quam poſt Sylveriæ diſceſſum Emmanuel Soſa duplo, quam antea, capaciorem effecerat. Soſaris autem muniendi ratio fuit ejuſmodi. Ab utroque inſulæ margine vallum arci ad teli jactum objecit. In eo vallo turres locis editioribus excitantur e ſoluto lapide, frontibus duntaxat ad lineam exæquatis. Ab tergo bajuli, atque operarii terram adaggerant. In ſummo, prætentis goſſipii ſarcinis, muralia tormenta; in medio, atque imo, relictis ex arte feneſtellis, minores fiſtulæ collocantur. Hæc omnia paucis diebus admirabili celeritate perfecta: noctu ſere muniebant, quo minus ad certos Luſitanorum ictus paterent. Interdiu, ſicut ab opere ceſſabatur; ita ab arce diverberanda, & fatigando præſidio nulla dabatur quies. A vallo dein multiplex murus cœptus duci, flexuoſis Indico more mæandris; quo & oppidani tutius ad arcem ſubirent, aggeremque protruderent; & præſidiarii, ſi forte erupiſſent, non modo ad tranſverſas ex occulto jaculationes præberent corpora; ſed etiam ignotis anfractibus, & errore viarum impliciti tenerentur.

Cambaicam oram navigiis tuendâ curat.

Duces ac milites ad repellendum ab arce hoſtem ſe parant.

Soſaris apparatus ad arcis oppugnationem.

Sofar marinum caſtellum adoriri,

CXVIII. Dum hæc fiunt, Sofar optimum ſtatuit, ex alia parte marinum adoriri caſtellum: ut eo capto & portum haberet in poteſtate, & arcem ab latere tormentis impeteret. Ejus rei cauſa ingentem onerariam in receſſu intimo procul ab hoſtium telis, ad caſtelli faſtigium adæquandum, pluribus tabulatis attolli jubet; multoque bitumine ac pice diligenter oblini: quam deinde, ad caſtellum admotam æſtu ſecundo, ſuccendant; concepto igne, in ſcaphas deſiliant armati; auctoque tumultu inter ſumum, & clamorem, ſcalis aſcenſum in muros obtineant. Hæc res priore bello fruſtra tentata, eundem rurſus habuit exitum: quippe tabulata paulatim in ſublime creſcentia conſpicati e turribus Luſitani, rem ad Maſcareniam de-

Et machinam incendiariam prope admovere cõſtituit.

Sed irrito conatu.

ſe-

ſerunt. Extemplo negotium datur Jacobo Lacteo, qui captiva jam aliquot navigia ad arcem traxerat, uti quamprimum occupet parato ad incendium pegmati nec opinatos ignes inferre. Noctu profectus cum fiſtulatoribus haud plus viginti, quamquam tectis ſub manus vola funiculis, leniſſimoque remorum pulſu, non latuit Soſarem ipſum, ea forte hora circumeuntem excubias. Ille confeſtim ad arma littuſque dat ſignum: tollitur clamor: ex omni parte concurritur. Lacteus ad ſimilem caſum præparatis jam ante ſuorum animis, rectum curſum, rectamque proram in periculum tenet: nec minus feliciter, quam antea Goveanus, circumfrementibus ferreis globis, atque ſagittis, ad onerariam penetrat, ut in nullo tali metu, minime cuſtoditam. Confecta jam videbatur eſſe res, cum in ipſo (ut fit interdum) articulo ingens præter omnem expectationem difficultas oboritur. Hoſtilis pyra, quam vel e longinquo concepturam ignes crediderant Luſitani, adverſum conjectas e proximo tædas ardenteſque ollas, repente contumax, & invicta perſtare: iteratis undique jaculis nihilo magis lædi: jaculantium oculos animoſque ipſa rei novitate confundere. Tum Luſitani, ancipiti urgente malo, quod & in mora exitium, & in irrito incœpto deformitas foret; conſilium a cupiditate gloriæ mutuantur audax, ac pene temerarium: inciſis momento anchoralibus, navem ipſam remulco ad caſtellum uſque per media tela perducunt: ibi demum facibus per otium ingeſtis, in hoſtium conſpectu, relucentibus late flammis abſumpta. Id eventum, ſicuti eximiam in ſuos Dei benignitatem, & priſtina miracula retulit, nullo, ne tum quidem, e Luſitanis in itu, redituque inter tantam miſſilium procellam deſiderato, uno tantum leviter faucio; ita Soſarem, primo indignantem, dein ſtupore defixum, ab conſilio maritimæ oppugnationis avertit.

Eam ad arcis mœnia remulco perductam pertinacium incendunt Luſitani.

CXIX. Eo acrius ab terra munitiones urgeri cœptæ: & abundabat multitudo; ut ſi quid tormentis ab Luſitano dirutum eſſet, Mamudiani extemplo reficerent; & mortuorum loco (plurimi autem quamquam per tenebras fixi cadebant) fuſtuario coactos alios, alioſque ſubmitterent. Incluſis contra, neque ad erumpendum copiæ, neque ad perpetuos, & temerarios ictus jacula ſuppetebant. Per hunc modum, vertente menſe, ad arcis pene foſſam agger vineæque perductæ. Huic rurſus aggeri lapideum præſtruunt murum, tredecim pedum latitudine: & in eo nova caſtella, crebraſque ſtationes, & varia tormenta conſtituunt. Hanc ferme circumvallandæ, quacumque licuit, arcis formam ſequutus eſt Soſar. Interea Caſtrio Prætori, ad claſſem, ut dictum eſt, reparandam ſat per ſe incitato, acres addiderant ſtimulos Maſcareniæ nuntii, ac litteræ. Confeſtim e duobus filiis Fernandum natu minorem, egregiæ indolis adoleſcentem, cum navigiis compluribus, & vario commeatu, cadiſque ſulphurei pulveris, & nobilium manu, Dium quam celerrime jubet præcedere. Hoſce, dubio profectos cœlo, atrox in medio curſu tempeſtas adorta disjecit: pars Bazainum, & vicina littora petiere: Fernandus cum octo caturibus inſtando, & remigando pervicit, uti Dienſem teneret arcem; invitiſque, & inſpectantibus Mamudianis, militem, & commeatus, & omne bellicum inſtrumentum exponeret. Ingenti Luſitanorum gaudio id ſubſidium acceptum: ac minime dubia ſpes victoriæ conſequuta. Initur bellatorum numerus: ad quadringentos, & quinquaginta pervenit. Suppletæ dein auctæque cuſtodiæ, & Fernando infirmiſſimum omnium propugnaculum divi Joannis (ſuum cuique propugnaculo ferme ab cœleſtibus Patronis indiderant nomen) cum ſortiſſimis juvenibus eſt datum. Per eoſdem fere dies Mamudius, ad viſenda opera militeſque animandos, cum novo exercitu Dium advenit. Id ſuſpicatus e con-

Soſar ab terra munitiones ad arcem urget.

Nuntii Maſcareniæ petentes auxilium a Caſtrio prætore.

Luſitani in arce obſeſſi miſſû ab Caſtrio ſubſidio ingenti gaudio accipiunt.

Mamudius cum novo exercitu Dium advenit.

concurſatione plauſuque Maſcarenias, Fernandum Carvallium e marino caſtello rem per exploratores jubet cognoſcere. Tranſmiſſi multa jam nocte nandi periti, & ſpectatæ fortitudinis viri ſex, ad vicinam hoſtium ſtationem adrepunt, & e cuſtodibus uni manus injiciunt; ad cujus vociferationem concurſu facto, Luſitani duo treſve inter tumultum occiſi: reliqui tenaciter apprehenſum vigilem, prævalentes ipſi viribus, ad ſuos illico tranſtulere. Ex eo de Regis adventu cognitum eſt, itemque de conſiliis hoſtium nonnulla comperta: quibus rebus adeo non exterriti ſunt Luſitani, ut etiam per tenebras, crebro igne, bombiſque, & tubarum cantu ſigna effuſæ cujuſdam gratulationis ediderint. Inde cum admiratio cepiſſet hoſtes, auſi e proximis vigiliis percontari quidam, e diuturno commercio haud ignari linguæ Luſitanæ, *quænam eſſet cauſa tantæ, ac tam repentinæ lætitiæ*. Reſponſum ex arce eſt: *efferri gaudio Luſitanos, quod Mamudium ipſum in caſtris verſari didicerint: quippe hactenus cum fugitivis, & defertoribus, miſtis ex omni colluvione, turpiter dimicatum: deinceps cum Rege regnique proceribus multo honeſtius fore certamen*. Eo reſponſo irritati vigiles invicem probra Luſitanis ingerere, ſervitium Soſaris, æternas compedes, acerba ſupplicia minitari. Verborum jaculationem ferrea utrinque ſequuta miſſilia. Per continuos dein dies, inſpectante, atque adhortante Mamudio, arcis mœnia quatiebantur. Sub teſtudine baſiliſcos (noxiorum plerunque nominibus animantium hodie balliſtas appellare mos eſt) & alia id genus tormenta Mamudiani promoverant: iis Thomæum, & Jacobæum propugnacula, & quantum inter utrumque erat muri, cum ruinæ minis, ac terribili fragore feriebant. Minora vero tormenta in ipſas potiſſimum feneſtellas, ac pinnas obverterant ita ſcienter, ut ſine præſenti exitio ſe vix quiſquam propugnatorum oſtenderet. Inter ceteros nobili viro Jacobo Gnajæ in hoſtem collineanti globulus in ſomitem fiſtulæ illatus, fracto impetu, oculum ipſum, quo collineabat, excuſſit. Pulvis autem eo erat artificio, ac ſubtilitate perfectus, ut e flammis emicantes ovales pilæ dolia ceſpite plena transfigerent. Mortarium etiam idoneo ſtatuerant loco (& peritiſſimus aderat librandi magiſter) inde immani ambitu globi triginta paucis diebus in arcem immiſſi, majore tamen incluſorum trepidatione, quam damno: quod tum e genere ſonitus, tum e magnitudine impendentis e ſublimi peſtis ac ponderis, plerique ſpatium ad præcavendum haberent. Tecta ferme perforabantur, & diſſilientibus lapidum fragmentis nihil erat in proximo tutum. Magiſter dein fortuito ex arce telo perimitur: ſucceſſit huic artifex, nequaquam uſu, vel ſcientia par: hujus culpa recidentibus in caſtra globis, tres e Mamudianis obtriti: neque ultra exerceri machinam placuit: ita is terror amotus.

Fit pugna.

Arcis mœnia tormentorum globis quatiuntur.

CXX. Ceterum ex aliis partibus haud intermiſſa verberatione, aliquantum prociderat muri, & propugnaculum divi Thomæ, ſolutis compagibus, metuendo hiatu diſceſſerat. Adverſus id malum interior murus latitudine pedum viginti nature perductus: diruta prius ædificia materiam, & ſaxa variæ magnitudinis præbuere. A præfecto ipſo cum nobiliſſimis primum admotæ operi manus: horum induſtriam ceteri deinceps acriter ſubſequuti: magnoque certamine continuata ſtructura, intra ſeptimum diem murus abſolvitur. Sub hæc Mamudius longiorem, quam putarat, obſidionem, & ſine ulla pacis mentione obſtinatos cernens Luſitanos, e ſuo comitatu Tuſarcanem ducem impigrum, & bellicæ compotem laudis, cum Abaſſina legione in caſtris reliquit. Ipſe procerum hortatu Madabam undecimo, quam venerat, die regreditur: verbo, ad expediendos commeatus novumque ſubſidium: re vera, præter moræ tædium, metu quoque perfuſus, quod e co-

Mamudius diſcedit, Abaſſina legione in caſtris relicta.

e cognatorum numero quidam hoſtili glande trajectus, ad ipſius pedes exanimis corruiſſet. At Sofar incenſus dolore, & rabie, quod nullam admodum inſignem operam præſenti navaſſet Regi, præcelſam aliam ſtruem e ſaxo terraque, interſtratis ad firmitatem ramis ac frondibus (unde Ramoſa appellata eſt) erigebat; ut libero in arcem proſpectu Luſitani præſidii diſcurſum ad bellica miniſteria, deſtinatis e ſuperiore loco ictibus, impediret. Adverſus eam perniciem Maſcarenias opportunitatem captans jaculandi, tormenta identidem alio atque alio transferebat: turrim dein e regione creſcentis machinæ raptim excitavit. In eo præſidio poſitus Antonius Paſſanius cum fiſtulatoribus quadraginta; quot ipſe quamquam arctis in rebus privato ſumptu propter divitias ac ſplendorem alebat: ii ſumma contentione opus impedire juſſi: id quo commodius facerent, nocturnis horis (quo maxime tempore muniebat hoſtis) ferrea candelabra permagna, crebræque faces ad idonea loca diſpoſitæ; quæ fuſo longe lateque lumine cum ſitum caſtrorum, genus operum, multitudinem hominum veluti diurna luce nudarent; magnus videlicet, vilium præſertim operarum interitus conſequutus. Sed ea erat agreſtis turbæ copia, is ab tergo inſtantium atque urgentium præfectorum terror, ut plagis coacti miſeri ſe ſe volitantibus palam telis objicerent; ac peremptorum loca novi ſubinde recenteſque ſupplerent. Ita, nequicquam conantibus prohibere Luſitanis, ad ſummum perducta moles, & omni bellico apparatu confeſtim inſtructa. Inde cum arcis interiora in dies magis infeſta fierent, Maſcarenias ante ſacram ædem edito loco tumulum extollit: collatiſque eo tormentis, & ingenti præcipue baſiliſco, Ramoſam ita quatefecit, ut magna cum ſuperſtantium clade proſterneret: neque ſtratam rurſum exaggerare auſi Mamudiani. Conatus dein omnis ad foſſas opplendas, & opera mœnibus ipſis injungenda convertitur. Jam ad marginem uſque perduxerant vineas: acceſſere validis ex aſſeribus muſculi, quam duriſſimo corio tecti, ſub quibus operæ ſine periculo commearent. Ex iis muſculis tabulæ declives ita prominebant, uti per eas devoluta ex occulto ſaxa, truncique arborum, & glebæ ultra mediam foſſam impetu ipſo ferrentur. Inter hæc Mamudiani per tenebras clara voce maledicere obſeſſis, *quod more feminarum intra ſepta latitantes, non haſta gladiove, ſed miſſilibus tantum e longinquo rem gererent. At non hiſce artibus, qui primi e Luſitania ad Indos venerint, gloriam quæſiſſe: non ita nuper Sylverianos bellum exercuiſſe: verum in dextris, & pede collato propoſitam habuiſſe victoriæ ſpem: neque ſe mœnibus, ſed armis mœnia tutari ſolitos: attamen ſibi non eſſe dubium, quin ejus deſidiæ, non tam penes militem, quam penes præfectum reſideat culpa: quippe qui communem ſalutem proprio timori prætexat: viroſque (ſiquidem ejus diſſimiles ſint) vitæ prodigos, laudis appetentes, ad conferendam cum hoſte manum paratos, fame poſſimodum, & omnium rerum inopia perituros, exemplo ſegnitiæ, & imperii vinclis intra munimenta cohibeat.* Hæc, & alia ejuſmodi ad excitandam ſeditionem, vel ad provocandos ad temerariam pugnam Luſitanos, jactare ſub muris, ac portis identidem barbarus, nimirum Sofaris juſſu: quod magna eſſet in ſpe, ſi apertum ad certamen elici poſſent, paucis præliis abſumptum iri omnes præſidii vires.

Sofar machinam erigit, omni bellico apparatu quam celerrime inſtruit.

Eam quatiunt atque proſternunt Luſitani.

Mamudiani inſultant obſeſſis.

CXXI. Sed neque milites, in id uſque tempus obedientes duci, neque ducem, minime levem, aut bellicæ artis ignarum, admodum movebant importuna, & quotidiana convitia. Magis illa cunctos angebat cura, ut ingruenti a muſculis damno quamprimum obviam iretur: quæ res magnas habebat difficultates. Nam & conjectos e muris ignes coria reſpuebant: & majo-

majorum balliſtarum uſum, quo vel maxime incluſi valebant, ſpatium ipſum propinquitatis ademerat. His rebus anxio, multaque apud animum ſuum agitanti præfecto, remedium tale in paucos tamen dies oblatum. Fornix erat in imis mœnibus, ſimplici lapidum ordine in ſpeciem obſtructus. Eo animadverſo, locum aperiri, ac repurgari Maſcarenias imperat; poſtibuſque validiſſimas imponi fores. Immiſſi dein qui perpetuo egeſtu, ſuccedentes invicem alii aliis, foſſam latentes exhaurirent; ac tradita per manus rudera ſilentio in arcem afportarent. Ii deciduam undequaque materiam ita ſubducebant, ut quam integerrimum cumuli faſtigium, fallendi hoſtis cauſa, relinquerent. Quatriduum totum nocturnus diurno continuatus eſt labor. Interea Mamudiani munitores fabrili bolide fundum ſubinde explorare, ac primo admirari cur minime creſceret, neque reſponderet operi acervus: dein, poſteaquam magis etiam ac magis imminui ſentiebant (extenuatus quippe, demum aſſidua ſubtractione corruerat) noſcendi cauſa, periculo contempto, capita proſerunt: Luſitanos, quæ jaciebantur, impigre amolientes cernunt. Confeſtim & e muſculis in foſſam, & e muris in muſculos tela conjecta. Et Sofar a præfectis fabrum admonitus advolat. Is, dum ad oram valli in dextrum innixus cubitum, Luſitanam cryptam attentius contemplatur, ſuſpenſo, & cogitabundo, nequaquam in ſpem tantæ rei miſſus ex arce globus, manum ſimul, & ſinciput abſtulit. Ea vulgata re, tantus exercitum inceſſit pavor, ut parum abfuerit, quin, defertis operibus, vineiſque, obſidio ſolveretur. Obſtabat maxime Rumecan, ferox ingenio viribuſque, & odio nominis Luſitani a primis annis imbutus. Is domeſtico luctu minime fractus, celebratis more Mahometano paternis exequiis; tum univerſos, tum ſingulos appellare; hortari ad perſeverandum: *tot jam exhauſtos labores; tantæ molitionis opera ſudore perfecta; ex hoſtibus in ipſa paucitate periiſſe non paucos; & qui ſuperſint, vulneribus, fame, vigiliis, defatigatione confectos, hominum ſimulacra, non homines, vix jam ſuſtinere arma, latitare in angulis, deſperato novo ſubſidio fugam haud dubie meditari: ſed & maritimos exitus adverſo anni tempore, & terreſtres vallo, & ſtationibus intercludi; immanes belluas indagine cinctas teneri; victoriam eſſe in manibus; tam propinquæ ſpei exitum nullo pacto deſerendum: tot nationum ſalutem, tantum diſcrimen opinionis in hac obſidione verti: ſi paulum adnitantur Mamudiani; & liberatæ Indiæ decus æternum, & navatæ Regi ſuo operæ mercedem opimam laturos.* Hiſce dictis animati plerique Rumecanis conſilium approbant; in tanta tamque recenti clade tantam animi magnitudinem vulgo admirantur; denique dum a Mamudio veniant mandata, ſummam belli adminiſtrandi conſenſu militari ad eum deferunt: mittuntur ad Regem legati. Ille per litteras jubet duces oppugnationem urgere; nova identidem ſupplementa, confecti belli præmia pollicetur ampliſſima; prærogativam ſuffragii militaris de Rumecane confirmat. Luſitanis interim, cognita e fugitivo quodam Sofaris nece, magna videlicet ſpes tranquillitatis affulſerat: ac, veluti pactis induciis, dum ſedatur in caſtris timor, utrinque otium fuit. Sed mox nec opinato recruduit bellum, novo imperatore adeo impigre obeunte munia; ut Sofarem deeſſe, neque hoſtes, neque cives ulla ex parte ſentirent. Ad foſſam præcipue aggerendam, ex patris deſtinatione, curas intenderat. Itaque præter eam turbam, quam in caſtris habebat, alia inſuper ex agris, oppidiſque multitudo contrahitur: ac turmatim diviſa, ad tintinnabuli pulſum in orbem ſubit: neque jam e muſculis tantum, ſed propalam e vallo, cum interea miſſilibus certaretur, variæ magnitudinis lapides, arbores totas, virgulta, ceſpitem jactant: occiſo-

Luſitani foſſam latentes exhauriunt, conantibus eam opplere Mamudianis.

Sofar interficitur.

Rumecan ejus filius conſternatos morte Sofaris Mamudianos in officio continet.

Ad foſſam aggerendam curas intendit.

Proſpero ſucceſſu.

rum

rum cadavera, ne ceteri ſpectaculo terreantur, obruta ruinis accumulant: poſtremo vineas, ac vallum ipſum undique prorutum, cum ingenti fragore devolvunt. Neque jam ulla ope reſiſtere Luſitanus valebat. Fornix primum aſſiduo injectu materiæ obſtructus: dein quod ſupererat ſpatii, quotidianis incrementis occupat moles.

CXXII. Inter hæc Maſcarenias, tot undique cinctus anguſtiis, novum a Caſtrio Prætore auxilium efflagitare per litteras nuntioſque, quos in apertum vitæ diſcrimen ſpeculatoriis navigiis hyeme ſæviente mittebat. Rumecan vero, quamquam libero jam ad mœnia ſucceſſu, cruentam nihilominus dimicationem proſpiciens; Simonem Pheum ſub muros miſit, qui variis conditionibus popularium tentaret animos; Mamudii, & Rumecanis clementiam prædicaret; obſeſſiſque, ſi abire incolumes animum inducerent, naves ad proſectionem offerret. Ad ea cum ferocius reſponderetur, negaretque Maſcarenias, cum violatoribus fœderum atque perjuris ullam ſibi pacis conditionem eſſe; confeſtim Pheus e conſpectu ſubtrahitur: conjectiſque per iram telis, Luſitani duo, qui ad colloquium pinnas muri fidenter aſcenderant, occiduntur. Poſtridie ſub veſperam e Mamudianis promptiſſimi excelſos navium malos tranſverſis junctos tigillis ad ſancti Joannis propugnaculum erigunt: elatiſque ſuper capita ſcutis, in ſummum enituntur. Ferme triginta jam aſcenderant, cum Luſitani ad periculum propulſandum, ac demendum dedecus mutuo ſe cohortati, impetu capto, alios e corona præcipites dant; alios in ſcalis obnixos contis detrudunt; detruſos jaculis, & flammarum alimentis, & ſaxorum ponderibus obruunt. In horum locum ſuccedere conantes alii pari defenſorum conſtantia repelluntur. Pauci incolumes, magna pars ambuſti, aut vulneribus confecti recedunt; neque ultra tentari pugnam ipſa patitur nox. Paulo dein ſegnior obſidio fuit, dum ad ſummum certamen Mamudiani ſe comparant: accenſiſque urbe tota luminibus obeunt templa, ſuumque Mahometem inani prece ſollicitant; multi etiam ſolenni vovent conjuratione, ſe nonniſi victores ab arce redituros. In diem VIII. Kal. Auguſti certamen edixerant. Is divi Jacobi Apoſtoli natalis eſt dies: quod ipſum victoriæ mox omen Luſitanus accepit. Ubi tempus affuit, Mamudiani inſtructis ante lucem copiis, ad arcem ſilentio primum, ut fallerent; dein, poſtquam vigilare hoſtem ſenſere, magna cum vociferatione ſuccedunt. Luſitani præſentibus animis corripiunt arma, ſanctum Jacobum ingeminant; tentantes ab omni parte aditum hoſtes, igne, ferro, lapidibus prohibent; ubi plurimum periculi oſtenditur, ibi frequentiores obſiſtunt. Rumecan interea ſuis hortator adeſſe; alios caſtigationibus, alios promiſſis, ac laudibus incitare, aliis voti, ac jurisjurandi religionem incutere; acerrime utrinque prælium cieri; confuſus imperiis, minis, gaudio, metu clamor, itemque tremendus tormentorum ſonitus ad aſtra ferri; ſubeuntium audaciſſimi quique paſſim occumbere. In Thomæum præcipue, & divi Joannis propugnacula ingruerat belli moles. Eo dum intenti propugnatorum oculi pariter animique ſunt, e Mamudianis interim eximia corporum agilitate complures, obſervato æſtus receſſu, ad maritimum arcis latus, antequam diluceſcat, accedunt: perque præruptum, eoque deſertum ab hoſte ſaxum, partim brachiis humeriſque, partim qua cautes patiebantur, ſcalis innixi, in arcem ſcandunt, inque ædium tectis Mahometana vexilla conſtituunt: dein ſtolida capti aviditate, armorum atque hoſtium obliti, ad prædam illico dilabuntur. Mulierculæ quædam, aliis omnibus ad pugnam digreſſis, in ea parte curabant: ex iis nonnullæ virili animo, arreptis haſtis, prædatores locorum ignaros, & incerto concurſu noctur-

Maſcarenias auxilium petit a Caſtrio.

Rumecan pacis conditiones ultro proponit Luſitanis, qui eas reſpuunt.

E Mamudianis aliquot propugnaculum aſcendont, ac repelluntur.

Iterum aditum tentant; ſed prohibentur.

Ab maritimo latere in arcem ſcandunt.

noque pavore perterritos, intra tecta coercent; aliæ ad opem a præfecto expoſcendam ad mœnia provolant. Maſcarenias trepido nuntio excitus, ne pugnantium frangantur animi, ſilentium imperat; ipſe cum expeditis ad locum accurrit: ibi hoſtes partim in ædibus incluſos, partim in angiportibus errantes obtruncat: triginta ferme, cum ſeſe conglobaſſent, ad unum cæſi. Ceteros ex arce dejectos, tum altitudo præcipitii, tum prominentes e rupe ſilices acutæ dilacerant. Intentiore dein cura locus cuſtodiri cœptus: & Maſcarenias, ab ea parte victor, in prælium feſtine regreditur; ſuis laborantibus omni parte animos addit; neque verbis tantum, ſed etiam corpore miſcet certamen; ducíſque pariter, ac militis partes egregie ſuſtinet. Sex ferme horas dubia victoria pugnatum eſt. Ad extremum Rumecan ſuorum clade percuſſus, receptui cecinit. Luſitani tantis defuncti periculis, primum omnium Deo ſuperiſque, ac patrono præſertim divo Jacobo laudes, grateſque agunt: cæſorum deinde ineunt ſummam: e ſuis tantummodo ſeptem; ex hoſtibus comperiunt amplius mille, & trecentos: capta etiam militaria ſigna non pauca. Chriſtianorum funus magno omnium ſtudio celebratum eſt. Laudati pro cujuſque merito milites ac præfecti. Ludovicus Soſa, & Fernandus Caſtrius, quorum alter Thomæo, alter ſancti Joannis propugnaculo præerat, præcipuum ſugati hoſtis, arciſque ſervatæ decus tulere. Antonius quoque Paſſanius interiorem aggerem turremque magna cum hoſtium ſtrage tutatus eſt. Ac feminarum etiam illo potiſſimum die conſpecta virtus: e quibus aliæ furtivo, uti dicebamus, aſcenſu tranſgreſſum munimenta hoſtem Maſcareniæ trucidandum objecerant; aliæ ad mœnia dimicantibus viris arma, & ſaxa, itemque faſcias, & medicamenta ſuggeſſerant, verſatæque inter ipſam dimicationem erant adeo pertinaciter, ut fauciæ nonnullæ conſtanti dextra ſibi ſpiculum evellerent, plagiſque obligatis ad inſtitutum redirent. Is, bene juvante Deo, pugnæ illius exitus fuit.

Obtruncantur eorum aliqui a Maſcarenia militibus; ceteri dejiciuntur.

Rumecan receptui canit.

Luſitani victores.

Feminarum virtus in arce defendenda, hoſtibuſque repellendis.

CXXIII. Secundum eam pugnam, obſtinatis utriuſque partis animis, aliæ deinceps haud abſimili eventu pugnatæ. In iis, præter cetera tormenta ferrumque, ardentibus maxime jaculis certabatur, majore oppugnantium, quam defenſorum pernicie. Quippe goſſipio, quo Indi ad veſtem utuntur, ignis tenaciter adhæreſcens, momento excitatum incendium per confertos manipulos, cuneoſque late fundebat. Quos autem flamma comprehendiſſet, ii, abjectis armis, cum ſimul veſtimenta projicere non valerent; eeteroſque ab iis adjuvandis exuendiſve, ſui quemque periculi metus averteret; cæci amenteſque crebro cum gemitu, incerto veſtigio, extra ordines ferebantur. Hinc deformatos vultus; exuſta lumina; pendentem e nudatis artubus cutem, ac velut in lora diſſectam, horrendo ſpectaculo cerneres. At Luſitanum multo minus lædebat ignis, amictu laneo, & inſuper ocreis, & chirothecis, ac thorace munitum: & corio deficiente, præfectus, in eumdem uſum, e pellibus inauratis periſtromata pretioſa militibus dividenda curaverat. Ex eo tempore Mamudiani cum aperta parum proficerent vi, ſubterraneis operibus (& ſuppetebat ad omnia multitudo) occulte graſſari conſtituunt. Cuniculos plures ad arcem agunt: interea ut ab ſenſu operis Luſitanum abducant, fabros cum dolabris ad ſuffodiendos muros quam tumultuoſiſſime ſubigunt: majores globos cum fragore terrifico, ac denſa fumi caligine jaculantur. Porro cuniculorum diſpar, neque uno tempore fuit exitus: alii ſpecubus puteiſque, quos Maſcarenias mature in id ipſum effoderat, inutiles facti: alii non interrupto ſucceſſu ingentibus detrimentis rem Luſitanam affecere. Longe perniciosiſſimus omnium fuit is, quem

Novæ pugnæ.

Mamudiani cuniculos ad arcem agunt.

ad

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minoum anno 339.

ad ſancti Joannis propugnaculum præcipua contemplatione direxerant: is ut infra fundamenta pervenit, locum tormentario complent pulvere: ejuſdemque pulveris tamquam inſtitas ad cuniculi os perpetuo tractu perducunt. Poſt hæc, veluti ad ultimam oppugnationem inſtructi, ſub ſignis ad eam maxime partem ſubeunt arcis; ac vix tentato conflictu ſe ſe recipiunt. Dein rurſus accedunt receduntque ſimulato metu, nimirum ut e Luſitanis quamplurimos propugnandi ſpectandique ſtudio in fraudem illiciant. Tum Maſcarenias, ratus id, quod res erat, hoſtem dolo, non metu pedem referre; mittit extemplo qui Fernando Caſtrio, & reliquis præſidiariis nuntiet, quamprimum ex eo loco ſecedant: hoſtilem trepidationem in tempus fictam: aliquid profecto occultæ machinationis ſubeſſe. Illi, & vigore ætatis, & ſuperiorum dierum victoriis nimium ſibi præfidentes; qua Indorum ignaviam irridere, qua præfecti ſeu monita, ſeu juſſa contemnere. Grave piaculum contumaciæ dedit nobilium cohors. Nam ſimulatque frequentes in turri conſpecti ſunt; ignem cuniculo Mamudiani raptim injiciunt. Is a primo aditu ad inteſtina momento perlatus, multiplicatis in arcto flammis, & in apertum impetu vaſto enitentibus, evulſam ab radicibus turrem cum terribili ſtrepitu, qualis ex Ætnæ cavernis interdum cieri ſolet, in altum ſuſtulit, longeque ac late disjecit. E ſuperſtantibus alios volitantium ſaxorum fragmenta dilacerant: alii ſublime, quantum prope oculorum ſequi acies poſſet, elati, dein ad terram afflicti, ſuo & armorum pondere conteruntur. Alios dira ignium vis, tamquam tormento excuſſos ad hoſtem uſque projecit: quorum interitu nequaquam expletis odiis, barbari inanima, & mutilata cadavera tum inceſſunt probris, tum ſparis, & gladiis crudeliter ſodicant. Viginti ferme ex ea ſtatione tantæ cladi ſuperfuere: ad centum extincti, in Joannis Regis familiam adſcripti plerique, & claris orti natalibus: quo in numero Fernandus Prætoris filius fuit: Corpora dein conquiſita mulieres terræ mandarunt. Ceterum vixdum reſederant flammæ, cum per ſtragem, ac ruinas Mamudiani conantur in arcem irrumpere. Adverſus eum impetum quatuor e ſuperſtitibus raptim oppoſuere ſe ſe: nam reliqui incendio afflati, & recenti malo attoniti, ac ſopiti jacebant. Eo cum pugnaciſſimis aliquot Maſcarenias confeſtim accurrit. Huic manipulo ſacerdos effigiem Chriſti Domini e cruce pendentis intrepide præferebat. Ejus admodum piis adhortationibus, & occulta nimirum e cœlo vi non dubie confirmati erectique Luſitani, tumultum, ac periculum pugnæ ſuſtinuere, quoad opere tumultuario murus interim ab tergo ingenti aliorum ſudore, ac certamine objectus eſt: & imminente jam nocte, Mamudiani, multis item e ſuorum numero amiſſis, & fauciis, incœpto irrito, receſſerunt.

Ignem cuniculo injiciunt.

Turre disjecta Luſitani ſuperſtantes pereunt.

Mamudiani per ruinas conantur in arcem irrumpere.

Maſcarenias cõfeſtim accurrit.

Mamudiani, incœpto irrito, recedunt.

CXXIV. Ejus diei caſu admoniti reliqui præſidiarii, exinde cautius in muris agitare, atque ad primas talium incendiorum notas abſiſtere. Itaque & Jacobæa, & Paſſania turris, item ſubditis ignibus, nullo defenſorum interitu prociderunt. Thomæa vero (nam eo quoque cuniculus penetraverat) procumbentibus in foſſam ruinis, paratos atque imminentes in irruptionem trecentos e Mamudianis oppreſſit. Atque hujuſce machinationis in univerſum ferme hic erat eventus, ut Mamudiani introitu excluſi, ſpatia ſaltem obſeſſis eriperent, & intra mœnium excidia ſubitarias munitiones raptim excitarent: Luſitani contra, & per patefactum ruina iter conantem tranſcendere hoſtem, virtute, atque armis arcerent, & novum introrſus pro diruto murum ſumma contentione reficerent. Inde anguſtior in dies arx fieri, & vix ad explicandos ordines relinqui locus. Quatuor jam menſes obſidionem pertulerant Luſitani, eum ex adeo paucis aliqui ferme quotidie, aut

Procumbentes in foſſam ruinæ cuniculi opprimunt Mamudianos.

Luſitani in anguſtum redacti fame laborant.

aut vulnerarentur, aut caderent. Acceſſit inopia, & fames, frugibus carnibuſque conſumptis: & præter fœda animalia, quicquid etiam erat fruticoſum aut herbidum, in alimenta converſo. Hine vulgo ingruerant morbi: feſſiſque & animis, & corporibus, qui arma tractare poſſent, vix centum, & quinquaginta ſupererant: atque ii admodum ægre continebantur, quominus in hoſtium ſtationes ultro impetum facerent, vitæque miſerias, & ærumnas honeſta morte finirent. In hoc rerum diſcrimine diu expectatum ab Goa ſubſidium advenit. Naves quinquaginta Bazainum facili tenuerant curſu. Alvarus Caſtrius Prætoris item filius, & Franciſcus Meneſius præerant. Inde Alvarus cum meliore parte claſſis Dium protinus anteceſſit: reliquæ carptim, prout agilitate vel robore quæque præſtabant, captatis tempeſtatibus, ante Septembris exitum ſubſequutæ. Armati ſupra nongentos cum omni rerum copia in arcem expoſiti: quæ res Luſitano majores, quam pro viribus, animos fecit. Auxit ferociam baſiliſcus, qui demerſis in ruina rotis inhæſerat, cum eum ad ſe injectis funibus Mamudiani attrahere niterentur, proſpera pugna retentus. Ex hoc indignari poſtremus quiſque, & accuſare primos, *quod hoſtium conatibus non ſtatim ex arce obviam ierint, quod opera mœnibus applicari, munitiones transferri, ſeſe in tantas angustias cogi permiſerint. Recenſere victorias (ut de Europa, & Mauritania fileatur) ad Sofalam, Quiloam, Goam, Malacam, Armuziam, Calecutum, ad Repelini vada, ad Dium denique partas; ingentes barbarorum exercitus parva ſæpe manu fugatos; pervagatum Africa, atque Aſia tota nominis Luſitani terrorem; ſcilicet quo tanta decora, tantæque laudes, in uno demum præfecto, atque in uno præſidio pereant. Tuendum omnibus viribus quod a majoribus acceperint patrimonium dignitatis, ac famæ. Viriliter tandem erumpendum in hoſtium caſtra, & dignum aliquid rebus olim geſtis, & vetere gloria perpetrandum: quidquid ad eam diem acceptum in arce ſit damni, id fraude, cuniculis, tormentis illatum: ſi vera virtute, manu, & gladiis decernatur, Luſitanum impetum, & micantia ex propinquo arma Indos haud quaquam laturos.* Hæc initio pauci; dein velut ex contagione plures quotidie palam in circulis, & contuberniis fremere; & in Maſcareniæ cunctationem qua vera, qua falſa jactare. Poſtremo ad eumdem convenire frequentes; pugnam efflagitare; minari, *ſi diutius torpeat, ſe quemlibet alium, vel ex argilla ducem haud dubie ſuffecturos.* Maſcarenias contra lenire furentes; de hoſtium genere numeroque differere: *Jam nunc abundare commeatu arcem; cuſtodes uti ad hoſtem lacceſſendum paucos, ita ad prohibendum ſat multos adeſſe; hyemem maxima ex parte circumactam; univerſas ab Goa copias propediem affore; tum demum certioribus victoriæ præmiis, & minore ſuorum detrimento prælium inituros.* Hæc & alia in eandem ſententiam ſurdis canere Maſcarenias: adeo certamen penitus imbiberant animis plerique: nec deerant, qui ab inſito livore ſolutæ obſidionis gloriam præreptam Joanni Caſtrio cuperent; atque ad profligandos Guzarates eguiſſe Prætoris ipſius auxilio nollent videri. Maſcarenias, ut inflatos inani fiducia, fixoſque in audaci propoſito animadvertit; *æquum fuerat* (inquit) *cives, militem ab duce regi, non regere; expectare ſigna, non extorquere; ſcire, quæ ad rationem gerendi belli pertineant, præfecto, & conſiliariis curæ eſſe. Nunc quando mihi prope manus injicitis, & ſeditionem vultu verbiſque præfertis; vincat ſane majeſtatem imperii incouſulta ſpes, & libido. Ite, quod ſuperi bene vertant; virtutem iſtam, lacertoſque, & armorum ſcientiam expromite: ego, quos agere debueram, ſequar; & quamquam alieno tempore, tamen partem periculi ac laboris vobiſcum una capeſſam. Vos modo videte,* ut

Ab Goa ſubſidium advenit obſeſſis.

Luſitanorum jactantia, & in arcis præfectū convicia.

Milites prælium poſtulant. Maſcarenias furentes lenit.

Nihil promovet.

Prælium petentibus eodem annuit.

ut quos ante pugnam ſpiritus atque ardorem oſtenditis, eoſdem in aſcenſu valli poſtmodum, atque in ipſo conflictu præſtetis.

CXXV. Cum hæc dixiſſet, prout in arcto licebat, copias inſtruit: primam aciem Alvaro Caſtrio, alteram Franciſco Meneſio dat; cum ceteris ipſe, modica manu ad cuſtodiam arcis relicta, ſubſequitur. Facta ſecundum euripum eruptione (nam ex ea parte latior patebat exitus) ferociſſimi quique vallo ſuccedunt; ac defenſoribus primo impetu perculſis aut deturbatis, ingenti ardore tranſiliunt. Dein, ſigno ab hoſtibus dato, cum nova identidem ſubſidia e caſtris affluerent, atrox eſſe prælium cœpit: & qui nondum tranſcenderant Luſitani, cum proculcatæ priorum pedibus lætiores herbæ altitudinem nudaſſent valli, quod ex arce proſpicientibus nuper humilius apparuerat; icti re ſubita, primo hæſitare, dein, hoſte imminente, fugam aut latebras circumſpicere. Tum Maſcarenias: *Hæccine pugna eſt, quam poſcebatis?* increpitans; *ante diſcrimen feroces, in ipſo diſcrimine timidos, & ignavos* appellans; ad opem laborantibus ferendam fruſtra conatur accendere. Inter hæc Meneſius intra vallum acriter dimicans, & circa eum aliquot principes Luſitanæ juventutis occumbunt. Alvarus Caſtrius ſaxo percuſſus, cedente ad ictum galea cum attonitus cecidiſſet, Maſcarenię interventu ſervatus eſt. Neque ultra ſuſtineri, ſuperfundens ſe ex omni parte caſtrorum, poterat multitudo. Luſitani cum undique pulſi transfigerentur, & oppugnari e diverſo latere arcem, ſeu conſilio, ſeu temere ſublata nuntiaret vox; nequicquam obſiſtente Maſcarenia, nullius niſi vitæ memores ad mœnia portaſque præcipiti curſu vertuntur. Cupientem ſimul invehi Mamudianum tormentis e muro deterrent. Hic temerariæ eruptionis eventus fuit. Exinde ſuo ipſi conatu ſegniores facti (ut in contrarium ſæpe migrant vitia) vix pro muris obire ſtationes, vix recenti ſucceſſu elatis, & ſubinde arcem aggredientibus Indis obſiſtere: quoad refectis tandem ex pavore animis, rurſum alacres, & obliterandæ ignominiæ cupidi, ad conſueta munia rediere. At Mamudiani, quo ſe magis magiſque obfirmatos ad continuandam obſidionem oſtenderent; atque ut expeditiores ab continenti commeatus haberent; euripo ad Rumæpolim, jactis utrinque molibus, alterum pontem imponunt ea magnitudine ac firmitate, ut quamlibet onuſtas vehes tuto ac large tranſmitteret. Simul dies noctesque fatigare ac premere Luſitanum; ſtantes muros frequenti verberatione concutere; quæ minus commode balliſtis labefactari poſſent, in ea ſubditis ignibus calefacta ſyphonibus acetum immittere; putrefacta continuo excindere ferramentis; igniferos e ſtupa, goſſipio, & ſulphureo pulvere globos in tecta conjicere; denique cuniculos, quod ea res proſpere ceſſiſſet, ad arcem univerſam evertendam pluribus ſimul locis agere. Adverſus ea Maſcarenias, operariis auctus, non una regione item obliquas adverſaſque excavare foſſas; tormentis, ac miſſilibus ab omni parte hoſtes impetere; intergerinos ædium parietes perforare; qua tecti milites, & mancipia commearent.

Prælium atrox committitur.

Franciſcus Meneſius occumbit.

Alvarus Caſtrius ſaxo percutitur.

Luſitani ad arcem fuga præcipiti vertuntur.

Segniter obeunt ſtationes.

Animos tandem ex pavore reſciunt.

Mamudiani obſeſſos fatigant ac premunt.

Aceto ferroque muros excindūt.

Cuniculos agūt.

Maſcarenias multis modis hoſtem vexat.

CXXVI. Iiſdem fere diebus, quibus hæc ad Dium fiebant, Goam de Fernandi, & commilitonum clade nuntius affertur. Inde gravis mœſtitia ſimul & metus civitatem inceſſit. Prætor, quamquam acri doloris morſu perſtrictus, tamen ad ceteros animandos, lugeri filium vetuit: ipſe nitens purpura & ornatu alio ſumptuoſo, in campum una cum proceribus, velut animi cauſa, proceſſit: ibi, tum in gyros flexo, tum curſu, & ſaltibus incitato militariter equo, malum ſubinde Mamudianis interminans, cunctos vultu, & oratione confirmat. Mox in claſſis apparatum omnes de integro curas ac ner-

Prætor Goæ apparat claſſem.

Et Alvarum Acuniam cum navibus aliquot obſeſſos adire jubet.

nervos intendit: ac miteſcente jam hyeme, Alvarum Acuniam navibus quinque, in quibus præter magnam inſtrumenti bellici vim fiſtulatores erant quadringenti, protinus jubet obſeſſos adire, ac ſuo nomine prohibere quominus ante univerſæ claſſis adventum pedes e munitionibus efferant: ſe ſe paratis omnibus ad pugnam rebus brevi affuturum. Cum ea manu profectus Alvarus, circa Dium in aliquot naves Arabicas incidit. Iis mercenaria variarum gentium auxilia propinquus Soſaris quidam ad exercitum ſubvehebat. Alvarus, commiſſo feliciter prælio, naves expugnat; captum ducem in arcem inſert: huic magnum auri pondus ad redemptionem fruſtra offerenti una cum primoribus abſciſſæ cervices: capita in euripum conſulto projecta, ut in conſpectum urbis æſtu accedente ferrentur. Perlata atque agnita, iram in Luſitanos ac rabiem hoſtibus acuere. At Prætor, appetente vere, Bazainum oppidum navarchis, & militibus ad conveniendum edixit, atque ad ceteros excitandos eodem ipſe conſeſtim celocibus circiter quadraginta contendit. Coactis omnibus copiis, quæ contrahi e vicinis regionibus potuere (ii fuere, præter navalem & aliam turbam, Luſitani bellatores mille quadringenti, Canarini auxiliares trecenti) Cambaicam oram ferro ignique perpopulatus, ad Mortuorum inſulam navibus circiter octoginta pervenit. Huc evocato Maſcareniæ mandat, uti ad exſcenſionem cuncta quamprimum expediat, ac ſine intermiſſione tormentis undique vallum hoſtium, & denſos aggeres quatiat, ruinaque patefaciat in urbem iter. Dictis obtemperatum; & paulo poſt Prætor incolumi claſſe ſubſequitur. Ab averſa parte arcis per triduum ſine tumultu expoſitus miles. Naves portum invectæ, quam maxime tuto ab hoſtium telis receſſu conſiſtunt. Prætor, omnium poſtremus in terram egreſſus, uti munitiones intravit; mirari faciem loci; ſolo æquatas turres, ac propugnacula. Alicubi nullum foſſæ veſtigium; inædificatos mœnibus ab hoſte muros, duaſque propemodum ex una arces factas. Contemplatus dein, quatenus licuit, hoſtilia caſtra, adhibitis proceribus, de ſumma belli conſuliat. Erant qui differendam eruptionem, & reficiendum e maritima jactatione ſuaderent militem. Ipſe, ratus ad nominis Chriſtiani dignitatem pertinere, ne uno quidem die Prætorem Luſitanum ab Indis clauſum teneri; nulla interpoſita mora certamen experiri conſtituit. Militibus edicit, curatis mature corporibus tertia vigilia præſto ſint. Arceni, detractis valvis, ne qua in receptu ſpes ulli foret, Antonio Correæ cum idoneo præſidio inter prælii tempus tuendam adſignat: conſilio dein adjuvat rem, quod conſilium haud dubie victoriam peperit. Turris erat ad dextrum urbis latus, qua in apertum mare proſpectus eſt: Sylverianam appellabant. Ad eam quatiendam, quaſi ex illa parte deſcenſio quæreretur, dromones pridie miſſi tres, e ſalo eminus muri partem vehementi jaculatione diruerant. Id ubi cognovit Prætor, Nicolao Conſalvo impigro viro, & rei maritimæ in primis perito mandat, uti naves, quæ remis agantur, præter nautas ac libratores, imbelli turba, lixis & calonibus impleat: ii pariter ac nautæ haſtas erectas ſinguli binas; remiges altera manu remum, altera accenſos ſuniculos teneant; libratores tormenta in hoſtem veluti ad oppugnationem exerceant. Hoc modo inſtructam claſſem jubetur Conſalvus ad inſulæ alterum latus, de quo dictum eſt, paulo ante lucem admovere; vociferatione, bombarda, tympanis, tubis quam maximum ſtrepitum ac tumultum ciere; aliis aliiſque ſubinde locis deſcenſionem oſtendere; multimoda arte hoſtiles diſtinere copias. Hæc mandata Conſalvo: ceteris item præfectis, prout quæque res poſtulabat, ſub veſperam edita imperia.

Alvarus aliquot hoſtium naves expugnat.

Prætor copias contrahit,

Et oram Cambaicam populatur.

Ejus juſſu Maſcarenias hoſtium aggeres quatit.

Prætor Dium claſſe ſubvehitur.

Certamen experiri conſtituit.

Ejuſdem ſalutare conſilium.

CXXVII. Ru-

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

CXXVII. Rumecan haud ſatis certus qua potiſſimum ex parte Luſitani eſſent erupturi; ad omnes aditus æque terreſtres atque maritimos, tormenta vigiliaſque diſponit; telorum omnis generis ingentem copiam in muros aggereſque comportat; auget munitiones; &, qua ex euripo deſcenſus ad oppidum eſt, prærultas foſſas levi ſuperinjectu ramorum ac terræ latenter occæcat. Externi ſelectique militis (præter Guzaratas Indoſque, quorum major multo erat numerus) in eam curam ac ſumptum acriter incumbente Mamudio, viginta millia in armis habebat. Ex iis ipſa robora ad primos impetus excipiendos in fronte caſtrorum locat, firmatque ab tergo ſubſidiis: Rumæum pontem ſeptingentis militibus inſidet: reliquam multitudinem, quo clamor, quo ſigna advocarint, paratam ad omnia occurrere jubet. Rebus ita proviſis, tanta virium ſuarum Mamudianos cepit fiducia, uti Luſitanorum paucitatem conatuſque irriderent, vixque univerſæ pugnæ ſubituros aleam crederent. Luſitani contra, uti Chriſtianos decet, uno Deo maxime freti, nihilominus expediunt arma; atque ad condictum tempus ante Prætorium armati conveniunt. Dies erat III. Idus Novembris, divo Martino ſacer. Tum loco excelſo, ut undique conſpici poſſet, Antonius Caſalius ex Obſervantium familia inſigni pietate ſacrificat; Deumque precatus, *ut in hoſtes Eccleſiæ ſacroſanctæ formidinem, ac terrorem averteret*; Chriſtianos, quo alacrius capeſſant pugnam, noxis omnibus Pontificia poteſtate expiatos abſolvit. Eoſdem Prætor, quod pluribus agendi ſpatium non eſſet, paucis adhortatur, *uti Chriſto duce, cujus tueantur cauſam, forti ac fidenti animo prælium ineant. Joannem ipſum Regem uniuſcujuſque virtutis, vel ignaviæ primo teſtem & ſpectatorem, mox remuneratorem aut vindicem adeſſe putent. Indici totius imperii ſummam in ejus diei certamine verti nil ambigant. Poſtremo ſciant, præter naturam loci, ab ſe quoque diligenter proviſum, uti ſegnibus timidiſque nullum neque terra, neque mari effugium ſit. Ex arce detractas fores, e portu naves in expeditionem emiſſas. Magnanimis certam vel in morte victoriam, vel in victoria ſalutem & præmia conſtituta*. Cum hæc agerentur, jam Nicolaus Conſalvus claſſem e compoſito ad alteram partem inſulæ circumegerat; variiſque (uti convenerat) locis deſcenſum & oppugnationem oſtentare pergebat: & nox adjuvabat incœptum, ex incerto ſpeciem omnium multiplicem oppidanis intuentibus reddens. Et in Prætoria ſublime vexillum, ac lumen in puppi, ad hæc denſi tota claſſe ignes, tormentorum fragor, micantiaque arma, & miſtus hominum vocibus, ac tympanorum pulſu, tibiarumque concentu Martius tubarum ſonus; Caſtrium cum omni exercitu adeſſe monſtrabant. Eo terrore Conſalvus omnium oculos in ſe converterat: ut non ex urbe tantum, ſed etiam e caſtris armatorum agmina relictis præſidiis ad mare concurrerent. Id ubi a ſpeculatoribus accepit Prætor, in primo tumultu, antequam dolum clarior proderet lux, inſtructas, prout anguſtiæ loci ferebant, copias (ferme tria erant hominum millia) pluribus ſimul portis emittit. Primum agmen ducebat Maſcarenias e veterano milite, ac perito locorum, atque ad ejus imperia dudum adſueto: acceſſerant e reliquo exercitu quadringenti. Cum ceteris modico intervallo ſequutus eſt Prætor. Cingebant latera ſpectatæ ſortitudinis viri. Una Caſalius ornatu quam auguſtiſſimo trabeatus, Chriſti ad crucem affixi attollens imaginem, concionabundus aderat. Ejus hortationibus inflammati Luſitani, ſimulque divina, & humana pleni ſpe, clamore conſentienti ad caſtra ſuccedunt: ac ſemiplenas adorti ſtationes, e vallo dejiciunt: & partim ſtratos, partim integros aggeres muroſque ſcalis, contis, humeris innixi tranſcendunt; hoſtemque obvium haſtis, gladiiſque conficiunt. CXXVIII. Ad

Rumecan aditus omnes munit.

Mamudiani viribus ſuis præfidunt.

Luſitani Dei opem implorant.

Antonius Caſalius ex Obſervantium familia ſacrificat.

Nicolaus Conſalvus elaſſe ad alteram partem inſulæ circumagit, & exſcenſionem ad oppugnandum oſtentat.

Mamudiani relictis præſidiis ad mare concurrõt.

Præter copias emittit.

Antonius Caſalius pendentis e cruce Chriſti imaginé attollit, militeſque hortationibus inflãmat.

Luſitani ſtationes adoriuntur.

Rumecan arcem occupare contendit.

CXXVIII. Ad ejus rei nuntium Rumecan vacuam ratus arcem, cohortes aliquot ad eam occupandam circuitu capto jubet extemplo contendere. Ii ab Antonio Correa, quamquam patentibus portis, magna cum cæde pulsi. Alia item manus ad opem castris ferendam a mari submissa.

Ejus milites magna cum cæde pelluntur.

Inde aliquot locis atrociter dimicatum est: id adeo ex ipsâ vulnerum fœditate perspici potuit. Cosmo Paivæ gladio femur abscissum. Vasæo Fernando, cum sese in hostes acrius immisisset, decisus ab tergo thorax, perque plagam nudata vitalia. Cuidam, quod super aures oculosque eminebat, a reliquo capite, prope ad ostentationem artis, uno acinacis ictu divisum est. Circa unam item e turribus, qua Prætor ipse constiterat, multum sanguinis fusum: & vexillifer Eduardus Barbutus, inter scandendum ter ab hoste præcipitatus, repetito quartum conatu in pinnas evasit: ibique per vim Lusitana signa constituit.

Fit atrox pugna.

Exinde ingens Mamudianos invasit pavor, & fuga passim fieri cœpta perterritis: hinc Prætor, illinc Mascarenias pertinaciter ab tergo cum suis instant, immistique fugientium turbæ eodem impetu in urbem irrumpunt: ibi redintegrata pugna; & æquis aliquandiu viribus mercenarii ac transfugæ maxime resistebant. Urgente dein vehementius Lusitano, quantum se invehebat hic, tantum illi de loco demoti: atque uti denuo inclinarat certamen; Lusitana vis ultra sustineri non potuit.

Mamudiani in urbem fugientibus instant Lusitani.

Fusi Mamudiani, insula trepide relicta, super alium alii ex utroque ponte sese in continentem ejiciunt; multi in turba obtriti, multi a persequentibus interfecti. Castris & oppido Lusitanus uno die potitus. In oppidanos deinde nullo discrimine sexus ætatisque sævitum est. Mascareniæ præcipue cohors dolori atque iracundiæ paruit; Mahometicamque perfidiam, cæsos tot præliis commilitones, & diutnrnæ obsidionis mala ad satietatem ulta est: armati juxta & inermes, pueri senesque, viri pariter, ac feminæ trucidati: usque ad brutorum animantium cædem atrox ira pervenit. Regium Cambajæ vexillum, & alia signa relata complura.

Mamudiani funduntur.

Castrensis æque atque urbana præda militi cessit. Utrobique tabernas apertas, paratam expositamque rerum omnium copiam; triclinia strata, & appositos cibos, velut in media pace (adeo Lusitanum Indus contempserat) invenerunt. Simon Pheus, & socii, ad catenas demendas frustra quæsiti. Ab irrito sub muris colloquio Mamudiani Madabam vinctos attraxerant: hosce dein, & una civem Goanum Athanasium Frerium cum militibus viginti, dum lembo Dium peterent, vi tempestatis ad Surratum nuper ejectos, ab nuntio cladis acceptæ Mamudius rabie furens jugulari omnes jussit: in cisternam projecta cadavera.

Lusitani castris oppidoque potiti in oppidanos maxime sæviunt.

Ingens præda militi cedit.

Ceterum in prælio e nostris desiderati circiter sexaginta: ex hostibus ad quatuor millia. Rumecan imperator (incertum a quo peremptus) inter cæsorum acervos gregali amictu vix tandem est agnitus: sexcenti vivi, in iis principes aliquot, in potestatem venere. Præter innumerabilem armorum ac telorum copiam, ænea tormenta majora in castris reperta quinque & triginta.

Hostium cæsorũ numerus, in quibus Rumecan imperator.

Victoriæ celebritatem augent divina miracula.

Clara admodum & gloriosa Lusitanis hæc quoque victoria fuit, vel magnitudine periculi, vel prædicatione omnium, & fama: celebritatem auxere divina miracula; quod hostes ipsimet affirmarent, conserta jam pugna, majores aliquot ballistas applicitum quater ignem, cœlo minime pluvio, respuisse: & super ædiculam arcis apparuisse mulierem cœlesti lumine radiantem, cujus fulgor ita adspicientium oculos menteſque perstringeret; ut cæci propemodum neque in ordines ire, neque in unum conglobare se possent; ac tanto superiores numero, tamen immutata repente rerum omnium specie, in denos Lusitanos pugnaturi singuli viderentur. Inde consternationem, & fugam ortam. Prætor ab tam felici eventu primum Deo sup-

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

ſupplicationes habendas curavit. Collaudato dein exercitu, laureatas ad Joannem Regem litteras miſit, militumque ac ducum virtuti minime maligne teſtimonium tribuit: inde hoſtiles omnes munitiones æquavit ſolo: pontes, quibus inſula continenti jungebatur, interſcidit. Simul ad reficiendam augendamque arcem admotis ipſe ante alios manibus, cunctos accendit: atque ut ingenti labore militum, ita non magno ſumptu, intra paucos menſes partim repurgatæ ruderibus foſſæ; partim etiam turres ac mœnia reſtituta. Iiſque ad extremum laxiore circulo nova foſſa novique muri circumdati. Hiſce rebus peractis, & ſtipendio militibus perſoluto, Prætor ineunte autumno victor Goam inſolita omnium ordinum gratulatione revectus eſt.

Prætor victoriæ largitori Deo ſupplicationes haberi jubet. Munitiones hoſtium diruit, Et arcem reficit.

Tum Goam revehitur.

CXXIX. Per eoſdem fere menſes Idalcan, Decanii rex, in Bardeſianos & Salſetanos fines, eadem, qua nuper iis Luſitano ceſſerat, levitate ad vectigal portoriumque exigendum armata manu procuratores immiſerat. Adverſus hoſce modicis copiis Prætoris juſſu profectus Jacobus Almeida, ejectos ex agris Pondam trepida compulit fuga, caſtellum magnis operibus ab Zuſolarino Idalcanis copiarum duce munitum. Iis cum ab Idalcane ſubſidia mitterentur, Caſtrius ipſe cum duobus millibus peditum, equitibus ducentis in ea loca trajecit. Ad ejus adventus famam pavidi hoſtes, ne expectata quidem oppugnatione, caſtello agriſque exceſſere. Caſtrius Ponda recepta, & everſa, Goam rediit. Inde adverſus Mamudium reparantem bellum protinus claſſe contendit lemborum aut biremium centum & viginti, quibus Luſitani mille octingenti, & e ſociis Naires quingenti (id Indorum nobilibus fortiſſimiſque nomen eſt) vehebantur. Cum hiſce copiis in Cambajam delatus, aliis atque aliis locis milites ſub ſignis ad populandam oram agroſque duxit. Cum diu neminem obvium habuiſſet armatum; ad Barocum denique urbem cum equitum millibus quinque acie inſtructa ſeſe illi objecit Mamudius ipſe Rex. Turritos elephantos & curulia tormenta in prima fronte locaverat; poſt elephantos in dimiatæ lunæ figuram inſtructo equitatu ſubſtiterat. Neque Caſtrius detrectavit certamen. Ubi ad teli jactum eſt ventum, repente Mamudiani referunt gradum, haud tamen confuſis turmarum ordinibus; & intra conſpectum hoſtium loco remotiore conſiſtunt. Tam ſubiti receptus cauſa in occulto eſt. Sunt qui ab Turca quodam ex præfectis monitum dicant Regem, ne florem nobilitatis & una ſuum ipſe caput furentibus rabie ac temeritate Luſitanis objiceret. Sunt qui putent eo conſilio receſſiſſe, uti aviditate pugnandi pertractos intra ſua præſidia Luſitanos ex omni parte circumveniret. Siquidem e toto regno copias ingentes equitum peditumque in loca vicina contraxerat. Utcunque ſeſe habeat res, Caſtrius ad oſtendendam fiduciam, integris item ordinibus, aliquantulo ſpatio cedentibus inſtare perrexit: dein torrente deſuper ſole, armiſque degravantibus, expreſſa ab tanto rege timoris confeſſione contentus, incolumem exercitum præter oculos Mamudii cum plauſu cantuque ad naves reduxit. Patanem inde Arabum coloniam metu ab incolis relictam, itemque Patem ejuſdem tractus oppidum celebre, & alia emporia multa, plurimas naves incendit: magnum mortalium numerum partim occidit, partim cum alia omnis generis præda captivos avexit: ſata, villaſque, & conditas horreis fruges exuſſit. Eam vaſtitatem per ſe gravem ſpatium temporis graviorem fecit. Tres fere menſes circumlatus belli terror ac populatio: & Mamudii conatus in multum tempus ea clade repreſſi. Inde Prætor, confirmato Dienſi præſidio, renavigans Goam, ex itinere Dabulum oppidum Idalcanis maritimum vi cepit, direptoque flammas injecit.

Idalcan Decanii rex Luſitanos laceſſit.

Ejus copias Jacobus Almeida fundit fugatque.

Prætor Idalcanis caſtellum nomina Pondam recipit.

Mamudium reparantem bellum claſſe petit equitur.

Oram Cambaſicam populatur.

Mamudius it obviam prætori.

Mamudianis referentibus gradum

Prætor inſtat.

Omiſſa pugna incolumem exercitum ad naves reducit.

Maritimis excurſionibus Mamudii conatus reprimit.

Idalcan in Salſetanum agrũ militem mittit.

CXXX. Idalcan, abſente Caſtrio, in Salſetanum rurſus agrum externorum magna ex parte militum octo millia miſerat, equites ſeptingentos. Abaſſini erant Arabeſque Turcis immiſti. Duces iis quinque pari imperio præerant, ita ut pluribus ſententiis in decernendo ſtaretur. Ad Marganum vicum munierant caſtra. Prætor, uti Goam inſulam attigit, priuſquam urbem intraret, novis copiis auctus, ab Agacino (id loci nomen ad veteris Goæ ruinas) illico in Salſetanam terram tranſmiſit ratibus. Luſitanorum peditum duo millia, equites centum & octoginta; pedites Canarinos ex eadem inſula Goa item bis mille; Naires ſagittarios peltatoſque trecentos ducebat. Ejus adventu cognito duces hoſtium ſilentio noctis in locum natura tutiorem ſe recepere. A fronte fluvius, ab tergo mons editus claudebat. Eorum veſtigiis acriter inſiſtens Prætor, in caſtris ab hoſte deſertis ea nocte conſedit. Ibi refectus ex itinere miles. Poſtridie, diviſis quadriſariam copiis, intentus prælio ad hoſtem ducit. Luſitanos interim, tanquam non cum armatis ac pluribus dimicandum, ſed quaſi par pecorum grex mactandus foret, accenſa cupiditas invaſerat pugnæ: miniſque ac denuntiationibus plèrique ad ſigna contineri vix poterant. Ex iis quinquaginta fiſtulatores, inconſulto Prætore, deviis callibus antegreſſi, flumen vado trajiciunt, interclufique ab ſuis temere hoſtem laceſſunt. In eos continuo Arabicus equitatus emiſſus; cumque pauci a pluribus premerentur, atque retro ad flumen trepidi cederent, conſpicatus laborantes Prætor, ad opem circumventis ſerendam amne tranſmiſſo cum paucis equitibus advolat: perque ignium rivos, quos jactæ a Mahometanis ardentes duxerant ollæ, perque media tela hoſtem aggreſſus, tandiu ſuſtinuit pugnam, quoad ab tergo reliqua ſuperveniret acies. Eo primum certamine (ita per litteras juſſerat Rex) cum ſancto Jacobo divus quoque Thomas Apoſtolus invocatus, & is ipſe dies ſorte natalis erat Apoſtoli, XII. Kalendas Januarias: quæ res animadverſa fiduciam animoſque militibus auxit. Simul etiam Caſalius ex Obſervantium familia, idem qui nuper ad Dium, Chriſti pro nobis e ligno pendentis effigiem excelſam gerens, commemoratione tantæ caritatis identidem addebat ſtimulos. Neque ad ſuperos vota, neque ad homines hortamenta irrita fuere. Evidens tum quoque cœleſte numen Chriſtianis affuit rebus. Et Luſitani proceres, novo ardore concepto, in Mahometanas catervas impetum dant. Alvarus Caſtrius primo incurſu duos ex equis præcipitat; ſtricto dein gladio ſeſe medios in hoſtes immittit. Joannes Ataidius unum ex primariis deturbat: inde non gladio tantum, ſed manu atque impreſſione urget adverſos. Franciſcus Sylvius, effuſo item uno, cum tribus ſimul capeſſit pugnam, atque omnes interficit. Jacobus Almeida unum e quinque ducibus haſta transfigit. Alvarus Camigna tres equites, Alvarus Gamma duos, Antonius Perſona totidem ſternit. Salvator Fernandus vexillifer, ad ceteros magis magiſque inciiandos, in mediam hoſtium aciem ſeque, & ſignum intrepidus intulit. Dum hæc ab anteſignanis fiunt, nequaquam ab aliis interea ceſſatum: acriter ubique geſta res. Magna paſſim edita ſtrages: ac niſi prælio interveniſſet nox, e tanto hoſtium numero pauci omnino ſuperfuiſſent. Sub veſperum cœpta pugna, circiter unius horæ ſpatium habuit: arrepta dein fuga plenos vulnerum ac pavoris Mahometanos tenebræ ſimul ac ſylvæ tutatæ ſunt. Eorum equites cecidere centum & quinquaginta, ſexcenti pedites: e quinque Præfectis occiſi tres. In iis Celebatecan Turca, magna inter omnes auctoritate: e reliquis alter duabus acceptis plagis ægre tandem evaſit; alter incolumis per denſas cohortes incitato equo ſibi viam aperuit. E Luſitanis unus tantum deſideratus, Joannes

Prætor in Salſetidem proficiſcitur.

Et hoſtium veſtigiis acriter inſiſtit.

Diviſis copiis, ad pugnam ſe parat.

Luſitanos cupiditas invadit pugnæ.

Inconſulte antegreſſos ac repoſſos adjuvat Prætor.

Per media tela hoſtem aggreditur.

Luſitanis intentibus certamen Antonius Caſalius ex Obſervantium familia ſtimulos addit.

Mahometanorũ adita ſtrages.

Cæſorum numerus.

nes Carriagius, Goanus civis, & Naires duo: vulnerati Lusitani quatuor, Naires haud amplius tres. Hæc omnia postmodum ad Joannem Regem fuse perscripsit Prætor, idemque multiplici intra vertentem annum parta victoria, Goam urbem specie triumphantis invectus est. Sub hæc, perhonorificum de rebus ad Dium gestis decretum regis allatum. Ex eo cum alia fortibus viris divisa præmia; tum veteranis ad Bazainum agri assignati. Prætor ipse laudatus verbis amplissimis, & Proregis titulo decoratus est: eidem super honorarium stipendium decem auri millia dono data, & in tres annos prorogatum imperium.

Prætor Goam specie triumphātis ingreditur.

Proregis titulo decoratur ab Lusitaniæ rege.

CXXXI. Sed, quæ rerum humanarum vanitas est, Castrio non diu licuit uti honore, ac beneficientia Regis. E magnis laboribus vigiliisque lenta correptus febri, gementibus bonis, intra paucos menses extinguitur, vir omnium consensu æque belli, ac pacis artibus clarus. Exstant ejusdem Castrii ad Joannem regem epistolæ: in quibus, præter communis boni studium insigne, non vulgarem insuper tum militaris, tum politicæ rei scientiam facile animadvertas, &, quod hæc omnia superat, usque adeo pius perhibetur fuisse, uti quantalibet stipatus aut nobilium, aut plebis frequentia, ad Crucis adspectum illico positis humi genibus, oculos in cœlum cum attenta quadam veneratione defigeret. Huic pietati non sine causa victorias vulgo acceptas ferebant; quas brevi tempore, parvisque copiis, non paucas, neque obscuras de nominis Christiani hostibus reportavit: hoc etiam nomine felix, quod morienti Franciscus Xaverius Indiarum Apostolus, unaque duo ex Observantibus viri affuerunt, atque in extremo illo certamine opem egregiam tulerunt. Demortui cadaver tunica indutum Franciscanorum, insignibusque sodalitatis ejus, quem Christi ordinem militarem appellant, funebri pompa elatum est, conditumque in Basilica divi Francisci. De Antonio Casalio, cujus in Castrium eximia fides, atque in Ecclesiam præclara merita constiterunt, nihil præterea scriptum reperio: ut proinde eum putem circa hæc tempora decessisse.

Ejusdem obitus, ac laudes:

Morienti D. Francisco Xaverio duoque presbyteri ex Observantium familia affuerunt.

Cadaver ejus Observantium tunica induitur, & in eorum conditur templo.

Antonii Casalii laus.

CXXXII. In insula Dio Observantium cœnobium extructum est, ubi Antonii Virguletani e Romana Provincia Reformatorum cadaver miraculorum clarere gloria testantur ejusdem Provinciæ commentaria. Is ab Pontifice Maximo ad Æthiopes missus, inter incommoda quotidiana Romanam fidem ac religionem longe provehere omni ope contendit. Verumtamen ejus vota in irritum cecidere: quippe a barbaris primum inclusus in carcerem, deinde in insulam Saquenium nomine deportatus, longa fame vigiliisque tandem extinguitur. Cadaver ejus ab Lusitanis negotiatoribus Dium delatum, atque in templo Franciscanorum conditum est.

Antonius Virguletanus e sodalitio Reformatorū ad Æthiopes mittitur a Pontifice.

Moritur. Corpus ejus Dium defertur.

CXXXIII. Sub idem tempus, quo apud Dium hæc gerebantur, in regnum quoque Cranganoris ab Observantibus itum est: quibus etiam suscepti laboris, & industriæ fructus multo maximus constitit. Eam terram Christi cultores fere omnem tenebant e vetustissima illorum stirpe, quos beatus quondam Apostolus Thomas ad sanam religionem ac fidem a Brachmanarum fabulis, & impura superstitione traduxit. Is Indiam provinciam in orbis terrarum distributione sortitus, Socotoram insulam Arabici maris fertur adiisse primum: dein, multis ibi factis Christianis, trajecisse Cranganorem. In ea civitate cum multos item Christo filios peperisset, Colanum petiit: neque ibi frustra disseminato Evangelio, trans juga montium ad oram orientalem ingenti labore contendit: multisque locis, ac præsertim in Coromandelis regno, Christiana re bene gesta, perrexit in Si-

Regnum Cranganoris adeunt Observantes.

Christiani Thomæi eam terram tenentes.

D. Thomæ Apostoli in Cranganorem adventus, & ibidem res gestæ.

Ejuſdem ad Sinas profectio.

nas, quorum ea tempeſtate celeberrimum erat nomen; ac Divini verbi ſementem in eo quoque novali facere inſtituit. Atque haud pœnitenda collecta fruge, templiſque ad Chriſti cultum ædificatis, in Coromandelem ad reviſendos & confirmandos in fide neophytos rediit.

In Coromandelem redit.

Coromandelis caput ac regia tum erat urbs Meliapor; quam vetuſtate belliſque dirutam nuper Luſitani, deducta eo militum emeritorum colonia, frequentarunt, ac mutata appellatione, honoris Apoſtoli cauſa ab ſancto Thoma denominarunt. In ea urbe ſacram ædem extruere aggreſſus Apoſtolus, cum a dæmonum ſacrificulis, & ab Sagamo Rege prohiberetur; res interim inſignis accidiſſe perhibetur ad Chriſti virtutem, & fidem Evangelii comprobandam. Inuſitatæ magnitudinis truncum, ut fit, in littus ejecerat mare, quod eo tempore lucas fere decem ab urbe diſtabat. Eam rex materiam cum in uſum ædificii cujuſdam vehementer expeteret, robuſti primum homines incaſſum funibus ergatiſque amovere conati. Dein adhibiti complures elephanti, cum toto connixi impetu nihil omnino proficerent; Apoſtolus Regi conditionem tuliſſe fertur, ſi truncum illum ſibi ad templum vero Deo ædificandum daret, nullis machinis, nullo mortalium adjutore, ſe ſe protinus eum ad urbem attracturum. Cum rex, inſanire videlicet hominem ratus, per ludibrium annuiſſet; tum divus Thomas zona, qua erat præcinctus, ad prominentem e caudice ramuſculum annexa, ſigno tantum facto Crucis, immanem ſtipitem facili ductu ſequentem, univerſa ad ſpectaculum effuſa civitate, in ipſo pomærio ſtatuit: ibidemque defixa lapidea Cruce, vaticinatus eſt, cum ad eum lapidem uſque pertingeret pelagus; tum Divino juſſu e remotiſſimis terris candidos homines ad eadem, quæ ipſe intuliſſet, ſacra inſtauranda venturos. Neque fefellit prædictio. Siquidem ſub Luſitanorum appulſum, occultis tot annorum acceſſibus locus Oceano demum allui cœptus. Verum ab eo ſigno ceteriſque virtutibus, cum Thomæ verbis major in dies accreſceret fides, Brachmanas autem fuco, & fallaciis parta jam auctoritas, jam ſagina deficeret; accenſus rabie quidam ex iis, fœdum, ac ferum facinus mali dæmonis inſtinctu conſcivit. Filio admodum puero ipſemet necem intulit, ut haberet unde peregrino & inviſo capiti crimen exitiumque conflaret. Citatus ad regem Thomas. Cum accuſator ab eo per ſummam indignationem, & querimoniam pœnas filii extincti repeteret; contra, Thomæ diſcipuli affinem aut omnino conſcium ejus culpæ magiſtrum negarent; nihil opus eſſe conjecturis & certaminibus ait Apoſtolus; ab ipſomet, qui occiſus dicatur, omnium optime cognoſci rem poſſe: petit, ut ejus publice interrogandi poteſtas fiat. Nihil recuſatum ab adverſario: & cunctis tam inauditæ rei expectatione ſuſpenſis, cadaver in medium affertur. Tum ad exanimem puerum Thomas placido & ſereno vultu converſus: *age dum*, inquit, *per Chriſtum, quem ego Deum prædico, palam & ſine ambagibus puer prome, quiſnam hujuſce tanti ſceleris auctor extiterit*. Mirum dictu: ad Chriſti nomen, frigido & exangui corpuſculo vitales confeſtim rediere ſpiritus: & clara voce, ut omnes exaudirent, Thomam certum ſummi Dei legatum, & ipſius odio, ad ſtruendam illi calumniam nefarias a parente ſibi manus allatas eſſe confirmat. Hac tam illuſtri tamque admiranda teſtificatione fractus calumniator obmutuit. Sagamus propenſo jam ante ad credendum animo, Chriſtianam deinde fidem ac religionem ſine ulla dubitatione complexus eſt. Regem ex amicis, & popularibus imitati complures.

De D. Thoma res mira.

Ejuſdem vaticinium de Chriſtiana religione per eandidos hominos multo poſt inſtauranda in Indiæ regionibus.

Brachmanæ cujuſdam flagitiū,

Et in D. Thomam crimen cōflatum.

Qui calumniam miraculo diluit.

Et Sagamum regem ad Chriſtū convertit.

CXXXIV. Brachmanis, quamquam detecta divinitus fraude, & pulſo in exilium parricida, pertinax tamen, & cæca manſit improbitas. Cum lætos

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

lætos Christianæ rei progressus, & neglecta deorum simulacra ferre non possent, facta conspiratione, præconem Evangelii e medio tollere omnino constituunt. Tumulus erat non procul ab urbe: quo Thomas identidem, e Christi disciplina, secedere propitiandi æterni Regis, & sui recolligendi gratia, consueverat. In eum locum, tempore captato, Brachmanæ armati cum sui similibus impetum dant. Ibi Apostolus dum ad crucem, alienato ab sensibus animo, Deum pro salute hominum, & ejus præsertim populi deprecatur; telis primum ac lapidibus appetitus, dein ab uno e Brachmanis lancea transfossus occubuit. Venerandum corpus inde sublatum a discipulis, & in templo nuper ædificato conditum est. Accessit martyrii nomine, & memoriæ causa, fragmentum hastæ, quæ inhæserat costis; & baculus præferratus, quo ille ad peregrinationes utebatur; & urna fictilis cespite inserto, nempe qui manantem e sacris vulneribus cruorem ebiberat. Exinde locus multis miraculis claruit, ac magnus eodem ex omni parte concursus, voti & religionis ergo, fieri cœptus. Hæc ferme Indi sciscitantibus Lusitanis, non e fama solum, sed etiam e veterum annalibus edidere. Quin egregias Thomæ laudes, ac mortem pro Christi nomine fortiter obitam, pueris Malabaribus patrio carmine decantare mos est. Sunt qui cum tribus Magis, qui ad Christi liberatoris incunabula cum muneribus adoranda, Sibyllæ Indicæ, ut ferunt, monitu, Stella duce tetenderant (quo in numero Pirimal Ceilani rex ponitur) Thomam in Oriente congressum, deque immani trunco miraculum non Meliapore, sed Cranganore perpetrasse dicant, ac postremo in Calamina urbe mactatum regis imperio, qui Saganio defuncto successerat; ac sacrum deinde corpus Edessam Mesopotamiæ translatum a Christianis fuisse contendant. Quorum certius judicium, quod ad martyrii attinet locum, Ecclesia sequitur universa; quæ in Officio beati Thomæ ita legit: *telisque confossus, Calaminæ Apostolatûs honorem martyrii corona decoravit*. Nec dubium est, quin ex divini viri præceptis atque institutis, ingens hominum multitudo variis Indiæ dispersa regionibus, in hæc usque tempora Christi nomen, fidemque tenuerit; quamquam ex Armenii Patriarchæ Nestoriani placitis, a quo Episcopos paulo ante hanc memoriam accipere consueverant, multis vitiis, & erroribus inquinatam. Alioquin Apostolicas cæremonias magna ex parte obeunt, altaris mysteria religiose venerantur; eoque viatico, decedentes e vita, semuniunt. Aduentus Domini, & quadraginta dierum solemne jejunium persancte agunt; quotidianæ psalmodiæ & sacris insistunt; & cum alia Christi Domini sanctorumque festa rite concelebrant, tum vero præcipue paschalium feriarum octavam, quam Dominicam in albis vocamus; quod eo demum die incredulus antea sanctus Thomas, indito in Christi latus ac vulnera digito, Dominum suum, ac Deum suum præclara testificatione confessus est. Alia præterea multa ex majorum traditione diligenter observant, eo majore fidei & constantiæ laude, quod ob id ipsum non modo a Mahometanis hominibus acerbe vexantur, sed etiam ab regulis ethnicis in servitutem redacti, cum alias indignitates & contumelias perferunt, tum vero sedem ac domicilia iniquis pensionibus redimere subinde coguntur.

A Brachmanis interficitur.

Ejus sepulchrum miraculis clarum.

D. Thomam Indi Malabares magno in honore habent. De ipsius in Indiam adventu, ac morte obita, aliorum opinio.

Ab Indorū multis Christi fides retenta ad hæc usque tempora.

Eorum ritus ac cæremoniæ.

CXXXV. Iis adventu Franciscanorum nova divinitus affulsisse lux visa. Annus agebatur hujus seculi secundus, cum primum in eas terras penetrarunt; ex eoque tempore magno tum in amore, tum in honore ab inquilinis Christi cultoribus haberi cœpti. Itaque horum Ecclesiam miserabili errorum colluvie sordibusque scatentem, quibuscumque modis possent, repurgare, & in pristinum decus ac dignitatem restituere adorti sunt. In iis

Franciscani in Indiam navigant Evangelii disseminandi causa.

Wadding. Tom. XV. anno 1502. num. 2.

Vincentius a Lacu Tanoris in regno re bene gesta, ad confirmandam Cranganoris Ecclesiã convertit animum. *Wadd. to.* XVI. *anno* 1540. *n.* 6.

iis per hæc tempora insignem tulit pietatis ac solertiæ laudem Vincentius a Lacu, vir, siquis alius, immortalitate dignissimus, qui Joannem Albuquercium (ut supra commemoratum est) Goanum Antistitem e Minorum familia in Indiam proficiscentem est comitatus. Is cum regem reginamque Tanoris, ac duos proceres aulæ regiæ sacro fonte tinxisset, ad Cranganoris Ecclesiam in officio Catholicæ fidei continendam convertit animum. Et conspicatus, ministrorum penuriam in causa esse, ut in dies glisceret malum, passimque monstra Nestoriani dogmatis reviviscerent, per idoneos homines fœdam pestem comprimere, eamque Domini vineam omnibus modis perpurgare constituit. Quocirca cum Antonio Perrerio Lusitanorum primario viro communicatis consiliis, juventutis collegium, quæ religioni ac bonis artibus operam daret, Cranganore fundavit. Annus erat seculi hujus quadragesimus sextus, quo primum filios inquilinorum adolescentes, numero octoginta, itemque aliquot Lusitanos in eam sedem deduxit: ubi Latinæ ac Lusitanicæ linguæ institutionibus eruditi, & ad omnem virtutem, ac religionem informati, Romana dogmata imbiberent animis, quæ vernacula gentis lingua suis deinde popularibus explicarent. Hinc enimvero magna opportunitas non modo Ecclesiæ amplificandæ, sed sermonibus etiam doctorum hominum scriptisque illustrandæ manavit. Vincentius, ut, quod jampridem destinaverat animo, omni ope conficeret, aureos nummos quingentos e vectigalibus regiis, qui in usum Collegii singulis annis insumerentur, impetravit. Ipse precatus immortalem Deum, ut orsis tanti operis successus prosperos daret, ad imbuendam optimis legibus juventutem omnes industriæ nervos intendit; brevique perfecit, ut complures exculta Romanæ Ecclesiæ disciplina, insignem deinde operam ad reipublicæ utilitatem incrementumque navarent. Eorum aliqui inter alumnos vel Franciscanæ, vel Dominicanæ familiæ adlecti, quidam sacerdotio initiati ab Andrea Cocinensium Episcopo, administrandis magna cum laude parœciis excelluerunt. Omnium denique unus labor, & cura fuit, ut, quæ arcana Catholicæ fidei, assidua commentandi exercitatione percepta, ipsorum animis alte insedissent, ea sine fraude aut erroris periculo in vulgus disseminarent. Sub adventum Vincentii tredecim millia hominum erant Cranganore, qui fidem Christi profitebantur. Domicilia non cum ethnicis aut Mahometanis communia, sed procul ab urbibus oppidisve seorsum posita obtinebant. In his templa admodum pauca exigui numero sacerdotes e Nestoriana disciplina, qui vulgi sermone *Casanares* dicuntur, procurabant. Sed eos tamen Ecclesiæ ritu initiatos fuisse, non est exploratum. Quidam illos ædituos, alii solitarios e laicorum grege semotos, quod assiduis precationibus operam darent, fuisse arbitrantur. Vincentius igitur cum delecta juvenum manu in hæc suburbia profectus, e templorum suggestis in confertissima Indorum turba sermones habebat: & quas ministri fallaces eorum mentibus tenebras jampridem offuderant, eas nimirum ut veritatis objecta luce dispelleret, nitebatur. Agendi autem rationem sequebatur ejusmodi: Fidei præcepta & mysteria cognitu necessaria, primum ad vulgi captum explanabat, iterabatque, ubi opus esset, eadem sæpius: deinde opportunis digressionibus certos interim locos tractabat fusius, non ad ingenii, vel doctrinæ ostentationem, sed ad pietatem excitandam, populumque permovendum accommodatos. Idque tam veris gravibusque sententiis, tam ardenti vultu oculisque, ut Divini amoris ignem undique spirare videretur, minime fucatæ eloquentiæ vir, nec in singulas voces numerosque sollicitæ, sed ingenti animo, prout impetus tulerat, sua sensa prosequen-

Juventutis collegium fundat Cranganore.

Ejus rei causa pecuniam impetrat ab Rege Lusitaniæ.

Ejusdem collegii leges & instituta.

Christianorum Cranganorensium mores vitæque disciplina.

Eorum in templis conciones habet Vincentius.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

quentis. Itaque peroratione m ejus, non ineptus populi plauſus, aut ſtulta facundiæ commendatio ſequebatur, ſed alta ſuſpiria gemituſque, & anteactæ vitæ deteſtatio ſalutaris: ut vel defixis humi oculis, triſtes, ac ſibimet irati diſcederent, vel etiam illico ſeſe ad ejus, comitumve pedes abjicerent confitendi cauſa, tanto cum fletu, atque ſingultibus, ut linguam ſolvere, aut vocem in verba formare vix poſſent. Multorum ergo ex hac Vincentii conſuetudine inſignis vitæ morumque mutatio eſt conſecuta. Et ejus gentis pleriqne a Romani Pontificis auctoritate antea ſejuncti, impietatem pravi dogmatis deteſtari, caſtoſque ritus, ac cæremonias deinceps agere occœperunt. Ad ſacrificia non fermentato, ut olim pane, ſed communibus hoſtiis Latinorum uti inſtituerunt. Ad hæc Sacramentum unctionis extremæ ritu legitimo adminiſtratum; Euchariſtia non frequentius modo, ſed majore, quam antea, religione vulgo ſuſcepta; denique omnia ſaluberrimis legibus conſtituta uſuque recepta, quæ ad ejus Eccleſiæ vel ampliationem vel tutelam pertinere videbantur. Cum res Vincentio ſociiſque ex animi ſententia procederent, ad ædificia, & ſarta tecta converſi, dicata ſuperis templa, vetere ſitu & ſqualore deterſo, inſtauranda curarunt. Nova præterea a fundamentis excitata eleganti ſtructura; iiſque ſacerdotes, qui Eccleſiæ Romanæ ritu munera obirent, attributi: cumque ædes antiquæ præter lapideas cruces, quibus intus foriſque conſperſæ erant, Divinæ Matris, aut divorum imagines nullas haberent, his quoque parietes araque templorum ornari cœptæ. Vincentius tandem Chriſtiana re confirmata, ethniciſque præterea multis ſalutari lavacro regeneratis, ad ſempiterna laborum præmia Cranganore deceſſit anno ſeſquimilleſimo quinquageſimo. Seminarium, quod in urbe condiderat, magis ac magis amplificatum, non Cranganoris modo, ſed finitimarum quoque gentium pueros, & adoleſcentes, piis ac liberalibus diſciplinis imbuendos (quam unam expeditiſſimam conterendæ impietatis eſſe rationem compertum eſt) inſtituto plane Divino exinde ſuſcepit.

Iiſque perſuadet, ut ad bonam redeant frugem, ac Romana ſacra ſuſcipiant.

Templa obſita vetuſtate inſtauranda, nova ædificanda curat.

Vincentii obitus.

CXXXVI. Ceterum per hæc tempora qui ſtatus eſſet Indicæ Eccleſiæ, qui mores, quibus artibus ſuperſtio improbitaſque oppugnatæ, perſpicuum eſt ex ejuſmodi litteris, quas Joannes Rex Luſitaniæ hoc anno dedit ad Caſtrium Prætorem.

JOANNES Rex Joanni Caſtrio Indiæ Prætori amico ſalutem.

QUod non ignoras, idololatria tam grave piaculum eſt, ut ea in meis regnis ullo pacto ferenda non ſit. Delatum eſt autem ad nos, in Goanis finibus, tum publice, tum privatim coli ſacella idolorum; præterea ludos, rituſque ethnicos celebrari palam. Ac proinde tibi etiam atque etiam mando, ac plane jubeo, idola omnia per idoneos adminiſtros inveſtigata, & undique ſublata comminuas, comburaſque, & cum gravibus edictis minis, ne cui prorſus ullum ejuſmodi ſimulacrum aut ſignum ex ære, ligno, argilla, gypſo, aliove metallo, materia, maſſa, fundere, ducere, ſculpere, fingere, exprimere, figurare, aut aliunde importatum habere, ſeu ſacra ludoſve ethnico more facere, aut Brachmanas concionatores magiſtroſve, teterrimos Chriſti adverſarios, ulla ope juvare, vel tecto recipere liceat. Qui ſecus fecerit, pœnis in edicto propoſitis nulla remiſſione mulctator. Et quia gentes ad legitimum unius Dei cultum, non modo ſpe futuræ beatitudinis, ſed etiam præſentibus interdum præmiis invitandæ ſunt; curabis enixe, uti redemptura vectigalium, curationes publicæ, & alia munera quæſtuoſa, in homi-

Regis Luſitaniæ ad Caſtrium Indiæ prætorem litteræ.

Idola comminui jubet.

Et Brachmanas Chriſtianorum tectis arceri.

nes

Munera quæſtuoſa Chriſti neophytis confecta.

nes ethnicos ad hanc diem conferri ſolita, in ipſos Chriſti neophytos primo quoque tempore transferantur. Ad claſſes meas deducendas audio promiſcuum cogi vulgus Indorum. Placet excipi Chriſtianos. Quod ſi neceſſitas eorum quoque operas interdum exegerit; videbis omnino poſthac, ati quotidiana illis merces ac juſta ſolvatur. Atque hoc toto de genere Michaelis Vaſcæi ſententiam exquires: quem nos virum & publicæ rei bene peritum, & Chriſtianæ religionis apprime ſtudioſum animadvertimus. Ad hæc certis auctoribus magno mihi meo dolore compertum eſt, ab Luſitanis hominibus vili pretio coempta mancipia, quæ apud Chriſtianos dominos perfacili negotio ad Baptiſmum adduci poſſint; Mahometanis, ac barbaris mercatoribus, ad non dubium animorum interitum, aberioris quæſtus cauſa venundari. Id piaculum ne admittatur in poſterum, neu ſervitia alii niſi Chriſtiano emptori aut licitatori addicantur, item gravi cavebis edicto. Fœneratorum licentiam, quam certo capite Goanarum legum ali didicimus, fac imperio atque auctoritate coerceas: idque caput e legum ſerie quamprimum expungas. In oppido Bazaina templum Divo Joſepho exſtruitor, idoneumque ſtipendium alendo Vicario, & beneficiariis aliquot, de meo aſſignator. Annua porro tria pardaum millia, in impuras Mahometis ædes, & nefarium cultum ab ejus ſectatoribus impendi antehac ſolita, Evangelii præconibus & converſionis adjutoribus in poſterum numerantor. In agro Cialenſi, neophytis a Michaele Vaſcæo inſtitutis, & ſi qui præterea ad Chriſtum acceſſerint, e meis vectigalibus trecenti quotannis oryzæ modii ob antiſtite dividuntor. Pondera, pretia, pactiones, olim cum Thomæis Chriſtianis initas, qui in Cocinenſi ditione divendunt piper, a noſtris mercatoribus labefactari, violarique cognovimus: necuon ſubtrahi corollaria, quæ ad pretium addi ex pacto convento conſueverant: idque magno cum eorum damno pariter, & offenſione, quibus multas ob cauſas præcipue conſultum oportuerat. Ac proinde curabis quam diligentiſſime, ut in biſce commerciis Thomæi prorſus incolumes indemneſque ſerventur: eoſque ceteris etiam in rebus, uti Chriſtianos & ſocios æquum eſt, liberaliter comiterque tractabis. Ages etiam cum ipſo Cocini Rege, uti ritus quoſdam ethnicos ab ipſius auguribus in piperis venditione adhiberi ſolitos (quandoquidem nihil ipſius ea res intereſt) e noſtro commercio tolli permittat. Ab eodem Rege ajunt Indos ex ejus ditione, qui relictis idolis Chriſtiana ſuſcipiunt ſacra, fortunis omnibus illico ſpoliari. Ab ejuſmodi immanitate & tu omnibus nervis amicum Regem niteris avertere; & nos ipſi quoque in eandem ſententiam ad eum litteras dabimus. Socotoranam cauſam diligenter ipſe tu mihi coram, & per litteras commendaſti. Eos ego populos e miſerrima ſervitute ereptos admodum capio; ſed cum eo, ne Turca, cujus in imperio ſunt, acrius irritetur; claſſeſque in iſthæc maria mittere paulatim aſſueſcat. Hoc totum, adhibito Michaele Vaſcæo, tu pro tua providentia rerumque iſtarum uſu videbis cujuſmodi ſit. Piſcarii littoris incolas, cum aliis injuriis affici a meis ducibus ferunt, tum vero cogi ad ea, quæ piſcantur, ſibi tantum iniqua conditione vendenda. Cavebis igitur etiam atque etiam, ne populis iis liberum vendendi arbitrium adimatur: duceſque mei in commercio ejuſmodi ne quid ſibi proprium arrogent. Atque ad ceteram quoque tollendam vexationem, videbis num ea litsora ſat cuſtodiri, meaque vectigalia ſat commode exigi ſine claſſibus poſſint. Quæ res ſi facultatem habuerit; non eſt cur illuc in poſterum navigent. Præterea cum Magiſtro Franciſco Xaverio conſultabis atque diſpicies, utrum ad ejus Eccleſiæ incrementum expediat, faſve ſit, piſcandi poteſtatem patere dumtaxat iis, qui Chriſtum induerint; ceteros, quoad ſapiant, eo quæſtu, & commodo prohiberi. Qui ex ethni-

Cavet, ne Indica mancipia ulli niſi Chriſtiano emptori addicantur.

Fœneratorum licentiam coercet.

Templum extrui jubet.

Et Evangelii præconibus certam pecuniam numerari.

Chriſtianos Thomæos in obeundis commerciis ab omni offenſione incolumes præſtat.

Ritus quoſdam ethnicos ab Cocini Rege abolendos curat.

Eundem Regem ab exercenda adverſus neophytos immanitate conatur avertere.

In Socotoræ populos eſt egregie animatus.

Vexationes incolarum Piſcarii littoris tollit.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

ethnicis ad Chriſtum ſe ſe convertunt, eos audio tamquam ſceleratos & ſacros a parentibus, cognatis, amiciſque tecto ejici, bonis everti, ac ſumma protinus in ſolitudine atque egeſtate verſari. Horum tu inopiæ ſublevandæ, communicata cum Vaſcore, annuam e meis reditibus pecuniæ ſummam decernes, diſtribuendam a ſacerdote, qui ejuſmodi neophytorum inſtitutioni præfuerit. E Ceilano inſula regius, uti fertur, adoleſcentulus, impias, avunculine an parentis? effugiens manus, Goam baptiſmi gratia ſe contulit. Hujus in perſona quando ad aliorum convertionem haud leve momentum eſt, dabis operam, uti doctrina quidem ac moribus in divi Pauli Collegio cum alumnis ceteris imbuatur: quod vero ad victum cultumque attinet, lauto ſeparatim hoſpitio, impenſa mea, copioſe ac liberaliter habeatur. Signifcavit is ipſe mihi per litteras, ad Ceilani regnum ſibi jus actionemque competere: videbis quidnam hoc ſit: totamque rem probe exploratam & cognitam ad me perſcribes. Quod autem tyrannus in ſuos populares, qui Evangelio credidere, tam crudeliter ſævit; feras quidem illas, verumtamen debitas tanto ſceleri pœnas ab eo per te quamprimum exigi volo; & gravem audaciæ mercedem ſtatui; quo intelligant omnes, nihil eſſe mihi antiquius, quam ut omni ex parte integri incolumeſque ſerventur, qui a dæmonum caſtris ad Chriſtiana ſigna tranſierint. Ab ethnicis artificibus, Chriſti Domini, Virginis Matris, & ſanctorum imagines pingi, atque adeo circumferri venales, minime decorum eſt nomini Chriſtiano. Tu ergo eum proſcriptionis ac virgarum minis edices, ne cui profano tabulas ejuſmodi pingere, aut vendere quoquo modo in poſterum liceat. Paracialo Coeini templum, itemque Colani, dudum inchoata, patere imbribus putrefacienda, turpiſſimum eſt. Utrumque tu, architectis, & fabris adhibitis, quamprimum tegendum, ac perficiendum curabis. Placet etiam, in vico Noroa templum divo Thomæ Apoſtolo fieri; Calapore cœptam ſanctæ Crucis ædem abſolvi; itemque in Ciorano inſula templum excitari: Præterea, locis idoneis auditoria & ſcholas inſtitui, ad quæ ſtatis diebus non Chriſtiana modo plebs excebiſmi causa, verum etiam ethnici ad Evangelium audiendum vel inviti conveniant. Quandoquidem in iſta mea ditione mihi primum omnium, & maximum eſt obſequium Dei, & Chriſtianæ religionis amplificatio; cupio vehementer e Salſetanis quoque & Bardeſiis finibus, quibus mihi nuper Idalcan ceſſit, idolorum cultum, ac profanas gentium ſuperſtitiones prorſus evelli. Id quo citra tumultum ac vim, hoc præſertim initio fiat; expedit rationibus, ac diſputationibus quam leniſſime populos edoceri, quanto in errore, ac veritatis ignoratione verſentur: quamque vel perverſum, vel impium ſit, cultum uni debitum Deo, ſimulacris, lapidibuſque ab homine tribui. Porro ad eas pellendas tenebras, eum alios viros adhibebis virtute & eruditione præſtantes; tum vero ipſe tu primarios gentis evocare, alloqui, monere non deſines, atque omni ratione ad Chriſtum allicere. Qui ſe ſe dederint, hoſce in fidem receptos, non tueberis modo, ſed etiam pro ſuo quemque captu fovebis ornabiſque. Hæc omnia ſcito nobis majorem in modum eſſe cordi: quæ ſingula te pro tua induſtria, & probitate ſedulo curaturum eſſe confidimus. Almerini VIII. *Idus Martias* MDXLVI.

Annuam pecuniam neophytis decernit.

Regium adoleſcentem ad Chriſti fidem converſum erudiri jubet.

Ac Ceilani tyrannum in neophytos ſævientem graviter plecti.

Edictum in ethnicos artifices.

Mandatum de quibuſdam templis ſarciendis, noviſque excitandis.

Ethnicos vel invitos ad Evangelium audiendum convenire jubet.

Tum e Salſetide, ac Bardeſianis finibus ſimulacrorum ſuperſtitione evelli.

CXXXVII. Epiſtolam igitur hanc, indicem regiæ pietatis ac ſapientiæ Michael Vaſæus, eximia virtute ſacerdos, in Indiam pertulit. Ceterum ſalutaria Principis mandata, itemque prætoris edicta, non quantum par fuerat ponderis habuere. Obſervata, & exhauſta ferme facillima quæque. Reliqua, partim quod privatis obſtarent commodis, haud æquo animo in vulgus accepta: partim, nondum maturis ad agendum rebus, in aliud tem-

pus dilata. Hæc fere omnia, quæ in Indiæ regnis hac tempeſtate memoratu digna contigerunt, ex probatis auctoribus, Franciſcanorum vel opera, vel conſilio geſta eſſe cognovimus. Ad alia jam tranſeamus.

Bonaventura Vincentinus Ordinis Tertii generalis præfectus deſignatur.

CXXXVIII. Hoc anno Tertii Ordinis profeſſores, quorum ſodalitas ab Inſubribus nomen accepit, apud cœnobium ſanctæ Mariæ de Curla in Diœceſi Bononienſi comitia habuerunt XVI. Kalendas Junii. His comitiis Bonaventura Vicentinus generalis Miniſter eſt renuntiatus; qui ſubinde familiæ leges atque inſtituta emendavit, atque Apoſtolica auctoritate rata haberentur, per Carpenſem Cardinalem, qui Patroni appellatione univerſum tum Ordinem tuebatur, enixe curavit. Pontificium diploma in loco proferemus ad annum Chriſti MDXLIX. Conſcripſit etiam libellum de iis ritibus, qui privato cuique in obeundis familiæ muneribus ſervandi eſſent; itemque Sedis Apoſtolicæ de hoc Ordine Tertio præclara judicia, atque, ut appellant, privilegia, immunitateſque ipſi attributas diligenter expoſuit. Eum libellum defunctus jam officio Bonaventura eidem Carpenſi dicavit. Iis vero, quæ diximus, comitiis Patres interfuere quinque, ac ſexaginta; quibus nomine Cardinalis ejuſdem Hieronymus Paphius in Faventino Epiſcopatu Vicarius præfuit. Hoc ipſo anno Franciſcus Æſinus Capuccinorum præfectus, adminiſtrata triennium familia, primarios patres ad comitia vocavit: cauſatuſque ingraveſcentem ætatem, ut ne invito prorogaretur imperium, omni ope contendit. Itaque in ejus locum Bernardinus Aſtenſis abſens ſublegitur, qui tenerum gregem iis, quos memoravi, proſtratum caſibus erexit, triſtitia, & mœrore confectum recreavit. Nam ejuſmodi leges ad renovandam diſciplinam, & ad bene beateque vivendum accomodatas vulgavit, ut ſqualorem familiæ brevi deterſerit, eamque in priſtinum dignitatis, & honoris locum reſtituerit.

Quædam ejus opuscula.

Bernardinus Aſtenſis Capuccinorum generalis præfectus.

Priſtinam dignitatem familiæ conciliat.

CXXXIX. Deceſſit hoc item anno Alphonſus Rengelius Hiſpanus, Obſervantium Sacerdos, qui Tulanam regionem Evangelii ſerendi cauſa peragravit, eamque Domini vineam ferme decennium diligenter excoluit. Sociorum primus is fuit, qui gentis linguam probe teneret. Nam & ejus inſtitutiones ad convenarum utilitatem accurate conſcripſit, & ſermones vulgavit ad animorum diſciplinam pertinentes, quos rudiores Hiſpani certis anni diebus in concione pronuntiarent. Cum id opus non ſine magno labore, multiſque vigiliis perfeciſſet, ætatis jam exactæ reliquias propagandæ Fidei, & Chriſtianorum animis rite curandis inſumpſit. Per eum multi ab neſaria ſuperſtitione ad Dei cultum vocati, & vitalibus aquis abluti ſunt: multa præterea inanium deorum fana ſubverſa: templum Chriſto reparatori Tulæ dicatum, cœnobiumque Franciſcanorum a fundamentis exſtructum. Quibus de cauſis cum in gravem ſacrificulorum invidiam offenſionemque incurriſſet, eorum dolis inſidiiſque circumventus, & crudelibus modis exagitatus eſt. Verum his perferendis magnam pietatis, ac prudentiæ laudem eſt conſecutus: neque ab teterrimis impoſtoribus evinci potuit, ut is animos deſponderet, aut provinciam deſereret. Illud autem in omni vita mordicus tenuit, ut intimam ſui cuſtodiam, & certa precandi commentandique ſpatia non omitteret. Inde vegetior in dies atque robuſtior, ad opem aliis ferendam ſemet acriter incitabat. Hi quo libentius curationem, ubi opus eſſet, acciperent, cunctis interim officioſe demerendis, atque omni ratione ſibi conciliandis inſiſtere: depoſita ſeverioſe perſona comiter alloqui ſingulos: faciles ad ſe cuilibet præbere acceſſus; contemnere omnino neminem, gloriam æque fugere atque alii captant: nihil in victu cultuque ſibi præcipuum ſumere; minimis viliſſimiſque contentus eſſe. Hac

Alphonſus Rengelius in Tulana regione Evangelium diſſeminat.

Studia ejus collata ad vulgus erudiendum.

Inanium deorum fana ſubvertit. Cœnobium Franciſcanis ædificat.

Exagitatur a ſacrificulis.

Alphonſi vita inſtitutum.

Ejuſdem ratio proximos adjuvandi.

ille

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minoum anno 339.

ille ſummiſſione, officio, ſuavitate, clementia, ceteriſque artibus, quas ei ſpiritus cœleſtis haud dubie ſuggerebat, brevi omnium animos ita ſibi devinxit, uti deinde nihil ad cujuſquam reprehenſionem ab eo profectum, aut acerbum ulli videretur, aut nimium. Salutarem publici catechiſmi ritum in iis regionibus vel primus inſtituit, vel mirifice confirmavit. Quotidie ferme prodibat ipſe cum tintinnabulo, & ingentem promiſcuæ turbæ numerum in templa cogebat. Ibi rectæ Fidei capita, & Chriſtianæ vitæ præcepta Dei famulus fuſe ac populariter explicabat. Ita pueruli, feminæque, ac tarda plerunque mancipia, paucis horis ac pene ludibundi, multo plura percipiebant de rebus altiſſimis atque divinis, quam illa nova ac vetus Academia, Lyceumque illud inclytum, & omnes antiquæ philoſophorum ſcholæ tot ſeculis, tanta contentione, tantis lucubrationibus extundere valuerunt. Ad eas gentes in officio continendas illud etiam ab Alphonſo curatum, uti nitor & elegantia Chriſtiani cultus, itemque ſplendor cæremoniarum cum ſacerdotum religione conjunctus cœlitum templa commendaret. Per hunc modum amplificato imperio Eccleſiæ Romanæ, cum Miniſter Mexicanæ provinciæ deſignatus ad futura comitia in Europam contenderet, gravi morbo correptus, atque in itinere extinctus eſt.

Barbarorum animos ſibi devincit.

Quibus capita fidei Chriſtianæ populariter explanat.

Templorũ ſplendorem magnopere curat.

Moritur.

CXL. Apud Villam Vitioſam Luſitaniæ oppidum in Eborenſi diœceſi naturæ conceſſit Marcus a Portu læto (Amæam veteres appellarunt) qui inter laicos Obſervantium adſcitus innocentiſſime vitam duxit, omneſque virtutes, quæ in eam cadunt conditionem, ſanctitatis illuſtri fama cumulavit.

Marcus a Portu læto laicus Obſervantinus Innocentia clarus.

CXLI. Item Mantuæ in Italia diem obivit Bartholomæus Bergomas, ex eadem familia præſtanti pietate ſacerdos, cujus præcipua laus fuit in emendandis hominum moribus; quorum audiendis confeſſionibus, tradendiſque præceptis Chriſtianæ diſciplinæ ætatem contrivit.

Bartholomæus Bergomas præſtanti pietate ſacerdos.

CXLII. Ferrariæ deceſſit Hieronymus Paganacius, e ſodalitio Capuccinorum ſacerdos, qui cum generis nobilitate pulcherrimarum virtutum laudem in omni vita conjunxit. Is apud Montem Politianum civitatem Etruriæ natus, ubi primum per ætatem licuit, Eccleſiaſticæ militiæ nomen dedit; ac poſt aliquanto inter Canonicos cooptatus, eum dignitatis & amplitudinis locum gravitate, & innocentia optimarumque diſciplinarum ſtudiis quam maxime ornavit. Itaque cum omnium oculos in ſe converteret, & gravioribus curis par judicatus, prope jam eſſet, ut ejus collegii princeps deſignaretur; tantum repente odium concepit eorum, quæ apud cæcos mortales prima putantur, ut omnem faſtus, & humanæ gloriæ cupiditatem prorſus abjecerit. Itaque mutato ſago in Obſervantium ſodalitatem commigravit. Quippe ſe ſe ad Chriſti Domini, ſanctorumque ſectanda veſtigia occulto quodam inſtinctu acriter ſentiebat impelli, & eorum præcipue, qui perfectionem officii in aſperitate vitæ, & in voluntaria corporis afflictatione ſtatuiſſent. Quocirca jam tum agitabat animo, ſimul atque per præfectos liceret, nudis pedibus Hieroſolymam petere, ac frequenti verberatione, longoque jejunio tanta ſupplicia pro mortalium delictis ultro ſuſcipere, quanta videlicet ab excelſo magnoque animo ſalutare odium ſui, & ardens divinæ gratiæ conciliandæ ſtudium exigebat. Jamque rectis euntem ſenſibus, & optima quæque expetentem domeſtica exempla multo vehementius incitarunt. In Palæſtinam deinde, quod jamdudum habebat in votis, impetrata miſſione, proficiſcitur. Incredibile dictu eſt, quantam ex ipſo ſacratiſſimæ urbis intuitu voluptatem perceperit. Tum loca illa, Chriſti Domini, Mariæ Virginis, & Apoſtolorum nobilitata veſtigiis, exi-

Hieronymus Paganacius. Ortus ejus, primumque vitæ inſtitutum. Inter Canonicos Politianæ Eccleſiæ cooptatur.

Ad Obſervantiũ ſodalitiũ aggregatus.

Ardores ejuſdẽ in ſtudio pœnitentiæ.

Navigat in Paleſtinam.

Ejuſque regionis loca ſancta perluſtrat.

eximio quodam animi fructu venerabundus haud ſemel obiit: modo inclyti quondam templi reliquias, modo ſepulcra Prophetarum intuens: hic naſcentis & vagientis, illic docentis & miracula patrantis filii Dei monimenta conſiderans. Ubi vero ad loca ejuſdem acerbiſſimis pœnis inſignia, & morientia ſit cruce ſanguine conſecrata, atque ad defuncti ſepulcrum accederet; effuſus in lacrymas, humo pia oſcula imprimere, immortales agere Domino gratias, incredibili quadam ſpiritus dulcedine & ſuavitate compleri. Ad hæc antiquum beatiſſimæ Virginis domicilium, itemque locum inſtituto primum Euchariſtiæ myſterio, & ſancti Spiritus adventu memorandum, & alia ejuſmodi quamplurima, quæ per otium deinde reviſeret, a myſtagogo quam accuratiſſime addiſcere. Erat Hieronymo jamdiu deliberatum in anguſtis illis Judææ ſedibus pedem figere, atque ad impertiendos Evangelii luce infideles toto pectore incumbere; quod non reperiret, vel ubi ſanctius in terris vitam degeret, vel in quo munere fructuoſius operam collocaret. Verum hæc exequi meditantem Præfectus Ordinis revocavit. Ergo in patriam reverſus, cum plane horridum vitæ genus perſequeretur, amore quodam mirifico captus eſt inſtituti ejus, quod auctoribus Capuccinis eximia laude aſperitatis cum primis excelleret. Atque inter eos propter ſtudiorum ſimilitudinem, libentiſſime adlectus eſt. Per idem tempus Conventualium in ea urbe cœnobium Capuccini occuparunt. Cum his inita ſocietate Hieronymus tranquillitatem animi tantam eſt conſequutus, ut ex vehementiſſima tamquam agitatione, ac ſalo, placidum tutumque portum ſe denique nactum eſſe profiteretur. Cum enim antea mira animi ſollicitudine variiſque ſcrupulorum moleſtiis adeo torqueretur, ut præ nimio angore ſe ſe in avias abdere ſolitudines, ibique radicibus herbarum victitare pene decerneret; ex ejuſmodi hominum conſuetudine vocari ſe ad Chriſtianæ perfectionis faſtigium haud dubie ſentiens, arduum iter, ac ſalebroſum, quod eo duceret, pertinaci virtutum exercitatione cœpit inſiſtere. Primum animi demiſſionis, quæ ceterarum virtutum procreatrix, & parens eſt, ſolida jacere fundamenta; ut ſe mortalium omnium infimum, & opis divinæ maxime egentem putaret, ſibique ceteros omnes ad virtutem pietatemque & exemplo, & incitamento fateretur eſſe. Tum vero linguam, conſtituta ſilentii lege, quaſi certis repagulis coercere, ut ne verbum excideret, quod vel exigua peccati labe mentem inficeret: ſciſcitantibus ex eo cauſam cur tam parce loqueretur, eam ſententiam Jacobi Apoſtoli reponebat: *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt religio.*

Idque dum facit, ingenti gaudio perfunditur.

In Italiam redit Hieronymus.

Capuccinorum ſodalitati nomen dat.

Ejuſdem animi ſubmiſſio.

Cap. 1.

CXLIII. Procedente deinde tempore, cum magis in dies a contagione corporis, Deo adjutore, ſe abſtraxiſſet, facultatem orandi tantam adeptus eſt, nihil ut potius haberet, quam in ſecreta cœnobii loca ſecedere, ubi in Dei rerumque cœleſtium meditationem ſuaviſſime raperetur. Ita vero quotidie ſe comparabat, ut contra dæmonum inſidias, ne circumventus in fraudem induceretur, vel inſtructo, quod ajunt, agmine, ſemper incederet, vel certe diſſipatis in varias curas & negotia viribus animi, tamquam receptui caneret ſtatis horis diei, & in ſemet ipſe deſcenderet, ſuaque omnia dicta, facta, cogitata coram Deo quam diligentiſſime reputaret: denique omnia probe contemplatus, contra id vitium maxime pugnam capeſſeret, quo vitio ſe præcipue urgeri, & laborare ſentiret; nec ante deſiſteret, quam Deo duce debellatum eſſet. Per hunc modum in perpetua quadam erat vigilia contra omnes rerum mortalium illecebras, & otioſam mentis evagationem: nec minus accurate animum ab omni labe tue-

Tum precandi, teſque divinas meditandi aſſiduitas mira.

Suas ônes actiones ad perfectam vivendi normam quotid e dirigit.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

tuebatur, quam qui pretiosis ornati vestibus, via lutulenta coguntur incedere. Castitatis porro insignem laudem Dei beneficio est consequutus. Cum enim ab ineunte pueritia in beatissimæ Virginis fidem ac patrocinium se contulisset, acerque præterea custos ac vigilans pudicitiæ esset; nihil unquam admisit eorum, quæ ad eam labefactandam quoquo modo pertinere arbitraretur. Ad hæc ut sartam tectam omni ope defenderet, eandem Virginem supplici obsecratione, & præstanti quodam officii genere propitiabat. Sacrificia in ejus honorem, ubi per leges Calendarii liceret, quotidiana: Sabbathi dies per abstinentiam ab omni cibatu persancte culti: annua festa tum immunis peccati labe conceptus, tum beatissimi exortus, ceteraque ex Ecclesiæ præscripto tanta religione celebrata, ut etiam quatuor ante diebus jejunium teneret, insequentibus totidem instauraret.

Deiparæ Virginis ope subnixus castimoniam egregie servat.

CXLIV. Sed & studio paupertatis, quæ fuit illi semper omnibus commodis, & emolumentis antiquior, vel hyeme sæviente, nudis pedibus incedebat, femoralibus tantum e tela, brevique ad humeros pallio, ac tunica obsoletiore semiamictus, cum e cœlo densa caderet nix, ac tristi gelu cuncta inhorrescerent: atque in hoc tam aspero tamque horrido vitæ instituto constanter id omne refugiebat, quod ullam posset afflictæ carni delectationem aut levamen afferre. Itaque cum esset decoro vultu, & egregia totius corporis firmitate; detractis paulatim viribus, omnis ille vigor, & forma virilis ætatis prorsus elanguit. Animus vero hisce artibus excultus atque subactus, majores quotidie efficiebat in solida virtute processus: & quo acrior ac diuturnior vexatio corporis fuerat, eo magis idoneus evasit ad nova omnipotentis Dei charismata capienda: in quibus fertur adversus hostem humani generis eximia potestas. Memoriæ proditum est, cum in patria versaretur, venisse hominem Capuccinorum in ædes, ab malo dæmone exagitatum; quæsitumque Hieronymum, qui tortorem abigeret, vix dum pedem in templi vestibulum intulisse, cum miser ille horrendum in modum vociferatus, terga protinus dare, & cum insana trepidatione discurrere, mirantibus qui aderant, quod tam effuse fugientem aspicerent, nemine persequente. Ubi Hieronymus prope accessit, jussumque in medio consistere percontatus est, quid ita paveret: *Tu me*, inquit, *mortalium importunissime indignis modis excruciat*. Hæc ubi dicta, infestus dæmon erupit, hominemque crudelibus furiis paulo ante jactatum victus fugatusque jam turpiter ipse deseruit.

Paupertatem Evangelicam ad extremum usque spiritum constantissime colit.

Divini Numinis gratia floret Hieronymus.

Idem adversus dæmones divinitus tributa potestas.

CXLV. Cum ejusmodi vitæ cursum magno animi fructu sine ulla offensione teneret, visum est Patribus conscriptis eidem provinciæ regimen demandare, uti monitis ejus præceptisque incitati, egregiæ cujusdam virtutis viam ceteri insisterent. At ille, parendi nimirum longe, quam imperandi cupidior, demisso vultu jubet eos absistere, negatque se munus viribus impar suis ulla ratione subiturum. Sed videlicet quibus rebus putabat voluntates Patrum alio posse transferri, eæ ipsæ vel maxime studia eorum incendebant: nihil enim ad conciliandos homines æque valet, atque animi moderatio atque submissio. Quo factum est, ut nihil eorum, quæ ad munus detrectandum Hieronymus afferebat, aliquandiu non modo ad animum admitterent, sed ne ad aures quidem. Ergo victum vel precibus, vel imperio, Romanæ primum, dein Bononiensis provinciæ Ministrum renuntiarunt. Ille inito magistratu, ad confirmandam domesticam disciplinam adjecit animum, quæ digna tali instituto, digna Christianæ philosophiæ professoribus haberetur. Itaque ad ceteros provocandos, atque ad jacienda tyronum in animis veræ humilitatis fundamenta, in sordidis culinæ ministeriis

Romanæ provinciæ primum, dein Bononiensis Minister creatur.

Eximia edit Christianæ demissionis exempla.

riis aliquandiu verſatus eſt ipſe, tanta cum animi alacritate ac diligentia, quaſi tum primum ad ſuam ipſius emendationem ejus vitæ curriculum eſſet ingreſſus; neque tamen ioterea gravioribus negotiis deerat, temporibus ita diſtributis, ut, quantum liceret, utrique muneri ſatisfaceret. Accedebat ad hæc in ſingulorum officiis exigendis, erratiſque puniendis admirabili miſta lenitate ſeveritas: in ſublevandis vero omnium & animi, & corporis neceſſitatibus, cura & vigilantia pluſquam paterna: cumque ad omnia charitatis officia, prout res poſtulabat, opportunas inſuper adhortationes & publice & privatim adhiberet; haud ſane difficile fuit, in animos, receptiſſimo tum Capuccinorum ſpiritu, ſponte incenſos officio ac religione, eos mores eamque vivendi rationem inducere, ut (ſi cœleſtibus terrena comparare fas eſt) intra illa tecta parieteſque Angelorum in humanis corporibus quidam convictus videretur eſſe: nullæ tum querimoniæ, nullæ detractiones, nulli ſuſurri, quibus incommodæ ſuſpiciones excitantur, & disjunguntur animi; ſed acerrimum ſui cujuſquam deprimendi ſubmittendique certamen; in præfectorum juſſis excipiendis exſequendiſque alacritas ingens; mirus in communicando interpretandoque candor atque ſimplicitas; oculorum ac ſenſuum intenta cuſtodia; ſtudium precationis ac ſolidæ virtutis ardens; quæque ex his rebus neceſſario provenit, admirabilis in magna nationum, ætatum, ingeniorum varietate concordia.

In cuſtodia diſciplinæ ſeveritatem cum lenitate conjungit.

Capuccinorum laus.

CXLVI. Quibus rebus conſtituendis Hieronymus cum ad ultimam ſenectutem deſudaviſſet, mortiſque diem, divino monitu prænuntiatam, Boniſacio Anticolenſi laico, quem pro viri innocentia in amoribus prope ac deliciis habebat, indicaviſſet; octogeſimo ætatis anno e vita migravit. In ipſo autem mortis articulo vigilanti cuidam fœminæ, quæ nervorum contractione laborabat, auguſtiſſima ſpecie, ac beatiſſimo lumine fulgens ſe ſe palam oſtendit, ita nimirum volente Deo amici gloriam manifeſtare. Quo illa viſo mirifice recreata, cum jam priſtinam valetudinem bona ſpe concepiſſet, ad oſculandas defuncti manus in templum deſertur: eoque contactu, velut præſenti numinis ope morbus evanuit: cujus miraculi rumor, cunctis, ut par eſt, admirantibus, longe lateque manavit. Cadaver extra templi parietes in terram defoſſum, cum quinquennium ibi fuiſſet, non ſol, non imbres, non ipſe denique telluris humor ac ſitus ulla ex parte labefactare valuerunt: clara profecto ac teſtata optimi viri virginitate ac ſanctimonia, quamquam aliis quoque argumentis ante jam nota. Nam poſt id tempus non modo integrum ſolidumque repertum a fratribus eſt, ſed aſpectu jucundum, & quo magis obſtupuere, ſuaviter admodum fragrans. Tum quoque altera mulier, quæ diuturno alvi profluvio conflictabatur, ad effoſſum cadaver admota manu, repente convaluit: ipſumque propterea Bernardinus Aſtenſis Capuccinorum Generalis Vicarius, qui Ferrariæ tum verſabatur, quod, jam perſpecta Dei voluntate, afficiendum honore aliquo exiſtimaret, incluſum in arcam ligneam eodem loco decentius humari juſſit.

Hieronymi obitum conſequuta divino nutu prodigia.

CXLVII. Sub idem tempus mortalitatem exuit Simon a Calataxibeta Siculus, qui inter laicos Obſervantium aſcitus amplificandæ diſciplinæ tam cupidus fuit, quam qui maxime. Egregius idem ſui corporis domitor ejuſmodi vitæ genus eſt perſecutus. Fere totam hebdomadam, excepto die dominico, jejunare: ubi fames domanda eſſet, ſimplici pane contentus, atque ubi ſitis explenda, aqua profluente: ſomni parciſſimus aut aſſeribus duris, aut nuda humo cubare, magnam partem nocturni ſilentii in oratione vocali rerumque altiſſimarum contemplatione perſiſtere. Quæ omnia, quam-

Simon a Calataxibeta Obſervantium laicus pœnitentiæ ſtudio inſignis.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 18.	Religionis Minorum anno 339.

quamquam eximia, atque expetenda per ſe, tamen eo pluris erant in Simone facienda, quo magis erant cum aliorum fructu & utilitate conjuncta. Nam in ceteris ornamentis ac beneficiis, quæ in eum Deus plena manu congeſſit, illud equidem vel præcipuum exiſtimo, quod in tanto plectendi corporis ardore non dedit illi ſpiritum ſolitudinis, animumve uni ſibi vacantem, ſed Franciſcanæ familiæ ſapienter conſtituendæ cupidiſſimum, ac mire ſtudioſum divinæ gloriæ ſalutiſque communis. Univerſi Præfectus Ordinis erat Paulus Piſottus anno poſt Chriſtum natum MDXXXIII. Is ut multorum ex Obſervantibus levitatem compeſceret, qui præſcriptione aſperitatis ſectandæ ad Capuccinos migrabant, ita mandavit: cœnobium unum vel alterum provinciæ ſingulæ darent hominibus iis, qui diſciplinam a majoribus traditam non modo tenerent, ſed durioribus etiam vivendi legibus communirent. Hiſce recentibus Reformatis apud Plateam oppidum in Sicilia ſedes conceſſa: ſubinde cœnobio altero haud ita procul ab oppido, cui nomen Juliana, potiti ſunt. Simonem vero Patres conſcripti egregia virtutis laude ſibi probatum puſilli gregis præfectum renuntiarunt. Ille inito magiſtratu, cum in cœnobio Plateenſi aliquandiu conſediſſet, ad eorum, qui ventitarent, animos commodiore hoſpitii loco excolendos Julianam ſe contulit. Erat quippe in receſſu cœnobium illud ejuſmodi, ut procul a turba ſtrepituque oppidanorum, cœleſti plane vitæ, uti optabat, degendæ opportunum maxime videretur. Eo loco cum ſociorum pleriſque uni Deo vacare, puriſſimiſque ſpiritibus, quantum mortali liceret, ſe ſe conjungere Simon inſtituit. Tenax nimirum diſciplinæ ſuæ, ſolituſque parco ac parabili victu ad implenda naturæ deſideria defungi, mendicandi ſollicitudinem, qua orationis plerumque ſtudium interturbatur, omnino depoſuit. Erat in eo ſodalitio perquam laudabilis contentio, mirumque certamen in omni virtutum genere, quæ hominibus Franciſcanis apprime conveniunt. Præcipue vero continens bellum adverſus carnis illecebras, atque inferioris animæ vires concordi ſtudio gerebatur. Tum quotidiana errati cujuslibet emendatio: in aliorum factis dictiſque interpretandis nulla temeritas: denique ſumma obſervabant cura quidquid ad Chriſti gratiam vel tuendam, vel augendam quoquo modo pertinere intelligerent. Caritate in Deum erant, quanta par eſt eos eſſe, qui ipſius Dei cauſa rebus humanis nuntium ſponte remiſerint. Neque ſolum eatenus Dominum amabant, ut præ illo reliqua omnia nihili ducerent; quæ virtutis hujuſce præcipua eſt pars; verum inerat in amore voluptas mira: ut in unius penitus Dei recordatione, & quaſi amplexu per ſummam delectationem acquieſcerent. Quamvis autem dulcedine ſolitudinis, & divinæ familiaritatis illecti, magnam partem diei orando conſumerent, non ſe tamen eo ſtudio ab ceterarum virtutum officiis patiebantur abduci. Simon vero præibat omnibus nativa quadam, minimeque quæſita moris ac vitæ ſimplicitate, ingentique inſtructu earum rerum, quæ vel mortales a contagione corporis quam max me abſtrahunt, ſimileſque cœlitibus, ac prope beatos efficiunt.

Severioris diſciplinæ cultū amplificare conten, dit.

Pauli Piſotti generalis Miniſtri conſiliū ad coercendam Obſervantium quorundam levitatem.

Obſervantium cœnobium Reformatis attributum in Sicilia. Subinde alterum in eadem provincia. Simon Reformatorū cœnobiarcha deſignatur.

CXLVIII. Cœnobiarcham dum ageret, ab omni faſtu, & moribus imperioſis vehementer abhorruit. Veſtigium in eo contumaciæ cerneres nullum. Et quod difficillimum eſt, lenitatem ita cum gravitate miſcebat, ut neque facilitas de auctoritate, neque ſeveritas quidquam de ſuavitate detraheret. Atque hunc manſuetudinis tenorem diligenter in omni vita ſervavit: fatiſque conſtat, neminem prorſus ab eo ſuiſſe non modo contumelioſe tractatum, ſed ne appellatum quidem acerbius. Ad hæc, Fratres non modo ex deſtinato congreſſu, verum etiam ex occurſu fortuito ita lætis intue-

Ejuſdem ac ſociorum vitæ inſtitutum.

Facilitate moris, atque oris ſuavitate omnes ſibi conciliat.

tuebatur oculis, ut vel ex hoc inſitam animo in omnes benevolentiam ſatis oſtenderet. Sed qui ejuſmodi caritatis officiis paſſim in omnes deſungebatur, numquam adduci ſe eſt paſſus, ut quicquam omnino carni aut ſanguini daret: tanta ſcilicet ejus animum ſubierat humanarum rerum contemptio atque faſtidium. Aliquando, cum haud procul a patriis laribus iter haberet, indeque ad ſuos facillimo negotio poſſet excurrere, invitantibus etiam pleriſque popularium; ſecum præclare actum iri affirmavit, ſi propinquos olim ſuos ac familiares in cœlo reviſeret: nunc, quod præfectus mandarat, haud cunctanter perficiendum. Itaque exorari non potuit, ut ad patriæ incunabula ſe conferret, quamvis modico diverticulo de via deflecteret. Verum cum acta ejus intra ſepta cœnobii (quamquam ea ipſe occultiſſima voluerat eſſe) inſtitutamque vitæ aſperitatem ac ſanctimoniam vicinis locis fama vulgaret; ingens hominum concurſus ad eum fieri cœptus, partim viſendi gratia, partim etiam conſulendi: quos ille ut omni conatu quam acerrime ad Chriſtum adjungeret, hac ratione potiſſimum uſus eſt. Qui enim ad bonam perfectæ virtutis frugem reperiebantur idonei, eos paulatim, & quaſi per gradus cœpit excolere: ceteros interim precibus monitiſque, prout ſe ſe dabat occaſio, a vitiorum fœditate deterrens, atque ad ſtudium æternæ beatitudinis incitans: idque eo libentius atque ſecurius, quod communicandis iis, quæ a Domino acceperat, nihil interim ſibi religionis ac ſpiritus deperire ſentiret.

Cognatorum colloquiis abſtinet.

Magno in honore a popularibus habetur.

CXLIX. Interea Deus, ut egregia Simonis erga ſe merita ſignis illuſtribus comprobaret, admirabilia non pauca, dum is adhuc in vivis eſſet, edidiſſe fertur: quorum aliqua nobis hoc loco exponere viſum eſt; compluribus prætermiſſis haud ita magni momenti, quæ Antonius Randatius e ſodalitio Reformatorum ſacerdos generalis præfecti juſſu diligenter collegit. Cum cœnobium Plateenſe adminiſtraret, nocte concubia nuntiatum eſt ab ædituo, nullum jam eſſe lychnuchi uſum, qui ante aram Euchariſtiæ de more penderet: quippe luminis alimentum abſumptum eſſe. Id ubi accepit, pungente animum religionis officio, templum ingreditur; ſuamque ipſius calamitatem lamentabili voce deplorans, quod ejuſmodi crimen neglecti muneris admiſiſſet, multa prece Chriſtique veneratione imprudentiam compenſat ſuam. Inter hæc pulſu campani æris, quod in veſtibulo domicilii erat, ad oſtium vocatur; ratuſque eſſe viatores, qui dato ſigno hoſpitium rogarent, feſtinanter accurrit: aperto oſtio nec hominem videt; ſed, quod erat leniendo dolori peropportunum, ex inſperato vas plenum oleo ante limen offendit: Numinique benignitati gratias egit immortales, quod ſe triſtitia ac mœrore confectum præſenti inopia ſublevanda recreaviſſet. Ejus autem rei fama vicinum oppidum fineſque illos magna cum omnium admiratione pervaſit. Poſt aliquanto apud Julianam amplificato jam ſodalitio, aliud non minus mirum Simoni contigit. Cum is morbo decumberet, effuſus oppido populus univerſus ad templum convenit, quod genitrici Mariæ Virginis dicatum eſt. Quærenti cauſam tanti concurſus ægroto reſpondetur, inſtitutam ab civitate ſupplicationem: quippe diu ſereno cœlo peruſta ſolis ardoribus terra ſatiſceret. Quocirca orari Deum communibus votis, ut ſitientes agrorum ſinus lætificet, miſeroſque mortales annonæ difficultate prohibeat. Simon re cognita Deum attente precatus, edixit ſociis, bono eſſent animo, populoque renuntiarent, ejus voti, quod concepiſſet, brevi compotem fore. Vixdum cœnobio diſceſſerant, cum repente coactis nubibus magna vis aquæ coorta eſt, conficientibus ægre iter iis ipſis, qui impetraverant. Tum non dubio argumento viri ſanctita-

Quædam de Simone mira.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

ritatem interpretati, ex eo die Simonem tamquam humano faſtigio celſiorem magis magiſque ſuſpexerunt. Quidam meſſores, cum ad eum viſendi cauſa adiiſſent, hoſpitalia de more pocula petiverunt: lagenam vini unam ex iis, quæ in cœnationibus uſui ſunt, benignus hoſpes appoſuit. Erant agreſtes illi numero quinque ac viginti. Mirum dictu. Perpotantibus quibuſque ad explendam ſitim, non modo vinum ſuppetere, ſed & reliquias ſupereſſe, miraculi novitate obſtupeſcentes, cognoverunt. Ergo cum eum oppidani, ac finitimæ gentes in ſinu atque oculis ferrent, cum quacumque inceſſerat, quaſi exemplum quoddam antiquæ virtutis ac probitatis ſpectaculo eſſet, urgente jam ſenio, lethalem in febrem incidit, qua ſenſim confectus, Jeſumque vocibus intermortuis identidem appellans, placidiſſime efflavit animam. Vulgato ejus obitu, ingens confeſtim hominum concurſus viſendi cauſa domum eſt factus; atque hi manus, hi pedes certatim exoſculari; alii roſaria, quæ vocantur, applicare corpori; multi etiam cinguli, veſtiumve, quibus uti conſueverat, fruſtulum aliquod enixe rogare: quibus tamen contentionis obortæ cauſa nihil a noſtris eſt datum. Cum enim Cluſini cives de cadaveris poſſeſſione ſolliciti, cum Julianenſibus diſceptarent; nihil potius habuit cœnobiarcha, quam ut reliquias optimi viri ab concitatæ multitudinis impetu, & furore plane inconſulto incolumes tueretur. Ac ſedatis paulatim animis, e primorum ſententia utrumque inter populum ita convenit: Julianenſes cadaver obtinerent: Simonis tunicam palliumque Cluſinis permitterent; cum eo tamen, ut Reformati, quibus cœnobium in ipſo oppido ædificandum jam eſſet, iſta ſervarent. Rebus ita compoſitis, cœnobium Fratribus Cluſini excitarunt. Simonis cadaver in ipſo templo beatæ Annæ magnifico funere elatum, & in ſacello recens extructo conditum eſt. Ejus etiam ſanctitatem, editorumque Dei voluntate miraculorum gloriam graviſſimi viri celebrarunt; quorum teſtimonia profert Arturus ad diem v. Idus Octobris.

Eiuſdem obitus

Cluſini cum Julianenſibus diſceptant de illius cadaveris poſſeſſione, pietatis cauſa.

Æquis conditionibus controverſia finitur.

CL. Sub idem tempus apud Moncarium Hiſpaniæ oppidum e vivis exceſſit Didacus Villanovanus, ex Obſervantium familia laicus, vir, ſi quis alius, inſtituti tenaciſſimus, & in infima conditione excellentium virtutum cultor eximius. Idem orandi aſſiduitate illud eſt conſecutus, ut, quamquam rudis & ignarus diſciplinarum, tamen ſummis de rebus, iiſque præſertim, quæ ad animorum diſciplinam, cultumque pertinerent, non ſine magna prudentiæ laude diſputaret. Cumque haud vulgaris innocentiæ famam late ſparſiſſet, Catharinam Joannis III. Luſitaniæ regis uxorem ita pernovit; ut miro quodam pietatis ſtudio Dei famulum proſequeretur. Itaque cum ab Hiſpania diſcedens, ad nuptias pergeret, ejus pictam imaginem una cum regia ſupellectile, mundique muliebris apparatu Oliſiponem detulit. Quo & Didacum ipſum e Caſtellæ provincia frequenter accitum colebat familiariſſime. Nam & ejus ſermonibus, unde magnus animi fructus exiſteret, vehementer delectabatur; & præſentem non ſemel opem, dum ventrem ferret, partuſque doloribus laboraret, experta eſt; uſque adeo in Didaci ſanctimonia, & apud ſuperos gratia certam ſolatii, atque præſidii ſpem collocaverat.

Didacus Villanovanus Obſervantium laicus.

Prudenter diſſerit de rebus ad animorum diſciplinam pertinentibus.

Eundem Luſitaniæ Regina mirifice colit.

CLI. Hujus æqualis fuit Anaſtaſius natione Italus, quem Bæticæ provinciæ ſancti Gabrielis adſcriptum inter primarios illos aſperrimæ diſciplinæ propagatores excelluiſſe, Franciſcus Gonzaga, aliique tradiderunt. Quo autem tempore obierit, non ſatis compertum eſt. Illud maxime conſtat, eum precandi uſu, ac ſingulari Dei beneficio ab humanarum rerum contagione ſemotum, ſenſibuſque aliquando defectum, ſublime ferri conſueviſ-

Anaſtaſius Italus inter Excalceatos provinciæ Bæticæ illuſtris.

Inter contemplandum ſublime fertur.

Artes dæmonum indit, & vim repellit.

ſe. Tum gravibus præliis, nec occultis modo dæmonum artibus, ſed etiam irruptione, & aperta vi oppugnatum, numquam a ſuſcepto conſilio dimoveri potuiſſe; fortiterque ſuperato humani generis hoſte eumdem vitæ ac diſciplinæ curſum nullo non tempore tenuiſſe.

Joannes Riccecius Velinus Cõventualium ſacerdos litterarum ſcientia illuſtris.

CLII. In Piceno e vita migravit nonagenario major, Joannes Ricuccius Velinus Camers, Conventualium ſacerdos, Philoſophicis ac Theologicis diſciplinis inſigniter eruditus: naturalis præterea Romanæque hiſtoriæ ſcientiſſimus, ac politiore litteratura mirifice excultus. Is cum ſe primum ad ea ſtudia bonarum artium contuliſſet, quibus puerilis ætas ad humanitatem informari ſolet; tum doctrinis gravioribus animum adjeciſſet; ita brevi profecit, ut omnium ore celebraretur, interque præſtantes viros, qui latinas græcaſque litteras hac tempeſtate reſtituerunt, locum teneret. Quas una cum eloquentia, eaque parte Theologiæ, quæ ad hæreticos confutandos pertinet, Viennæ in Auſtria profeſſus eſt. In ea urbe cum doctiſſimum quemque propter dicendi facultatem ſibi devinxit, tum vero Cæſaris Maximiliani gratia plurimum floruit. Inter hæc ad Julium II. Pontificem Maximum ſummis de rebus Germanicæ Eccleſiæ legatus, ſingulari cum laude gravitatis, ac religionis ornamento munus obivit. Poſt Vienoam reverſus, Romanorum Regi ad bonas artes erudiendo operam dedit. Cujus rei teſtimonium extat in ſancti Angeli templo apud Camertes inſcriptum parieti ad aram maximam. Multa ſcripſit in Titum Livium, in Lucium Florum, in Julium Solinum, in hiſtoriam Plinii naturalem, in tabulam Cebetis, in Claudianum, in Eutropium, in Feneſtellam, in libros divi Auguſtini de Civitate Dei: de quibus omnibus Franciſcani ſcriptores aliique meminerunt. Mauritium Hibernum ſcholaſtica inſignem eruditione impenſe coluit, ſibique magna neceſſitudine conjunctum habuit: quem a vitæ integritate, ſacrarumque diſciplinarum peritia ipſe commendat in commentariis ad Solini caput trigeſimum quintum. Eo præceptore uſus eſt Joachimus Vadianus, quem poſtea Lutheranum virus afflavit, & ab Catholicæ Eccleſiæ communione divulſum non ſine ingenti dolore luctuque magiſtri hæreticorum ad partes compulit. Idem quamquam in ſuis ad Pomponium Melam commentariis ab Camerte notatus, ipſum tamen in deſenſionibus egregie dilaudat, ejuſque in Solinum enarrationes plenas ſolidæ eruditionis, ac plane tales affirmat eſſe, quales in editis ab ſe ſcholiis ipſe futuras ante perſcripſerat: non ignorare ſe ab iis ferme annis, quibus Camertem audire cœpit, acre hominis ingenium, aſſidua ſtudia litterarum cum judicii maturitate conjuncta. Eundem alio loco virum appellat modis omnibus eruditum, de cujus propterea gravitate judicii nihil non ſibi polliceretur. Inter Vadianum Camertemque certaminis cauſa fuit, quod Vadianus carpendi licentia prætervectus in Solinum, ac Plinium ſubiniquior viſus fuiſſet; quos Velinus commode excuſat, errata vel diluendo, vel elevando. Verum qui magiſtri judicium ægre ferebat, tam magnificas laudes, quibus eum paulo ante cumularat, mutato deinde conſilio perfide attundit: obliteſque priſtinæ conſuetudinis, quæ in Viennenſi Accademia cum illo ſibi interceſſerat, nedum ipſum refellere, ſed etiam indignis modis exagitare aggreſſus eſt. In quo morem profecto hæreticorum eſt imitatus, qui ubi ſemel ab religionis ſacramento deſciverint, præter fas omne immoderate jactantur, ac nihil penſi habent, dum quod mordicus arripuerint, quoquo modo ceteris probent. Velinus cum annos quatuor ac viginti Viennæ manſiſſet, honeſtiſque laboribus magnum ſibimet nomen comparaſſet, in Piceoam provinciam tandem revertit; eique præfectus cum uſitata Con-

Viennæ in Auſtria Theologiã una cum græca latinaque eloquẽtia profitetur. Ad Julium II. legatus a Maximiliano Cæſare. Romanorum regis præceptor.

Commentaria ſcribit in multos auctores.

Vadianus hæreticus Velino primum impenſe favet.

Eumque egregie dilaudat.

Deinde indignis modis exagitat.

Piceæ provinciæ Velinus præficitur.

veo-

ventualibus appellatione Magiſtri, ad inſtruendam apud Camertes bibliothecam convertit animum. Multa in eam congeſſit volumina eruditionis vetuſtæ atque reconditæ; adjecitque, quos memoravimus, libros ab ſe conſcriptos ad illuſtrandam antiquitatem; qui tamen omnes poſterorum incuria perierunt.

CLIII. Apud Loxam Hiſpaniæ oppidum Granatenſis provinciæ vivere deſiit Clara de Cruce Malacenſis virgo nobilis genere, ſed virtute, ac vitæ innocentia multo nobilior; quæ cum vota noſtrarum Virginum in patriæ cœnobio nuncupaſſet, floreretque inſigni laude aſperrimæ diſciplinæ; præfectorum imperio ad eam latius amplificandam alio dimittitur. Loxanum cœnobium anno Chriſti MDVII. ut Gonzaga teſtatur, ipſa fundavit: eoque conceſſit cum ſororibus aliquot; quas ad perfecti ſodalitii mores, & præſcripta formaret, contineretque in officio & obſervantia erga majorum leges, tum perpetua ſanctitate ſua, unde haurirent exempla omnium virtutum, tum, quod optimum longe ac perfectiſſimum eſt, ſuavitate regiminis atque prudentia. Voluntariam paupertatem ad extremum uſque ſpiritum conſtantiſſime coluit; nec modo ipſa proprium habuit nihil, ſed ne virgines quidem alias, quamquam deliciis olim aſſuetas, quidquam habere permiſit. Cunctis vero præibat eximia quadam abſtinentia vitæ, ingentique inſtructu eorum omnium, quæ ad animos juniorum præſertim confirmandos pertinere arbitraretur. Quotidie ſtatis temporibus, erepto ex magnis occupationibus otio, contemplationi vacabat: ac per id tempus æque animo & corpore immota, excipiebat divini luminis radios; ac Patri cœleſti mira quadam ſpiritus dulcedine jungebatur. Itaque tam præclaro exemplo, & aſſiduis hortationibus incitatæ Sorores, generoſo quodam imitandi ſtudio accendebantur. Id autem in primis faciebat ſedulo, ut immortalia Domini beneficia in ſe memoria coleret ſempiterna, & in ejuſdem vel indaganda voluntate, vel gloria quærenda ſuas omnes curas cogitationeſque conſumeret. Demum ſenio confecta, cum morbo extremo decubuiſſet, ac divina myſteria, quibus animi morientium ad iter cœleſte parari ſolent, Eccleſiæ ritu ſuſcepiſſet, ad capienda virtutum præmia deceſſit ætatis anno octogeſimo.

Clara de Cruce virgo Granatenſis.

Loxanum cœnobium fundat.

Ejuſdem paupertas,

Et orandi ſtudium.

Moritur.

CLIV. Floruit hac tempeſtate doctrinæ laude in Italia Octavianus Præconius Conventualium Theologus, quem Paulus Pontifex Monopolitanæ Eccleſiæ creavit Antiſtitem. Ex Obſervantibus Antonius a Cruce Canarienſibus Inſulis ornatus eſt.

Octavianus Præconius Monopolitanorum, Antonius a Cruce Canarienſium, Epiſcopi.

CLV. Cum res familiæ anno hujus ſeculi XLII. geſtas conſcriberemus, Obſervantibus domicilium Salandriæ conditum memoravimus. Verum hoc anno ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate novas ædes incoluerunt: idque ex Pauli diplomate liquido apparet, quod publicarum litterarum in indice referemus.

CLVI. Obſervantes cœnobium in urbe Florentia, quod ab ſalutis humanæ Auctore appellabatur, nimia vetuſtate ſemirutum deſeruerant. Eiſdem templum divæ Catharinæ domoſque contiguas Metropolitanæ Eccleſiæ Canonici, quorum jure ac poteſtate continebantur, attribuerunt, annuente Pontifice Maximo; cum eo tamen, ut ubi templum cœnobiumque omnium ſanctorum, quod inchoarant, perfectum eſſet, iis ſedibus cederent. Quas hoc anno cum obtinerent, Canonicorum, quos vocant ſancti Salvatoris, fraude mala depulſi ſunt. Eos Pontifex Maximus acerbiſſimis verbis appellatos e veſtigio diſcedere, cœnobiique res omnes, quas occuparant, Obſervantibus permittere, ad Præfectum Canonicorum dato diplomate, juſſit.

Obſervantes pelluntur cœnobio Florentino divæ Catharinæ. Iterum admittuntur edicto Pontificis.

In Piceno cœnobium fundant Obſervantes.

CLVII. Apud Roccam contractam in diœceſi Senogallienſi Obſervantium provincia domicilium fundavit, oppidanis pecuniam mira in Fratres benignitate, eorumque conſuetudinis ſtudio conferentibus. Cujus rei teſtimonium publicum extat in diplomate Pauli III. verbis ampliſſimis. In iis vero, qui vitæ innocentia novum illud cœnobium nobilitarunt, Pacificum ſacerdotem eodem oppido oriundum Gonzaga commemorat; cujus propterea vulgata morte, finitimarum gentium ad funus ducendum magnos concurſus fuiſſe factos: cadaver biduo inhumatum confluenti ad oſculandum multitudini in templo propoſitum.

Quod Pacifici ſacerdotis vitæ innocentia nobilitat.

Item aliud in Pedemontio, ubi conditum corpus Paulæ Gambaræ.

CLVIII. Benarii Pedemontii oppido cœnobium templumque Patriarchæ Franciſco dicatum Obſervantes poſuere: ubi corpus conditum eſt Paulæ Gambaræ Brixienſis nobiliſſimæ feminæ ex Ordine Tertio; quam & omni virtutum genere excelluiſſe, editiſque prodigiis, poſtquam vita deceſſit, inclaruiſſe memoriæ proditum.

Conventuales cœnobium ædificant in Sicilia.

CLIX. Conventuales hoc ipſo anno apud Carinum Siciliæ oppidum in diœceſi Mazarienſi domicilio ſuſcepti ſunt. Jacobus Jacobellus, haud vulgari pietate vir, ædes antea dicatas beato Antonio Patavino iiſdem attribuit.

Tertii Ordinis præſtantiores domicilium conſtituunt in diœceſi Conſentina.

CLX. In Celſo colle extra Altiliam Conſentinæ ditionis oppidum in Calabria templum erat Divinæ Matris, populorum concurſu frequentatum; quod Hieronymus Ferrarius, & Agathius Mantianus adminiſtrabant. Hi cum flagrarent incredibili ſtudio Franciſcani inſtituti, in Ordinis Tertii leges conſenſu jurarunt, facultateſque omnes ſuas Obſervantibus permiſerunt, quibus illi uterentur ad cœnobium ædificandum. Itaque novis ædibus aucti prope templum Dei Genitricis, pauci numero convenere. Qui tamen poſtea, incertum qua cauſa, eo loco emigrarunt. Ædificia fortaſſe motibus terræ labefacta deſerere coacti ſunt. Subinde Conventuales ad incolendum admiſſi numero quinque, labentia tecta repararunt, & exiguam familiam utcumque conſtituerunt.

Quod ſubinde ab iis deſertum Conventuales recipiunt.

Obſervantium cœnobium conditum in diœceſi Oliſponenſi.

CLXI. Petrus Carneirus Conſiliarius, & quæſtor regius in Luſitania cœnobium poſuit Obſervantibus undecim millia paſſuum ab oppido Alverea diœceſis Oliſponenſis. Eorum templum, quod Mariæ auxiliatrici conſecrandum curavit, illuſtribus monumentis antiquitatis ad augendam religionem ornatum eſt. Nam particula auguſtæ Crucis una eum ſpina Coronæ ejus, quam Rex dolorum Dominus Jeſus probri loco geſtavit; tum denarius ex iis unus, quos nefariæ proditionis mercedem Judas accepit; linteum quoque jacentis olim in tumulo Chriſti figura notatum; demum caput unius ex Virginibus illis, quæ cum Urſula duce glorioſum martyrium ſubierunt, inter cetera oſtenduntur.

Ejus templum ſanctorum reliquiis inſigne.

Eorundem cœnobium in regno Algarbiorum.

CLXII. Rodericus Borretus, ejuſque conjux Eleonora cœnobium ac templum in honorem beati Antonii Patavini communibus impenſis ædificarunt apud oppidum Louleam in regno Algarbiorum duabus circiter leucis ab urbe Pharo. In eam ſedem Obſervantes deducti, eximio quodam vivendi genere popularium confeſtim animos devinxere. Antonius Nebrieenſis, cujus vitam, & facta alio loco deſcribemus, abjecta provinciæ ſuæ procuratione, quam multos annos non ſine magna prudentiæ laude adminiſtrarat, in hoc cœnobium ſeceſſit: ubi convictu probatiſſimorum hominum delectatus, devexæ ætatis reliquias uni Deo dicaret, ſeque ad iter cœleſtis patriæ ſolutus animo, ac plane liber accingeret.

CLXIII. Londini in Britannia Henrici Octavi perfidi regis auctoritate Obſervantium templum apertum eſt, in eoque myſteria Eccleſiæ ritu celebra-

brata. Subinde cum omnia divina, & humana jura ejus arbitrio miſcerentur, Roſſenſis Epiſcopus concione habita declaravit, Minorum ædes ac templum in civitatis poteſtate deinceps fore; ſancitum ab Rege eſſe, uti pulſis Franciſcanis parœcia conſtituatur, attributa penſione in annos ſingulos. Ita improbi Regis crudelitate Minorum familia in Angliæ regno diſſipari cœpta.

Obſervantes Londinenſi cœnobio pulſi.

CLXIV. Capuccinorum cœnobia aliquot hoc anno extructa reperio. Primum haud ita procul Nicoſia Meſſanenſis ditionis oppido; ubi veſtiarium provinciæ ejus conſtitutum: aliud apud Roſſanum in Conſentina provincia, mille paſſus ab civitate. Eos item Fulginii in Umbria domicilium habuiſſe ab anno Chriſti MDXXX. Jacobillus teſtatur: tum anno MDXL. in ea urbe ſedem mutaſſe. Demum anno MDLXI. commodiore hoſpitii loco recepti ſunt paſſus circiter mille extra mœnia. Nam & cubiculis quadraginta, & officinis hortiſque ad vitæ uſum, ſervente in Patres optime meritos civitatis ſtudio, & in eos effuſa beneficentia, potiti ſunt.

Capuccinorum excitata cœnobia.

CLXV. Victoria de Afflictis virgo nobilis genere Neapolitana, cum in cœnobio S. Mariæ in Hieruſalem inſtitutum beatæ Claræ profiteretur, accepit litteras Cardinalis Carpenſis, quibus ille litteris placere Pontifici, atque adeo fixum eſſe ſignificabat, ut ad cœnobium ſanctæ Mariæ a Jeſu conſtituendæ diſciplinæ cauſa ipſa migraret: ibi Sorores, quæ jampridem, cum Tertii Ordinis legibus ante vixiſſent, inſtitutum mutarant, & aſperiorem Secundi Ordinis normam canoneſque arripuerant, in officio contineret. Id quod Victoriam non ſine magno familiæ bono feciſſe ſcriptores alii meminerunt. Litterarum Cardinalis exemplum ejuſmodi eſt.

Victoria de Afflictis Neapolitanum cœnobium S. Mariæ a Jeſu adire jubetur, diſciplinæ conſtituendæ cauſa.

Venerabilis Mater.

Cardinalis Carpenſis ad eam litteræ.

CUm nobis haud jampridem Summus Pontifex commiſerit ſuis tibi verbis denuntiare, ut in cœnobium, ex familia ſanctæ Claræ a Jeſu denominatum, quam celerrime te conferres, ejuſque Monialium regimen ſuſciperes: Nos ut, qua par eſt, obſervantia Pontificis mandato obſequamur, his noſtris litteris tibi injungimus ac præcipimus, inobedientiæ delicto (quod Deus avertat) excommunicationis pœna occurrentes, ut ad prædictum cœnobium quamprimum contendas, ibique ſic omnia guberues, & moderere prudentia tua, ut regularis illius loci diſciplina, corruptis moribus ac perditis temporibus afflicta atque oppreſſa, in veterem tua opera dignitatem vindicetur. Te Deus in recta virtutum ſemita confirmet. Vale. Romæ IV. *Nonas Auguſti* MDXLVI.

R. Cardinalis de Carpo Protector.

CLXVI. Apud Aſtam civitatem cœnobium Virginum ſanctæ Claræ dirutum fuerat, quod ab hoſtium oppugnationibus ita fore tutiora mœnia viderentur. Cujus loco privatorum domus ad habitandum in tanta temporum calamitate iiſdem permiſſæ. Cumque inopia prohiberentur, quominus aulam communem, ubi ex veteris diſciplinæ præſcripto cubare poſſent, ædificarent; obtulere libellum ſupplicem Pontifici Maximo, ab eoque impetrarunt, ut ſeorſum in cellis pernoctare, non ſecus ac feminæ ſolent aliorum Ordinum ferme omnium, ſibi liceret.

Pontif. Max. permittit Sororibus S. Claræ urbis Aſtæ, ut ſeorſum in cellis pernoctare poſſint.

CLXVII. Apud Aillonium Hiſpaniæ oppidum Didacus Pacecus Villenæ regulus cœnobium fundavit, in quod Virgines Franciſcanæ, quæ a Conceptu Divinæ Matris auſpicia nomenque ſumpſerunt, admitterentur. Eiſ-

Virgines a Conceptione appellatæ cœnobium obtinent in Hiſpania.

Eiſdem, quæ ad modicum victum cultumque eſſent ſatis, teſtamento legavit. Inchoatum ab Didaco egregium opus ejuſdem filius abſolvit, paternæ ſcilicet religionis, atque in Ordinem Franciſcanum beneficentiæ imitator eximius. Virgines tres e Turgiano cœnobio ejuſdem inſtituti Pontificis juſſu in hoc cœnobium deductæ, novam familiam optimis legibus, exemplisque conſtituerunt. In iis Annam ab Angelis familiæ antiſtitam pulcherrimarum virtutum laude floruiſſe litteris prodium.

In eo floret integritate vitæ Anna ab Angelis.

CLXVIII. Iiſdem auſpiciis tituloque Mariæ ſine labe Conceptæ hoc anno cœnobium conditum Turiaſone in finibus Aragoniæ, noſtriſque Virginibus attributum; non anno MDXLIX. ut Franciſcus Gonzaga ſcriptum reliquit. Vincentius enim Blaſcus, qui Zurillæ continuavit Annales, ad diem quartum nonas Aprilis anni MDXLI. hujus moliminis refert initia: quo die Sanctius Pomar, & Ludovicus de Marta, nobiles viri, de condendo in ea urbe gynæceo, evocandiſque e Carracenſi cœnobio Virginibus aliquot, conſilia inierunt. Cum res tamen extraheretur, cives ipſi Turiaſonenſes excitando ædificio manus dederunt, Sororeſque Franciſcani inſtituti e civitatis quodam cœnobio, quod Hieruſalem vocabatur, invehendas curarunt. De illarum virtutibus atque factis idem Blaſcus breviter diſſerit; Franciſcus a Turre in eo opere, quod de Conceptu immaculato contexuit, luculenta oratione plura perſequitur. Nos in loco narrationem inſtituemus.

Iiſdem Virginibus cœnobium conditum Turiaſone.

CLXIX. Obſervantium provincia, quæ ab divo Bonaventura nomen accepit, aliquot ante annis cœnobium fundarat apud oppidum Pontis Vallium in Gallia Narbonenſi. Cumque oppidanis eorum mores ac diſciplina mirifice probarentur; ad Dei cultum ac religionem amplificandam iiſdem magnæ opportunitates oblatæ ſunt. Quippe inſtitutum divi Franciſci ſodalitium, in quod nomina darent ſeculares feminæ ac viri; qui pietatis officia ſimul obirent, canoneſque Ordinis Tertii in ſuis quiſque privatim domibus profiterentur. In iis erant ſanctimonia vitæ præcipua feminæ ſex; quibus maxime id erat curæ, ut Chriſtianæ humilitatis, quæ ceterarum eſt parens euſtoſque virtutum, ſolida jacerent fundamenta. Quocirca cum in angusto, eoque communi diverſorio pedem fixiſſent, precationibus ferme aſſiduis operam dare, egentes ac deſtitutos, eoſque præſertim, qui adverſa fortuna conflictarentur, vel gravi quopiam morbo decumberent, amantiſſime inviſere inſtituerunt. Ejuſmodi vitæ genere cum ſingularem eivium gratiam paulo poſt inierunt, tum vero Benedictæ cujuſdam primariæ feminæ beneficio ornatæ ſunt: quæ domicilium ab ſe coemptum, fabriciſque recentibus in uſum cœnobii ſatis apte diſpoſitum illis attribuit. Hoc demum anno Tertii Ordinis vota ſolemni ritu nuncuparunt, ſeque in fide Obſervantium atque tutela perpetuo fore promiſerunt.

In Gallia Narbonenſi ſodalitas hominum ſecularium, Ordinis Tertii leges profitentium, ab Obſervantibus inſtituitur.
In ea feminæ ſex Chriſtiana humilitate præſtantes.
Ardor earum in obeundis muneribus charitatis.

Cœnobium conditum, in quo Ordinis Tertii nuncupant vota.

CLXX. Procuratores Vaticani ædificii in regno Neapolitano Franciſcanæ familiæ viros indignis modis vexabant, ut iis etiam, quæ ad victum cultumque neceſſaria quæritare ſolebant, ex veteri more inſtitutoque corrogandis prohiberent. Itaque noſtri acerbe queſti cum Patrum Collegio, qui ædificium in ipſa urbe procurant, Exactorum hujuſmodi avaritiam, atque adeo crudelitatem compeſcuerunt. Cujus rei cauſa idem Collegium litteras dedit hoc ipſo anno ad diem VII. Kalendas Auguſti.

Franciſcanis moleſtia exhibetur a procuratoribus Vaticani ædificii.

Collegium Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe.

Univerſis & ſingulis noſtris, & dictæ Fabricæ Commiſſariis, & Subcommiſſariis, ad quos, vel ad quem præſentes noſtræ fuerint quomodolibet præſentatæ, vel oſtenſæ, ſub privationis officii, & ducentorum ducatorum auri de Camera eidem Fabricæ applicandorum pœnis in eventu contraventionis ipſo facto incurrendis, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus, viſis præſentibus, non audeatis, ſive præſumatis, vel quilibet veſtrum audeat, ſive præſumat impedire, moleſtare, ſeu alias quomodolibet perturbare directe, vel indirecte, quovis quæſito colore, vel ingenio omnes & ſingulos Fratres Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia quærentes, & petentes eleemoſynas cujuſcumque generis a Chriſti fidelibus pro eorum victu & ſuſtentatione in provinciis Apuliæ, & Baſilicatæ, & in toto Regno. Contrariis non obſtantibus quibuſcunque. In quorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes fieri, & per infraſcriptos noſtros Deputatos, & Secretarium ſubſcribi, ſigillique noſtri juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in Collegio noſtro ſub anno a Nativitate Domini MDXLVI. *die vero* XXVI. *menſis Julii, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pauli Divina providentia PP. III. anno* XII.

De iis quid publice cautum.

Philippus S. Sepulchri
Joannes Arberinas
Antonius Maximus
Val. Ceſellius. } *Deputati.*

CLXXI. Jampridem exemplo malo mos percrebuerat, ut noſtri Ordinis feminæ ac viri Præfectorum imperia detrectarent, ac per ſummam temeritatem, & impudentiam ludificando contemnerent. Ab iis vero tantæ ſeu levitati, ſeu arrogantiæ honeſtæ cauſæ prætendebantur. Aut enim ſago mutato, nec, ut par erat, impetrata miſſione, in alium quempiam ſacrorum Ordinum commeare, aut in gymnaſia publicaſque Academias litterarum ad ſtudia proficiſci, aut ſacerdotia, quæ Eccleſiæ vocabulo beneficia dicuntur, ambitioſe prenſare, nullo reſpectu jurisjurandi, quo interpoſito vota Ordinis nuncupaverant, bene multi ſolebant. Hoc vero malum, ut ne latius manaret in perniciem familiæ, mature compeſcuit Pontifex Maximus; cunctiſque viris ac feminis Franciſcani inſtituti, ut Miniſtro Generali, cujus in verba ſolemni ritu juraſſent, dicto eſſent audientes, neu quippiam tale præter ipſius voluntatem deinceps auderent, gravi edicto præcepit.

Pontifex Maximus licentiam ac levitatem cõpeſcit quorundam Franciſcanorum.

CLXXII. Clementis VII. auctoritate atque diplomate eautum erat, ne quis in poſterum Cardinalis Romanæ Eccleſiæ appellationem aut titulum ſibi ſumeret ejus templi, quod eſt Romæ in Capitolio, & ab auſpiciis enixæ olim Auctoreu humanæ ſalutis beatiſſimæ Virginis Aracœli vocatur. Eam Clementis voluntatem Paulus III. novo diplomate edito, ratam habuit. Palatium quoque, quod in horto cœnobii, ut ex ædibus Marcianis animi cauſa eo diverteret, ipſe Paulus ædificarat, non juris eſſe cœnobiarchæ, nor Cardinalis Presbyteri ſancti Marci, ſed ſui dumtaxat, &, qui rite ſibi ſuccederent, Romanorum Pontificum, declaravit. Verum, ut in loco dicemus, Sixtus V. Pontifex Maximus jus illud omne in præfectum cœnobii deinde contulit.

Cardinales Romanæ Eccleſiæ vetantur ſumere titulum S. Mariæ de Aracœli.

CLXXIII. Earum Virginum ſodalitia, quæ ſalutatæ ab Gabriele Mariæ,

riæ, vel ejuſdem immaculati Conceptus, vel beatæ Claræ Aſſiſiatis auſpiciis familiam tuentur, privilegiis ornarant plurimis Romani Pontifices. In quibus illud erat eximium, uti decimis tribuendis, aliiſque præterea vectigalibus; quæ ipſius Pontificis arbitratu imperari ſolebant, immunes eſſent. Cum vero ab decimarum quæſtoribus in jus vocatæ conflictarentur interdum turpibus judiciis, magnoque rei familiaris detrimento afficerentur; illarum vicem miſeratus Pontifex Maximus edicto cavit, ne quis Curiæ Romanæ quæſtor ab iis decimas, aut vectigalia repeteret, præterquam ubi cœnobia eſſent tam liberaliter conſtituta, ut non modo eam dotem, quæ ad modicum victum cultumque ſatis eſſet, Sorores ſingulæ attulerint; ſed nummos etiam ſexdecim aureos æſtimatione Romani ærarii e cœnobii reditibus quotannis perciperent. Hæc autem omnia Pauli verbis enucleata ſubtiliterque explicata in loco reperies, ut propterea curam noſtram ac diligentiam in deſcribendo haudquaquam deſideres.

Pontifices Maximi decreto cautum, ne quæſtores Romanæ Eccleſiæ a Virginibus Franciſcanis decimas exigant, niſi certis conditionibus.

CLXXIV. Apud Succoſam citerioris Hiſpaniæ oppidum in finibus Ilergetum, vulgo *la Puebla*, Franciſcus Fernandeſius præſtanti pietate ſacerdos, & oppidi antiſtes, facultatibus ſuis teſtamento relictis, noſtrarum Virginum cœnobium ædificandum curavit. In illud vero Virgines aliquot, quæ ſub auſpiciis immaculati Conceptus inſtitutum beatæ Claræ profitebantur, poſt aliquanto deductæ, vitæ innocentia novum ſodalitium brevi illuſtrarunt.

Virgines e beatæ Claræ inſtituto cœnobium condunt in Hiſpania.

CLXXV. Aliud præterea Obſervantium cœnobium apud Foſſanum Liguriæ urbem in Pedemontana regione hoc ipſo anno excitatum; cum vetus eorundem domicilium, patrum noſtrorum memoria, extra mœnia civitatis extructum bellorum calamitas, quæ per hæc tempora, Carolo V. Imperatore, Italiam pervaſerat, una cum aliis nonnullis funditus ſuſtuliſſet. Hujus autem novi operis moliendi Franciſcum a Saviliano Obſervantium presbyterum auctorem fuiſſe, multumque laboris in eam rem contuliſſe proditum eſt. In ejus cœnobii templo Roſarii, quod appellant, pia ſocietas inſtituta; cum in ea civitate nullum adhuc extaret Dominicanæ familiæ domicilium.

Item Obſervantes in Italia.

CLXXVI. Per idem tempus Anglicana perfidia ad perniciem Catholicæ Eccleſiæ ſcelerum via graſſabatur; atque infeſta potiſſimum religioſis familiis intulit ſigna. In eam vero calamitatem Obſervantium cœnobia plurima inciderunt. In inſula Chanſonenſi, quæ decem millibus paſſuum ab Grandivilla civitate diſita eſt, Philippus Rex Galliæ cœnobium noſtris ædificarat anno ſupra milleſimum trecenteſimo quadrageſimo tertio. In eam inſulam Angli, quos Lutheranum virus afflaverat, hoſtiliter invadentes, familiam omnem indignis modis acceptam exegerunt, dirutoque cœnobio ſacras ædes diripuerunt. Jacobus Pigeonius Grandivillanus, Franciſcanorum calamitate commotus, eoſdem vagos palanteſque recepit ſuis tectis ac ſedibus, perque triennium liberaliter habuit; cum interea Jaquelina, illuſtri genere femina, iis fundum ab ſe coemptum attribuiſſet ad cœnobium ædificandum. Itaque hoc anno Pauli III. permiſſu domicilium poſuere. Anno inſequenti eorum templum ſolemni ritu conſecratum.

Obſervantes ab Anglis hæreticis exagitati pelluntur cœnobio Chanſonenſi.

Aliud cœnobium ædificant.

CLXXVII. Apud oppidum Triventinæ diœceſis, quod Capracocta appellatur, in regno Neapolitano Donatus Vaccarius, qui Ordinis Tertii leges atque inſtituta domi profeſſus, ad eorum præſcriptum vitam agebat, Obſervantibus ædem atque cœnobium in patrio fundo ædificavit; qui, annuente Pontifice Maximo, ad incolendum deducti, religioni ac populorum ſaluti egregiam operam navare occœperunt.

Rurſus aliud iiſdem exſtructum in regno Neapolitano.

CLXXVIII.

Anno Christi 1546.	Pauli III. anno 12.	Caroli V. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 339.

CLXXVIII. Obſervantes Mutinenſis cœnobii, ut ad annum quadrageſimum tertium ſupra ſeſquimilleſimum narratum eſt, aureos mille, quam pecuniam vendito horto ſuburbano contraxerant, apud ſequeſtrem depoſuerunt, ut in uſum Eccleſiæ Præcurſori dicatæ, quam Mutinenſis in agri vico (Corceum appellant) externus ſacerdos adminiſtrabat, inſumeretur. Is, tum erat Annibal quidam cognomento Thebaldus: in cujus demortui locum ſuffectus Joannes Antonius Boninus, pecuniæ partem idoneo viro numerari, qua bona ſtabilia eidem Eccleſiæ coemerentur, curavit, perſancte pollicitus, eam optime collocatum iri, nec ejus cauſa Obſervantes ab ſe quippiam moleſtiæ deinceps paſſuros. Verum qui pecuniam receperat, cum nihil adhuc eorum, quæ ab Antonio in mandatis habebat, perficere potuiſſet; in tanta rerum inopia diem obivit, ut ejus hæredes, difficultate preſſi domeſticæ rei, ſolvendo non eſſent. Quocirca noſtri, ne, quam partem pecuniæ collocarant, gravi familiæ detrimento periret, ſupplices litteras ad Paulum III. dederunt, enixe rogantes, ut inopiam cœnobii miſeratus, vel Eccleſiæ præfectum ad eam pecuniæ partem, Eccleſiaſtica pœna propoſita, reddendam compelleret; vel, qui deinceps in ejus locum ſuccederent, ab ea in poſterum repetenda gravi edicto deterreret. Quod ab Pontifice vivæ vocis oraculo mandatum eſſe teſtatus eſt Cardinalis Guidicionus, vir hac ætate divini humanique juris ſcientiſſimus, & in hujuſmodi controverſiis cognoſcendis propter judicii & æquitatis eximiam laudem fere ſemper adhibitus.

Obſervantes Mutinenſis cœnobii contractam pecuniam ex venditione horti ſuburbani minime diſtrahi patiuntur. Eaque de re ſibi cavent.

CLXXIX. In urbe Campania regni Neapolitani Melchior quidam præſtanti ſtudio pietatis in Deiparam Virginem aureos centum teſtamento legavit, ut effingendo collocandoque Obſervantium in æde ejuſdem Virginis ſimulacro marmoreo impenderentur. Sed cum cives Campanienſes vetuſtam effigiem ipſius Mariæ loco moveri haudquaquam ferrent, quam eo in templo majores eorum, ipſique adeo tum vitam agentes eximio cultu venerarentur, ad Eccleſiæ Romanæ Cardinalem, qui Pœnitentiarius appellatur, ſupplices litteras perferendas curarunt; quibus ipſi litteris ab Cardinali petebant, ut, quando templum, quod Obſervantes curarent, priſtinum cultum ſplendoremque amiſiſſet, in eodem ornando reparandoque eam pecuniam inſumi ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate arbitrioque decerneret. Cum poſtulatio juſta eſſe videretur, mandatum Vicario Campanienſis Epiſcopi, ut, omiſſa ſimulacri ſculptura, ejuſdem templi ſarciendi, & in veterem dignitatem reſtituendi curam ſuſciperet.

Cardinalis Pœnitentiarius legatam Obſervantibus pecuniam inſtaurando eorum templo inſumptum iri decernit.

ROBERTUS miſeratione Divina tituli ſanctorum quatuor Coronatorum Presbyter Cardinalis diſcreto viro Vicario in ſpiritualibus venerabilis in Chriſto Patris Dei gratia Epiſcopi Campanienſis ſalutem in Domino.

EX parte Guardiani & Fratrum conventus Campanienſis Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nobis oblata petitio continebat, quod alias quondam Melchior de Campania, dum viveret, cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare; in ejus ultima voluntate ſeu teſtamento de bonis ſuis condito legavit centum aureos, ut ex illis imago marmorea divæ Virginis Mariæ, in Eccleſia dicti conventus ponenda, fieret; prout in dicto teſtamento dicitur plenius contineri. Verum quia univerſitas & homines civitatis Campanienſis, ſive eorum major pars ob civium devotionem nolunt veterem prælibatæ Virginis Mariæ, in, ſeu ſu-

ſuper dictæ Eccleſiæ altare exiſtentem Imaginem amovere; ſed potius tam ipſi, quam exponentes præfati legatum hujuſmodi in prædictæ Eccleſiæ neceſſariam reparationem converti exoptant; ex quo profecto ipſius Eccleſiæ decori, & conventus neceſſitati magis ac melius conſuleretur: quare ſupplicari fecerunt humiliter exponentes præfati, ſibi ſuper his per Sedem Apoſtolicam de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur dicti teſtamenti tenorem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſo habentes, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato, ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, diſcretioni tuæ committimus, quatenus, ſi eſt ita, dicti exponentibus, de eorum tamen Miniſtri Provincialis conſenſu, dictos centum aureos in templaturam, ſeu confectionem tecti, ſeu aliam dictæ eorum Eccleſiæ neceſſariam reparationem & decorem convertendi licentiam, & libram Apoſtolica auctoritate concedas facultatem, & dictam voluntatem, in, & quoad hoc, commutes; illamque converſionem, poſtquam facta fuerit, eadem auctoritate approbes & confirmes: ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus voluntate & aliis præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque; proviſo tamen, quod dicti centum aurei penes aliquam eadem ſacram, vel perſonam fide & facultatibus idoneam deponantur, donec in dictam reparationem & decorem convertantur, & interim nomine dicti conventus in depoſitum teneantur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo officii Pœnitentiariæ Nonis Auguſti anno Domini MDXLVI. *Pontificatus Domini Pauli Papæ III. anno* XIII.

Virgines tres Fulginienſe cœnobium nobilitant virtutum ſplendore.

CLXXX. In Fulginienſi divæ Luciæ cœnobio deceſſerunt hoc anno Virgines tres, quæ ſingularis innocentiæ, ac virtutum pulcherrimarum ſparſere famam. Seraphina charitate in Deum, & in omnes benevolentia, tum admirabili demiſſione ſuique contemptu inſigniter floruit. Altera fuit Catharina Auximana, nobili genere orta, quæ multos annos antiſtitæ munere cœnobium curavit, atque ita mores compoſuit ſuos, ut ſimul totam familiam exemplis optimis conſtitueret. Poſtrema mortem oppetiit Archangela Peruſina, quam exacta duriter vita, & per omnis aſperitatis eximiam patientiam probata Deo hominibuſque commendat.

Philippus Peruſinus in Obſervantium familia poeta non ignobilis.

CLXXXI. Hac tempeſtate Philippus Peruſinus ex Obſervantium familia ſacerdos poeticæ facultatis laudem aliquam tulit: cujus duo prodiere poemata, quorum alterum Grittiados, alterum Feltriados inſcripſit. Illud Andreæ Gritto Venetorum inclyto Duci, hoc Theobaldo Urbini regulo nuncupavit. Tum Panegyricum Pio Carpenſi Romanæ Eccleſiæ Cardinali inſcriptum vulgavit.

AR-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 340.
1547.	anno 13.	anno 29.	

ARGUMENTUM.

Carolus Cæſar adverſus hæreticos proſpere pugnat. Henrici VIII. Angliæ regis interitus. Joanne Calvo vita defuncto, Clement Monilianus generalis Vicarii appellatione familiæ præficitur. Comitia Ordinis ad Portiuneulam, quibus Andreas Inſulanus generalis Miniſter creatus. Ab eo Tertii Ordinis inſtitutum legibus auctum. Joannes Rojardus Obſervantium ſacerdos doctrina clarus. Roderica Leonora diſcipline aſperitate perferenda inſigniter floruit. Philippa Renati Lotharingiæ Ducis antea uxor in cœnobio Muſſipontano diem obivit, cum inſtitutum beatæ Coletæ, defuncto viro, profeſſa eſſet, ac præſtantium virtutum laude floruiſſet. Alii vitæ innocentia inſignes. Cœnobia ædificata.

I. TRidentini Concilii Patres rem Chriſtianam ſedulo procurabant; cum ſurente peſtifera lue abire coacti Bononiam conveniunt. Jamque habitis in hac urbe duabus ſeſſionibus, abrupit optime incœpta, optatoſque progreſſus Aloyſio Duci Placentiæ & Pontificis filio illata nex. Placentiam ſtatim occupat Ferdinandus Gonzaga Cæſaris nomine, Ægre Pontifici ſervatur Parma. Conjurationis afflavit ſuſpicio Carolum V. Pontifex autem ex ea nece tantum doloris, & ægritudinis cepit, ut Concilium pene diſſolverit. Bellum interea dictum Smalcaldicum ſecunda fortuna gerebat Carolus. Nam Dux Wittembergius, qui maxime petebatur a Cæſare, perſolutis trecentis millibus aureorum, in gratiam redierat, civitateſque Germaniæ multas ad paciſcendum exemplo perduxerat. Septemvir autem Saxoniæ victoriis ferox, patruele Mauritio caſtris exuto, felicior eſſe videbatur ac fortior, quam ut a Cæſare vinci poſſet. Quocirca in eum tota vis belli impetuſque convertitur: ac principio Albi fluvio per miraculum prope ſuperato, eum Cæſar cum Ferdinando aliiſque Catholicis ad Mulbergum aſſequitur. Inito prælio, cum novem horas dimicaviſſet Elector, funditur tandem a Cæſarianis, & cum Erneſto Brunſuicenſi victoris in manus ac poteſtatem concedit. Multa de hac victoria jactata ſunt, ut de Aquila obeunte Cæſaris caſtra, nebula adventum Caroli Saxonibus celante, Sole pallido, quin etiam, ut tempore Joſue, ſtante ad pleniorem victoriam. Quæ ſunt ab adulatoribus conficta potius, quam a veris hiſtoricis enarrata. Subinde habita ſunt Auguſtana comitia, ſed ab Cæſare armato, &, fremente quantumvis civitate, triumphante. In iis Catholica fides erecta, hæreſis abjecta eſt; Coloniæ ſuffectus Archiepiſcopus Adolphus in locum Hermanni, hæreticorum plane inſaniſſimi, & quam gravis ætate, tam ſceleribus cooperti.

Aloyſius Placentiæ Dux interficitur: Placentiam occupat Ferdinandus Gonzaga.

Bellum Smalcaldicum.

Friderieus Elector Saxoniæ capitur a Cæſarianis.

Auguſtana comitia adverſus hæreticos.

II. Quinto Kalendas Februarii obiit Henricus VIII. Angliæ Rex anno ætatis LVII. regni fere XXXVIII. ex nimia pinguedine: ut qui libidinoſe inſtar canis vixerat, turpiter inſtar obeſi ſuis moreretur. Statuerat Eccleſiæ reconciliari; ſed paraſitorum, & aulicorum turba, quos ſacris bonis locupletarat, impediit. Sumpſit tamen Catholico more Euchariſtiam; hæredeſque inſtituit primo Eduardum ex Semeira filium, deinde Mariam ex Catharina, denique Eliſabetham ex Anna Bolena: filio autem adjunxit tutores ſexdecim, omnes fere Catholicos; quem ita voluit erudiri, ut cum antiqua religione principatum Eccleſiæ retineret. Sed ex iis tutoribus Eduardus, Herefordiæ comes, frater Semeiræ Zuvinglianus, jus omne ſibi arrogavit; & huic favente Cramero Archiepiſcopo Cantuarienſi, inducta eſt hæreſis in Britanniam per Hugonem Latimerum Anglum facetum

Moritur Henricus VIII. Angliæ rex.

In Britanniam inducitur hæreſis.

concionatorem, Petrum Martyrem Vermilium, Bernardinum Ochinum Capuccinorum quondam generalem Vicarium, tunc nequiſſimum deſertorem. Sed de his ſatis. Nunc ad incœptum redeamus.

Joannes Calvus moritur Tridenti.

III. Joannes Calvus totius Ordinis generalis Miniſter paucis ante diebus, quam Patres Concilii Tridento diſcederent, e vivis deceſſit XII. Kalendas Februarii, præfecturæ ſuæ an. VI. labente, elatuſque eſt magnifico funere ad D. Bernardini, pleriſque Patrum optimi viri deſiderio jacturam tantam ægre ferentibus. Provinciæ Venetæ Miniſter, in qua Tridentum cenſebatur, ubi de ejus morte nuntium accepit, primarios Patres Ciſalpinæ familiæ Aſſiſium coegit. Conventu habito ad cœnobium Portiunculæ, Clemens Monilianus, qui familiæ Procuratorem in urbe gerebat, generalis Vicarii appellatione in Calvi locum ſufficitur. Ejus vero deſignationem Apoſtolica auctoritate Paulus probavit: cujus rei teſtimonium extat in litteris, quas ad ipſum Clementem Pontifex dedit XIV. Kalendas Maji. Ex iis litteris perſpicuum eſt, Ciſmontanæ familiæ Patres, qui Vicarium crearant, ut comitia totius Ordinis ad Portiunculam haberentur, deliberaſſe, contra quam Mantuæ ſexto ab hinc anno conſtitutum fuiſſet. Quocirca ſub diem feſtum Pentecoſtes eo Patres conveniunt utriuſque familiæ, ſuiſque ſuffragiis Miniſtrum declarant Ordinis univerſi Andream Inſulanum ex provincia Algarbiorum ſpectatæ hominem probitatis, atque prudentiæ, qui familiæ Tranſalpinæ antea præfectus, non ſine magna virtutis laude id munus obierat. Ciſalpinam familiam Clemens ipſe Monilianus, de quo ſupra dictum eſt, miro Patrum conſenſu, & voluntate adminiſtrandam ſuſcepit. Creatus Ordinis Procurator Antonius a ſancto Michaele natione Hiſpanus. Negotia Ciſalpinæ familiæ, quæ in urbe Roma tractari ſolent, Euphemius a Valledocta curare juſſus. Arbitri, quos appellant Definitores, in Ciſmontanis creati ſunt, Archangelus Placentinus, Bononienſis provinciæ antea Miniſter. Laurentius Fulginas Umbrorum Cuſtos, Ludovicus Amantinus Miniſter Calabriæ, Joannes Baptiſta a Caſtilione Miniſter provinciæ Mediolanenſis, Franciſcus Carticellus, cujus provinciæ nomen intercidit: denique Euphemius ipſe, de quo meminimus. Tranſalpinis hi dati ſunt, Vincentius Lunellus, qui Miniſter totius Ordinis fuerat, Germanus Aubertus, Joannes Daventrienſis, Antonius a ſancto Michaele, de quo diximus paulo ante, Alexander Molitor, & Joannes Concilius. Bonaventura Corſetus Illyricus Cuſtos Paleſtinæ, ac Montis Syon Cœnobiarcha, Bernardinus Tiburtinus Cretenſis provinciæ Miniſter, deſignati. Leges deinde, quibus Ordinis diſciplina, majorumque inſtituta retinerentur, conſenſu latæ. Multa præterea de obeundis ſacrorum ritibus conſtituta. Intermediam, ut vocant, congregationem in Bononienſi cœnobio, cui ſalutatæ ab Gabriele Deiparæ nomen eſt, tertio poſt anno, generalia comitia ad Montem Peſſulanum in Narbonenſi provincia poſt ſexennium habenda Patres decrevere. Ad hæc pro Romani Pontificis, Regumque ac Principum felicitate publicæ preces dictæ: Joanni III. invicto Regi Luſitaniæ, quod ingentem pecuniæ modum ad alendos, qui Aſſiſium convenerant, liberaliſſime contuliſſet, immortales gratiæ communiter actæ: Fratres, qui ab comitiis Mantuanis diem obierant, in familiæ tabularia relati quatuor mille nongenti octoginta ſeptem. Dimiſſis autem comitiis primarii Patres in urbem profecti, actorum omnium exemplar ad Pontificem detulerunt; qui datis litteris ad generalem Miniſtrum ipſa primum comitia, tum comitiorum decreta omnia legeſque rite approbavit XVIII. Kalendas Julii.

Miniſter Venetæ provinciæ Aſſiſium convocat patres conſcriptos.

Qui Clementem Monilianum generalē Vicarium creant.

Ejus electionem rati habet Pontifex Maximus.

Comitia generalia apud Aſſiſii. Andreas Inſulanus Miniſter totius Ordinis renuntiatus.

Clemens Monilianus Ciſmontanæ familiæ præfectus.

Ceteri Magiſtratus percenſentur.

Leges in comitiis latæ.

IV. Hac tempeſtate noſtrarum virginum quædam collegia ſoluta admo-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 340.
1547.	anno 13.	anno 29.	

modum diſciplina ab majorum exemplis inſtitutiſque plane deſciverant. Id cum Paulus inaudiviſſet, Præfectum Ordinis Inſulanum admonuit; in eumque collato uſu Apoſtolicæ auctoritatis, hortatus graviter eſt, ut labantes familias confirmare, & ad veterem ſanctimoniam ac ſobrietatem omni ſtudio revocare niteretur. Pontificis litteras ad calcem operis in loco reperies.

Generalem Miniſtrum reſtituendæ in gynæceis quibuſdam diſciplinæ curat intendere Pontifex jubet.

V. Tertii Ordinis inſtitutum, quod multi antea Pontifices Apoſtolicæ Sedis auctoritate probatum privilegiis ornarant, hoc anno generalis Miniſter legibus auxit, mirumque in modum locupletavit. Ejus vero inſtituti normam dilucide explicatam ac breviter in tres diviſit omnino partes. Prima ad eos pertinebat, qui cœnobium haberent; ac vel ſacris initiati, vel laicorum conditione in ſocietatem adlecti communiter viverent. Altera feminas continebat, quibus in ſeptis collegiorum interpoſita voti lege verſari animus eſſet. Tertia in uſum virorum, ac feminarum conſcripta, qui ex veteri more inſtitutoque majorum ſe ſe domi continerent, & Chriſtianæ humilitatis officia privatim obirent. Ea capita omnia triplicis diſciplinæ ſuppliciter obtulit Paulo III. idem Miniſter, utque rata haberentur, virorum nomine ac feminarum, qui Tertium Ordinem quoquo modo profeſſi Hiſpaniæ in regnis habitarent, impetravit. Pontificium diploma una cum iis, quæ memoravi, capitibus ex Bordono deſcribendum, interque publicas litteras in hujus fine voluminis collocandum curavimus.

Tertii Ordinis inſtitutum novis legibus auctum ab ejus familiæ præfecto.

VI. Brugis in Belgio e vita migravit Joannes Rojardus, Obſervantium ſacerdos, Aldenarda oriundus Belgicæ urbe, Lutheranæ perfidiæ, ſi quiſquam alius, hac tempeſtate inſectator acerrimus. Is cum ſacrarum litterarum in ſtudiis diu verſatus, diſſerendi uſu & exercitatione plurimum poſſet, conſilium cepit dignum homine cupido amplificandæ divinæ gloriæ, dignum magiſtro Theologicæ diſciplinæ, ut improborum commentationes, quibus Chriſti Evangelium miſerandum in modum depravaretur, palam, & ex ſuperiore loco ſuis ipſe concionibus refutaret. Ad hæc, ut ne ad perniciem animorum latius manarent, quæ ad Chriſti pervertendam doctrinam ab hæreticis ferebantur, commentarios conſcripſit in Evangelia luculentos in primis & graves, quibus non homines modo contagionis expertes in officio fideque contineret, ſed correptos etiam exitiabili peſte neſarii dogmatis ad ſanitatem ac bonam frugem revocaret. Eos Adolphus tertius Colonienſis Antiſtes magnopere commendatos provinciæ ſuæ Sacerdotibus ad legendum propoſuit; quod ad præſcriptum Apoſtolicæ Sedis, ad Conciliorum decreta, normamque ſinceræ fidei præcipua dogmata religionis explicarent. Itaque anno a Virginis partu ſupra ſeſquimilleſimum quinquageſimo primum typis mandati ſunt, editionem curante Melchiore Noveſiano. Lucubravit & alia multa Rojardus ad animorum diſciplinam; quæ Waddingus percenſuit in indice ſcriptorum Ordinis. Idem familiæ præfecturam ſumma cum poteſtate geſſit in Scotia: quo depoſito magiſtratu, cum in Belgium reverſus inſtitutam vitæ rationem perſequeretur, erudiendiſque, qui ad concionem ventitarent, clariſſimis viris operam daret, gravi morbo correptus, in ejus, quam dixi ante, civitatis cœnobio mortalitatem exuit. Vixit autem innocentiſſime, præter virtutem bonaſque artes nullius rei appetens. Eum Sixtus Senenſis in Bibliotheca Sancta falſo putavit Antuerpia oriundum, eo fortaſſe deceptus, quod in hac urbe, Belgicarum omnium tum celeberrima, docendi cauſa Rojardus diutius hæſiſſet.

Joannes Rojardus Obſervantiũ ſacerdos hæreticorum hoſtis acerrimus.

Adverſus eos publice diſputat a ſuperiore loco.

Scribit commentationes in Evangelia.

Maxime probatos Colonienſi Archiepiſcopo.

Ejuſdem alia ſcripta.

Familiæ præficitur in Scotia.

Redit in Belgiũ.

Moritur.

Ejuſdem laus.

VII. Pontis veteris in Hiſpania cœnobium nobilitavit hac tempeſtate Roderica Leonora, quæ obfirmato ad omne genus aſperitatis perſcrendum ſem-

Roderica Leonore ſeveritate diſciplinæ celebris.

ſemper animo fuit, virgineſque complures, ut perfectionis Chriſtianæ curſum in omni vita tenerent, ſalutaribus monitis exemplisque vehementer incendit. Ovetenſis collegii erat Antiſtita, cum accitu Obſervantium Præfecti, qui provinciam ſancti Jacobi adminiſtrabat, in Pontis veteris domicilium paulo ante fundatum commigravit anno Chriſti MDX. ubi vitæ reliquias inſtituendis diſciplina Sororibus, & ad omnem virtutem pietatemque informandis inſumpſit.

Philippa Lotharingica D. Claræ inſtitutum amplexa. *Wadding. Tom. X. ann. 1481. num. 19. & Tomo XVI. anno 1519. num. 5.*

VIII. Lucas Waddingus non uno in loco ſuorum Annalium diſerte ſcripſit, Philippam Adolphi Geldriæ reguli filiam, Renati vero Lotharingiæ Ducis uxorem, defuncto viro, in ſodalitium beatæ Claræ nomen dediſſe: ejuſque vitam & facta mandare litteris conſtituerat, ubi ad hunc annum ſeſquimilleſimum quadrageſimum ſeptimum, quo Philippa deceſſit, hiſtoriæ ſeriem perduxiſſet. Nos, quod ille morte præreptus præſtare non potuit, luculentæ narrationis materiam habentes in promptu, accurate perſequemur. Adolphus itaque Egmontius Arnoldi Geldriæ Ducis, & Sulphaniæ Comitis filius ex Catharina Caroli Borbonii filia, quam matrimonio ſibi conjunxerat, Carolum, & Philippam ſuſcepit liberos; quos mater Borbonia anno MCDLXIX. vita decedens reliquit impuberes. Per idem tempus Arnoldum ſenem adoleſcens filius in ordinem redegerat, dominatumque per ſummum nefas & impietatem in Geldria tenebat. Carolus Burgundio cognomine pugnax, adoloſcente pulſo, imperium ſeni reſtituit; ab eoque ob id meritum hæres inſtituitur, exhærede filio. Anno Chriſti MCDLXXIII. naturæ conceſſit Arnoldus: poſt cujus mortem Burgundio, dum Geldriæ imperium contendit armis vendicare, Neomagum urbem ejus ditionis munitiſſimam, opibuſque florentem, comparato ad obſidionem exercitu, pertinaciſſime oppugnat: civeſque ad propulſandum periculum animis obfirmatos, & quidvis potius, quam externum dominum pati volentes, ipſe tamen viribus melior tandem in rerum omnium diſcrimen adducit. Urbe capta, Adolphum Egmontium, ejuſque liberos humaniſſime acceptos Gandavum dimiſit: ubi Philippa & Carolus frater apud conjugem ejus Margaritam una cum filia Maria liberaliter educati, & ad virtutem, ac virtutis officia, quæ in Principes maxime convenirent, inſtituti optime ſunt. Religione præſertim erga Deum ac ſuperos, quam pene cum lacte nutricis hauſiſſent, uterque in omni vita excelluerunt. Nam ut ea nunc prætermittam, quæ Philippæ de moribus atque factis dicturi ſumus, Carolus Egmontius, ubi avitum recuperavit imperium, nihil unquam ſibi duxit antiquius, quam ut fidem Romanam, cui finitimæ civitates ſuperioris Germaniæ neſarium bellum indixerant, ſartam tectamque ab omni labe conſervaret. Neque vero ſum neſcius, Iſacium Pontanum Geldriæ rerum ſcriptorem conſilia Caroli omnia, legeſque propoſitas, quibus populus Geldrienſis in officio contineretur, in invidiam nominis ejus malignis artibus traduxiſſe. Sed qui Caroli leget litteras ad Pontificem Maximum, nullo negotio Pontani ſucum impietatemque deprehendet. His enim litteris Princeps, cum gliſcentem in dies Lutheranæ perfidiæ peſtem ſignificaſſet, enixe petit ab Clemente Pontifice, ut, quando hæreret in ſacerdotibus mali cauſa, qui funeſta diſcordiæ ſemina clam ſoverent, Apoſtolicæ ſibi auctoritatis arbitrium libens permittat: uſurum ſe illa quam opportune ad confirmandos in fide populares; locumque nacturum reſecandæ impiorum libidinis, & coercendæ temeritatis.

Philippæ pater Adolphus, frater Carolus Egmontius.

Burgundiæ Dux ab Arnoldo, Adolphi patre, hæres factus Geldrienſis imperii, id ſibi armis vindicare cœpit. Neomagum oppugnat.

Ex qua urbe Adolphus Egmontius, ejuſque filii Carolus & Philippa Gandavum mittuntur.

Eorum liberalis educatio in aula Burgundionis.

Carolus Egmontius erga fidem Catholicam, & Eccleſiam Romanam egregie animatus.

Quem Iſacius Pontanus maligne carpit.

Hæreticam perfidiam infectatur.

Ea de re ipſius Caroli ad Pontificem litteræ.

Poſt oſcula pedum beatiſſimorum, humillime exhibita commendant ſanctitati veſtræ, beatiſſime Pater. Cum per totam fere Germaniam Lutherana hæ-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minq-
1547.	anno 13.	anno 29.	rum anno 340.

hæreſis pernicioſiſſime (proh dolor) diſſeminata pullulare, ac vigere in dies magis ac magis incipiat, non in ſecularibus modo, ſed etiam in Eccleſiaſticis perſonis; nos quoque pro viribus eam ſupprimere, & extirpare conemur, ita ut minimus ipſius rumor in noſtra ditione hactenus extiterit, mirum in modum dolentes, quod non idem quoque fiat a vicinis circum nos his principibus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus, qui, ut nobis videtur, multa conniventibus oculis permittunt, & diſſimulant, quæ non admodum difficili opera impedire, & reprimere poſſent: eam ob cauſam humillime obſecramus, ut Sanctitas veſtra dignetur ipſis auctoritate, qua fungitur, Apoſtolica mandare, ut diligentius aliquanto hanc in rem animadvertant, & vigilent, ne bellua multorum capitum Chriſti Eccleſiam ſimul cum paſtore & ovibus ſuis abſorbeat: quod quam miſerabile, & horribile futurum eſſet, quis dicere poſſit? Et nos vero, quoniam apud Eccleſiaſticas perſonas non minimam hujus mali partem latere ſentimus, & in Chriſtos Domini manum noſtram mittere non audemus, valde non ſolum utile, ſed & neceſſarium fore credimus, ut nobis quoque, & ceteris dictis Principibus auctoritatis veſtræ Apoſtolicæ mandato permittatur licentia in rectam illos Chriſtianæ religionis viam, a patribus olim inſtitutam, & tanto jam tempore obſervatam reducendi, & cum effectu cogendi, ſupplicüs etiam extremis, ſi non reſipiſcant, afficiendi. Præſtabimus omne, quodcumque poterimus, officium, etiamſi opes noſtras amnes, corpuſque, ac vitam denique ipſam impendere neceſſarium foret, non defuturi negotio huic tam ſancto, tam neceſſario, ſi modo voluntatem hanc noſtram ſinceram, quam etiam eſſe Chriſtianiſſimam non dubitamus, obſequiumque verum ac debitum confirmaverit mandatum auctoritatis veſtræ Apoſtolicæ: quam Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ gubernacula tenentem longævam in omni felicitate conſervet. Carolus Egmontius. Ex oppido noſtro Arnhem menſe Februario anno Chriſti MDXXV.

IX. Cum ex ephebis nondum exceſſiſſet Carolus Egmontius, & cum Philippa ſorore Burgundionis in aula verſaretur, Renatus juvenis Renati ſenis ex filia nepos, mortuo Joanne avunculo primum, deinde avunculi filio Nicolao, jure aviæ maternæ, vivo etiamnum Renato ſene, in Lotharingiam ſucceſſit. Is hortatu Ludovici hoc nomine undecimi Galliæ regis Carolo Burgundioni bellum indicit, fineſque Lucemburgenſium ingenti clade depopulatur. Cauſam Lotharingici belli Carolus habuit ab Renato duce provocatus. Simul arma convertit in Helvetios, quod eorum auxiliis Ferentana ditione ſpoliatus eſſet a Sigiſmundo Duce Auſtriæ Auguſti fratre. Stimulabant præterea nonnulli ex Sabaudica nobilitate proceres, in quibus Ducis Sabaudi patruus aliquot oppidis ab Helvetiis exutus. Erant & alii viri nobiles illi genti finitimi, pulſi finibus ſuis. Nunc Helvetii, bello imminente, pacem demiſſiſſime petebant, crimina objecta purgabant, nihil ſe admiſiſſe dictitantes, nec niſi ante indignitate injuriiſque laceſſitos neceſſaria in laceſſentes ſumpſiſſe arma: reciperet in armorum ſocietatem; eundem, quem ille, ſocium amicumque; eundem hoſtem habituros; haud ita magna mercede, quocunque ducerentur, pro illo militaturos. Sin bellum inferens, victoriam reportaret ex terra inope, ecquænam præmia demum virtuti ſuæ ſperaret? Pluris, inquiunt, ſunt equitum tuorum calcaria, pluris equorum frena, quam patrium noſtrum ſolum, noſque ipſi qui incolimus. Dicta aſpernabatur. Parat exercitum validiſſimum, ac qualem confeſſione omnium ætas illa non viderat.

Renatus Dux Lotharingiæ Carolo Burgundioni bellum indicit.

Helvetiorum metus a Burgundione.

X. Burgundio jam res gerebat de Helvetiis. Luſanam prope ſine certamine capit: Granſo ejus vim minaſque diutius tenuit. Coacti tandem ſe

ſe

Burgundionis crudelitas in Helvetios.

Qui ſubinde fuſo eo injurias vindicant.

ſe arbitrio victoris dedunt. Quingenti & duodecim in præſidio Helvetiorum erant: omnes reſte ſuſpenſi. Apparuit tunc genti, quocum hoſte ſibi res foret. Tanto furore rabieque perciti copiis coactis cum eo conflixere, ut funderent, fugarent, caſtris, impedimentis, tormentis exuerent. Granſone recepta, ſuos, laqueis ſolutis, ſacræ ſepulturæ mandant: quos Burgundionum ibi invenere, eiſdem reſtibus ſublimes tollunt, pari mortis fœditate. Dux pene fractus tam adverſa fortuna in Burgundiam ſe recipit, militeque, qui exdi ſuperſuerat, collecto, oratores mittit in Flandriam, ut ejus gentis, quique finitimorum in fide erant, conventu habito, ad rem militarem ingentem vim auri petant. Reſponſum, ſe ad reparandum longinquum, infelix, minime neceſſarium bellum nequaquam collaturos. Sin ut in tutum ſe recipiat, auxilio egeat, nec facultatibus ſuis, nec corporibus temperaturos, quo ipſum incolumem domum ſiſtant. Nec ea res ſpiritus ducis fregit: nec a ſuis conſilio, nec ab hoſte armis vinci vult. Itaque in hoſticum venit, arcemque Murtiam obſedit. Renatus junior ab rege Galliæ, apud quem extorris erat, auxiliis ad iter, quoniam per fines hoſtis eundum

Renatus Helvetiis ſe jungit.

erat, impetratis, ac pecunia ſublevatus, cum Helvetiis ſe jungit, ſeque illis cupientibus ducem in communem hoſtem præbet. Hoc imperatore pugnatum rurſus cum Burgundione, eruptione etiam ab obſeſſis ex oppido facta altero & viceſimo a Granſonenſi pugna die. Eadem fortuna victus: ſed

Iterum victus Burgundio.

vinci prælio, fundi, fugari poterat: cedere animo, niſi moriens, non poterat. Non ſuperatus ceteris bellis a veterano Cæſare, ab armata in ſe Germania, profligari ſe ab adoleſcente, exuleque duce, ab obſcura, ut fremebat frendebatque gente, deforme, ac omni morte triſtius exiſtimabat.

XI. Lotharingus, dum calent adhuc Helvetiorum animi, antequam hoſtis novas vires colligeret, eos adhortabatur, ut victoria uterentur. Proinde illorum maxime opera Lotharingiam ſumma popularium voluntate recipit. Hoſtis id non ferendum ratus, collectis rurſum ex fuga reliquiis adverſi

Ad Nancejû obſidendum ſe parat tempore alieno.

prælii, ac ex utraque Burgundia excita juventute, Nancejum iterum obſidet, tempore anni alieno, atroci hyeme, ſuis nihil boni augurantibus, immo etiam atque etiam diſſuadentibus. Non præbebat aures his, qui dictitabant, Lotharingum ſuppeditata a Franco rege pecunia juvari; ab eodem aliquot turmas in ſpeciem exauctoratas, ut hoſti, ſi opus ſit, ſe conjungant, ne ex profeſſo violata pax videretur. Nihil horum deterruit ducem: tantum adverſus ipſam fortunam, adverſus duplici de ſe victoria ferocem gentem pertinacis certaminis animo imbiberat. Renatus cum Helvetiis af-

Baſſus Magiſter equitum deficit a Burgundione.

fuit poſtridie idus Januarii, cum pridie Baſſus, Magiſter equitum Italici generis, cum centum ſexaginta ſortiſſimis viris defeciſſet. Hunc Baſſum deteſtandæ perfidiæ ſcriptores eorum temporum conſenſu damnant. Eum neſcio an non injuſtus dolor, ſed haud dubie longius æquo provexit. Jam inde ab initio dehortator fuerat Lotharingici belli capeſſendi: ejus etiam ſumpti in concilio auctor erat deponendi. Non tenuit iram dux, Lotharingiæ potiundæ cupiditate flagrans: atrox convicium homini fecit, ac alapa os pulſavit. Eam velut ſummam ignominiam militaris vir in imum pectus immortali memoria tacitus demiſit. Dux aut oblitus, aut oblitum ratus, aut eam non indignitatem ab imperatore in mercenarium exiſtimans, uti ejus opera perſeveravit. Ergo haud difficilius hac tertia pugna ſuperatus Burgundio,

Qui initio prælio cum ſuis cædiſtur.

quam duplici ante ab eadem gente prælio. Sed ibi fuſus, fugatus, hic etiam occiſus. Ludovicus Galliæ rex, primo nuntio, ut lætiſſimo, centum quinquaginta pondo argenti abacum, facti evangelii ergo, dari juſſit. Semper talem ducis proſpexerat eventum, parum a fraude cauti, & nimis ſæpe ca-

put

put partim quæſitis, partim fortuitis periculis objicientis. Princeps Arauſienſis, magno in utraque Burgundia nomine, eas facile regi conciliavit, amiſſo duce, flore nobilitatis triplici pugna deſiderato; nulla propinqua ſpe ſe oſtendente, alienior ipſe multo ante res Nanciates a duce factus, a quo nihil æqui ſe impetrare diceret in controverſia, quæ ſibi de avito dominatu cum patruo erat; nunc rege pollicente ſe, receptis Burgundiis, traditurum ea, de quibus ambigebatur. Ita omnis ea regio deditionem regi fecit. Inter hæc a Maria defuncti ducis filia virgine jam adulta venere ad ipſum oratores cum litteris, quales ad fidem habendam dari vulgo legatis mos eſt: ſed hæ præterea, novo exemplo, exaratæ triplici chirographo, virginis, novercæ, Ravaſtini. Addebatur clauſula, puellam horum quatuor uſuram conſilio, novercæ, Ravaſtini, Hambercurti, Hilermi. Hic præfectus juris: Hambercurtus vir bello egregius: Ravaſtinus propinqua cognatione virgini junctus. Petebant legati, ut ſubmoto exercitu res exæquo bonoque componerentur. In Flandriam, Atrebateſque & finitimos dominatus mulieres legibus Francorum, ac voluntate regum ſucceſſiſſe: ſupereſſe Carolo defuncto unicam filiam, cujus ætatem orbitatemque tutari ſanctius magnificentiuſque ſit, quam paternis bonis evertere. Illata præterea mentio Mariæ Delphino deſpondendæ, repudiandæque Anglicæ conditionis. Id magis animo, quam vultu aſpernabatur rex. Oratores ita Mariæ conſultum volebant, ut ſuis etiam de rebus laborarent. Opes patrimoniaque plerique eorum in finibus, qui jam ditione regis tenebantur, habebant. Legatorum princeps Hilermus juris conſultus, inſtante rege, Philippum Creperecordem religione ſacramenti ſolvit, quod duci defuncto dixerat. Tuebatur Atrebates Philippus, ei circa regioni a duce præpoſitus, vir bello præclarus, cujus patrimonium eis Somonam amnem erat. Hique fines morte ducis ſine controverſia, perſpicuoque jure ad regem redibant. Quocirca velut liber jurejurando, ſi quo Mariæ tenebatur, ad regem tranſiit: eaque re non Atrebates modo, ſed & Bononia recepta. Nihil intentatum reliquebat Ludovicus. Oliverium tonſorem ſuum obſcuro genere rure Gandavenſibus prope ſuburbano natum miſerat Gandavum, ut, ſi qua facultas foret, cum Maria, ſummotis arbitris, ageret, ut ea paterno, maternoque genere orta e regia Francorum nobilitate, primas origines ſuas reſpiceret, ſeque regis fidei tegendam traderet, ſplendidiſſimoque conjugio ſociandam. Gandavenſes puellam in poteſtate habebant, nec patiebantur cum virgine occulta ſeri colloquia. Illud operæ pretium fecit, quod, ne ab rege callidiſſimo miſſus ſeditiones in urbe variis motibus agitari aſſueta excitaret, juſſus abire, Tornacum ſe recepit. A tonſore Tornacenſes nihil timebant. Præfectos regios clam per idoneos nuntios præmonuit, ut noctu iter ingreſſi, ſub lucem ad mœnia adeſſent. Ipſe cum his, quos in comitatu ſuo de induſtria ſummæ audaciæ homines circiter triginta habebat, ad primam auroram portas occupat, regioſque præfectos ſub ſignis intromittit, plebe non invita, optimatibus indigne ferentibus.

Maria Burgundionis filia legatos mittit ad regem Galliæ.

Legatorum poſtulata.

Legatorum princeps Hilermus ex arbitrio regis quid geſſerit.

Gallia rex Mariæ animum tentare inſtituit.

Nihil promovet.

Tornacum tamen occupat.

XII. Gandavenſes finitimorum populorum conventum habent. Conſenſu decretum, ut virgo univerſæ gentis conſilio regeretur: nec ipſa abnuere viſa. Ab illis oratores ad regem miſſi prædicant, ſe de pace legatos venire: ratum virgini fore, quod ipſi, auctore conventu gentis, egiſſent. Viſus eſt rex e re ſua ducere ſeditionem in Flandria exoriri; aliud vulgus ſentire, aliud eos, quos ſibi virgo conſiliarios delegiſſet. His novis oratoribus oſtendit, redditas ſibi a præfecto juris litteras Mariæ, contrarias eorum orationi. Reverſis domum, remque omnem palam facientibus, male

A proceribus Gandavenſium legati de pace ad regem Gallia.

Legatorum princeps Gandavum reverſus, ac proditionis damnatus capite plectitur.

Adolphus Geldrienſis a Gandavenſi cuſtodia educitur.

Et ad Tornacum rentandum miſſus, a regio præſidio interficitur.

geſtæ legationis, proditorumque Atrebatum cauſam juſſus dicere præfectus juris, cum parum diluere crimen videretur, capite plectitur, non eo nomine, ut ne maxime regem inſectari dicerentur; ſed ſordium damnatus. Adolphum interea Geldrienſem e cuſtodia, quo Burgundio eum conjecerat, educunt Gandavenſes, atque ad Tornacum tentandum ire tumultuario milite jubent. Is eruptione ex urbe a regio præſidio facta occiditur. Simul ad ſpem exercitus in regem comparati Atrebates deficiunt: nec parvo negotio a rege excepti, migrare maxima pars interiorem in Franciam juſſi. Ex interiore item Francia deductis eo coloniis, novo nomine Francica civitas appellatur. Duobus velut oppidis incolebant Atrebates, ut ædificiis, ita & ſenſu disjuncti: alteri alieniſſimi a nomine regio, alteri non averſi. Per idem tempus Maria defuncti Caroli Burgundionis filia Maximiliano Cæſaris filio in Flandriam profecto nubit. Ea de cauſa res novæ in Burgundia ortæ. Principi Arauſienſi avitus dominatus non redditur, in cujus ſpem Ludovicum ſecutus fuerat. Velut eluſus, arma convertit in regis præfectum; ſigniſque collatis ad mille utrinque cecidere. Multi a rege, principe auctore, deficiunt. Bellum illud nullo memorabili prælio confectum. Dola tamen a Francis incenſa. Belna defectionis noxam quadraginta millibus aureorum luit. Plura exin auro pollicitationibuſque, quam vi expugnata. Eo bello Francus Helvetiorum mercenariis auxiliis conſenſu gentis uſus, ſex illorum millia perpetuo ſtipendio alere cœpit. Alia regione in Morinis cum regio milite, dotali nimirum potiturus imperio, Maximilianus conflixit; Gallorumque ſagittariorum edita cæde, locum, ubi pugnatum, victor obtinuit. Eam rem Cominius auctor eſt curam regi injeciſſe, ut cupidior pacis eſſet, atque alienior a fortuna periclitanda. Occaſio deponendorum armorum ultro ſe obtulit, cum Maria haud ita longo intervallo deceſſiſſet. Supererant ex Maximiliano parvi admodum liberi, Philippus, & Margarita. Amiſſa uxore Maximilianus parum ea in regione opibus auctoritateque valebat. Gandavenſes in poteſtate pupillos habebant. Per illos Anglica affinitate repudiata, effectum ut trimula Margarita in Franciam duceretur, Delphinoque deſponderetur, doti adſcriptis Atrebatibus, & comitatu Burgundiæ. Ita & pax facta, & Atrebates ex Francia interiore, quo relegati fuerant, domum rediere; ac civitati priſtinum nomen reſtitutum.

Maria Burgundica Maximiliano Auſtriaco nubit.

Hinc novi belli in Gallia & Belgio.

Maximilianus de Gallis victor.

Maria Burgundica moritur: inde pax facta.

XIII. Geldrienſes interea cum Franco rege, ejuſque conſanguineo Ludovico Borbonio, Leodienſem Antiſtite, Caroli Adolphi filii avunculo ſe conjungunt. Borbonius præcipue, quod in Geldriæ ditionem poſtliminio reſtitui Carolum Egmontanum una cum ejuſdem ſorore Philippa percuperet, eos ſeſe in clientelam, ac fidem recepturum jurejurando teſtatus eſt. Verum quarto poſt anno indigna morte ſublatus Antiſtes, pupillorum cauſam, minimeque ambigua jura in avitum imperium tutari deſiit. Inſidiis Gulielmi Marcani Arembergii, viri quidem illuſtris, ſed turbulenti ingenii, indoliſque perverſæ nefarie interficitur; ipſo Marcano primum præſuli vulnus circa jugulum inferente, deinde conductitiis e Gallia ſicariis aliquot penitus eum ad internecionem conficientibus. Cauſam turpiſſimæ cædis afferebat Marcanus, quod ipſum Antiſtes, ob interfectum Richardum Sigilliferum, urbe ditioneque Leodienſi exulare juſſiſſet. Nec multo poſt Gulielmus Egmontius, Arnoldi ducis frater, Caroliique ac Philippæ magnus patruus e vivis exceſſit; cujus militari de ſcientia, qua cum priſcis imperatoribus comparandus videtur, ut nihil eommemorem; faceto inſuper ingenio, & ad omnem ſermonis urbanitatem exculto fuiſſe fertur. Sunt qui tradunt, fratrem ejus, Ducem Arnoldum, inſigniter eru-

Geldrienſes Gallorum regi, & Epiſcopo Leodienſi Caroli Egmontii avunculo ſe conjungunt.

Leodienſis, dum cauſam Caroli Egmontii ac Philippæ cuetur, nefaria nece ſublatus.

Gulielmus Egmontius moritur.

Ejus laus.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Mjnorum anno 340.
1547.	anno 13.	anno 29.	

ditum ; hunc litterarum ornamentis omnibus caruiſſe : verum liberos ſuos quibuſque optimis diſciplinis imbuendos curaſſe . Quippe miſſos Lutetiam, & ejus urbis Academiam adire juſſos inde pedem referre vetuit , niſi omnium ordinum teſtimonio , atque ſuffragiis probati fuiſſent . Adolpho etiam ad eum modum , ut diximus , humanis erepto , ſoror ejuſdem Catharina pupilli nomine adminiſtrabat imperium . Verum fluentibus ex voto rebus Burgundiæ Duci Maximiliano , reputantes animo Geldrienſes ſortunam ſuam, & domeſtica mala, firmiore ſe nexu in ejus obſequium , & clientelam conſenſu demittunt . Ex eo tempore varie afflictum , preſſumque civilibus malis Belgium. Cujus calamitatis auctores memorantur præcipue Gandavenſes , & Leodienſes , quorum plerique turbido ingenio perſuaſum plebi volebant , Maximilianum reditus provinciarum Germanis, ac Burgundis dilapidandos dare ; iis ſolis patere iter ad reipublicæ munera . Remittendum Viennam Auſtriæ Maximilianum : eſſe ſibi jam principes Mariæ filios , quorum tutelam provinciarum ordinibus , non Burgundionibus , aut Germanis committi oportere . Contra qui publico otio , ipſique adeo Maximiliano proſpectum cupiebant , patri ſcilicet permittendum , uti liberos curet ſuos , dictitabant . Inde flagrare omnia bello cœperunt . Eſtque capta mox a Maximiliano per inſidias Teneramunda . Erat eo tempore annorum circiter ſexdecim Geldrienſis hæres imperii Carolus Egmontanus, in aula hucuſque & umbra , ut ſupra diximus , educatus . At modo verſari in publico , ſubque maximis magiſtris , Engelberto , Naſſavio , Philippo , Clivio , Carolo Chimæo , Lignæo , Mantigno , Treſſonio aſſueſcere eum militiæ laboribus Maximilianus voluit .

Catharina Egmontia pupillorum amita Geldriam gubernat.

In clientelam Maximiliani Geldria ſe tradit .

Novum bellum in Belgio .

XIV. Hunc igitur cum ceteris Athum , quod Hannoniæ eſt oppidum , per eoſdem dies comitatus Carolus , Aldenardæ , quæ in proximo erat , occupandæ egregiam ſane operam , ſtudiumque navavit . Captumque dolo oppidum pridie Nonas Januarii, anno ſupra MCCCCLXXXV., magnum rebus Maximiliani momentum attulit . Nam Gandavenſium quoque munimentum , quod erat inter Zaſtingam , & Calleum , a milite item Maximiliani tentatum , expugnatumque . Nec minus infeſtum mari bellum gerebatur . Sluſani enim armatis , Gandavenſium ac Brugenſium auxilio , navibus haud paucis, e Zelandia, Hollandiaque, quacumque poterant , prædas agebant . Quocirca Valachriani opportunis locis munitiones inſtituerant , ſubitoque præſidio firmarant . Verum Uliſſinga oppidum , quod tum nec foſſa , nec vallo magnopere erat munitum , ab iiſdem Sluſanis captum , direptumque . Gandavenſes , cum adverſus Maximilianum Gallorum Regis auxilium imploraviſſent , fortiſſimum Ducem ad eos , utcumque poſſet , ſub jugum mittendos , vehementer incenderunt . Itaque captis aliquot oppidis , quæ opportuna hoſtibus erant , imminens jam Gandavo , ad deditionem compulit cives . Sed hoc priuſquam fieret, Gulielmus etiam Marcanus Arembergius , Lumaignæ Dominus , Epiſcopi Leodienſium Ludovici Borbonii, ut ſupra diximus, interfector, per idem tempus cum Renato Duce Lotharingiæ conferre caput inſtituit . Eratque fama , a Gandavenſibus inſtigatos Marcanum , & Lotharingum , non modo ferere inimicitias inter Maximilianum , ejuſque filium Philippum , ſed bellum quoque vicinis Brabantiis e regione Leodienſi communibus impenſis inferre conſtituiſſe ; atque in eam rem Marcanum Lotharingo munitiones aliquot ditionis Leodienſis ex promiſſo traditurum . Utcumque ſit, illud conſtat, iiſdem diebus Philippam Geldrienſem, ſororem Caroli Egmontani, Geldriæ poſtea Ducis, quæ in urbe Gandavo educabatur , nuptui traditam Renato Lotharingo . Qui eſt

Caroli Egmontii militiæ tirocinia

Gandavum deditur Maximiliano.

Philippa Egmontia nubit Renato Lotharingo .

ille Renatus, adverſus quem, uti ſupra dictum eſt, Carolus Burgundus, Pugnax dictus, ſocer Maximiliani, ad Nancejum præliando occubuerat. Duxit eam Renatus, repudiata, quam habebat, Margarita Gulielmi Harcuriani Tancarvillæ Comitis filia, ampliſſimarum ſortunarum hærede, quas in agro Caletenſi Lotharingi deinceps obtinuerunt. Adduntque ſcriptores Francici, Renatum, cum eam duxiſſet, & tabulis dotalibus ad donationem illorum bonorum adegiſſet, poſtea deformitatem, & ex deformitate ſterilitatem cauſatum, retentis interim bonis, ipſi repudium remiſiſſe, Philippa ſuperinducta; ex eoque matrimonio feminas tres, novemque mares procreaſſe: ex quibus patri ſuperſtites fuerint, Antonius Lotharingiæ, Claudius Guiſiæ Duces, & Joannes Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, ac Narbonenſium Antiſtes. Renati cum Philippa Geldrica nuptiæ Maximilianus, an Gandavenſes conciliarint, exploratum non eſt. Credibile tamen eſt, Lotharingiæ Principem, odio Burgundici nominis, & Gandavenſium conſenſione id connubii appetiiſſe.

XV. Atque in his quidem perſequendis aliquanto longiores eſſe viſi ſumus, quam res ipſa, de qua nobis agendum, poſtulare videretur. Verum hujuſmodi narratione oblectandum lectoris animum exiſtimavi, ſi Philippæ nobilitatem, majorumque res geſtas ante oculos ponerem. Quod & ipſum Waddingum in ſimilibus argumentis aliquando feciſſe compertum eſt. Nunc ad incœptum redeo.

Magnam laudem Philippa conſequitur ex optima educatione liberorum.

XVI. Magnum erat Philippæ nomen non tota modo Lotharingia, ſed Gallia quoque, atque Germania; magnus ei honor ab omnibus habebatur, quod non vulgaris vel ſanctimoniæ, vel gravitatis argumenta in ipſo flore adoleſcentiæ palam dediſſet. Singularem in primis laudem ex eo tulit, quod ita liberos educandos curavit, ut non ſtatim ab incunabulis, ut in regia, & opulenta domo profanos ſpiritus ſumerent; ſed ad omnem virtutem, & religionem, tum ad honeſta virorum principium officia ſine fraude informarentur. Ipſa vero præibat omnibus eximia quadam integritate vitæ, ingentique inſtructu eorum omnium, quæ ad animos puerorum inſtituendos conferre poſſe arbitraretur. Cujus rei teſtimonium dederunt, ipſe primum Renatus Dux Lotharingiæ; deinde Pontifex Leo X. verbis ampliſſimis. Renatus enim, cum morbo extremo decumberet, inter Philippæ, ac liberorum ploratus, quanta in eam pietate ſemper fuiſſet, quam miro cultu, & charitate in omni vita complexus eſſet, ſignificavit. Quippe ad Antonium maximum natu ſermone habito: *Quantum*, ait, *parenti tuæ, dominæ meæ, obſtrictus ſis, tibi ſatis compertum eſt: illam in dies contemplator, tanquam cui debeas vitam, eamque vivendi rationem, quæ me in te videre delectat. Ego illam ſemper ſuſpexi, & veneratus ſum propter ipſius generis amplitudinem, ſed multo magis ob raras, præcellenteſque ejus virtutes. Tu faxis, fili, ſic te rogo, ut interitus genitoris tui matris auctoritati nihil omnino detrahat.* Pontifex autem in iis litteris, quas, Renato jam vita functo, ad Philippam conſcripſit: *Nos*, inquit, *in Domino lætati ſumus, cum intelleximus, quod tu, poſtquam deſponſata fuiſti glorioſæ memoriæ Renato Hieroſolymorum, & Siciliæ Regi, Lotharingiæ, & Bari Duci, tamquam apis æque caſta, & fecunda magnam, & laudabilem ſobolem illi attuleris, quam tu in omni genere virtutum educaſti.*

Renati conjugis præclari de Philippa teſtimonia.

XVII. Inter hæc accidit, ut gravi morbo intercutis aquæ, eodemque diutino conflictata, cum artis medicæ auxilia fruſtra tentaſſet, ſeſe in Dei ſuperumque tutelam, ac patrocinium ultro conferret. Eſt in vertice Juræ montis, qui a Burgundis Helvetios diſterminat, templum celebre populorum

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 340.
1547.	anno 13.	anno 29.	

rum frequentia, quod D. Claudio, ante annos plus mille Veſontionum antiſtiti, ſacrum eſt. Ibi ejus cadaver, tam longo intervallo, non modo integrum, ſolidumque peregrinis oſtenditur, ſed aſpectu plane jucundum, ſuaviterque admodum fragrans. Ad id templum Philippa, ut primum facta poteſtas eſt, religionis, & voti cauſa iter inſtituit, nec, ut ſe domi contineret ſemina Princeps, aut viarum aſperitate, aut ſævientis quotidie morbi doloribus adduci potuit. Ubi Numinis beneficio ſanitatem recepit, una cum filio natu maximo Antonio, conjugeque Renato Lugdunum ſe contulit: qua in civitate per eos dies Galliæ Rex Ludovicus XII. verſabatur, quocum Lotharingicæ genti neceſſitudo vetus intercedebat. Cum dies aliquot in regia manſiſſet, ipſique adeo Ludovico egregiæ cujuſdam virtutis indicia præbuiſſet, Antonio filio decenni apud ipſum relicto, in Lotharingiam revertit. Erat Antonius eximia & animi, & corporis indole. Quocirca magno tum in amore, tum in honore deinceps habitus, in Regis fide, atque tutela rei militaris tyrocinia poſuit. Per idem tempus Renati munificentia cœnobium, templumque a fundamentis extructum in urbe Nancejo, & alumnis Franciſcanæ Familiæ Obſervantibus attributum. Cui ſane rei perficiendæ egregia Philippæ in ordinem pietas, atque effuſa beneficentia mirifice profuit. Nam & magnifica ſupellectile aras, parieteſque Baſilicæ inſtruendas curavit, & inquilinos cum vitæ innocentia, tum litterarum cognitione præſtantes in cœnobium deduxit; qui Dei cultum, ac religionem omni ratione amplificarent, ſacroſque ritus, ac cæremonias, quo par erat, habitu corporis, animique decentiſſime obirent. Inter ipſam familiæ adminiſtrationem, cui potiſſimum inſerviebat, non exiguam partem curarum aliis quoque rebus impertiit, atque iis maxime, quæ ad ſalutem, & commodum populi, atque ad ſplendorem, ac dignitatem religionis Catholicæ pertinerent. Adoleſcentes præſertim optimo ingenio præditos, qui ob anguſtiam rei familiaris ſeſe ad ſtudia bonarum artium ægre conferrent, eximiæ cujuſdam liberalitatis officiis nullo non tempore recreavit; utque curſum diſciplinarum inoffenſo pede tenerent, attributo pecuniæ modo vehementer incendit. Itaque in ejus clientelam, ac fidem, quaſi portum quendam in tantis eorum temporum tempeſtatibus tutiſſimum, ac ſalutarem ſperantes, omnes boni ſe conferebant. Cumque indigentem patrocinio communem cauſam ſuſcepiſſet, duas maxime res in omni vita egregie præſtitit, quæ ſummo videlicet loco natis apprime conveniunt; unam, ne quid reprehenſione dignum committeret, in quo illa excellebat omnium conſenſu; alteram, ne quid laude dignum prætermitteret: quod aliquanto eſt optabilius, atque præſtantius. Nam vacare culpa eſt illud quidem egregium; ejuſmodi tamen, ut in privati hominis conditione ſubſiſtat, ad Principis ornamenta non perveniat. Vera enim virtus actione gaudet, vim ſuam longe, lateque diffundi, & propagari ſua bona cupit; eoque ipſo alitur, & augetur. Ceteræ enim res, cum communicantur, minuuntur: ex virtute quantum ad alios manat, tantundem ad ipſam accedit. Quæ ſinceræ virtutis argumenta non illa quidem leviter adumbrata, ſed veriſſimis expreſſa coloribus Philippæ mores præ ſe ferebant. Promebat enim quotidie ex animo illa præclara, quæ, ut antiquum gentis ſuæ decus, ac domeſticam præſentem virtutem referret, a prima ætate diligenter collegerat. Inde illa manare ad ornamentum familiæ, quæ quam paucis contingant omnia, ignorat nemo, in conſilio gravitas, in rebus adverſis patientia, nihil in poteſtate inſolens, nihil in opum abundantia diſſolutum; ſeveriſſimis omnia continentiæ legibus adſtricta: ut ab ejus perſonæ, quam ſuſtinebat, dignitate numquam

Philippæ peregrinatio religionis, & voti cauſa.

Lugdunum proficiſcitur.

In Lotharingiam revertit.

Antonii ejus filii egregia indoles.

Cœnobium in urbe Nancejo Renatus Obſervantibus extruit.

Philippa templū ſupellectile inſtruit.

Juventutem ad litterarum ſtudia inflammat, attributo egentibus pecunia.

Philippæ virtutes femina Principe dignæ.

quam oculos deflectere, ſed illud perfectum, abſolutumque decorum, cujus & ſtudium, & ſplendor magna ex parte jam obſoleverat, aſſidue ſpectare videretur. Ejus itaque fuit bene agendi perpetuitas: nihil in ejus vita varium, nihil flexibile, nihil mixtum: non eam rerum humanarum ficta, & fucata forma, non illæ, quibus plerique falluntur, inſidioſæ voluptatum illecebræ ceperunt: non in tabula picta, inani colorum ſpecie decepta, oculis hæſit; non ſericam veſtem, non argenteum vas, non aurata tecta paullo cupidius adſpexit. Cumque hominum plerique, ſive gratia, ſive metu ab officio deducantur; nunquam eam vel ita gratia delinivit, vel ita metus deterruit, ut pietatem, religionemque deſereret. Quocirca cum in eo, quem inſtituerat, laudabili curſu quotidie pergeret, magnam nominis famam, & ſanctitatis opinionem non a ſuis modo popularibus, quorum in oculos tantæ fulgor virtutis perpetuo incurrebat, ſed ab exteris quoque gentibus, præſertim vero Dynaſtis, Principibuſque eſt conſecuta. Neque ſane poterat quiſquam tam inops a judicio, tam averſus ab humanitate, tam plane ferus eſſe, ac ferreus, qui non intimis eam ſenſibus diligeret, cujus non modo in ſtudiis, in moribus, in ſermonibus, ſed in ipſo plane aſpectu omnis probitas, omnis luceret humanitas. Itaque cum aulæ proceres excellentium virtutum admiratione defixiſſet, mirum quantum utilitatis ad animorum diſciplinam, moreſque formandos inde manaret.

probitatem Philippæ, vel exteræ gentes ſuſpiciunt.

XVIII. Cum Renato conjuge vixit annos complures conjunctiſſime: cui ex nimia defatigatione, morboque, quem venando contraxerat, e vivis ſublato, inque templum, quod ipſe extruxerat, Obſervantium invecto, ſolemni curato funere parentavit. Liberorum tutelam, reique publicæ adminiſtrationem, cum mortalibus rebus nuntium remittere decreviſſet, ultro ſuſcepit; iiſdem liberis per ætatem nec dum idoneis ad imperium gerendum. Antonius, & Claudius natu majores cum Ludovico Gallorum Rege tum verſabantur, & qua erant eximia cum animi, tum corporis indole, militaribus ſtudiis operam dabant. Philippa vero domi ſedens, cum ad juniores inſtituendos omnes induſtriæ nervos intendit, tum illud curavit diligentiſſime, uti populus univerſus perpetua pace, juſtitia, pietate foveretur, neu quid præſertim novi moris in Lotharingiam irreperet; quando finitimæ civitates ex Lutherana contagione, tum primum ſerpere incipiente, teterrimam labem contraxiſſent. In conſilio capiendo, & rebus gerendis, cum Deum ſemper accurata ſupplicatione conſuleret, tum vero (quod mirum fortaſſe cuipiam videatur) non pietatis guſtum, ſed rationis ductum præcipue ſequebatur, ut non rationem ſpiritus dulcedo præiret, ſed dulcedinem ratio. Eademque ad exequenda conſilia, quoad fas eſſet, omnes artes, & humana præſidia ſic adhibebat, quaſi omnem ſpem in iis repoſitam haberet; rurſus ita Deum orabat, & ex eo pendebat uno, ac ſi nihil omnino in rebus humanis opis, aut perfugii collocaret. Atque hoc pacto (quod longe optimum, ac perfectiſſimum eſt) prudentiam cum pietate jungebat, ipſaque negotia, tamquam onera paribus examinata ponderibus, quamvis difficili, ac lubrico itinere ad optatos plerumque exitus perducebat. Ad conſultandum autem, illud obſervabat in primis, ut in quaque re ſemper ejus rei peritiſſimos adhiberet. Qua communicatione, ac lenitate nimirum aſſequebatur, ut & rationes iniret optimas, neque in arte ſua ſe quiſquam ab ea vel præteritum, vel contemptum jure conqueri poſſet. Ac ceteris etiam in rebus videbat etiam, atque etiam, ut uniuſcujuſque dignitatis, ætatis, ac meriti ratio haberetur. Benevolentiam, & caritatem ſuorum erga ſe, non ſolum affabilitate, manſuetudine, ceteriſque virtutibus, verum etiam

Renati conjugis obitus.

Philippa juniores liberos ſanctiſſime inſtituit.

Cavet, ne hæretica peſtis irrepat in Lotharingiam.

In rebus gerendis pietatem cum ratione conjungit.

Anno Christi 1547.	Pauli III. anno 13.	Caroli V. Imp. anno 29.	Religionis Minorum anno 340.

etiam induſtria quadam alebat: cavebatque diligentiſſime, ne quid admitteret, cur eorum quiſpiam ab illa ſe minus vel diligi, vel probari putaret. Ad hæc omnes reipublicæ partes vigilanter curabat; neque committebat (in quo graviter a Magiſtrstibus fere peccatur) ut dum unam amplecteretur, deſereret alteram. Tanta vero in omnes fuit humanitate, ut neminem aut aſpectu, aut colloquio ſuo arceret, omnium poſtulata libenter cognoſceret, nihil juſta petentibus denegaret. Si quid negare cogebatur, ea tamen utebatur lenitate ſermonis, ut eos quoque, quibus negabat, æquos a ſe, placatoſque dimitteret. Liberalitatem autem ipſius multis & privatim, & publice ſalutarem fuiſſe conſtat: nam ex ſuis opibus multorum inopiam ſublevavit, & viduarum, & pupillorum quaſi communis parens fuit, & multas virgines, multaſque mulieres honeſto loco natas, quæ propter paupertatem, conditionem reperire non poterant, dote de ſuo data collocavit.

Ejuſdem comitas & humanitas.

Tum liberalitas.

XIX. Cum ejuſmodi vitæ curſum Philippa teneret, undecimo poſt anno, quam Renatus obierat, Antonius & Claudius Gniſiæ Duces in patriam reverſi, exoptatam parenti tranquillitatem, & otium attulerunt. Ipſi nempe jampridem fixum ratumque erat, provinciarum procuratione depoſita, in cœnobium aliquando ſecedere, ubi procul a turba ſtrepituque aulicorum uni Deo vacaret; animumque rebus cœleſtibus prorſus addictum excellentium virtutum exercitatione deinceps excoleret. In paternum imperium ſucceſſit Antonius, filiorum natu maximus, vir neque ſilendus, neque dicendus ſine cura; bello acerrimus, virtute eximius, nec minus fortuna; ſemper animo excelſus, conſiliis dux, miles manu. Ad hæc militari inclytus gloria, quam navata Ludovico Regi ſtrenue opera fuerat conſecutus. Conſenſione autem populi tanta rempublicam geſſit, ut quam ejus virtutum expectationem fama commoverat, idem imperio adminiſtrando non impleverit modo, ſed etiam longe ſuperaverit. Quocirca Philippæ accidit opportune, ut, ei regno per manus tradito, arduum illud, ac ſalebroſum Chriſtianæ virtutis, ac perfectionis iter ſtatim arriperet. Florebat ea tempeſtate Muſſiponti ſacrarum Virginum Sodalitium ex iis, quas beata Coleta, virilis animi femina, Minorumque familia in priſtinum decus, ac dignitatem reſtituta apprime nobilis, Gandavi educaverat. Incredibile dictu eſt, quanta animi corporiſque alacritate vivendi genus aſperrimum, ipſiſque viris reformidandum in cœnobio tenerent. Precationum penſum diurnum ita obire ſolebant, ut in odeo numquam ſedentes, ſed vel genibus nixæ, vel ſtantes diu, divinis laudibus operam darent; eamque potiſſimum pſalmodiæ partem, quod officium matutinum appellant, evigilantes nocte concubia ad ipſum pene diluculum recitando producerent. In cœnationibus eſculentorum parcitas mira. Plerumque ad panem ſecundarium paucas juglandes obſonii loco adjungebant: atque ad ſitim levandam profluente aqua contentæ, vinum penitus omne abdicabant. Itaque tantum cibi potioniſque adhibebant, ut non reficere vires, ſed opprimere velle viderentur. Lectulus illis ſtraminea culcitra: tunica ad normam veteris diſciplinæ, quam ſanctiſſimus olim familiæ conditor beatæ Claræ Aſſiſienſi conſtituit, plane hiſpida, atque horrida. Hanc vel graviſſimis morbi doloribus preſſæ numquam deponere conſueverunt. Aperta ſandalia, quantumvis licet noſtris Virginibus uſitata, quæ vel aſperrimum vitæ genus profitentur, prorſus abjiciunt. Ad hæc quotidianæ verberationes, Chriſtianæ demiſſionis exempla, diuturni ſilentii cura, precandi ardor incredibilis, ab humanarum rerum contagione ſemotas, puriſſimis ſpiritibus mirum in modum conjungunt, ac prope beatas efficiunt. Philippa igitur, cui jampridem, ut diximus, erat in votis arduum quoddam mini-

Antonius Philippæ filius in paternum imperiū ſuccedit.

Ejuſdem laus.

Muſſipontanum cœnobium noſtrarum Virginum.

Earum vitæ inſtitutum.

Philippa cœnobium illud adire conſtituit.

minimeque commune virtutis iter tenere, Muſſipontanum illud cœnobium adire conſtituit. At enim verens, nequa ſuſpicio ejus propoſiti in vulgus manaret, neu liberorum, ſi forte reſcirent, preces ac lacrymæ ſibi necterent moras; cauſata invaletudinem, hauſtumque cœli ſalubrioris neceſſarium ſibi prætendens, Muſſipontum proficiſcitur. Et cum Antiſtita puellarum communicato conſilio, infimis precibus obteſtatur, pertæſam ſeſe inanis gloriæ, ac faſtus humani in ſodalitium aſciſcat. Satis jam vitæ in republica adminiſtranda, liberiſque educandis inſumptum eſſe: quod ergo reliquum foret, id propitiando ſupremo Numini, atque expiandis, quæ admiſiſſet, hac diſciplinæ ſeveritate criminibus impendendum. Enimvero mirari Antiſtita Virgineſque, ſeminam principem, aulæ deliciis non aſſuetam modo, ſed ab ipſis plane incunabilis innutritam, tantos ſpiritus capere, ut ad eam aſperitatem perferendam religionis arctiſſimæ ſacramento obligare ſe velit. Cum Philippa deliberatum jam eſſe reſpondiſſet, atque ex aulæ proceribus familiarem ſuum ad Obſervantium provincialem Miniſtrum præmiſiſſet, qui facultatem ſuo nomine peteret; componendis ante ſeceſſum domeſticis rebus intendit animum. Quocirca Nancejum reverſa, atque ibi liberis, amiciſque ita ſalutatis, ut arcana conſiliorum ſuorum quam accuratiſſime tegeret; ſimul etiam ingenti pecuniæ ſumma in uſus pios inſumpta, per ſummam diſſimulationem e veſtigio diſcedit. Atque huic operi dum cautius inſiſtit, quamquam ſuum de inſtituendo novo genere vitæ propoſitum familiarium nulli aperuerat, ſermo tamen quotidianus per eos dies non ad officium & urbanitatem, ut ſæpe antea, ſed ad modeſtiam pietatemque compoſitus, contemptus corporis, frugalitatis amor & parcimoniæ: hæc igitur, & alia non obſcura immutati animi indicia, tædio captam vitæ prioris, novum aliquid ac magnum moliri, atque etiam fortaſſe nuntium rebus humanis velle remittere, ipſis domeſticis prodiderunt. Sed eam nemo, quo tenderet, quidve in animo volutaret, auſus eſt percontari.

Res domeſticas primum componit.

Muſſipontum ſe recipit.

XX. Cum Muſſipontum ſe recepiſſet, per idoneos homines Antonium Ducem, alioſque liberos monuit, ut quam celerrime ad ſe contenderent; graviſſimis de rebus ab ſe colloquia cum iis habenda. Itaque in ipſo pervigilio illibati conceptus Mariæ Virginis, qui dies ipſis ad conveniendum erat conductus, ab Philippa matre ingenti cum lætitiæ ſignificatione excepti ſunt, deinde regio plane apparatu ad convivium adhibiti. Illa vero, perſolutis officiis caritatis maternæ, ſenſum animi ſui, priſtinumque de ſtatu vitæ conſilium aperit ultro, obſtupeſcentibus plane liberis, neque ex illa hoſpitii pompa luxuque tale quippiam conjectantibus. Tum plorantes obteſtanteſque, uti devexæ jam ætati, ac valetudini parceret, neu domus regiæ delicias, quibus inſueverat, ea cœnobii aſperitate vel cum vitæ periculo commutaret, ab orando inſtandoque gravi ſermone dehortatur. Poſtremo etiam atque etiam monet, ut pietate erga ſuperos, juſtitia, beneficentia, caritate in omnes ordines ſibi nihil antiquius, aut potius ducant. Si ita vitam componant ſuam, præclare ſecum acturos, & filiorum officia abſenti matri optime præſtaturos. Rebus ita compoſitis, poſtero die, qui Parenti Divinæ ſacer erat, ad Virginum templum una cum liberis, & aulicorum comitatu proficiſcitur. Ibi peractum ſolemni ritu ſacrificium, atque e veſtigio ſemina princeps ad cœnobium deducta, miro ſane ſpectaculo, & eorum, qui ſequebantur, pungente animos ejus aſpectu, tanta videlicet alacritate humana omnia contemnentis. Filiorum vero, qui ſe avelli ab ſinu parentis moleſte ferebant, miſerabili comploratione luctuque omnia perſonabant. In quibus Franciſcus Lambeſii Comes, minimus natu, cum vehementer diſceſſu matris

Lugentibus filiis, nuntium humanis rebus remittis.

com-

commoveretur, puerili ejulatu non ipſam modo nobilitatem ad lacrymandum, ſed etiam promiſcuum vulgus incendebat. Ubi ex more inſtitutoque majorum ſupplicatio confecta, dimiſſo comitatu Philippa in cœnobium ſe recipit. Ibi ſumpta communi veſte familiæ, ad ceterarum normam, & mores vitam ſuam exigere, ac ſeverioris diſciplinæ tyrocinium ponere inſtituit. Romanam Sedem tum obtinebat Leo Medices eo nomine Decimus, qui Philippæ ſuſceptum conſilium, eamque animi altitudinem humaniſſimis litteris eſt gratulatus: quarum exemplum eſt hujuſmodi.

Leonis X. Pontificis Maximi ad Philippam litteræ.

Dilecta filia ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

NOs *in Domino lætati ſumus, cum intelleximus, quod tu poſtquam deſponſata fuiſti Sereniſſimo glorioſæ memoriæ Renato Hieroſolymæ, & Siciliæ Regi, Duci Lotharingiæ, & Bari, tamquam apis æque caſta, & fecunda, magnam & laudabilem ſobolem illi attuleris, quam tu in omni genere virtutum educaſti: ac tu interim divini amoris igne ſuccenſa, abjectis omnibus Mundi illecebris, ſtatuiſti intrare Monaſterium Muſſipontanum Tullenſis diœceſis Ordinis primæ reformationis Regulæ ſanctæ Claræ, & re ipſa intraſti. Nos laudamus, & in Domino magnopere approbamus tuum ſanctum propoſitum, & ſperamus, quod, ſicut tu in Mundo exiſtens illi grata fuiſti, cum viderentur filii tui ſicut novellæ olivarum in circuitu menſæ tuæ; ſic poſthac illi magis placebis, eum jam voluntarie Mundo mortua ſis, ut in Chriſto Jeſu ſponſa tuo vivere poſſis. Nos tibi benedicimus ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & cupimus ut iſta noſtra benedictio tam in corpore, quam in anima tibi proſit. Datum Marlioni diœceſis Portuenſis ſub annulo Piſcatoris die* XXV. *Aprilis* MDXX. *Pontificatus noſtri anno* VIII.

XXI. Nec multo poſt idem Leo ingraveſcentem Philippæ ætatem, ac minus commodam valetudinem miſeratus, ſignificavit alteris litteris, ab diſciplinæ ſeveritate, ſi vellet, immunem fore. Cujus optionem rei atque arbitrium ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate eidem permitti: tria vota dumtaxat ex Eccleſiæ Ordiniſque inſtituto ſolemni ritu conciperet. Quam illa Pontificis erga ſe lenitatem cum ſemper maximi fecit, tum vero numquam ex illa occaſionem arripuit, ut de conſueta ejus cœnobii aſperitate quidquam ipſa remitteret. Sed In ejuſmodi curam dum incumbit ardentius, morbum ex ingenti labore contraxit adeo periculoſum, & gravem, ut ſæviente atrociter febri proxime ad mortem acceſſerit. Tum ſingulari Dei beneficio, ac pia ſororum ſedulitate, & officiis e præſenti erepta vitæ diſcrimine, illud præterea eſt conſecuta, uti veterum morborum reliquias, quibus identidem ante id tempus conflictabatur, plane omnes abſtergeret. Cum enim ad ætatis annum octavum & quinquageſimum oculorum vertigine, capitiſque doloribus laboraſſet, demum ita convaluit, ut, confirmatis deinde viribus, ad genus omne aſperitatis perferendum toto pectore incumberet. Proinde in tanta omnium rerum, qua cœnobium premebatur, inopia nihil aliunde ſibi conquirere, aut ſponte oblatum ipſa ſuſcipere conſuevit. Quamquam vero Joannes R. E. Cardinalis pro ſua in matrem pietate ipſi aliqua interdum deferenda curabat, quæ ad victum, cultumque neceſſaria exiſtimaret; ejus tamen benignitate Philippa ne modice quidem, quod ad ſe attineret, uti volebat; ut votivæ nimirum paupertatis religioſa profeſſio conſtaret. Igitur ea perpetua exercitatione domandi corporis tantum faſtidium concepit eorum, quæ apud cæcos mortales prima putantur, ut anteactæ vitæ delicias, & ſummæ fortunæ oblectamenta non modo nihili duceret,

Severitatem diſciplinæ mordicus tenet.

E gravi morbo periclitatur.

ſed eorum quoque memoriam obliteraret. Videre erat nobiliſſimam feminam in Chriſtianæ demiſſionis officiis omne tempus inſumere, cum voluptate animi tanta, quantam ex rerum ſecundo curſu fluentium aſſidua tractatione maximi Reges ac dynaſtæ percipiunt. Eam virtutem, quæ ceterarum eſt altrix & parens, uſque adeo in omni vita tenere atque colere inſtituit; ut obeundis muneribus, quibus eadem illa virtus corroboratur, non modo certare cum ſororibus ceteris, ſed omnes etiam longe antecellere videretur. Ipſa propterea culinæ ſordes abluere, aquam & ligna ſuis humeris ferre, in horto domeſtico ligonem ſarculumque tractare: cunctis interim officioſe demerendis, atque omni ratione ſibi conciliandis inſiſtere: depoſita graviore perſona comiter alloqui ſingulas: hilari ac ſereno reſpondere vultu: nihil in victu cultuque ſibi præcipuum ſumere, minimis viliſſimiſque contenta eſſe. Ad hæc ægrotantes, aut imbecilles omni obſequio ac ſedulitate refovere. Per hunc modum compreſſa humanæ gloriæ cupiditate, nullo negotio excultum animum atque ſubactum ad ceterarum virtutum officia præſtanda traduxit. Si quid in factis dictiſve aliquando appareret, quod errati cujuſpiam nomine aut ſororum levis offenſio, aut ipſa teſtis conſcientia coargueret, mirum quanta ægritudine ob id ipſum afficeretur, quam infimis precibus veniam a peccatorum vindice Deo, atque univerſa ſodalitate flagitaret. Illud autem cavebat diligentiſſime, nequa labe lethalis culpæ mentem inficeret. Id quod in reliquo vitæ curſu ex ſententia proſpere ceſſit. Quippe ſacerdos, qui audiendis Philippæ confeſſionibus operam dabat, poſt ejus obitum ſancte affirmavit, annos ipſos viginti ſeptem ita in cœnobio eam vixiſſe, ut ejus generis noxam, quæ ſalutari expiatione eſſet delenda, numquam admiſerit. Cum ad eximiam integritatem, qua illa in ſe omnium ora vultuſque convertit, facillitatem præterea, miramque morum ſuavitatem adjungeret, ceterarum ſororum incredibile ſtudium, & in eam effuſa benevoleutia ſtatim exarſit. Ergo nemine diſcrepante, cœnobii antiſtitam deſignare conſtituunt. At illa obtemperandi longe, quam imperandi cupidior, ſupplicibus verbis monet eas abſiſtere, negatque ſe munus viribus impar ſuis ulla ratione ſubituram. Ubi vero diutius tendere illas, atque in ſuſcepto ſemel conſilio perſtare intellexit, nimirum verita id, quod res erat, ne Miniſter provinciæ ipſarum ſuffragii prærogativam ſua quoque ſententia comprobaret, ad Joannem filium Cardinalem litteras dedit, quibus eum litteris obſecravit, uti, Apoſtolicæ Sedis auctoritate interpoſita, ne ſibi otium privatæ vitæ interturbari permitteret. Morem geſſit parenti optimæ Cardinalis, ejuſque rei cauſa Pontificis litteras ad ſeminarum illud cœnobium perſcribendas curavit, quarum exemplum eſt hujuſmodi: *Nos vobis mandamus cum omni plenitudine Apoſtolicæ noſtræ poteſtatis, ut hinc deinceps eximatis ſororem Philippam Geldrienſem, matrem chariſſimi filii noſtri Joannis Cardinalis ſancti Onuphrii dicti Lotharingi, ab omni prælatura, officio, & dignitate, & imperio veſtræ domus, uti nos per has præſentes plenarie eximimus.*

Ejuſdem animi ſubmiſſio.

Philippa innocentiſſime vivit.

Ea de re teſtimonium cujuſdam Sacerdotis.

Cœnobii regimé detrectat, Pontificis auctoritate interpoſita.

XXII. Profecto cum obedientiæ ſtudium, quibuſcumque rebus potuit, ſemper oſtenderet, atque hanc virtutem ceteris omnibus anteferret, tum nihil huic laudi tam contrarium dicebat eſſe, quam in præpoſitæ juſſis & conſilio examinando moram, vel potius arrogantiam: putabatque ſe obedientis nomine indignam eſſe, niſi legitimis præfectis cum voluntate judicium quoque ſubmitteret. Inter hæc principes viri, tantæ virtutis admiratione defixi, datis frequenter ad eam litteris, de rebus maximis conſilium petebant. In his præſertim Franciſcus I. Galliarum Rex, Joannes ille, quem

Quid de virtute obedientiæ ſentiret.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 340.
1547.	anno 13.	anno 29.	

quem diximus, Cardinalis, Dux Lotharingiæ, ac ceteri filii ſeſe in ejus tutela, & apud ſuperos patrocinio ſpem collocaſſe ſignificabant. Illa vero non ante litteras perlegebat, quam reſignandas ex inſtituto familiæ ipſi antiſtitæ obtuliſſet: eamdemque conſuetudinem tenuit, dum ad eum Regem, ac principes ipſa litteras daret; quas videlicet non ad ſenſum animi ſui, ſed ad alienum judicium, atque ſententiam accommodatas exarare conſuevit. Diſciplinæ ſeveritatem, quam beata Coleta renovaverat, tanta animi contentione retinendam curavit, ut cum eam brevi laxandam percrebuiſſet, ad diſturbanda conſilia ejuſmodi vehementer incumbens, novitatis amantes ab hoc incœpto deterreret, eorumque potentiam, ac vires frangere aggrederetur. Nihil enim novi moris in ſodalitium induci patiebatur: principiiſque vigilanter, & acriter obſtitit; quippe quæ mali exempli vim noſſet, & rerum incrementa fallentia. Quocirca communicatis cum Joanne conſiliis, litteras petiit a Leone Pontifice Maximo, quibus litteris cautum eſſet, ne quis Ordinis Præfectus, quam diſciplinam a majoribus traditam ad præſcriptum Coletæ quædam cœnobia profiterentur, ullo modo labefactaret. Paruit illico Cardinalis: mandatumque Patribus eſt, qui apud Carpum Italiæ oppidum comitia Ordinis celebrabant, ut ejus generis diſciplinam nova ſanctinne corroborarent: *ut chariſſima filia noſtra*, ajebat Pontifex, *Soror Philippa Geldrienſis reliquos vitæ dies cum pace, & conſolatione vivere poſſit*. Quocirca Paulus Soncinas univerſæ familiæ per id tempus Miniſter, explorata Pontificis voluntate, Philippam litteris humaniſſimis certiorem fecit, inſtituti, quod illa teneret, ac diſciplinæ aſperitatem nullo modo remiſſum iri. *Ego te*, inquit, *chariſſima filia in meam protectionem ſuſcipio, teque certiorem reddo, me nullam novitatem reformationi veſtræ adferre velle. Vive igitur in pace, ut hucuſque vixiſti, & bonis auſpiciis congere magnum virtutum cumulum, ut, cum ſponſus ad portam pulſaverit, onuſta meritis cum ipſo poſſis ad nuptias intrare.*

Vitorum principium ad eam litteræ, pietatis cauſa.

Contendit a Pontifice Maximo, ac Generali Miniſtro, ut vetus cœnobii diſciplina retineatur.

XXIII. Ex hac tantæ aſperitatis patientia cum inſignem Philippa ſanctitatis opinionem eſt conſecuta, tum etiam brevi animos omnium ita ſibi devinxit, ut certatim feminæ ac viri ad cœnobium itarent, ut ſermonibus ejus, ac ſalutaribus exemplis ad Chriſtianæ pietatis officia traducerentur. Quos illa jacentes animo ac proſtratos erigere, labantes ac dubios confirmare, mœrentes afflictoſque recreare nullo non tempore inſtituit. Quod autem caput eſt perfectionis, & Chriſtianæ charitatis ex fonte proficiſcitur, in eam curam magnopere incubuit, ut potiſſimum divites ad ſublevandam miſerorum inopiam, cauſarum patronos, judices, quæſitores, magiſtros ſcripturæ, ceteroſque Curiæ adminiſtros ad perſequenda juſtitiæ munera ſuis monitis incitaret. Extant ejus epiſtolæ ad illorum pleroſque; quibus eos epiſtolis etiam atque etiam hortatur, ut cum egentibus agant mitius; eorum clementiam principes filios æqui bonique conſulturos. Porro ex incenſo in Deum amore egregia nimirum illa charitas in homines redundabat. Mos illi erat in privatum conclave ſtatis horis ſecedere: ibi partim precatione, quam vocalem appellant, partim rerum cœleſtium commentatione tempus inſumere. Interea ex oculis uberes lacrymarum rivuli profluebant, idque nullo prorſus vel ſingultu, vel ſtrepitu. Atque in hunc modum mira quadam ſpiritus dulcedine delibuta, excipiebat divini luminis radios, cœlitumque pene convictu, & conſuetudine fruebatur. Tum Jeſum Dominum, ac Deum identidem appellans, audientibus ante oſtium ſororibus aliquot, quanta ejus videndi cupiditate flagraret, haud obſcure ſignificabat. Hac ergo perpetua excolendi animi ſui exercitatione evaſit aptior in dies ad no-

Ejuſdem charitas in proximos.

Tum orandi aſſiduitas.

Divini numeris in eam teſtificatio.

vâ Omnipotentis Dei chariſmata capienda. In quibus illud ſertur eximium. Cum enim Franciſcus I. Galliæ Rex in Ticini obſidione prælio victus in hoſtium manus veniſſet, necnon Franciſcus Philippæ filius, & cum eo flos Gallicæ nobilitatis, dum periculo Regem conantur eripere, interfecti fuiſſent; illa conſeſtim divino monitu edocta, cum ingenti vociferatione vicem Regis ac filii lamentari, tum rogare ſorores, ut pro caſorum æterna ſalute, ac vivi Regis periculo divinum Numen propitiare ne gravarentur. Quod enim ipſa aſſeveranter pronunciaret, id procul dubio contigiſſe. Cruciatus Chriſti, mortemque obitam pro hominum genere tanta cum animi voluptate meditabatur, ut ſenſum ejus ac mentem ab hujuſmodi cogitatione nihil poſſet avellere. Cujus rei cauſa effigiem Chriſti e cruce pendentis, & imagines ceteras, quibus ejuſdem acerbæ necis deſcriptio contineretur, in cœnobio paſſim collocandas curavit, ſublatis inſignibus Lotharingicæ ſtirpis, quæ ad pietatis, vel tutelæ oſtentationem multis locis exſtabant, ſervatoque dumtaxat Hieroſolymæ regni ſtemmate gentilitio cum ſpinea corona ſuperimpoſita, inſcripto carmine hujuſmodi:

Cruciatus Chriſti impenſe recolit.

Cetera contempſi, Solymæ diademata ſervo.
Quippe ferunt Chriſti ſceptra crucemque mei.

XXIV. In horto cœnobii duas ædiculas, quarum alteri montis Calvariæ, altèri collis olivarum inditum nomen, ædificavit; in quibus anaglyptico opere tum orantis pro mortalium ſalute æternum parentem, tum morientis Chriſti Servatoris imagines ad vivum expreſſæ conſpiciebantur. In eum locum Philippa ventitabat quotidie pietatis cauſa, ut quæ myſteria videlicet redemptionis humanæ, ac religionis monumenta præclara ſecum animo reputarat, ad eorum conſpectum afficeretur ſenſibus intimis, & ad gratiam auctori Deo referendam vehementer incenderetur. Cujus rei tantam facultatem longo uſu, atque commentatione adepta eſt, non modo ut e Crucis, ac ſimilium aſpectu, quo maxime capiebatur, ſed etiam ex ipſo auditu abſtraheretur illico a ſenſibus, & in Chriſti cogitationem amoremque ſuaviſſime raperetur. Inter hunc vero contemplandi ardorem & contentionem interdum defecta viribus, humi repente procumbebat, feſtinantibus ceteris ad opem ferendam, ac fugientis prope animæ reliquias medicamine colligendas. Præterea, ut ille, vel morbus, vel ægritudo, quoad heri poſſet, minueretur, illud in primis antiſtitæ juſſu cautum eſt, ne qua deinceps, adſtante Philippa, fieret mentio aut clavorum, aut Crucis, aut alterius cujuſpiam inſtrumenti, quo impii carnifices in excruciando necandoque ſalutis Auctore uſi fuiſſent: ut ne videlicet, his auditis, ipſo dolore extingueretur, aut ſola Chriſti morientis recordatione ejus animus contabeſceret. Nec tamen ſatis proviſum cautione ejuſmodi. Quippe ſexta præſertim feria cujuſvis hebdomadæ tantus Philippam laterum lator inceſſebat, mentiſque attonitæ conſternatio, ut, cum vix hiſcere poſſet, pene ſenſibus deſtituta lectulo incumberet. Id quod ſeptem ante obitum annis ipſi frequentius uſuveniſſe compertum eſt.

Dolorum Chriſti particeps fit, Dei beneficio.

Antonius Dux Lotharingiæ moritur.

XXV. Inter hæc Antonius Dux Lotharingiæ articulorum morbo deceſſit anno a Virginis partu MDXLIV. regnumque Franciſco filio per manus tradidit; qui anno inſequenti exſtinctus & ipſe, Franciſcanorum in æde juxta parentem conditus eſt, Carolo filio trienni relicto; cui deinde Philippæ ejus, qua de agimus, vitam Muſſipontani cœnobii ſorores typis editam inſcripſerunt. Ipſa vero partim vigilia inediaque, partim iſchiade laterumque doloribus debilitari cœpta, morbo tandem decubuit, qui ſupremus illi fuit. Itaque ad iter cœleſte quanta maxima poſſet diligentia ſe compa-

Supremo morbo decumbit Philippa.

rar e,

rare, & ad rerum divinarum contemplationem intentiore ſtudio curaque cœpit exſurgere. Tum ex iis, quæ vel aſſiduo precandi uſu didicerat, vel ipſe Deus oranti in tempore ſuggerebat, ſententias quaſdam concinnavit ad animorum diſciplinam cultumque accomodatas, quibus legendis in unius amorem Dei, rerumque omnium humanarum contemptum ſorores ceteræ incenderentur. Dein accenſa Dei charitate jacula e pſalmis fere petita ſubinde in cœlum emittens, Jeſumque, ac Mariam ſuaviter invocans, e corpore, ex quo jampridem eminebat, exceſſit VI. Idus Decembris, quo die rebus mortalibus nuntium multo ante remiſerat, anno Chriſti nati ſupra ſeſquimilleſimum quadrageſimo ſeptimo. Sorores, quæ circumſtabant, primum gemitu ac lacrymis omnia complere: tum vero mirari habitum quieſcenti, quam mortuæ, propiorem; compoſitos artus, decoram faciem, ipſa denique pietatem adhuc ſpirantia lineamenta. Funus ingenti omnium ætatum ordinumque concurſu celebratum. Neque interea ab uno quopiam e ſuperiore loco laudata Philippa eſt, ut in principum virorum ac feminarum ducendo funere aſſolet. Pro laudatore populus fuit. Alii quippe prudentiam uſumque rerum; alii comitatem, ac manſuetudinem, & in ſumma fortuna ſine faſtu gravitatem, ſine indignitate ſummiſſionem, ſine fuco pudorem atque modeſtiam; alii magnitudinem animi in rebus arduis capeſſendis, conſtantiam in promovendis; alii ſublevatas egentium anguſtias; orborum educationem, ac diſciplinam; viduarum, ac virginum pudicitiam egregie cuſtoditam; omniumque tutelæ, commodis, ornamentis omni ratione conſultum; diremptas plurimorum inimicitias; præſertim vero hæreticorum, qui ex finitima Alſatia in Lotharingiæ fines irruperant, repreſſum furorem, ejuſque conſilio, & auctoritate fuſas copias & diſſipatas; alii caſtimoniam inſignem, & voluntariam paupertatem & longa jejunia vigiliaſque; &, quod ſuper omnia mirandum, adeo ſalubri temperamento miſtam actione contemplationem, ut, cum utramque coleret propemodum ex æquo, neutra tamen officeret alteri: hæc, inquam, & alia pro ſuo quiſque ſenſu lacrymantes in cœlum efferre.

Moritur.

Celebrantur a populo ejus virtutes.

XXVI. Extra mœnia Neapolis Obſervantium familia domicilium ac templum habebat auguſtæ Cruci dicatum. Haud ita procul ab eo cœnobio Minimorum ſodalitas ædificium prætet fas omne inchoarat. Quippe Clementis VII. diplomate cautum erat, nequa familia Religioſorum in vicinia alterius cœnobii ſedem ponere auderet; præceptumque eodem diplomate, uti minimum diſtantiam ſervaret ulnarum centum ac ſexaginta. Cum eam legem Minimorum alumni operis novi molitione violaſſent; Obſervantium cœnobiarcha injuriam queſtus apud judicem ordinarium curiæ Romanæ, ejus litteras impetravit; quibus litteris ædificium diſturbatum; propoſitaque non modo anathematis pœna, verum etiam pecuniæ multa, ipſi Minimi vel ab incœpto deſiſtere, vel æquis conditionibus, quæ Obſervantibus probarentur, rem componere juſſi.

Minimorum ædificium juxta cœnobium Obſervantium inchoatum edicto Romanæ curiæ diſturbatur.

JOANNES BAPTISTA CICADA Epiſcopus Albingaunenſis, Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, ſententiarumque, & cenſurarum, in eadem Romana Curia latarum, ac litterarum Apoſtolicarum univerſalis & merus executor.

Univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Canonicis, ceteriſque Pre-

Presbyteris, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis quibuſcumque, per civitatem & diœceſim Neapolitanam, & alias ubilibet conſtitutis; ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, ſalutem in Domino, & præſentibus fidem indubiam adhibere.

Noveritis, quod nuper ſel. rec. Leo Papa X. inter alia, quibus juriſdictionem noſtram ampliavit, hoc dedit in facultatibus, quod nos, vel pro tempore exiſtens Auditor, ad quaramcunqae perſonarum inſtantiam, quoſcunque etiam laicos extra almam Urbem ubivis locorum, mediate, vel immediate ſubjectos, degentes, pro quibuſcunque rebus, in exequutione litterarum Apoſtolicarum, ſub cenſuris Eccleſiaſticis monere, contraque monitos, ſi non paruerint, procedere poſſemus, aliaque facere; prout in litteris Apoſtolicis, deſuper confectis, plenius continetur.

Pro parte reverendorum Patris Guardiani & Fratrum domus ſanctæ Crucis, prope & extra muros Neapolitanos, Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, principalium inſtanter requiſiti; diſcretioni veſtræ, & cujuslibet veſtrum committimus, & ſub excommunicationis pœna mandamus, quatenus ſtatim receptis præſentibus, vos, vel quicunque veſtrum fuerit requiſitus, per vos, vel alium, ſeu alios, moneat ex parte noſtra, & requirat primo, ſecundo, tertio, & peremtorie reverendos Patrem Correctorem ac Fratres ſancti Ludovici Neapolitan. Ordinis Minimorum ſancti Franciſci de Paula, eiſque nihilominus virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, ſuſpenſionis a Divinis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, & cenſurit, ac quingentorum ducatorum auri de Camera, pro una Cameræ Apoſtolicæ, & pro altera medietate partì applicanda, pœnis, diſtricte præcipiatis & mandetis, quibus nos etiam præcipimus, & madamus, ac requirimus, & monemus, quatenus infra ſex dierum ſpatium a die monitionis hujuſmodi per vos, vel alterum veſtrum eis factæ, immediate ſequentium; quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecundo, duoſque reliquos dies eis, & eorum cuilibet pro tertio & peremtorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem; a conſtructione cujuſdam domus pro eorum uſu, & habitatione per dictos Fratres ſancti Ludovici, in loco a dicta domo ſanctæ Crucis per L. paſſus minime diſtante, abſque licentia eorumdem inſtantium, conſtrui & ædificari inchoatæ, deſtitiſſe, ceſſaſſe, & ſe abſtinuiſſe, & jam per eos ædificatam demoliviſſe, & in priſtinum ſtatum reduxiſſe, ſeu demoliri permiſiſſe debeant, & quilibet eorum debeat.

Attento quod iidem inſtantes prætendunt, juxta Conſtitutionem ſel. rec. Clementis Papæ VII. quod nullum monaſterium ſeu domus pro habitatione perſonarum Regularium in loco ab alio monaſterio, ſeu alia domo per centum ſexaginta cannas non diſtante, conſtrui poſſit, factam; dictos Fratres ſancti Ludovici dictam domum conſtruere, aue conſtrui facere non poſſe: iſti ſe cum eiſdem inſtantibus, aut eorum legitimo procuratore amicabiliter componant, & concordent; alioquin prænominatos ſic monitos, ſi in præmiſſis ſe fore gravatos ſenſerunt, modo & forma præmiſſis, peremtorie citare curetis, prout & nos citamus eoſdem, quatenus decima die poſt citationem veſtram hujuſmodi immediate ſequentem, ſi juridica fuerit, & nos, vel Locumtenens noſter ad jura reddenda pro tribunali ſederimus, vel ſederit; alioquin prima die juridica ex tunc immediate ſequenti, qua nos, vel Locumtenentem noſtrum præfatum ad jura reddenda pro tribunali ſedere contigerit; compareant in judicio legitime coram nobis, vel Locumtenenti præfato, per ſe, vel per Procuratorem, ſeu Procuratores ſuos idoneos, cauſam ſui gravaminis allegaturi, aliaſque dicturi, facturi, oſtenſuri & recepturi, quod juſtitia ſua debucrit, & ordo dictaverit rationis.

Cer-

Certificantes nihilominus eoſdem monitos, & citatos, quod ſive in dicto monitionis, & citationis termino, ut præmiſſum eſt, comparere caraverint, ſive non, nihilominus tamen nos, vel Locumtenens prædictus, ad declarationem dictæ excommunicationis ſententiæ, & alias ad graviora procedemus, ſeu procedet, dictorum citatorum, & monitorum abſentia, ſive contumacia in aliquo non obſtante. Diem vero, ſeu dies monitionis, & citationis veſtrarum hujuſmodi, atque formam, & quicquid in præmiſſis feceritis, nobis fideliter intimare curetis. Abſolutionem vero omnium, & ſingulorum, qui præfatam noſtram excommunicationis ſententiam incurrerint, ſive incurrerit, nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem præſentes fieri, & per Notarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique Cameræ Apoſtolicæ, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus appenſione communiri.

Datum Romæ in Ædibus, & Palatio noſtræ ſolitæ habitationis, & reſidentiæ, ſub anno a Nativitate Domini MDXLVII. *indictione* V., *die vero Veneris* XXVII. *menſis Maii, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli divina Providentia Papæ III. anno* XIII.

Bonifacius de Orangia dictæ Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

XXVII. Tybure in Latio Obſervantium Cœnobiarchæ cum Sacerdotibus Epiſcopalis Eccleſiæ haud leve diſſidium funerandi cauſa interceſſit. Per eos dies Laurentia quædam obierat: quæ cum pietatis incenſa ſtudio in Minorum familiam, eorum in Templo tunica indutam Franciſcani Inſtituti condi ſe decreviſſet; Canonicorum Collegium, nullo reſpectu æquitatis, cadaver per vim auferri, inque Templum Epiſcopale deportari conſenſu decernit. Obſervantes contumelia irritati, datis litteris ad judicem ſummum Curiæ Romanæ, facti ſeriem exponunt. Qui Sacerdotibus ejus Collegii, ut certo temporis ſpatio exhumatum cadaver Franciſcanis permitterent, gravi edicto præcepit.

Tyburtinũ Collegium Canonicorum negotium exhibet Obſervantibus funerandi cauſa.

Coercetur edicto Curiæ Romanæ.

JOANNES BAPTISTA CICADA Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Albiegauenſis, Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, ejuſque Camerarii, nec non Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex Ordinarius, ſententiarum quoque, & cenſurarum in eadem Romana Curia latarum, ac litterarum Apoſtolicarum univerſalis exequutor a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus.

UNiverſis, & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Cuſtodibus, Theſaurariis, Sacriſtis, tam Cathedralium, quam Collegiatarum Eccleſiarum Canonicis, Parochialiumque Eccleſiarum Rectoribus, ſeu loca tenentibus eorumdem, Plebanis, ſeu Viceplebanis, Capellanis curatis, ſive non curatis, Vicariis perpetuis, Altariſtis, ceteriſque Presbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus publicis quibuſcumque, per civitatem, & diœceſim Tyburtinam, ac alias ubilibet conſtitutis, ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, ſalutem in Domino, & noſtris hujuſmodi, immo verius Apoſtolicis firmiter obedire mandatis.

Noveritis, quod alias fel. record. Leo Papa X. inter alias facultates, quibus juriſdictionem noſtram ampliavit, hoc dedit in facultatibus, ut quaſcunque perſonas, etiam extra Romanam Curiam, & ad partes degentes, pro qui-

quibuſcunque rebus monere, & citare, & contra ſic monitos, & citatos procedere poſſemus; prout in ſuis inde confectis litteris, quas hic non eſſe neceſſe inſeri decrevit, latius continetur. Quodque, licet ex privilegiis, & conceſſionibus Apoſtolicis, R. P. Generali, Guardianis, Fratribus, & Conventibus Ordinis Minorum de Obſervantia conceſſis, ſi quis mandaverit, & ordinaverit corpus ſuum indui habitu ſancti Franciſci Ordinis prædicti, & illud ſepeliri in eorum Eccleſiis, etiamſi prius aliter ordinatum reperiretur; tale corpus, ſeu cadaver non debeat ipſis Fratribus auferri, neque alibi, quam in Eccleſia ipſorum Fratrum ſepeliri: nihilominus cum nuper, ſeu diebus præteritis quædam Domina Laurentia de Tybure in ejus ultima infirmitate, qua obiit, devotionis zelo accenſa, ſe indui habitu ſancti Franciſci, & ejus cadaver ſic indutum in Eccleſia dictorum Fratrum de Tybure ſepeliri mandaſſet, & ordinaſſet; R. D. Vicarius R. P. D. Epiſcopi Tyburtini, & Decanus, & Capitulum, & Canonici Eccleſiæ Cathedralis Tyburtinæ, mortua dicta Laurentia, ejuſdem cadaver habitu ſancti Franciſci indutum, cum luminaribus, & cereis de facto ad Eccleſiam Cathedralem Tyburtinam prædictam portari, & inibi cum dicto habitu ſepeliri fecerunt in maximum R. P. Guardiani, Fratrum, & Conventus Ordinis Minorum de Obſervantia dictæ civitatis Tyburtinæ damnum, præjudicium, & gravamen.

Quapropter ſaimus pro parte eorumdem R. P. Guardiani, Fratrum, & Conventus prædictorum principalium inſtanter requiſiti, quatenus ſibi in præmiſſis opportune providere dignaremur. Nos igitur Joannes Baptiſta Cicada Epiſcopus, & Auditor præfatus attendentes requiſitionem hujuſmodi fore juſtam, & rationi conſonam, diſcretioni veſtræ, & cujuslibet veſtrum tenore præſentium committimus, & mandamus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam in vos, & veſtrum quemlibet, trium tamen dierum canonica monitione præmiſſa, ferimus in his ſcriptis, niſi feceritis, quæ mandamus; diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus ſtatim viſis, & receptis præſentibus, & poſtquam pro eorundem R. P. Guardiani, Fratrum, & Conventus prædictorum principalium parte fueritis requiſiti, ſeu alter veſtrum requiſitus, ex parte noſtra, immo verius Apoſtolica auctoritate moneatis, & requiratis primo, ſecundo, & tertio peremtorio eoſdem R. D. Vicarium dicti R. P. D. Epiſcopi Tyburtini, Decanum, Capitulum, & Canonicos prædictos, ex adverſo principales; eiſdemque præcipiatis, & mandetis; quibus nos etiam tenore præſentium præcipimus, & mandamus, ac requirimus, & monemus eoſdem, quatenus infra ſex dierum ſpatium poſt noſtrarum hujuſmodi præſentationem, per vos, vel per alium veſtrum eiſdem factam, immediate ſequentium, quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecundo, & reliquos duos dies pro tertio, & peremtorio termino, ac monitione canonica aſſignamus, & vos aſſignetis eiſdem, ſub excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & quingentorum ducatorum auri de Camera pro quolibet, pœnis, debeant, & quilibet eorum debeat ab omnibus, & ſingulis occupationibus, & detentionibus dicti cadaveris dictæ Dominæ Laurentiæ, quod occupatum detinent, per eos indebite, & injuſte illatis, & inferri comminatis, deſtitiſſe, ceſſaſſe, & abſtinuiſſe, dictumque cadaver cum omnibus, & ſingulis luminaribus, & cereis, ſicut a propria domo illud ad eorum Eccleſiam exportarunt, ſeu exportari fecerunt, ad Eccleſiam ſancti Franciſci dictorum inſtantium, in qua ipſa Laurentia in ejus ultima volantate ſe ſepeliri mandavit, & ordinavit, ipſis inſtantibus reddidiſſe, & reſtituiſſe, & ad Eccleſiam ipſorum inſtantium tranſportari feciſſe, & illud inibi demiſiſſe, nec non de omnibus, & ſingulis ſu-

funeralibus, juribus, & regalibus, ſeu eleemoſynis, per eos ratione dicti cadaveris habitis, ad ipſos inſtantes ſpectantibus, eiſdem ſatisfeciſſe, & ſatisfactionem debitam impendiſſe.

Alioquin ſi dicti ex adverſo principales ſe fore gravatos ſenſerunt, eoſdem peremtorie citare curetis; quos nos etiam tenore præſentium citamus, quatenus ſexta die poſt monitionem, & citationem noſtram hujuſmodi per vos, vel per alium veſtrum, ſeu alios eiſdem factam, immediate ſequenti, ſi dies ipſa juridica fuerit, & nos, vel alter forſan loco noſtri ſubrogandus auditor ad jura reddenda, & cauſas audiendas pro Tribunali ſederimus, vel ſederit; alioquin prima die juridica, ex tunc proxime, & immediate ſubſequenti, qua nos, vel eundem ſubrogandum præfatum ad jura reddenda, & cauſas audiendas pro Tribunali ſedere contigerit, compareant in judicio legitime coram nobis, vel ſubrogando præfato, per ſe, vel per procuratorem, ſeu procuratores ſuos idoneos, cauſam ſui gravaminis allegaturi, aliaſque facturi, dicturi, & oſtenſuri, & recepturi, quod juſtitia ſuadebit, & ordo dictaverit rationis.

Certificantes nihilominus eoſdem ſic citatos, & monitos, quod ſive in dicto citationis termino, ut præmiſſum eſt, comparuerint, ſive non, nos nihilominus, vel ſubrogandus præfatus ad dictarum ſententiarum, cenſurarum, & pœnarum incurſus declarationem, ac ad alia graviora juris remedia procedemus, vel procedet, dictorum citatorum, & monitorum contumacia, ſeu abſentia in aliquo non obſtante. Et ulterius ex parte noſtra eiſdem inhibeatis, prout & nos tenore præſentium inhibemus, ne ſub ſimilibus ſententiis, cenſuris, & pœnis etiam pecuniariis, dictum cadaver dictæ Laurentiæ in eorum Cathedrali Eccleſia ſepultum detinere, nec dictos inſtantes eorum juribus privare, nec aliquo modo gravare, minuſque moleſtare, impedire, vexare, perturbare, nec quicquam attentare, ſeu innovare audeant, neque præſumant: quod ſi ſecus fiat, id totum revocare, & in priſtinum ſtatum reducere, ac ad declarationem incurſus dictarum ſententiarum, cenſurarum, & pœnarum, & ad alia graviora juris remedia procedere curabimus, juſtitia mediante.

Diem vero, ſeu dies monitionis, & citationis noſtrarum hujuſmodi, atque formam, & quicquid in præmiſſis feceritis, nobis per publicum inſtrumentum, ſeu veſtras patentes litteras harum ſeriem, ſeu ſufficientem deſignationem in ſe continentes, remiſſi præſentibus, fideliter intimare curetis. Abſolutionem omnium, & ſingulorum prædictas noſtras ſententias, cenſuras, & pœnas, ſive earum aliquam incurrentium quoquo modo, nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum has noſtras exinde fieri, & per Notarium noſtrum publicum infraſcriptum ſubſcribi, ſigillique Cameræ Apoſtolicæ, quo in talibus utimur, juſſimus, & fecimus appenſione communiri.

Datum Romæ in Ædibus noſtris ſub anno a Nativitate Domini MDXLVII. *Indictione* V. *die vero* II. *menſis Julii Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Pauli divina providentia Papæ* III. *anno* XIII.

Approbo Stephanus Notarius.

Stephanus Brunellus dictæ Curiæ cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

Gratis pro Deo.
Hieronymus de Fidelibus.

XXVIII. Obſervantium cœnobio, quod extra muros Neapolis auguſtæ Cruci dicatum erat, vir quidam pius viginti aureos Neapolitanæ monetæ, quos in mercedem quotidiani ſacrificii quotannis perciperent, teſtamento legaverat. Eam ſummam cum noſtri aliquando ab debitoribus vix poſſent exprimere, per curatorem domeſticæ rei Cardinalem Pœnitentiarium ſupplicibus litteris exorarunt, ut alienandi legati ejus arbitrium, ac poteſtatem permitteret; quod inde pecuniæ contraheretur, in uſum templi, cœnobiique inſumendum decerneret. Id quod pro ſua in hujuſmodi rebus auctoritate is, quem diximus, Cardinalis libenter præſtitit.

Cardinalis R. E. Pœnitentiarius dat facultatem Obſervantibus, ut annuam pecuniam ſibi legatã alienare poſſint.

RAYNUCIUS miſeratione divinæ tituli ſancti Angeli Presbyter Cardinalis dilecto in Chriſto moderno Syndico, ſeu Procuratori domus, & Eccleſiæ de Cruce Fratrum Minorum de Obſervantia extra muros Neapolitanos ſalutem in Domino.

EX parte tua nobis oblata petitio continebat, quod cum olim quidam teſtator in ſuæ ultimæ voluntatis, quod de bonis ſuis condidit, teſtamento inter alia legata dictæ Eccleſiæ de Cruce viginti annuos ducatos, cum onere ſingulis diebus unam miſſam pro ejus animæ ſalute celebrandi legaverit; quod legatum ſic factum valere, & tenere creditur: & licet Fratribus dicti Ordinis hujuſmodi annuos reditus habere, nec recipere valentibus, legatum ipſum Eccleſiæ prædictæ, & illius Fratrum nominibus vendere, illius pretium exinde provenient in uſum, & utilitatem Eccleſiæ, & domus Fratrum prædictorum convertendo, libere poſſe credas; nihilominus ad omne dubium tollendum Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali ad id fulciri deſideras. Quare ſupplicari nobis feciſti humiliter, ut ſuper his de benignitate Apoſtolica miſericorditer providere dignaremur.

Nos igitur legati hujuſmodi tenorem, ac ſi præſentibus inſereretur, pro expreſſo habentes, & legatum ipſum eidem Eccleſiæ de Cruce, ut præfertur, factum approbantes, & confirmantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Domini Papæ, cujus Pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facta, tibi dictos viginti annuos ducatos cuivis perſonæ vendendi, & alienandi, pretium exinde proveniens in uſum, & utilitatem Eccleſiæ, & domus Fratrum prædictorum convertendi licentiam, & liberam facultatem concedimus; præmiſſis, & Apoſtolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, conventualibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub ſigillo Officii Pœnitentiariæ IV. *Kalendas Aprilis, Pontificatus Domini Pauli Papæ III. anno* XIII.

XXIX. Jam vero pluribus hoc anno cœnobiis Franciſcanam familiam amplificatam certis monumentis accepimus. Paulus III. Pontifex Optimus, a quo innumera in Ordinem noſtrum profecta ſunt beneficia, vetus quoddam cœnobium apud Corſicæ oppidum, quod vulgo Serra appellatur, Obſervantibus attribuit, editis hac de re Apoſtolicis litteris V. Kalendas Auguſti: extantque publicæ tabulæ hujus rei gratia confectæ, tum cum Fratres ejuſdem Pontificis permiſſu novi domicilii poſſeſſionem inierunt.

Obſervantes cœnobiũ ædificant in Corſica.

XXX. Apud oppidum Luſitaniæ, quod olim Arucci, nunc Moura appellatur, in Eboreuſi diœceſi, fundamenta cœnobii ab Obſervantibus jacta. Iis vero propter inopiam ab incœpto deſiſtentibus Joannes III. Rex Lu-

Alterum in Luſitania.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 340.
1547.	anno 13.	anno 29.	

Luſitaniæ, eorum incommoda miſeratus, duo prædia aſſignavit; quibus nimirum ſub haſta poſitis ad abſolvendum, quod inchoarant, pecuniam contraherent.

Tertium item in Luſitania.

XXXI. In civitate Brigantia Luſitanæ ditionis Theodoſius Dux Brigantinus cœnobium, quod Obſervantes incolerent, a fundamentis excitavit, divoque Franciſco, cujus ope, & apud ſuperos gratia ſubnixus, maſculam prolem, quod habebat in votis, tandem aliquando ſuſceperat, nuncupandum curavit.

Ordinis Tertii profeſſores cœnobium condunt in Bætica.

XXXII. Joannes quoque Telleſius, Urenæ comes, hoc ipſo anno apud Urſonem Hiſpaniæ Bæticæ oppidum, Ordinem Tertium benevolentia complexus, alumnos ejuſdem novis ædibus auxit, ut Urſonenſi Academiæ, quam idem ipſe paulo ante fundarat, bonarum artium doctores in poſterum tempus compararet. Nec vero illum fefellit opinio. Quippe in omni diſciplinarum genere præſtantes viri, qui eas publice juventuti explicarent, ex Ordinis Tertii ſodalitio nullo non tempore prodierunt. Cœnobii templum ſimulacro Deiparæ, editiſque in ejus gratiam Dei nutu prodigiis nobilitatur. Hinc in Virginem beatiſſimam oppidanorum pietas mira: cujus præcipue natalem diem magnifica pompa, & omnium ordinum ad ejus ædem concurſu quotannis celebrant.

Item Obſervantes in Liburnia.

XXXIII. Ionia maris Adriatici, quæ ad Liburnos pertinet, Senia eſt civitas ditionis Auſtriacæ. Extra mœnia ejus urbis Obſervantium familia domicilium habebat; quod præfectus Croatiæ Ferdinandi Romanorum Regis mandato funditus diruit, ne, ſi Turcas huic regioni conterminos obſidendæ civitatis cupido inceſſiſſet, ipſo cœnobio aliquando potiti, tamquam ex tuto loco peterent oppidanos, & infecta oppugnatione ad deditionem compellerent. Inquilini ejus cœnobii in urbem deducti, Sancti Spiritus ædem, Regis ipſius benignitate attributam, curare cœperunt. Subinde cœnobium recens exſtructum adierunt, annuente Pontifice Maximo; qui dato primum diplomate Ferdinandi conſilium, atque pietatem magnopere commendavit; tum Vicarium Senienſis Epiſcopi, duoſque præterea primarios viros ſcriptis litteris monuit, ut novi operis molitionem diligenter curarent, nec Franciſcanis domicilium parantibus moleſtiam exhiberi ullo modo permitterent.

Privilegium a Pontifice iatum erga venientes ad templum Portiunculæ.

XXXIV. Cum Pontifex Maximus in itinere Peruſino ad Portiunculæ templum divertiſſet, id novo quopiam ornandum munere, atque Apoſtolicæ benignitatis inſigni aliqua teſtificatione honeſtandum eſt arbitratus. Itaque vivæ vocis oraculo privilegium tulit, uti populus Chriſtianus, qui ad Portiunculam ventitare pietatis cauſa ſoleret, Euchariſtiam ibi ſumere poſſet ipſo Paſchatis die; qui ceteroquin ejuſmodi ritu paroeciarum in templis peragendo ex Eccleſiæ præſcripto eſt celebrandus. Cujus rei Sebaſtianus Hiſpellenſis cœnobii præfectus teſtimonium perhibuit, qui & Epiſcopo Aſſiſienſium, ut hanc in poſterum conſuetudinem ratam haberet, voluntatem Pontificis declaravit.

Templa Ordinis Tertii ſingulari beneficio ornantur a Pont. Max.

XXXV. Idem Paulus Ordinem Tertium perpetuæ cujuſdam caritatis vinculo complexus, pridie Kalendas Martii dato diplomate edixit, ut ſiqua in urbe, oppidove, quod Eccleſiæ interdicto ſubjectum eſſet, peragi ſacra vetarent Pontifices Maximi, Tertii Ordinis templa ea ſupplicii lege ſoluta eſſe ceoſerentur; certis tamen diebus præſtitutis, qui beatorum videlicet Lucii, Rochi, Ludovici Gallorum Regis, Ivonis, Elzearii, Roſæ Virginis Viterbienſis, Eliſabethæ Hungarorum Reginæ, nec non Angelæ Fulginatis commemoratione ſolemni quotannis celebrarentur.

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 340.
1547.	anno 13.	anno 29.	

Obſervantes cœnobio pulſi ab Lutheranis.

XXXVI. Alberſtatenſe Obſervantium cœnobium Lutherani populabundi invaſerunt IV. Kalendas Februarii, eoque direpto inquilinos e magiſtratus ſententia ſolum vertere juſſerunt. Cœnobiarcha cum ſociis octo e veſtigio diſceſſit. Pars major cum obſtinaſſent animis religionis tuendæ cauſa in urbe conſiſtere, tandem inopia omnium rerum conflictati, haud multo poſt abierunt, paucis relictis.

Deinde reſtituti.

Quos ſubinde allati nuntii de victoria Caroli Cæſaris, & Saxoniæ Principe capto, diffidentes jam rebus ſuis confirmarunt, afflictoſque ad bonam ſpem erexerunt. Quippe anno inſequenti in eum locum, unde civium conjuratione ejecti fuerant, edicto Cæſaris reſtituti, nutantem Fidei cauſam ſuſtinere inſtituerunt.

Martinus a Turre in Obſervantibus clarus.

XXXVII. Toleti e vivis exceſſit Martinus a Turre Hiſpaniæ Tarraconenſis oppido oriundus, qui cum nomen dediſſet in Obſervantium familiam, ſacriſque ioitiatus dignam munere ſuo vitæ innocentiam nullo non tempore præſtitiſſet, magnum ſui deſiderium non modo Fratribus inquilinis, ſed etiam externis hominibus moriens reliquit.

Euſebia Perufina divinæ rei meditandi faculiate inſignis.

XXXVIII. In Fulginienſi cœnobio diem obivit Euſebia Perufina, quam precandi aſſiduitate, rerumque cœleſtium contemplatione mirum in modum excelluiſſe memoriæ proditum. Quo factum eſt, ut quamquam rudis, & ignara diſciplinarum, quæ in explicandis religionis arcanis præcipue verſantur; tamen quamplurima clare perſpexerit, non ſolum de primis Chriſtianæ Fidei rudimentis, verum etiam de aliis, vel ſubtiliſſimis Theologorum quæſtionibus, atque decretis: quaſi nitidiſſimo quodam in ſpeculo cerneret ea, quæ poſt multam, accuratamque lectionem, maximoſque labores, ac vigilias vix demum ſolent homines intelligentia comprehendere.

Auguſtinus Italus in Excalceatis floret virtutum laude.

XXIX. Deceſſit hoc anno Auguſtinus natione Italus, in provincia ſancti Gabrielis Archangeli præſtanti pietate ſacerdos, Excalceatorum in primis numerandus; quem ſingulari aſperitatis patientia, orandique mirum in modum exercitatione præſtitiſſe memoriæ eſt proditum. Cujus rei cauſa ſæpe ab dæmone exagitatus, ſæpe etiam devicto hoſte & ignominia notato, de jampridem ſuſcepta meditandarum cœleſtium rerum conſuetudine nihil remiſit. Mortuus eſt pientiſſime apud Albuquercium, ut Gonzaga teſtatur. Sed eum alii apud Villamnovam & obiiſſe, & ſepultum eſſe tradiderunt.

In Hiſtoria Seraphica.

Cœnobium ſacrarum Virginum Narniæ.

XL. In civitate Narnia cœnobium eſt conditum ab Euſebia Senenſi, Camillo Burgheſio, qui Romanum Pontificatum adeptus eſt, & Paulus V. appellatus, cognatione conjuncta. Id cœnobium inclytæ martyris Reſtitutæ ſumſit auſpicia. Sorores primum quotidiana mendicatione parce admodum victitarunt. Deinde vero egregii viri Marchionis Arianenſis liberalitate ſubnixæ, cœnobium ampliſicarunt: aram templi maximam eleganti ſtructura & lectiſſimo marmore poſuerunt.

AR-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 341.
1548.	anno 14.	anno 30.	

ARGUMENTUM.

Perturbatio ſacrorum in Anglia, & furor hæreticorum in defenſores Romanæ Fidei. Decretum Cæſaris, quod Interim *appellatur, docti aliquot viri Catholicorum partium refellunt; quin etiam hæretici. Præſtantium aliquot innocentiæ laude virorum ex Ordine Franciſcano res geſtæ. Tum virginis Claræ Aſiſiatis in cœnobio Fulginienſi. Tria cœnobia Obſervantibus attributa; primum in Hiſpania; alterum in Luſitania; tertium in Piceno.*

I. IN Britannia cum Catholici viri non modo ſchiſma corroborari, ſed etiam hæreſis labem late graſſari intelligerent, ægritudine ac mœrore confecti miſerrimam vitam traducebant: tum ſemetipſos incuſare cœperunt, quod primis initiis intentiore conatu non obſtitiſſent, neque ad ſemina prima ejus mali exſtinguenda omnem operam contuliſſent. Qui enim legerant in Joanne Chryſoſtomo, ubi Chriſti divinitatem propugnat, Angliæ fidem ac religionem eo nomine commendatam, quod aras Chriſto dicatas multis locis haberet (*Sunt enim*, inquit Chryſoſtomus, *in Britannicis inſulis extra hoc mare ſatis fundatæ Eccleſiæ, & erecta altaria*) ubi aras eaſdem longo intervallo a Chryſoſtomi morte ſubverſas, diſſipataſque videbant, quidni ſenſibus intimis commoverentur, veteremque ſplendorem patriæ, ac dignitatem amiſſam deplorarent? Serpenti malo utcunque reſiſtunt Stephanus Wintonienſis, Edmundus Londinenſis, Cuthbertus Dunelmenſis, Nicolaus Vigornienſis, & Darius Ciceſtrienſis Epiſcopi, omnes doctrina & gravitate præſtantes viri, qui etiam in Ordinum conventu ſuffragii jure potiebantur. Verum dum timidius ſe gerunt, quam ſacros Antiſtites Eccleſiæ cauſam tueri, ac propugnare oportebat, lentitudinis pœnam ſuæ omnes luerunt, diuturni carceris ſqualore miſeriaque confecti, Deique ſimul miſericordiam, & juſtiſſima in ſe judicia collaudantes. Jam vero Anglia fere univerſa Catholico ritu ſacrificia omnino ſublata; ſacerdotum profani greges communione perverſi dogmatis contaminati. Una Maria Henrici filia, Eduardi ſoror, Catharinæ parentis imitata fidem atque conſtantiam, nullis aut precibus, aut minis adduci potuit, ut pietatem religionemque deſereret, inque ſacello, quod domi habebat, vetus Eccleſiæ ſacrificium intermitti juberet, ac ſacramentis ritu legitimo ſuſcipiendis vel pauliſper abſiſteret. Verumtamen ab ſceleratis perduellibus in ejus æditnos ac ſacerdotes ſævitum eſt. Ita ſurente peſtifera lue nefarii dogmatis, Petrus Martyr, & Martinus Bucerus, egregii ſcilicet architecti novarum rerum, & contagionis dilatandæ percupidi, in Britanniam convolarunt.

II. Orta inter Legatos Cæſareos & Pontificios controverſia, Carolus V. procudit ſuum *Interim*, verius *Interitum animarum*. Eo decreto ſuperiorum ætatum Concilia, quæ ſacerdotibus conjugia, laicis vero calicis uſum interdixere, præter jus faſque labefactare, atque contemnere laicus princeps inſtituit. Verum decreto interceſſere hæretici ſimul, atque Catholici. In illis Philippus Melanchthon molliter, Calvinus petulantiſſime ſcripſit. Robertus Cænalis in Gallia, Nicolaus Bobadilla in Germania, Franciſcus Romæus Dominicanus Romæ in convellenda hujus edicti impietate egregiam operam inſumpſerunt.

III. In Fulginienſi cœnobio divæ Luciæ Chriſtiana humilitate inſigniter floruit virgo nobilis Clara Aſſiſio oriunda; quæ cum vilia miniſteria magna

Clara Aſſiſias inſignis animi demiſſione.

gna animi alacritate obire ſolebat, tum decumbentes graviori morbo Sorores, quas videlicet labis contrahendæ periculum vix adeundas ceteris permitteret, humaniſſime conſolari; ægrotantibus aſſidere; iiſdem præbere cibum, atque vitalem inſtillare ſuccum; ſternere lectos, ac ſordes everrere. Cruciatus Chriſti, ejuſque parentis Mariæ ægritudinem inter precandum ſecum ipſa reputabat, itaque afficiebatur ſenſibus intimis, ut præ ingenti dolore lacrymas continere non poſſet. Exiit mortalitatem XI. Kalendas Septembris.

Bartholomæus Offidanus in Obſervantibus clarus. *Martyrol. Franc. 26. Decemb.*

IV. In Cœnobio Montis Sancti apud Offidam Piceni oppidum naturæ conceſſit Bartholomæus eodem oppido oriundus, quem vitæ innocentia magno decori & ornamento Obſervantibus fuiſſe Franciſcanum Martyrologium diſerte teſtatur.

Joannes Zumaraga Obſervantium facerdos Caroli V. Cæſaris gratia floret ob virtutis commendationem. *Chron. S. Franc. parte 4. lib. 3. cap. 62.*

V. Joannem Zumaragam Obſervantium presbyterum, qui res Ordinis Franciſcani vernacula lingua deſcripſerunt, hoc anno e vivis migraſſe commemorant. Is cum ob vitæ innocentiam Caroli V. Cæſaris gratia floreret, magno tum in honore, tum in amore ab univerſa nobilitate habitus eſt. Mexicanas inſulas ultro ſibi delatas conſtantiſſime recuſavit; ac proinde conceptam hominum de ſe opinionem non confirmavit modo, ſed etiam inſigni demiſſionis exemplo mirifice auxit.

Obſervantes cœnobium condunt apud Molianum Piceni vicum.

VI. Apud Molianum agri Piceni vicum in Firmana diœceſi Minorum familiam hoſpitio receptam in antiquis annalibus memoriæ eſt proditum. Eorum templum S. Columbæ ædificatum conſecratumque eſt anno ſupra milleſimum trecenteſimo. Verumtamen cum ea loca bellorum tumultibus militumque populationibus infeſta eſſent; ſexageſimo tertio poſt anno inquilini abierunt, dirutoque cœnobio ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate, domicilium tutiore loco ipſis ruderibus excitarunt. Hoc denique anno Obſervantes Molianenſium rogatu apud ſanctam Columbam cœnobium condere aggreſſi, veterem templi religionem mirum in modum amplificare inſtituerunt. Aſſervantur in majore ſacello tunica & cingulum beati Petri Molianenſis, laborantibus morbo aliquo oppidanis, ut experientia compertum eſt, ſalutare præſidium.

Cœnobium condunt Obſervantes apud novam Carthaginem.

VII. Apud novam Carthaginem in Hiſpania Obſervantes hoſpitio recepti, juxta ædiculam Martyris Sebaſtiani ſolitario in loco habitare occœperunt. Verum haud ſatis apta obeuntibus religionis officia hæc ſedes fuit. Erat enim contigua tormentarii pulveris officinis; adeoque inquilini popularem tumultum, & importunam operarum frequentiam diutius ferre non poterant. Itaque cives, eorum rogatu, cœnobium in urbe tertio poſt anno ædificarunt. In templi æde, quæ divo Nicolao Myrenſium Epiſcopo ſacra eſt, ſanctorum aliquot lipſana aſſervantur perhonorifice. Ex quibus aliqua recenſebo. Corpus in primis divi Martyris Valentini; tum caput unius ex Virginibus iis, quæ cum Urſula duce beatiſſimam mortem oppetierunt. Ad hæc, tria brachia; primum ſancti Blaſii Sebaſtenorum Epiſcopi; alterum martyris Marcellini; tertium martyris Margaritæ. Inter minora ſunt, ex oſſibus Petri ac Bartholomæi Apoſtolorum, tum Apolloniæ atque Luciæ Martyrum quædam particulæ.

Obſervantium cœnobium extruitur in Luſitania.

VIII. Joannes Maſcarenias, ſummo vir loco natus in Luſitania, domicilium in Monte Majore, Eborenſis diœceſis oppido, Obſervantibus poſuit. Ejus vero cœnobii templum Philippi Apoſtoli, necnon anonymi cujuſdam Martyris nobilitavit capitibus Ferdinandus Maſcarenias, Luſitaniæ Regis orator ad Concilium Tridentinum. Ita duo egregii viri ex eadem familia Minorum ſodalitium, Deique cultum ac religionem certatim amplificarunt.

AR-

Anno Christi	Pauli III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minó-
1549.	anno 15.	anno 31.	rum anno 342.

ARGUMENTUM.

Pauli III. Summi Pontificis obitus. Anglicani tumultus religionis cauſa. In Japonia Evangelium diſſeminari cœptum. Bernardinus Ferrarienſis, & Alexander Piſtorienſis in Obſervantibus clari. Petrus Mazarienſis Capuccinorum presbyter inſignis. Obſervantes cœnobium ædificant in Piceno.

I. Cum Cæſar, occupata Placentia, Parmam quoque vi capere cogitaret, eam urbem Pontifex Maximus Romanæ Eccleſiæ ditioni rurſus adjicere, Camerinumque Octavio nepoti reſtituere meditatur. Id quod Octavius indigniſſime tulit, datiſque litteris ad Cardinalem Farneſium, nonniſi Parma recuperata ſe quieturum, ejuſque injuriæ memoriam depoſiturum aſſeveravit. Perlectis litteris, Pontifex lethalem morbum ex vehementi dolore, & iracundia contraxit. Quocirca moriens verſum illum Davidicum identidem repetebat: *ſi mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo.* Vir ſine dubio magnus, & ab hæreticis fruſtra lacoratus, quorum convicia tanti viri laudes fuerunt. Paulus III. moritur.

II. Hic annus Anglicanis tumultibus, oblataque Catholicis partibus religionis redintegrandæ occaſione inſignis fuit. Sublati publico ſupplicio proceres duo Eduardus Sommerſetus, ac Thomas frater, hæreticorum fautores. Fama eſt, Mariam novi Regis ſororem, orando inſtandoque, de retinenda veteri Fide conſilia injeciſſe: eum tandem non ſine lacrymis, quid in tanto tumultu deliberaret, ſibi in præſens obſcurum eſſe, reſpondiſſe. Puerum Regem tutores cum ab eo ſermone conflernatum dejectumque ægritudine offendiſſent, rati id, quod res erat, ipſum deinceps cum ea colloqui vetuerunt. Ita quod probis viris affulſerat ſpei bonæ, in ipſis propemodum initiis dolo malo aulicorum exſtinctum eſt. Anglicani tumultus.

III. Inter hoſce tam varios dubioſque in Europa rei Chriſtianæ ſucceſſus divus Franciſcus Xaverius Japoniorum in inſulas Evangelii lucem intulit primus; eamque terram omni arte moliri; tum cura & labore, quoad ejus fieri poſſet, ſterilitatem ſoli maciemque vincere inſtituit. Et quoniam experiendo cognorat, Japonios Bonziorum fuco & oſtentationi aſſuetos plurimum externa moveri ſpecie, & animi bona ferme corporis habitu cultuque metiri; ad eorum mores, quantum ſine peccato liceret, in præſentia conformare ſeſe, & Chriſti cauſa nonnihil ad illorum ſalutem extrinſecus mutuari in animum induxit. Ergo priuſquam ad opus aggrederetur, Luſitani Regis impenſa videlicet, auguſtioribus veſtimentis induitur. Simul munera ſumit Japoniis ante id tempus ignota. In iis erat Luſitana veſtis, vinumque prænobile; muſica ſambuca, & horologium ex iis, quæ inæquali ponderum examine, pluriumque rotarum denticulis inter ſeſe implicatis, lento motu ac perpetuo temporum intervalla diſtinguunt: quam Europææ ſolertiæ machinam gentes illæ ſine fine mirantur. Hiſce rebus in jumenta impoſitis, cum ſociis aliquot Amangutium proficiſcitur: munera & litteras ab Indiæ prætore offert Regi: quibus ille magnopere delectatus, auri argentique non levi pondere munificentiam advenæ remunerari contendit: quæ cum Xaverius obſirmato conſilio cuncta rejeciſſet; altitudinem animi ſuſpiciens Rex, vacuas Bonziorum ædes illi ad habitandum adſignat; dein publica per vicos edicta proponit, placere ſibi, non Amangutii modo, verum etiam in omnibus ſuæ ditionis finibus regniſque Fr. Xaverius ad Japonios proficiſcitur.

unius

unius Dei legem ac religionem declarari palam: eamque cuilibet amplecti liberum esse: legis ejus ac religionis interpretes nulla ratione lædi, vel impediri. Sub hæc Evangelici præcones ad instituta munia quam acerrimo studio retulere sese. Interdiu in areis triviisque conciones habebant; noctu confluentibus ad se omnium ordinum, ætatum, sexus utriusque mortalibus, aures ac responsa præbebant. Erat autem tanta frequentia celebritasque, uti cœtum ædes ipsæ non caperent: alii, quæ in publico inaudiissent, privatim ac per otium avere nosse: alii etiam animi causa, incomptam ac rudem peregrinorum atque hospitum irritare linguam, & cum effuso adstantium cachinno de industria disputationem extrahere: alii denique variis interrogationibus etiam atque etiam fatigare doctores novos. Huic tantæ curiositati cum ab Dei servis, partim ex vetere historia, partim e physica ratione, partim e Theologorum decretis atque responsis identidem satisfieret; illi, voluptatum illecebris irretiti videlicet, in stultitiæ tenebris, & cœno flagitiorum nihilominus hærebant. Neque tamen idcirco Xaverius despondere animum: quin potius omnem in partem versare semet, cœptisque acriter ac perseveranter instare. Cum aliquot jam menses crudum aridumque novale tractasset, ac, nullo dum fructu divini verbi semina projecisset; tandem e proscisso, ac sæpius iterato solo Christianæ Fidei germen emicuit. Ergo terræ natura gentisque moribus exploratis, multi subinde Evangelii præcones post Franciscum Xaverium Japoniorum in insulas profecti sunt; qui laboribus maximis eam Domini vineam excolere adorti, partim etiam glorioso martyrio nobilitati (in quibus unus supra viginti e Minorum familia) cœlitum numerum adauxerunt.

Franciscani in Japonia illustres.

IV. Obierunt hoc anno egregie pii doctique viri ex Observantium familia duo: quorum alter Bernardinus Ferrarienſis, Christianæ facundiæ laude cum primis excellens, qui & provinciam Bononiensem administravit. Alter Alexander Etruscus Pistorienſis, quem Franciscus Lichetus Scotistarum acutissimus erudivit. Ad hæc, veteris instituti servantissimus fuit; tum sobrietate vigiliisque, ac litterarum præsertim studiis veræ ac solidæ virtutis laudem est consequutus. Semel atque iterum Minister Etruriæ creatus est, eamque provinciam optimis legibus exemplisque ad religionem informavit.

Bernardinus Ferrarienſis,

Et Alexander Pistorienſis in Observantibus claſſi.

V. Per idem tempus e vita migravit Petrus Mazarienſis Capuccinorum sacerdos: cujus de vita & moribus, quæ nobis fuerint comperta, non minus brevi, quam accurata narratione persequemur. Ac de prima ipsius ætate id unum constat, haud ita severa disciplina educatum a suis fuisse; atque ab ipsis incunabulis, ut in opulenta domo (Rochæ nomen familiæ erat, quæ inter primas civitatis numerabatur) profanos admodum hausisse spiritus. Quo factum est, ut communis consuetudinis impetu abreptus, quod sibi datum fuerat temporis ad negotiationem salutis æternæ, id ille miserabiliter, ut plerique mortalium solent, partim in factionum rixarumque periculis, partim in amatoria væsania, & cetera seculi vanitate consumeret. Itaque cum ex certamine dignationis, ut fit, sæpe ad manus pugnamque venisset, sententia judicis tandem aliquando proscriptus, exulum more infestis armis grassari, perque cædes ac maleficia ætatem deinceps agere male sanus instituit. Hunc maxime in modum adolescentia, atque ipso ætatis flore consumto, cum nihil minus cogitaret, quam ad bonam redire frugem, repente a miserabili errore, certoque æternæ vitæ periculo in rectum salutis iter summo Dei beneficio revocatus est. Tota autem ejus conversionis ratio fuit ejusmodi. Consueta tela, quæ aliud

Petrus Mazarienſis Capuccinorum presbyter insignis.

Ejus adolescentia.

quip-

quippiam acturus aliquando depoſuit, cum deinde labore irrito quæritaſſet, ipſa periculi magnitudine edoctus furere deſiit, ac ſubeunte paulatim animum pœnitentia vitæ prioris, infinitam in ſe Dei clementiam aliquando cœpit agnoſcere; nec ſolum de mutandis in poſterum moribus, verum etiam de expiandis omni ratione delictis, placandoque Numine ſerio cogitare. Atque in hanc deliberationem ingreſſus, Capuccinorum ſodalitati, ubi omnia videlicet aſperitatis exempla vulgo proponi animadverteret, nomen dare conſtituit; atque ita ingenio velificari ſuo, ut frequenti verberatione longoque jejunio errores vitæ anteactæ ulciſci poſſet, meritaſque ſcelerum pœnas ultro ſuſcipere. Hiſce artibus, ubi in familiam adſcitus eſt, animum ſemper excoluit; itaque demum ſubegit, ut aptus evaſerit ad præclara omnipotentis Dei chariſmata capienda. Siquidem proditum memoriæ eſt, eum inter orandum ſubita mentis alienatione ſublime ferri conſueviſſe. Cumque ob ſpectatam vitæ innocentiam provinciæ miniſter deſignatus, eam nudis omnino pedibus obire ſoleret, quamquam feſſus de via, nihil tamen de ſuſcepto precandi inſtituto, reſque divinas meditandi aſſiduitate umquam remiſit. Ubi ſero cœnobium aliquod adiiſſet, accito dumtaxat ædituo, qui templi fores aperiret, ipſe ante aras ad multam noctem orare de genu, nec inde diſcedere, quoad officium matutinum ſtataſque preces ex inſtituto familiæ ipſi accolæ perſolviſſent. Evangelicam paupertatem & egregie ſervabat ipſe, & magnopere ceteris commendabat: frequenterque habebat in ore illa verba Tobiæ: *Fili mi, pauperem quidem vitam gerimus; ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum.*

Capuccinorum laus.

Petri mores, ac vitæ ratio.

Cap. 4.

VI. In Africana expeditione Carolum V. Imperatorem ſequutus eſt; ac pendentis e cruce Chriſti imaginem præferens, Goletum, validiſſimam arcem ab Cæſare captam, primus intravit. Cum Siciliæ prorege Joanne Vega rurſus in Africam claſſe trajectus, curandis militum animis, corporibuſque egregiam operam ſtudiumque navavit; itaque tempus navigationis diſtribuit, uti nocturnas horas, brevi dumtaxat excepto ſomno, ſacris carminibus, & rerum divinarum contemplationi, diurnas ægris omni ope refocillandis, confeſſionibus quamplurimorum excipiendis, quotquot ad ſe venirent, aut conſilio, aut re juvandis inſumeret: quibus eſſet ſpes vitæ, hiſce avertendi cœleſtes iras, & mores in poſterum corrigendi præcepta inculcare: quorum deplorata eſſet in terris ſalus, iis æternæ vitæ facere ſpem, & ſimul ad ſupremam pugnam arma contra dæmonum incurſus ac petitiones induere: valentes ad officia pietatis & humanitatis hortari: detrahentes de aliorum fama (ut fere uſuvenit in tanta plebis colluvione militumque licentia) ſerentea jurgia diſcordiaſque, vel impia in ſuperos verba jactantes, vel rem alea diſſipantes, leni ſimul & gravi oratione compeſcere: plurimam divinæ tum juſtitiæ, tum clementiæ mentionem & recordationem inſerre; controverſias rixaſque dirimere; lenire odia; religionis ignaros ac rudes Chriſtiana doctrina inſtituere; omnibus omni ratione prodeſſe. Inter hæc gravi morbo decumbens, cum in Siciliam reverteretur, placidiſſime efflavit animam. Cadaver ejus ad urbem Drepanum ingenti luctu ſociorum navalium delatum eſt: dein rogatu Caſtelli veteris reguli, quem Marchionem appellant, Capuccinis permiſſum; quorum in templo apud oppidum ejuſdem reguli honorifico funere conditum eſt.

Carolum V. ſequitur in Africana expeditione.

Rurſus in Africam tranſmittit.

Ejus labores.

Et obitus.

VII. In Monteſortino Firmanæ diœceſis oppido cœptum hoc anno ædificari cœnobium, quod deinde Obſervantes incoluerunt in editiore oppidi parte; ubi olim reguli in Pontificem perduelles præſidio arcem obtinere conſueverunt.

Obſervantium cœnobium extruitur in Piceno.

ARGUMENTUM.

Julii III. Pontificis Maximi creatio. Didaci Hernandesii, aliorumque e Franciscana familia; item illustrium aliquot feminarum egregiæ virtutes & facta. Cœnobia Observantium hoc anno ædificari cœpta; primum in Hispania; alterum in Peruvia; tertium in Etruria. Comitia minora Cismontanæ familiæ Bononiæ habita.

Julius III. Pontifex Maximus.

I. TERTIO post mense, quam Paulus III. diem obierat, Joannes Maria de Monte, patria quidem Romanus, sed origine Etruscus Pontifex Maximus renuntiatur VI. Idus Februarii, nomine accepto Julii III. qui, quod felix faustumque esset, totique bene verteret Christianæ reipublicæ, promulgando anni sancti, quem vocant, Jubilæo initium fecit Pontificatus. Tum de Concilio Tridentum reducendo serio deliberatum, editumque ea de re Julii diploma XVIII. Kalendas Decembris.

Didacus Hernandesius inter Excalceatos illustris.

II. Didacus Hernandesius natione Siculus, Excalceatorum illustre decus & ornamentum, cum Hispaniam prope universam sui nominis gloria compleviſſet, sanctitatis & sapientiæ cumulatus laude decessit. Salmanticam adolescens litterarum ad studia profectus, in ejus urbis Academia tantum brevi profecit, ut omnium suffragiis dignus habitus fuerit, qui Theologicas disciplinas e suggestu profiteretur, ac juventuti ad spem religionis efflorescenti divinæ sapientiæ fontes palam recluderet. Inter hæc instinctus vocibus Dei, Observantium familiæ nomen dare constituit in provincia sancti Jacobi. Eum præfecti sodalitio aggregatum, cum, quantum ingenio posset, exploraviſſent, interpretandis Joannis Scoti sententiis operam dare jusserunt, & in cœnobio Pacis Augustæ ad imbuendos juniores nostros industriam conferre. Per id tempus studiorum haud ita severa disciplina eundem vixiſſe proditum est; qui proinde in magnis laboribus, & assidua commentandi exercitatione corpus etiam curaret, ac valetudinis tuendæ causa, cupedioſus interdum ac delicatus, eleganti ciborum varietate mensam exstrueret. Sed eum tamen in lubrico diutius hærere humanarum rerum administrator, & parens pro sua clementia & bonitate haudquaquam tulit. Quippe in lectulo quiescenti, nec mali quidpiam, ut in clauso cubiculo, suspicanti horrida specie serpens objectus est, qui per ostium illapsus, arculasque bellariis ac placentis refertas avidiſſime explorans, tæterrimam saniem, qua videlicet omnia corrumperentur, earum singulis instillavit. Expalluit nimirum Didacus in tanto vitæ discrimine: quod cum tamen Dei beneficio evaſiſſet, moneri se tandem animadvertit, vir alioqui doctus & gravis, ut ne carnis illecebris caperetur, ut illam bestiam immanitate ac diritate metuendam perdomaret, quæ multis exitium & pestem intuliſſet; ejus frangeret impetum, furorem frenaret, rabiem coerceret. Qui se Deo totos, ut ille seciſſet, devoverunt, eos non solum aut in assiduis precibus, aut sacrarum litterarum tractatione occupari; sed detrahere, quantum possunt, de cibo; & exiguo victu pascere corpus, restinguere cupiditatum ardorem, affligere membrorum vires, divinum illum mentis impetum ad rerum cœlestium contemplationem erigere. In hac virtute, quam abstinentiam appellant, vim tantam ineſſe ac dignitatem, ut sine ea ceteræ nec elucere, nec cohærere queant, & quod est commune virtutum omnium, huic uni tamquam proprium & suum tribuatur. Hanc esse veluti fideliſſimam nutricem integritatis, firmiſſimum præsidium salutis sempiternæ, quan-

Observantium familiæ nomen fit.

Mollius vivit aliquandiu.

Tum resipiscit.

quandam quaſi arcem munitiſſimam cum omnibus vitiis pugnare cupientium, & fortiſſimorum Chriſti militum clauſum ad omnes aditus caſtellum, quod qui tenuerunt, uti oportebat, facile furorem crudeliſſimorum hoſtium eluſerunt. Eſſe vero ſtolidum atque amentem, qui ſine hujus præſidio virtutis conſequi ceteras, & indomiti corporis, tamquam ferocis & exſultantis equulei effrenatos impetus cibi copia & bonitate, atque omni indulgentia retardare ſe poſſe confidit. Servatorem illum omnium gentium Chriſtum Jeſum, cum omnes appetitiones haberet ſua ſponte obedientes rationi, tamen ut nos doceret, ſi quando reluctantes relinquere & abjicere conarentur obedientiam, quo pacto poſſemus eas rationi præbere ſubjectas, priuſquam ad inſtituendos homines aggrederetur, quadraginta dies & totidem noctes in vaſta ſolitudine ita vixiſſe, ut nihil umquam cibi caperet, neque potionis. Paulum, Antonium, Hilarionem, ceteroſque veteres incolas ſolitudinis, cum tale ac tantum exemplar haberent ſibi propoſitum, quando nullo prorſus vivere non poterant, certe tam modico, & tam tenui victu uſos fuiſſe, ut nunc eorum continentia propter homines magis, quam propter rem credibilis eſſe videatur.

III. Hæc ſecum ipſe cum Didacus reputaret, vir, ut antea dixi, Eccleſiaſticæ doctrinæ haudquaquam rudis & ignarus; eodem ſtudio & ardore in exercitu Chriſti ſibi deinceps militandum, & horum patrum egregiam virtutem & facta, pro ſuis utique viribus, imitanda judicavit. Quocirca mutato pallio, ſumptaque craſſioris panni lacerna, eaque detrita, in provinciam Gabrielis Archangeli veſtigio contendit. In ea vix dici poteſt quanta cum famis ac ſitis, tum laborum, quos ultro ſuſceperat, patientia corpuſculum perdomuerit. Sacris concionibus habendis, conformandiſque ad religionis præſcriptum hominum moribus præcipuam operam ſtudiumque navavit. Cujus quidem operæ fructus in Extremadura Luſitaniæ provincia multo maximus conſtitit. Magnum erat Didaci nomen in ea regione, magni quotidie ad eum fiebant omnium ordinum concurſus, propter ſpectatam viri tum probitatem, tum ſcientiam in omni genere diſciplinarum. Verumtamen ea erat animi demiſſione, ut non modo, ubi res ferret, ſeſe omnium mortalium infimum prædicaret, ſed etiam litteratorum atque adeo vulgi conſuetudinem amicitiamque contemneret: ratus videlicet, humanæ laudis illecebra nihil eſſe potentius ad animos eorum, qui uni Deo ſe devoverunt, emolliendos, & ab arduo veræ virtutis itinere vel retardandos, vel avertendos. Itaque ubi a concionibus ceteriſque muneribus publicis vacare liceret, vix e cœnobio pedem efferre, precationibus aſſiduis, rerumque cœleſtium contemplationi operam dare, coercendis appetitionibus animi, in qua re maxime perfectæ virtutis, & homine Chriſtiano dignæ ſumma conſiſtit, pertinax ſtudium ac diligentiam inſumere.

In provinciam S. Gabrielis proficiſcitur.

Ejuſdem vitæ ratio.

Animi ſubmiſſio ſingularis.

Didacus ſolitudinis amans & in animi cuſtodia cum primis diligens.

IV. Quamquam vero in litteraria palæſtra Scotiſtarum acutiſſimus habebatur, ab ingenii tamen doctrinæque oſtentatione ſemper abhorruit. Cumque in Sicilia, quo parentis viſendi cauſa aliquando ſe contulit, magnas identidem habuiſſet opportunitates prodendi ſui, vix adduci ſe paſſus eſt, ut idiotæ perſonam, quam ore vultuque ad modeſtiam compoſito præ ſe ferebat, interdum deponeret. Eum ſemel in illuſtri ſapientium corona de Theologicis rebus diſputare coactum, doctiſſimos quoſque rei novitate commotos admiratione defixiſſe, totamque inſulam ſui nominis fama compleviſſe, memoriæ eſt proditum. Ubi defunctus in parentem officio atque pietate Didacus eſt, ad iter cœleſte diligenter ſe comparare, animumque a mortalibus rebus abſtractum uni Deo, cœlitibuſque, quantum liceret, con-

Sapientiæ laude celebratur.

In Hiſpaniam redit. Ejus vitæ quotidiana.

conjungere deinceps inſtituit. Itaque in Hiſpaniam reverſus, in cœnobio Randacenſi, quod vitæ reliquum fuit, partim per voluntarios cruciatus, partim per aſſiduas preces, rerumque divinarum meditationem ſanctiſſime exegit. Tandem laboribus defatigatus & fractus in morbum incidit primo ſane leviorem: ſed is magis ac magis ingraveſcens, paucis diebus Hiſpaniæ lumen extinxit; immo vero, ut par eſt credere, terris eripuit, cœlo reddidit. Quamquam autem jam eum ſpiritus deficiebat, recitavit tamen, ut potuit, ſolennes precationes Eccleſiæ, animumque ſuum e corporis ergaſtulo fugientem auctori & creatori ſuo commendavit. Vulgata morte, ingens hominum concurſus ad ejus cadaver fieri cœptus, videndi, & deplorandi cauſa: tantus erat omnium amor & pietas erga Didacum; ſic exarſerant dolore, ut omnia pro nihilo ducerent, modo officium juſtum ac debitum vita ſenſuque carenti perſolverent. Demum frequentiſſimo conventu, publico luctu, decantatis ſolennibus precationibus pro mortuis, multiſque perfectis ſacrificiis, honeſtiſſimi quique cives funus ampliſſimum curaverunt. Canonicorum collegium, itemque ſacra ſodalitia cum inſignibus religionum agmine longo oppidi vias inſederant. Aderant ex propinquis caſtellis & vicis virorum & feminarum greges, obliti ſui, obliti ſuorum atque familiæ: perſonabant viæ atque agri plangore & ejulatu quam plurimorum, qui ſe vitæ magiſtrum, & patrem optimum amiſiſſe querebantur. Cum ejuſmodi cæremonia circumlatum cadaver, & in templum Excalceatorum invectum eſt; ſubinde iis, quas diximus, perſolutis exequiis, ante aram principem humo conditum.

Ægrotat & moritur.

Ejuſdem funus ampliſſimum.

Nicolaus Bevelus in Obſervantium familia, clarus.

V. In cœnobio Nivellenſi provinciæ Belgicæ vivere deſiit Nicolaus Bevenius, Obſervantium ſacerdos, qui & ſacris concionibus habitis eloquentiæ inſignem laudem eſt conſequutus, & bonas artes, præſertim vero Theologicam facultatem diſputandi ſubtilitate atque ſolertia nobilitavit.

Urraca de Alonſo, & Maria Vaena virgines vitæ innocentia præſtantes.

VI. Per idem tempus magnam ſparſere nominis famam virgines duæ Cordubenſes e familia beatæ Claræ; quarum alteri Urracæ de Alonſo, alteri Mariæ Vaenæ erat nomen: ambæ pares ætate, ambæ virtutibus. Eximia in iis patientia laborum, vigiliarum, omniſque generis aſperitatis; ſolitudinis amor incredibilis, in obeundis cœnobii muneribus alacritas mira. Quod ſupererat otii, vel in corporis labore, vel in animi diſciplina, & ſacris precationibus, commentationibuſque rerum divinarum collocabant. Hoſtem omnium terrimum, ne occultis & tectis ſuperarentur inſidiis, inopia cibi & tenuitate deprimebant: in omni denique genere virtutis ſupra ætatem, ſupra vires præſtare ceteris & antecellere conabantur. Diebus Veneris & Saturni non erant communi continentiæ more contentæ; nihil omnino adhibebant obſonii; pane tantum & aqua vitam ægerrime tolerabant. Cum enim altera in Chriſtum, diros cruciatus pro mortalium ſalute perpeſſum, altera in Deiparam Virginem, ſingulari pietatis ſtudio flagrarent; eos dies conſenſu delegerant, quibus diebus, ad hæc virtutis ac religionis officia, ſeſe flagris aſperrimis etiam cæderent; tum crucem trabalem, pondere gravem, circum periſtylia cœnobii ſuis humeris bajularent: & in hac tam aſpera auſteraque vitæ diſciplina nulla triſtitia, nulla frontis contractio, nullum ſupercilium, nullus horror; ſed incredibilis quædam inerat humanitas & comitas, atque in præſtandis erga ſorores cœnobii Chriſtianæ caritatis officiis jucunda quædam ſuavitas oris, pari ſermonis affabilitate conjuncta. Quod vero mirum videri debet, ſimul adverſa valetudine tentatæ, ſimul febri correptæ, ad ſempiternæ felicitatis locum, uti credere par eſt, ſimul fere convolarunt. Cum enim Urraca Veneris die mortem

tem oppetiiſſet, inſequens Mariæ laborum pariter ac vitæ attulit finem. Utraque in ipſo mortis articulo geſtientis animi lætitiam, ac præcipientis jam gaudia felicitatis futuræ, ore vultuque ad hilaritatem compoſito ſignificavit.

VII. Angelorum provinciam, quæ eſt in Hiſpania, nobilitavit hac tempeſtate Bernardinus a Caſtro viridi Obſervantium ſacerdos, quem aliquando inter canendum divinas laudes cœleſti dulcedine delibutum ſcriptores aliqui memorant; ut in hac corporis concretione nihil jucundius ad voluptatem poſſet optare. Cibi potuſque parciſſimus, non ſolum vino carnibuſque abſtinebat, ſed herbarum aut olerum vix tantum ſumebat in dies, quantum fami domandæ ſatis eſſe videbatur. Itaque hoc aſperrimo victu, & nulla corporis indulgentia frenavit animi laſcivientis petulantiam; extinxit incendium cupiditatis, & vitiorum omnium compeſcuit appetitiones contra rationem incitatas vehementius; omnes turbulentos motus, & quaſi titillationes voluptatum repreſſit; ſedatiſque fluctibus perturbationum, ea tranquillitate integritateque mentis fuit, & corporis, ea moderatione conſilii, ea injuriarum patientia, non ut animum aſſidua commentatione ſevocatum & abductum a ſocietate corporis habere, ſed ut ipſum corpus in mentis vim & naturam plane mutatum & converſum eſſe videretur. Obiit placidiſſime in cœnobio ſanctæ Mariæ Angelorum. Fratres, memorabili exemplo, præ dolore ac deſiderio optimi viri, funus cum lacrymis perſequuti.

Bernardinus a Caſtro viridi Obſervantium presbyter diſciplinæ ſeveritate excellens. *Gonzaga in Hiſt. Seraph. Petrus Caſtilienſis in ſua Topographia.*

VIII. Apud Siſaponem in Bætica mortalitatem exuit Joannes quidam, cognomento Hieroſolymitanus, quod Palæſtinam homo quidem Hiſpanus diu incoluerit. Is, florente adhuc ætate, jus Pontificium in patria profeſſus eſt: eumque ejuſmodi vitæ curſum teneret, ut ad magna & præclara quæque gerenda aptus eſſe judicaretur, præter omnium expectationem, eximio quodam religionis ardore ſuccenſus, Hieroſolymam proficiſcitur. Poſt aliquanto in ea urbe Obſervantium inſtitutum amplexus eſt, informandiſque ad vitæ cultum & honeſtatem ejus terræ inquilinis, qui fidem Chriſti profitebantur, operam dedit. Aliquot annos in eo munere cum laude verſatus, in provinciam deinde Angelorum vel a ſuis Hiſpanis accitus eſt, vel de agendis Palæſtinæ negotiis a montis Sion cœnobiarcha legatus. Utcumque fuerit, ejus provinciæ primarios viros vitæ innocentia & gravitate ita ſibi devinxit, ut præfecturam quamvis invito & reluctanti ultro detulerint. Philippum etiam hoc nomine ſecundum, Hiſpaniæ principem, Joannis fama permotum & opinione virtutis, inſulas ſacras ipſi deferre decreviſſe proditum eſt: quas tamen ille, vir profundiſſimæ demiſſionis, & contemptus ſui conſtantiſſime recuſavit. Cumque ab eo Senatus Indici præſes magnopere contenderet, ut beneficium futuri regis agnoſceret, ejuſque victus auctoritate honorem ſuſciperet, reſpondiſſe fertur, æquum non eſſe, ut, qui ſemotus a curis & maximarum rerum tractatione in erudienda Palæſtinæ plebecula ætatem contriverit, ac fortaſſis ejus operæ fructum haud contemnendum perceperit, nunc aliam provinciam ſatis utique duram ſuſcipiat, quando pro ſua tenuitate eum honoris & amplitudinis locum tenere cum dignitate non poſſit. Denique fato functus eſt, ac tertio poſt die magno ſociorum luctu elatus pridie Kalendas Auguſti.

Joannes Hieroſolymitanus Obſervantiſ ſacerdos.

Sacras inſulas ultro delatas recuſat.

IX. Apud Segobrigam Tarraconenſis Hiſpaniæ oppidum Obſervantium cœnobium exſtrui cœptum. Templum Deiparæ Virgini ſine labe conceptæ ædificatum conſecratumque eſt. Franciſcus Zamora per eos dies Optanus cœnobiarcha, qui deinde Ordinem totum adminiſtravit, Carthaginenſis provinciæ nomine cœnobium adivit, oppidanoſque erga familiam præ-

Obſervantes cœnobium condunt in oppido Segobriga.

præclare animatos probitatis ac ſapientiæ fama ita ſibi devinxit, ut ad cœpta perficienda omnem induſtriam vireſque ſuas certatim contulerint. Eorum primarii numero fere ducenti ac quinquaginta diſciplinam Ordinis Tertii profitentur, quæ ab divi Franciſci inſtitutione profecta, egregios fructus religioni Catholicæ ubique gentium ferre conſuevit. Eam itaque diſciplinam cum oppidani intra domos privatas mirifice colerent, magnas plebeculæ opportunitates ad vitæ honeſtatem nullo non tempore attulerunt.

Item in Peruvia.

X. In Peruvia Chujapa eſt civitas Hiſpanorum, convenarum frequentia maxime illuſtris. In ea, adnitente potiſſimum Franciſco Moralio Obſervantium presbytero, cœnobium eſt conditum: ſacerdotes numero quinque ad incolendum deducti, qui ſacramenta Chriſtiano ritu adminiſtrarent, ethnicoſque a deorum nefario cultu avocatos religionis Romanæ ritibus ac præceptis imbuereot. Eorum ad ſex millia brevi temporis ioter-vallo e tenebris emerſa, Franciſcanorum ſcilicet opera, Chriſti jugum ſubiiſſe litteris proditum.

Obſervantes convertendis ad Chriſtum Peruvianis operam navant.

XI. Hoc etiam anno Andreas Iuſulanus, totius Ordinis Generalis Miniſter, in regno novæ Granatæ apud Americanos provinciam fundavit addito agnomine Sanctæ Fidei, miſſo ad id operis maturandum cum ſociis aliquot Franciſco Victoria; qui cœnobiis conſtituendis operam daret, quæque noſtris hominibus uſui fore arbitraretur, perficienda curaret. Ea provincia quam latiſſimo terrarum ſpatio porrecta Cuſtodes accepit omnino ſex, quorum quiſque cœnobiis ſuis cum imperio præeſſet, omniumque inquilinorum ſuffragiis præfecturam adiret.

Provincia Sanctæ Fidei in regno novæ Granatæ fundatur.

Maria Tablaria inſignis Virgo.

XII. Granatenſe cœnobium, quod beatæ Eliſabethæ reginæ dicatum eſt, Maria Tablaria per idem tempus nobilitavit excellentium virtutum laude; ex quibus unam & alteram brevi narratione complectar. Cibi abſtinentia in primis fuit admirabili verius, quam imitanda: quippe quæ maximam anni partem pane tantum & aqua duriter victitaret. Tum contentione animi tanta ad Dei laudes celebrandas incubuit, ut fere numquam e templi odeo diſcederet; ubi genibus nixa plurimum noctis orando conſumere; ſi quando ſomnus obreperet, brevem quietem ingratiis capere; ſubinde excuſſo torpore, ad perſequendum quod ioſtituerat, alacris magis & experrecta conſurgere. Eam proinde ſorores ceteræ obteſtari ſolebant, ut, quando tantam fuiſſet hujuſce rei facultatem adepta, Deum ipſa rogare pro ſingularum æterna ſalute, pro cœnobii concordia ac dignitate ne gravaretur. Hoc videlicet teſtimonio ſpectatæ virtutis non modo illam, cum viveret, ornaverunt; ſed etiam ad omnem memoriam poſteritatis commendarunt. Quippe ejus vita per ſequentes ætates ad imitandum propoſita, ad retinendam ejus cœnobii diſciplinam magnopere profuit.

Obſervantes cœnobium condunt in agri Senenſis oppido quodam.

XIII. Intra oppidum ſancti Geminiani in agro Senenſi Ordo equitum Melitenſium ædes habebat. Eas hoc anno Obſervantium provincia, certa pecunia ipſis equitibus perſoluta, recepit; cum vetus cœnobium extra oppidi mœnia inquilini diruere, ſedeſque mutare coacti malo fuiſſent. Quippe Senenſibus in Hiſpanorum poteſtatem redactis, & amiſſam reipublicæ libertatem inique ferentibus, omnia bello permiſcebantur; cum ad opem oppreſſis ferendam Galli milites accurriſſent, Hiſpanoſque rerum potientes prælio laceſſere adorti eſſent.

Maria a S. Michaele.

XIV. Obierunt hoc anno, magna nominis fama poſteritati relicta, virgines duæ; altera Maria a ſancto Michaele, quæ cœnobio Matritenſi Ordinis Tertii vitæ ac morum integritate magnum attulit ornamentum. Eidem mos erat, præter cilicium, quo aſperrimo tegebatur, ſeſe flagellis quam diu-

diutiſſime cædere: laborumque ac morborum patientia in primis excelluit. Joanna altera fuit, Mutuſcis, ſeu Trebia oppido Umbrorum oriunda; cujus vita innocentiſſime acta manſuetudine potiſſimum, & ſumma animi demiſſione commendatur. Hæc in cœnobium Fulginienſe divæ Luciæ aggregata, adjuvandis omni ope ſororibus, agendaque oſtiatim mendicatione multos annos inſumſit. Oculorum morbum, quo diuturno & gravi ad extremum uſque ſpiritum laboravit, non modo æquo animo pertulit, ſed etiam libenti. Efflavit animam placidiſſime, ac triſte ſui deſiderium non virginibus modo ejus cœnobii, verum etiam civitati univerſæ moriens reliquit.

Et Joanna Trebienſis innocentia commendatę.

XV. Andreas Inſulanus totius Ordinis Miniſter, minoribus comitiis Bononiæ habitis, Clementi Moniliano, qui familiæ ciſmontanæ præfecturam triennio geſſerat, ejuſdem familiæ in Curia Romana tutelam commiſit. Hujus acta congregationis, quam *intermediam* a noſtris appellari mos eſt, vel nulla omnino ſunt litteris tradita, vel cum mandata fuiſſent, aliquo caſu interciderunt.

XVI. Hieronymus Lanza apud oppidum ſancti Marci in Sicilia natus, ad fortunas paternæ domus, cum primis honeſtæ, ac locupletis, inſignem tum litterarum ſcientiam, tum pietatem adjunxit. Cum exacto ſtudiorum curſu, in quibus juri Cæſareo, ac Pontificio operam dederat, doctoris nomen & inſignia ſumpſiſſet, virginem pari nobilitate in matrimonium accepit. Sed uterque, connubii conſuetudine omiſſa, miro conſenſu virginitatis votum nuncupavit in ipſa nuptiarum celebritate. Illa in cœnobium ſacrarum virginum nomen dedit: ipſe veterum Patrum, quorum vitas lectitaverat, incitatus exemplis, in ſolitudinem ſeceſſit anno Chriſti MDXLV. initoque conſilio cum incenſis eodem aſperitatis omnis perferendæ ſtudio aliquot viris, ſodalitium conſtituit. Ejus ſodalitii leges erant, quanta fieri poſſet ſeveritate, inſtitutum beati Franciſci in omni vita tenere; in tuguriolis aut ſpeluncis vitam agere ſeparatim, ſtatiſque horis ad templum, quod ſolitario in loco extruendum eſſet, convenire; communes cibos, præterquam uſitatos quadragenarii jejunii tempore, a menſa abdicare; ſingulis anni feriis quartis & quintis jejunare, exceptis aliquot; Franciſcanæ, ac Dominicanæ familiæ alumnos, ſi qui miſſione a præfectis impetrata eo venirent, ad inſtitutum aggregare. Idem Hieronymus, uti ſociis præeſſet, conſenſu lectus. Eas leges Julius III. Pontifex Maximus dato diplomate approbavit. In eo diplomate dicuntur *Eremitæ iſti ad Regulam Fratrum Minorum in paupertate Capuccinorum obligari*. Sic enim mos erat per ea tempora ſolitarios appellari. Quibus verbis deceptus Daza noſter in quarta Chronicorum Ordinis parte ſolitarios illos veros fuiſſe Capuccinos exiſtimavit. Hoc ſodalitium anno MDLXII. Pii IV. decreto diſſipatum eſt, ejuſque profeſſores familiam aliquam religioſam ex iis, quas ante hæc tempora ſummi Pontifices approbaſſent, adire juſſi.

Hieronymus Lanza ſodalitium inſtituit ſolitariorum profitentium Regulam divi Franciſci.

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 344.
1551.	anno 2.	anno 33.	

ARGUMENTUM.

Concilium Tridenti celebratum. Obſervantium cœnobia duo ædificata in America Meridionali. Beatrix Vaſqueſia virtutibus illuſtris.

I. Concilium Tridentinum, nitente potiſſimum Cæſare, qui ad ejus tutelam paratum ſe fore pollicitus fuerat, haud ita magna celebritate habitum eſt; cum eo pauci conveniſſent metu deterriti belli Parmenſis: quod implicuit potentiſſimos Principes, Galliæ Regem tuentem partes Octavii, & ipſum Cæſarem, ac Pontificem, qui conjunctis viribus Parmenſem ditionem Octavio eripere adorti ſunt. Legati tamen ad Concilium miſſi, Marcellus Creſcentius Romanus tituli ſancti Marcelli Presbyter Cardinalis; Sebaſtianus Pighinus e Regio Lepidi Archiepiſcopus Sipontinus; Aloyſius Lipomanus Venetus Veronenſium Antiſtes; præſtanti ſcientia & prudentia viri; tertius vero etiam pietate ac religione, divinarumque litterarum peritia per hæc tempora nulli ſecundus.

Obſervantium cœnobium Guamangæ ædificatum.

II. In urbe Guamanga Peruviani regni Obſervantes cœnobium ædificarunt, cum ampliſſimæ provinciæ gereret præfecturam Ludovicus ab Ona. In ejus cœnobii templo cum ad augendam populi religionem ſocietates multæ piorum hominum inſtitutæ ſunt, tum illa præſertim, quæ Deiparam Virginem ſine labe peccati originalis conceptam veneratur: in quam proinde, Franciſcanorum videlicet opera, neophytorum incredibile ſtudium, & inſignis pietas exardeſcere cœpit.

Item apud Panamam.

III. Apud Panamam urbem, Americæ meridionalis emporium celeberrimum, domicilium eiſdem Obſervantibus juſſu Cæſaris datum vertente anno ſuperiore; ſociiſque præfectus Gaſpar Singuellus, qui & hoc anno cœnobium adminiſtravit. Cui ſubinde exædificando operam dedit Petrus Pinafelius Americanus, nobili genere natus; qui præterea ob egregias virtutes magnam ſibi apud Hiſpanos & populares auctoritatem conciliavit.

Beatrix Vaſqueſia vitæ innocentia nobilis.

IV. In Toletano ſancti Michaelis cœnobio vivere deſiit Beatrix Vaſqueſia, quæ diſciplinam beatæ Claræ profeſſa, in divinis laudibus celebrandis ætatem pene totam contrivit. Ad hæc, mira conflictandi corporis cura, ciborumque omnis generis parcimonia inſignis fuit. Jejunia fere perpetua; ex quibus maciem ita contraxerat, vix ut poſſe conſiſtere videretur. Caſtitatem & eximie coluit ipſa, & ad eandem ceterarum virtutum præſidio confirmandam ſorores incendit. Cum ex aſſiduo precandi uſu charitatem in Deum minime vulgarem concepiſſet, cum voluptate animi tanta res divinas meditabatur, ut æſtuanti præ amoris incendio hujuſcemodi verba, velut ignita jacula, identidem exciderent: *Dilectus meus mihi, & ego illi*: & illa, quæ ſanctiſſimus olim familiæ conditor uſurpare ſolebat: *Deus meus, & omnia*. Sed & erga myſteria Catholicæ fidei tam præclare legimus animatam fuiſſe, ut dictitaret, paratam ſe ad obeunda quævis martyria, quotquot ejuſdem propugnatores jam inde a primis Eccleſiæ temporibus obiiſſent; ut illorum videlicet veritatem ſuo ſanguine conſignaret. Inter hæc gravi morbo decumbens, eaque verba ſuaviſſime recitans: *Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea*, placidiſſime efflavit animam. Cum eſſet antea propter aſſiduos labores triſti oris aſpectu, planeque invenuſto, ſub ipſam mortem decora ſpecie, ac beatiſſimo lumine fulgens, magnam ſpem omnibus fecit, non tam illam mortem, quam migrationem ex mortalitate ad immortalitatem fuiſſe.

AR-

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 345.
1552.	anno 3.	anno 34.	

ARGUMENTUM.

Concilium Tridentinum intermittitur. Obitus Marcelli ad Concilium Legati: item divi Franciſci Xaverii Indiarum Apoſtoli. Matthæus de Baſſio Venetiis moritur; cujus cadaver Obſervantibus adjudicatum. Ab iiſdem cœnobia aliquot ædificata.

I. Imminentis belli nuntius, & diſſidium inter Cæſarem & Julium de expectandis hæreticorum legatis, in cauſa fuerunt, ut Concilium intermitteretur. Itaque omnibus, qui convenerant, abeundi poteſtas facta. Dum autem Romam redit Legatus Marcellus, ex nimio labore Veronæ, ubi diem obivit, incidit in febrem, quam phreneſis eſt conſecuta. Cujus vi turbulenta exagitatus dum a ſe poſtulat abigi canem; hinc Sleidanus occaſionem arripuit dæmonis inducendi. Quod commentum Polano ita frigidum viſum eſt, ut omittendum judicaretur.

II. Deceſſit hoc anno in inſula deſerta Sanciano, & in conſpectu Sinarum, a quibus tantum leucis triginta disjungitur, ſanctus Franciſcus Xaverius IV. Nonas Decembris, ætatis quinquageſimo quinto, expeditionis Indicæ undecimo: vir animi incomparabilis, & cujus laboribus orbis erat anguſtior. D. Franciſci Xaverii obitus.

III. Matthæus de Baſſio, Capuccinorum anteſignanus, quem Waddingus ad Obſervantes multo ante rediſſe commemoravit, Venetiis gravi morbo decubuit, qui ſupremus illi fuit. In eam urbem profectus Auguſto ineunte, apud Rectorem ſancti Moyſis Eccleſiæ diverterat, quicum ſibi neceſſitudo vetus intercedebat. Cujus in domo cum ægrotaret, Cœleſtinum Zenum ſancti Franciſci cœnobiarcham monendum curavit, ſuoque nomine rogandum, ut ſacerdotem, qui confeſſiones audiret, ad ſe mittere maturaret. Miſſus itaque Urbanus Venetus, qui etiam de Matthæi moribus atque factis plura litteris conſignavit. Magnum erat Matthæi nomen in ea civitate, quam ſibi antea, cum eſſet in concionibus acer ac vehemens, libereque in hominum vitia inveheretur, non eloquentiæ modo, verum etiam virtutis opinione conciliarat. Cum ſacramentis Chriſtiano ritu ſuſceptis obiiſſet, magnus hominum concurſus ad templum eſt factus. Itaque elatus eſt honorificentiſſimo funere. Quippe exequiis perſolutis in templo, inuſitata celebritate circa forum Marcianum circumlatum cadaver cum læta populi acclamatione, & æris campani ſono. Inter hæc Obſervantium cœnobiarcha Rectorem monuerat, uti cadaver, quod ad ſe pertineret, apud divi Franciſci in ſodalium ſepulchro ſepeliendum permitteret. Ille negare ſeſe daturum quod peteretur: Matthæum, dum viveret, ab Obſervantibus aut neglectum, aut ſponte ſejunctum extra ſepta cœnobii vitam egiſſe: itaque hominem non fuiſſe cenſendum in eo ſodalitio, a quo tamdiu abfuiſſet; in ejuſque cadaver ſancti Moyſis Eccleſiæ communi lege jus eſſe, quod in ejus ditione ipſe mortem oppetiiſſet. Incalentibus utrinque animis, in judicium deducta res; liſque noſtris adjudicata, quod legitimis documentis palam feciſſent, Matthæum cum Præfectorum permiſſu extra cœnobium eſſe verſatum, præſertim Calvi, & Inſulani: neque exortem ejus familiæ exiſtimandum, cujus jampridem habitum ferret, quin etiam capitis tegumentum. Quocirca triduo, quo hæc geſta ſunt, incorruptum cadaver, ſumma licet æſtate, ad Franciſcanos delatum, confluente certatim multitudine ad oſculandum; & in communi ſodalium tumulo conditum eſt. Poſt duos menſes, cum

Matthæus de Baſſio moritur. *Tomo XVI. anno 1537. n. 19.*

De ejus cadavere diſſidium.

Quod Obſervantibus adjudicatur.

cum populus Venetus, nondum ſtudio pietatis erga Matthæum deferveſcente, tumulum frequentaret, eaque re moleſtiam Fratribus exhiberet (quippe in aditu chori ſepulchrum erat) permittente Pontificio Legato exhumatur, nulla hactenus labe apparente, & in arcam e ligno compactam incluſum, in ipſo templo ſepelitur prope ſacellum beati Didaci. Poſtero anno ſub exitum Februarii rurſus arca mutata, ac ſuper eam in contiguo pariete monumentum eſt poſitum cum hac epigraphe.

P. Frater Matthæus de Baſſio Marchiæ
Minor de Obſervantia verbi Dei Prædicator Apoſtolicus
Animam Deo reddidit Nonis Auguſti anno MDLII.

Obſervantium cœnobium extruitur Bæſippone.

IV. Bæſippone Bæticæ oppido ab Obſervantibus cœnobium eſt poſitum; cum eiſdem Joannes Amaja, præcipua nobilitate vir, non ſolum ædibus ſuis ultro ceſſiſſet, ſed etiam ad res cœnobii componendas pecuniam dediſſet. Vigeſimo ſexto poſt anno, incertum qua cauſa, domicilium deſernerunt, & apud ædiculam Deiparæ Virgini dedicatam in agro extra oppidi mœnia habitare cœperunt, cum permiſſu Gaditanorum Epiſcopi Garziæ Jari.

Item apud Panicum.

V. Ludovicus Ataide hoc item anno Franciſcanis, qui divi Petri Alcantarenſis diſciplinam tenebant, domicilium conſtituit apud Penicum pagum in diœceſi Olyſiponenſi. Ejus cadaver, ut ipſe juſſerat cum proregis munere in India degens, ad cœnobium delatum, in ejuſque cœnobii templo, quod a ſanctiſſimo Jeſu nomine appellatur, eſt conditum. Alumni circiter decem, quæ ad cultum, victumque pertinent, a nepotibus Ludovici, perpetua in eos liberalitate nobiliſſimæ gentis, accipiunt.

Et apud Quanucum in regno Peruviano.

VI. Apud Quanucum Peruviani regni civitatem ſedes tandem eſt conſtituta Obſervantibus VII. Kalendas Decembris. Ex alumnis Presbyteri quinque Evangelium Americanis impertire, eoſdemque præceptis Catholicæ fidei erudire juſſi. Cujus eiſdem laboris fructus per inſequentes ætates multo maximus conſtitit.

AR-

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 346.
1553.	anno 4.	anno 35.	

ARGUMENTUM.

Catholica religio in Angliæ regno reſtituta; unde hæretici omnes exulare juſſi: in quibus Petrus Martyr Vermilius, ac Bernardinus Ochinus. Obſervantium generalia comitia Salmanticæ habita. Eorum leges ad renovandam Ordinis diſciplinam. Ex iis aliquot virtutibus clari. Adamus Sasbouth eximie pius & doctus. Cœnobia ædificata.

I. IN Anglia moritur Rex Eduardus anno ætatis decimoſeptimo exhæredatis teſtamento ſuo duabus ſororibus, Maria, & Eliſabetha, eiſque ſubſtituta Joanna Craja, filia Henrici Suffolcii, ſuadente Dudlejo Duce Northumbriæ, per quem ſublatus fuerat Sommerſetus. Cognita Eduardi morte, Maria Henrici Regis, & Catharinæ Hiſpanæ filia Reginæ titulum ſtatim aſſumpſit; ſenatores Regni, ac reliquos ex nobilitate Londini degentes, datis ad eos humaniſſimis litteris, ſibi devinxit. Dudlejus perduellionis damnatus, ſervi publici manu perdidit caput; cum biduo ante hæreſi omni abjurata, ritu Catholico Euchariſtiam ſumpſiſſet, & ad locum ſupplicii ductus, egregia criminum confeſſione præmiſſa, monuiſſet omnes, uti veram majorum religionem amplecterentur, ac neſariæ ſectæ concionatores Britannia tota exturbarent: non aliam ſeſe, quam Eccleſiæ Romanæ Fidem ſemper in ſinu coluiſſe; ſed ambitione cæcum multa tempori condonaſſe, quorum ex animo pœniteret: proinde mortem æquo animo ſubire, quam ſe agnoſceret commeruiſſe. Inde datus in cuſtodiam Thomas Cranmerus Archiepiſcopus Cantuarienſis, aliique perverſi Epiſcopi; ſupra triginta millia hæreticorum exulare juſſi; reſtituti paſſim Catholici. De Petro Martyre Vermilio quid ageretur, diſputatum eſt in ſenatu; quem, quod plurimum damni publicæ rei attuliſſe diceretur, nonnulli flammis addicendum contendebant. Itum eſt tamen in eam ſententiam, ut, quia publica fide in Angliam venerat, cum ſuis incolumis dimitteretur. Qui ſubinde Argentinam, unde erat profectus, una cum Bernardino Ochino, Capuccinorum & Fidei deſertore, ſe contulit. Maria titulum capitis Eccleſiæ Anglicanæ ſtatim abjecit, & Legatum in Angliam accerſiit Reginaldum Polum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem; cum antea Pontifex, ipſeque Polus, miſſo ad eam internuntio Joanne Franciſco Commendono Patricio Veneto, Reginæ animum exploraſſent. Quæcumque ſub Eduardo contra Fidem Catholicam ſancita fuerant, abrogata, diſciplina majorum in integrum reſtituta.

Eduardi Angliæ Regis obitus.

Cui ſuccedit Maria.

Pelluntur ex Anglia hæretici.

In quibus Vermilius & Ochinus.

II. Comitia totius Ordinis apud Salmanticam hoc anno coacta pridie feſtum Pentecoſtes. In iis comitiis Clemens Monilianus miro Patrum conſenſu Generalis Miniſter eſt renuntiatus. Tranſalpinam familiam Andreas Inſulanus vicaria poteſtate adminiſtrare juſſus. Arbitri, quos appellant Definitores, pro Tranſalpinis creati ſunt, Antonius Guſmanus e provincia ſancti Jacobi; Bernardus Freſneda, provinciæ Burgenſis Cuſtos; Antonius Almeida provinciæ Portugalliæ Miniſter; Patricius Ohogam Hiberniæ, Maturinus Jaſius Turoniæ, Gabriel Taparellus Franciæ Pariſienſis antea Miniſtri. Ciſmontanis hi dati ſunt, Aloyſius a Burgonovo Bononienſis provinciæ Miniſter; Angelus Averſanus Miniſter Campaniæ felicis; Angelus a Portu Mauritii, Romanæ provinciæ ſancti Hieronymi Miniſter; Franciſcus Bartholomæi provinciæ Thuſciæ Florentinæ Cuſtos; Evangeliſta Rubinenſis Dalmatiæ Miniſter; Petrus Vercellenſis provinciæ Mediolani Cuſtos. Procurator totius Ordinis Angelus idem Averſanus deſignatus. Pertra-

Comitia totius Ordinis Salmantina.

ctandis in curia Romana Tranſalpinorum rebus Franciſcus Zamora e provincia Carthaginenſi præeſſe juſſus. Bonifacius Raguſinus Palæſtinæ cuſtos, ac montis Syon cœnobiarcha conſtitutus. Multa præterea ad renovandam Ordinis diſciplinam in his comitiis decreta. Pro Romani Pontificis, Regumque ac Principum incolumitate publicæ preces indictæ. Fratres, qui intra ſexennium diem obierant, in tabularia relati numero mille circiter & nongenti.

Pontificis litteræ ad Moniliānum Miniſtrum Generalem creatum.

III. Moniliani electionem, quæque in comitiis ſancita fuerant, Julius III. Pontifex Maximus rite probavit, ipſumque Miniſtrum quam ampliſſima poteſtate decrevit uti, quantam videlicet ipſa comitia ex Apoſtolicæ Sedis arbitrio habere poſſunt. Cujus rei cauſa ad eum litteras dedit in hunc modum.

JULIUS PAPA III.

Dilecto filio Clementi Moniliano totius Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Generali Miniſtro.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Cum, ſicut accepimus ſuperioribus diebus, dilecti filii, Capitulum Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ in domo ſancti Francisci Salmanticæ in unum (ut mos erat) congregati, habitis prius, & ſervatis ſolemnitatibus in ſimilibus obſervari ſolitis, te in ejuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem, juxta regularia ipſius Ordinis inſtituta, & privilegia Apoſtolica illi deſuper conceſſa, communi omnium voto elegerint, tuque electioni hujuſmodi, illius tibi præſentato decreto, conſenſeris, & exinde tam tu, quam ipſum Capitulum nonnulla ſpiritualem profectum, & quietem, ac augumentum præfati Ordinis concernentia, non ſolum ad Fratrum, verum etiam ad tibi creditarum Monialium & Sororum Tertii Ordinis hujuſmodi utilitatem; & inter alia, quod Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci in communi viventes, ad evitanda ſcandala, amovenda multorum offendicula, more Monialium ſanctæ Clarę perpetuo claudantur, nulloque modo intra earum clauſuram viros admittant, niſi eis ſuperinde facultas a Sede Apoſtolica pro ſua maturitate concedatur, matura deliberatione præhabita ſtatueritis & ordinaveritis, prout in diverſis deſuper confectis documentis publicis, ſeu aliis ſcripturis dicitur plenius contineri: Nos qui Ordinem tuum hujuſmodi ſingulari benevolentia proſequimur, ſperantes, quod dictus Ordo, & alii Fratres, ac tibi credite Moniales & Sorores, ob ferventem animarum zelum, quem tibi ineſſe jamdudum cognovimus, per tuæ ſollicitudinis ſtudium pie & religioſe regentur & gubernabuntur; electionem, ac ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi, necnon, prout illa concernunt, omnia & ſingula in documentis, ſeu ſcripturis hujuſmodi contenta, & inde ſequuta quæcumque, quatenus ſacris canonibus non contrarientur, Apoſtolica auctoritate per præſentes approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robore communimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: tibique, quod officium miniſteriatus Generalis Ordinis hujuſmodi integre, & abſque eo quod prætextu aliquarum facultatum, ſeu auctoritatum, quibuſvis perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentibus hactenus quomodolibet conceſſarum, & in poſterum concedendarum (quas ex nunc, in quantum

offi-

officio tuo præfato præjudicent, aut te in illiut exercitio quovis modo impediant, harum ſerie revocamus & annullamus) impediri aut perturbari poſſit, etiam noſtra auctoritate exercere; & quæ tibi videbuntur, dicti Ordinis provincias tibi ſubjectas, pro earum, & dicti Ordinis pace & quiete inſimul unire, & ad eas, quos volueris, etiam externos prælatos ſeu miniſtros ejuſdem tui Ordinis deſtinare, ac omnia alia, quæ Capitulum generale Ordinis hujuſmodi in eiſdem provinciis, tam ex ſua ordinaria, quam ex Apoſtolica auctoritate agere, & facere poſſet, in ipſis provinciis facere, exercere, & exequi, ac omnibus & ſingulis immunitatibus, facultatibus, privilegiis, indultis, & gratiis Miniſtribus Generalibus dicti Ordinis, qui hactenus fuerunt, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos tam vivæ vocis oraculo, quam in ſcriptis quomodolibet conceſſis, uti, frui, & gaudere libere & licite valeas, dicta auctoritate Apoſtolica concedimus & indulgemus. Mandantes univerſis & ſingulis utriuſque ſexus perſonis tibi rutione officii hujuſmodi creditis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna per eos incurrenda, ut tibi in his, quæ officium præfatum concernunt, ac omnibus aliis, quæ contra animam, & inſtitutum ſuum non ſunt, humiliter intendant, & parcant cum effectu, nec tibi in aliquo quovis modo contradicere, aut refragari audeant, vel præſumant, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides faciendu erit, deferri, volumus, & præfata auctoritate Apoſtolica decernimus, quod earum tranſumptis manu notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo tui miniſteriatus officii ſignatis, ea prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XI. *Octobris* MDLIII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

Joannes Larinen.

Salmantina decreta Monillanus deſcribit.

IV. At Monilianus deſcribendis & illuſtrandis comitiorum decretis operam dedit. Ita enim ſanxerant Patres conſcripti apud Salmanticam congregati: *Viſum eſt Reverendiſſimo Patri Miniſtro Generali ſimul, ac univerſis Patribus, atque ita decretum, ut, quidquid eſt ſtatutorum, eorum præſertim, quæ cum Regulæ noſtræ interpretationibus uſitatis maxime conveniunt, redigatur & contrahatur in duodecim capitula, quemadmodum conſtat totidem ipſa Regula noſtra. Cujus rei conficiendæ negotium & cura committitur arbitrio ipſius Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis, ipſorumque Patrum Definitorum Ultramontanæ familiæ.*

Ea proponuntur Ciſmontanæ familiæ a Cardinali Carpenſi.

V. Eas leges Cardinalis Carpenſis familiæ patronus Pontificis juſſu comratas habuit, tum Ciſalpinos omnes ejus alumnos, ut in officio atque obſervantia erga illas manerent, gravi oratione eſt cohortatus.

RODULPHUS PIUS Epiſcopus Tuſculanus S. R. E. Cardinalis de Carpo totius Ordinis ſancti Franciſci Protector & Corrector &c.

Reverendis Patribus Miniſtris ac ceteris Patribus Ciſalpinæ familiæ Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatis ſalutem &c.

INter cetera, quæ proxime præterito anno in frequenti Conventu veſtro Generali Salmanticæ habito pro commoditate, profectuque veſtri Ordinis de-

decreta fuere, unum in primis fuiſſe intelleximus, maximum ſane illud, ut omnes perſpicere poteſtis, ad ſodalitatis veſtræ obſervationem faciliùs aſſequendam, expeditiuſque ejuſdem regimen, momentum habituram; ut, quoniam Conſtitutiones veſtræ in Ciſalpino inſtituto ad infinitum pene numerum exercviſſent, quarum multæ infructuoſæ, & nullius omnino uſus, ſed impedimenti potius eſſent, nonnullæ etiam inter ſe tota ratione contrariæ (quod confuſionem magnam pareret) deprehenderentur, ideo illis omnibus diligenter accurateque perſpectis, atque diſcuſſis, quæcumque earum repertæ fuiſſent Regulæ veſtræ, receptiſque, atque ſinceris ejus interpretationibus convenire, eæ (ceteris omnibus tamquam inutilibus reſecatis & abjectis) ad duodecim tantum capita, ejuſdem veſtræ Regulæ imitatione, quæ totidem capitibus comprehenſa eſt, redigerentur. Cum itaque, quemadmodum Nos ſemper vehementer optavimus, ac cum Dei Optimi Maximi auxilio aliquando futurum eſſe ſperavimus, illud non minori ſane zelo Religionis, quam prudentia & diligentia præditus vir frater Clemens a Monilia Minifter Generalis veſter, cui ea provincia a Conventu prædicto demandata fuerat, egregie & præclare præſtiterit; hunc ejus tam utilem, ac potius neceſſariam laborem ſanctiſſimus in Chriſto Pater ac Dominus Julius III. Pontifex Maximus, quemadmodum optimum parentem, ac Principem Chriſtianorum omnium, religioniſque decebat, & gratum habuit, & magnopere probavit: Nobiſque præterea, ut divi Franciſci inſtituto protegendo, juvando, ac provehendo deputatis impoſuit, ut Suæ Sanctitatis juſſu vobis univerſis, veſtrumque ſingulis per ſanctam obedientiam in virtute Spiritus ſancti præciperemus, ut hujuſmodi ſtatuta, in ordinem formamque prædictam redacta, atque correcta, reliquis omnibus ſepoſitis & rejectis, amplecteremini, atque obſervaretis. Nos itaque pro veteri noſtra in veſtram ſodalitatem charitate in Chriſto etiam atque etiam hortamur, & pro officii noſtri munere, virtute in primis mandati a ſanctiſſimo Domino noſtro accepti, vobis arctiſſime præcipimus, & mandamus, ut noviſſimam hanc ſeriem Statutorum a Reverendiſſimo Patre veſtro Generali Miniſtro ſic diſpoſitam, & promulgatam, tamquam veram, & a vobis omnibus perpetuo obſervandam ſuſcipiatis, atque ipſa pro viribus, quo cuncta vobis proſpere & feliciter cedant, ad Chriſtianæ Catholicæ Eccleſiæ incrementum, veſtrique inſtituti profectum, quem in dies majorem atque majorem eſſe percupimus, inviolabiliter obſervetis; noſtri interim in veſtris ad Deum precibus memores. Romæ anno a Nativitate Chriſti MDLIV. *die* VIII. *Januarii.*

Rodulphus Card. de Carpo Protector.

Sigiſm. Botius Secret.

VI. Clemens etiam, datis ad Ciſmontanos litteris, ad priſtinum decus ac dignitatem familiæ recuperandam eos incendit. Cujus labes, quæ, ne latius dimanent, præſens remedium poſtulare videantur, pleno mœroris & querimoniæ ſermone commemorat. Tum quid in legum Salmantinarum deſcriptione præſtiterit, quid iis tandem contineatur, quam diligenter & ſancte iiſdem obtemperari ab omnibus velit, ac ſerio præcipiat, luculenter declarat in hunc modum.

Frater

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 346.
1553.	anno 4.	anno 35.	

Frater Clemens de Monilia Ordinis S. Franciſci Generalis Miniſter & ſervus univerſæ noſtræ Ciſmontanæ familiæ de Obſervantia nuncupatæ S. P. D.

Moniliani litteræ ad Ciſmontanam familiam.

PErquirenti mihi cauſas, cur noſtri ſplendor Ordinis quodammodo obſcuretur, ac exterior converſatio adeo inficiatur, ut vel prælatorum incuriu, vel ſubditorum numero tranſgreſſionum talis excreverit multiplicitus, quæ apud priſcos noſtros non itu frequens, publica, inulta, probata, & benemerita haberetur (nunc enim multo plura ſibi vendicat luxus, minus parcit avaritia, & nonnunquam apud nonnullos pſeudofratres tantum intumuit ſuperbiu: & quæ olim magiſtra diſciplinæ, probitatis ſchola, ſanctorum Doctorum mater erat fœcundiſſima, nunc orbata jacet: ubi nunc ille divinus cultus? ubi contemplationis, ac vetus devotionis incendium? cecidit ille paupertatis decor, quo tantum Religio ſolebat gloriari noſtra, & ceteris dignitate præſtare: jam, prob dolor, in multis nulla major obedientia eſt, quam nulli parere) occurrit, ut divi Bonaventuræ utar ſententia, negotiorum implicatio, qua pecunia noſtro inſtituto inimica avide petitur, incaute recipitur, incautiuſque contrectatur. Occurrit & quorundam Fratrum otioſitas, quæ ſentina omnium eſt vitiorum, qua plurimi ſopiti monſtroſum quemdam ſtatum inter contemplativam, activamque vitam eligentes, non tam carnaliter, quam crudeliter ſanguinem comedunt animarum. Occurrit etium evagatio plurimorum, qui propter corporale ſolatium, Fratres, ſeculareſque, ad quos decliuant, importune gruvando, non odorem poſt ſe ſpirituallis vitæ, ſed ſcandala potius relinquant animarum. Occurrit quoque importuna mendicatio, ex qua omnes tranſeuntes per viam adeo abhorrent Fratrum occurſus, ut eos, quaſi prædones, offendere timeant. Occurrit non minus incauta familiaritatum frequentia, quam noſtrum propriam prohibet ſodalitium, ex qua ſuſpiciones, infamiæ, & plurimorum offendicula oriuntur. Occurrit improvida officiorum promotio, qua Fratribus nondum uſquequaque probatis, aut carne maceratis, vel ſpiritu roboratis vix ferenda impouuntur munera: occurrit poſtremo (poſt ſepulturam, teſtamentorumque avidam invaſionem, non ſine maxima Cleri turbatione) frequens locorum mutatio, inutiles diſcurſus cum quadam expenſarum ſumptuoſitate, non ſine paupertatis præjudicio. Cum enim Fratres nolint paucis eſſe contenti, charitaſque plurimorum refrixerit, facti ſamus omnibus oneroſi, magiſque in dies fiemus, ui celeriter remedium udhibeamus. opportunum. Quare ex his quamplurimi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ permoti Cardinales, ac Domini, propriis præfati noſtri inſtituti zelatores, querelis multis, & reclamationibus, piæ Sanctiſſimi Domini noſtri, ac Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Protectoris aures propulſorunt; qui cupientes hanc noſtram familiam (cui maxime propter uberes fructus, quos in Eccleſia Dei parit, afficiuntur) divinorum ſemitum mandatorum ſub illa vera beati Patris noſtri Franciſci normu laudabiliter tranſigere, necnon columniantium ora obſtruere, nos & Apoſtolicis litteris, & vivæ vocis oraculo maxima cum inſtantia permoverunt, ut modis omnibus nobis poſſibilibus ejuſdem Ordinis, Ciſmontanarum præcipue partium reſtrictionem ac reformationem procuraremus. Nos itaque mandatis Apoſtolicis, ac tot, tantorumque magiſtratuum ſalutiferis monitis (ut par eſt) ſatisfacere volentes, ne exleges diceremur, de nonnallorum probatiſſimorum Patrum Ordinis noſtri conſilio pariter, & aſſenſu pro divini cultus incremento, pro cæremoniarum ritu, orationis, atque ſpiritualium cha-

charismatum augumento, vestimentorum ruditate, & ciborum parsimonia, vitæ modestia, morum sanctimonia, restaurandis sacræ paginæ studiis, tollenda juvenum inertia, seniorum reverentia augenda, infirmorum, & adventantium hospitum charitate, & ut postremo vera regularis vitæ observantia reviviscat, infrascriptas priscarum sanctionum restrictiones ac reformationes, cum quadam Regulæ nostræ compendiosa, perutilique, juxta diversorum Summorum Pontificum declarationes, explanatione, simulque cum ordinationibus, ac generalibus statutis summatim juxta ordinem & mandatum nobis per Generale Capitulum nostrum nuper Salmanticæ celebratum præscriptum ad Dei laudem, spiritualemque Ordinis præfoti, & maxime præfatarum Cismontanarum partium profectum, inter innumeros, quos jugiter sustinemus, laberet, sedulo compegimus, collegimus, & ordinavimus. Quas ab omnibus & singulis utriusque sexus personis nobis commissis, auctoritate præfati sanctissimi Domini nostri (quam una cum voluntate prædicti Reverendissimi Domini Protectoris, ac tabula præfati Generalis Capituli, & indice omnium dicendorum antedicto ordinibus præposuimus) totiusque supradicti Capituli Generalis, ac nostra mandamus, perpetuo tam a capitibus, quam a membris inviolabiliter observari. Sperantes indubie, quod qui cuplunt animarum suarum saluti consulere, pro personarum, statuum, temporum, ac locorum qualitate in præfatis coaptatum sibi ipsis invenient modum, quo Fratres paulatim de virtute in virtutem proficientes, quousque videatur Deus deorum in Sion, ad perfectiora disponantur: & ut distinctius ac clarius præfata innotescant, & facilius a lectoribus comperiantur, conformiter ad duodecim Regulæ nostræ capita, dicta statuta sub compendia (ut præfertur) redacta, in duodecim divisimus capita. Vale mi cœtus inclyte, ac prædilecte in Domino, & pro eisdem Sanctissimo Domino nostro, Reverendissimo Protectore, pacetque totius reipublicæ Christianæ, ac augumento divini cultus, & pro me servo tuo, indignoque dicti Ordinis moderatore, devotas ad Deum preces incessanter fundito.

Datum Venetiis in Conventu nostro sancti Francisci a Vinea die XXVIII. *mensis Januarii* MDLIV.

VII. Monilianus, ut apparet, Venetiis eas litteras dedit, ineunte postero anno: quam in urbem Pontificis jussu erat profectus, ut ea præsens cognosceret, quæ de Matthæo Capuccinorum antesignano, ejusque moribus atque factis, populique in eum Veneti studio ferebantur. Ea vero ad annum Christi MDLV. exponemus, si, quorum interest monumenta familiæ diligenter conquirere, ii non modo nutu & imperio, sed etiam opera auxilioque perficient, ut hos Annales altero Tomo continuemus. Nunc, quod instat, agendum est, Patrumque Salmantinorum decreta hoc in loco describenda. Hinc enim homines nostri, qui hoc volumen pervolutabunt, uberiorem fortasse, quam ex nostris laboribus sperabamus, fructum percipient.

STA-

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 346.
1553.	anno 4.	anno 35.	

STATUTA ET ORDINATIONES GENERALES

Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum perpetua.

Perpetuo, omnibus aliis abolitis & rejectis, a Fratribus Italis, & Ciſalpinæ familiæ de expreſſo mandato Sanctiſſimi Domini Domini noſtri Papæ Julii III. & Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Cardinalis de Carpo Protectoris noſtri obſervanda, tenenda; ordinata, & ad compendium magno cum labore redacta per Reverendiſſimum Patrem Clementem de Monilia præfati Ordinis Generalem Miniſtrum.

CAPUT PRIMUM.

De præeminentia Regulæ & vitæ dictorum Fratrum Minorum: ubi continentur tria genera Religioſorum, & quomodo exhibere debent Fratres. obedientiam & reverentiam dicto Sanctiſſimo Domino noſtro, & puniri in hoc delinquentes.

Regula et vita Fratrum Minorum hæc est &c.

Pro quo eſt advertendum, quod ſtatus Religionis noſtræ eſt quidam modus vivendi in Eccleſia militanti voto ſolemni firmatus (differentiam voti ſimplicis, publici & ſolemnis habes inferius in 2. capite) in quo quaſi in ſchola virtutum per modum diſcipulæ Deo famulando, tenditur ad ſpiritualem perfectionem charitatis: & ratio omnium ſupradictorum eſt, quia perfectio ſtatus conſiſtit in ſequendo Chriſtum, & reliquendo omnia propter ipſum: Matthæi 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ poſſides &c. *In quo modum vivendi Chriſti & Apoſtolorum Ordo noſter magis ſtricte imitatur, quam quæcumque alia Religio; cum nec in communi, nec in ſpeciali aliquid habeat. Eſt etiam ſchola virtutum, in qua tenditur ad perfectionem: unde Bernardus in una epiſtola,* Ordo, ſeu Religio eſt ſtudere, ſe exercere in vigiliis, orationibus, & opere manuum, & in his omnibus proficere de die in diem, & perſeverare uſque in finem: *quæ omnia (ut patet intuenti) mandantur, vel conſuluntur in Regula illa.*

Et pro majori declaratione, notandum eſt, quod Religio eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, in qua profeſſores ejuſdem, tanquam in ſchola virtutum obligantur tendere ad perfectionem charitatis: & differt ſecundum Scotum diſtinctione 35. tertii a ſtatu Epiſcoporum, qui ſunt in ſtatu perfectionis exercendæ, cum ſint purgatores, perfectores & illuminatores ſubditorum. Religioſi vero ſunt in ſtatu perfectionis acquirendæ, quia ſunt perficiendi tanquam ſubditi & diſcipuli in ſchola virtutum. Dico tamen, quod Religio ſic eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, quod obligat profeſſores ſuos ad aliqua, ad quæ, qui non ſunt Religioſi, in quantum hujuſmodi, non obligantur; unde in ſtatu perfectionis dicitur quis eſſe, non ex hoc, quia habet actum dilectionis perfectæ, ſed quia ſe obligat perpetuo cum aliqua ſolemnitate ad ea, quæ ſunt perfectionis, utpote ad tria vota religionis. Contingit autem, quod aliqui ſe obligant ad ea, quæ non ſervant, & aliqui implent ea, ad quæ

non ſe obligarunt. Primi licet ſint in ſtata perfectionis, non tamen ſunt perfecti; alii autem ſunt perfecti, licet non ſint in ſtatu perfectionis.

Et ſciendum, quod licet quando aliqui ad aliqua vota voto ſimplici, vel privato ſunt obligati, finaliter tum eis poſſit diſpenſari, non tamen tum obligatis voto ſolemni (quod intelligendum eſt ſine juſta & rationabili cauſa) unde diſpenſatus a Papa in his, quæ ſunt juris divini, ſine juſta cauſa, ut in voto ſolemni, & juramento, non eſt quoad Deum (ſecundum Panormitan. de voto, & voti redemptione) non eſt voti tutus in conſcientia.

Ceterum omnis Religio Ordo vocatur propter inſtitutos & ordinatos modos tendendi in finem ſuum, ad quos ſic obligantur omnes Religionis ſtatum profitentes, ut non obſervantes maximis ſuæ ſalutis periculis ſubjaceant; unde Gregorius IX. Extra: de religioſis domibus *lib. 6. capite unico, ſit eam Ordinem vocat, dicens*: Diſtrictius prohibemus, ne aliquis de cetero novum Ordinem aut Religionem inveniat, aut habitum Religiouis aſſumat.

Beatus vero Hieronymus 3. cap. ſuæ Regulæ ponit tria genera Religioſorum in genere. Primi dicuntur Sarabitæ hinc inde diſcurrentes, & in ſpiritu ſuæ libertatis viventes, qui dicunt ſe Chriſtum ſequi in eo, quod circuibat civitates & caſtella, qui etiam proprie dicuntur circumcelliones, quaſi per diverſas cellas ſemper vagantes, communitates Fratrum ſemper fugientes. Hic modus ſatis vituperatur a Doctoribus, & in jure 10. quæſt. §. Quidam Monachi.

Secundi dicuntur Anachoretæ, ideſt ſolitarii, qui etiam profitentur, ſe Chriſtum imitari in eo, quod ſolus agebat in deſertis, Luc. 4. In montem aſcendit ſolus orare, *& Matth. 14. Hi traxerunt originem ab Helia, vel Joanne Baptiſta. Et ſecundum beatum Thomam ſecunda ſecundæ quæſtione 158.* Quamvis vita ſolitaria, ſi debite aſſumitur, præemineat vitę ſociali, ſicut quod jam perfectum eſt, exercetur, tamen ſi vita ſolitaria abſque præcedenti exercitio in ſchola virtutum aſſumatur, periculoſiſſima eſt, niſi per divinam gratiam ſuppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur, ſicut in beato Antonio, & Benedicto. *Vita enim ſocialis neceſſaria eſt ad exercitium perfectionis acquirendæ, quia mutuo ſe inſtruunt verbo & exemplo, ac correctione, & ad perfectum conducant. Solitaria competit jam perfectis, qui aliorum regimine non indigent, ſed ſolum ſpiritu Dei agnntur. Unde Hieronymus ad Ruſticum monachum*: Tractandum eſt, utrum ſolus, an cum aliis in monaſteriis vivere debeas. Mihi placet, ut habeas ſanctum contubernium, ideſt ſocietatem, ne ipſe te doceas, & abſque doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingreſſus es: hanc viam non debent aſſumere, niſi jam perfecti, & in Religione exercitati & probati.

Tertii dicuntur Cœnobitæ, ideſt in congregatione viventes, a cœnon, *quod eſt commune. Hi videntur exorti ſub Heliſæo, qui conſtituit tuncum Prophetarum, ideſt Religioſorum ſecundum Gloſſ. quarti Reg. 4. ſed fuerunt renovati in Chriſto per diſcipulos. Habuit enim pariter habitantes, & in communi viventes, cum quibus in montem aſcendens docebat eos. Matth. 5. Iſti cœnobitæ habent diverſa inſtituta, quæ dicuntur Ordines, propter ordinatum modum vivendi ſecundum Regulas & conſtitutiones eorum, quas profitentur, & ad diverſa deputantur, videlicet ad vitam activam, & contemplativam, aut mixtam, ſecundum quod inſtituti ſunt dicti Ordines, & tenentur ſtatum Religionis, quem profitentur, obſervare, quia aſſumens ſtatum aliquem tenetur ſervare ſpectantia ad ſuum ſtatum. Ita enim profitens tenetur ſervare ea, quæ ſpectant ad Ordinem & Regulam ſuam; unde ſicut prælatus tenetur ſervare ea, quæ ſpectant ad ſtatum prælationis; & Chriſtia-*

ſtianus, quæ ſpectant ad Chriſtianitatem. Ita Religioſus ea, quæ ſunt de ſubſtantia Regulæ ſuæ: alioquin ſe exponeret damnationi æternæ, & inſtitutum illud diceretur Regula, & non vita. Si igitur ſodalitiam noſtrum debeat eſſe Regula, & vita (ut in frontiſpicio Regulæ noſtræ eam vocat beatus Pater Franciſcus) oportet quod ſit correſpondentia vitæ ad Regulam, & Religionem.

Sequitur: Domini noſtri Jeſu Chriſti ſanctum Evangelium obſervare: *ubi nota, quod Ordo communiter tenet, & ſentit, quod ubicumque ponitur in Regula hoc vocabulum* teneatur, *obtinet vim præcepti, & pro tali debet ſervari a Fratribus, qui ſecundum declarationem Summorum Pontificum ad illa ſola Evangelica conſilia obligantur, quæ in ipſa Regula præceptorie, vel inhibitorie, aut ſub verbis æquipollentibus ſunt expreſſa, nec ſecundum eoſdem ſunt obligati teſtamento beati Patris noſtri Franciſci.*

Omnes tamen Fratres, ut dignum ac juſtum eſt, reverentiam exhibeant, honorem, humilem obedientiam, & firmiſſimam fidelitatem ſanctiſſimo Domino noſtro Papæ, & ſacroſanctæ Sedi Apoſtolicæ, prout in principio, medio & fine Regulæ obligantur. Unde ſequitur: Frater Franciſcus promittit obedientiam & reverentiam Domino Papæ Honorio, & ejus ſucceſſoribus canonice intrantibus, *ceteriſque prælatis, & ſacerdotibus, ut ſait intentio dicti Patris noſtri, qui presbyteros monuit præ cunctis revereri.*

Unde ſi quis Frater ore blaſphemo de perſona Summi Pontificis, vel de conſtitutionibus Apoſtolicis obloqui temerarie præſumpſerit, & in hoc legitime deprehenſus fuerit, pœna carceris per bimeſtre, vel alia graviori, juxta qualitatem delicti plectatur. Hoc tamen intelligitur de Pontifice, qui non falſo, ſed canonice ad tale munus eſt electus.

In hoc etiam capitulo tanguntur tria eſſentialia Regulæ noſtræ vota, ſcilicet obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, cum dicitur: vivendo in obedientia &c. *per quæ renuntiando bonis corporis, fortunæ, & propriæ voluntatis, in ſpirituali militia victoriam mundi, carnis, & diaboli conſequimur: & licet illa tria vota ſint communia omnibus Regularibus, & approbatis Religionibus, obedientia tamen Regulæ noſtræ eſt ſpecialis: nam ut habetur Extra* de officio ordinarii *cap.* 4. Monachorum obedientia duobus conſtringitur, primo per obedientiam vovendo loci ſtabilitatem, ſecundo, quia ad nihil obedire tenentur, quod Regulam ſuam tranſcendere demonſtratur. *Sed altior eſt obedientia noſtra, quæ nullum habet in hoc mundo locum, aut jus proprium, quo noſtra obedientia reſtringatur: ſimiliter & altior eſt noſtra Regula, per quam tenemur nihil reſpuere, niſi ſit Regulæ, vel ſoluti contrarium. Illi ergo ſoli abnegationis perfectæ gradus attingunt, qui in omnibus, etiam indifferentibus ſubſunt beneplacitis alienis, qui nullum habent patrocinium ſtabilitatis loci, vel Religionis, ad quam eorum obedientia contrabatur, qui nihil ſibi per obedientiam impoſitum poſſunt repellere, quaſi tranſcendens ſuam Regulam, niſi vergat in ſuæ animæ detrimentum.*

Paupertas etiam Religionis noſtræ eſt maxima: nam clerici ſeculares poſſunt habere propria peculiaria; ſtatus vero Monachorum, & aliorum Religioſorum in communi. Verum quia in bonis communibus eſt periculum, ſicut in propriis, ideo ille ſtatus eſt ſincerior, & a pericalis divitiarum remotior, qui nullam habet affluentiam propriam, vel communem, mobilem, vel immobilem, ut non ſit ei ex divitiis materia ſuperbiendi, occaſio laſciviendi, aut avaritiæ incentivum; ut eſt Ordo noſter, vel ejuſdem Ordinis Fratres, qui ut Chriſti ſervi, & ſerviles pro Chriſto effecti, qui pro nobis formam ſervi acceperit, in domibus vivunt alienis illum imitantes, qui nullum habuit titulum

domicilii, ubi caput ſuam reclinaret. Nam & Chriſtus alieno veſcebatur alimento, ut dicit Hieronymus ad Nepotianum. Unde Gregorius IX. dicit: Dicimus, quod nec in communi, nec in ſpeciali debent proprietatem habere, ſed utenſilium, & librorum, & ipſorum mobilium, quæ licet Ordini habere, uſum habeant.

Non minus dictus Ordo eſt in eaſtitate ſublimior, cujus obſervantia, etſi in omnibus Religioſis & clericis intra ſacros exiſtentibus eſt propoſita, tamen altior diſciplina iſti Ordini eſt impoſita, quam alicui eorum; cum hic non modo factum inhoneſtam præceptoric interdicatur Fratribus, ſed etiam omne ſuſpectum conſortium.

CAPUT II.

De venientibus ad recipiendum vitam iſtam, de informatione Novitiorum, profeſſione, & voto ſolemni, de Clericis ordinandis, de Laicis, apoſtatis, eorum ſtatutis pœnalibus, & de vilitate, & forma indumentorum.

IN primis ſtatuimus, quod qui venientem ad Ordinem debet in Fratrem recipere, diligenter & ſollicite attendat (ut docet Regula) quod recipiendus ſit Fidelis & Catholicus, de nullo errore ſuſpectus, matrimonio non ligatus, corpore ſanus, animo promptus, legitime natus, & debitis expeditus, conditione liber, ætatis ad minus ſextideeimi anni completi, nulla vulgari infamia maculatus, competenter litteratus, ſi pro Clerico recipitur, vel ſi pro Laico, ad labores utiles & honeſtos Fratribus aptus, aut talis conditionis exiſtens, quod ejus receptio Clero & populo non modicam afferat ædificationem. Si quis autem aliter receptus fuerit, non admittatur ad profeſſionem, ſine Generalium, vel Provincialium Prælatorum licentia ſpeciali. Auctoritas etiam eoſdem ad Ordinem venientes recipiendi penes dumtaxat dictos Prælatos ordinaria remaneat; nec paſſim eam alicui delegent, ſed tantum alicui probatiſſimo, & de Religione noſtra optime merito Patri, & pro certo & determinato numero: & dictos venientes ad Ordinem præfati recipientes fidelibus conſiliis fulciant, ut nonniſi idoneos, & ſupradictis conditionibus ornatos recipiant: aliter receptio ſit nulla. Generalis tamen Miniſter, juxta declarationem Nicolai III. poſſit recipiendi ad Ordinem auctoritatem Provincialibus Miniſtris arctare & reſtringere.

Si quis autem talium ad præfatos Prælatos venientium, aut infectus lepra, vel morbo gallico, vel caduco, aut alia contagioſa infirmitate receptus fuerit, & interrogatus in ſua receptione id ipſum celaverit, ejus receptio & profeſſio irrita ſit & inanis.

Idem fiat de apoſtatis noſtris, qui ad nos revertuntur, quod videlicet omnino expellantur, ſi inveniantur aliqua ſupradictarum infirmitatum infecti.

Et nullus Prælatus ſub pœna privationis ſui officii audeat aliquem contra præſentem conſtitutionem recipere.

Item nullus Conventualis nobiſcum incorporetur, niſi per annum probatus fuerit (demptis doctoribus, & notabilibus perſonis) nec aliquis de ipſis, aut alterius Ordinis ad nos veniens recipiatur, ut jura decernunt, niſi prius petita licentia, licet non obtenta.

Adverte tamen, quod nonnullæ Religiones habent privilegia Apoſtolica, quibus ſuis interdicitur Fratribus, ne a nobis in Fratres recipiantur noſtros, niſi

niſi ad hoc habuerint licentiam in ſcriptis ſuorum Prælatorum: ideo quando veniunt ad nos alterius Ordinis Patres, prius conſulantur Prælati eorum: & ſi inveniant eos tali auctoritate Apoſtolica munitos, non recipiunt, niſi oſtenderint licentiam in ſcriptis dictorum ſuorum Prælatorum. Expedit etiam habere ab eiſdem ſuis Prælatis teſtimonium ſuæ bonæ converſationis, ante quam in noſtros recipiantur: quod ſi ſecus factum fuerit, hujuſmodi receptio irrita ſit & inanis.

Bonifacius Papa VIII. concedit facultatem noſtris Fratribus abſolvendi ad nos venientes a multis cenſuris ſub infraſcriptis verbis: Volentibus veſtro aggregari conſortio, qui ſuſpenſionis, aut interdicti, vel excommunicationis ſententiis a jure, vel a judice generaliter ſunt ligati, abſolutionis beneficium (obſervata forma canonica) impartiri, ipſoſque in Fratres recipere, ac eos, ſi poſt aſſumptum habitum, vel profeſſionem emiſſam, recoluerint ſe talibus in ſeculo fuiſſe ſententiis innodatos, ſecundum formam ipſam, vos Generalis & Provinciales Miniſtri, & vices veſtras gerentes valeatis abſolvere, & cum eis in irregularitatibus diſpenſare, ſi talibus forſan fuerint innodati ſententiis, vel in locis interdicto ſuppoſitis divina præſumpſiſſent Officia celebrare, vel ordines recipere: bigamiæ, homicidii voluntarii, & mutilationis membri caſibus dumtaxat exceptis, ita tamen, quod ſi aliqui ex eiſdem hujuſmodi ſententiis propter debitum ſunt adſtricti, eidem ſatisfaciant, prout tenentur. Volumus nihilominus, quod volentes hujuſmodi veſtro aggregari conſortio, niſi mox, poſtquam fuerint abſoluti, Ordinem veſtrum intraverint, eo ipſo in priſtinas ſententias, a quibus eos abſolvi contigerit, relabantur.

Circa Novitiorum noſtrorum informationem ſtatuimus & mandamus inviolabiliter obſervandum, quod quilibet Provincialis Miniſter ſub pœnis per Generalem Miniſtrum de conſilio aliquorum Patrum taxandis annuatim in tabula provincialis Capituli de conſilio Definitorum certos conventus in ſua provincia deputet, in quibus omnes Novitii ejuſdem provinciæ debeant commorari, & in quolibet iſtorum conventuum Magiſtrum Novitiorum aſſignet, virum in eadem Religione probatum, moturum, providum, devotum, & diſcretum, qui hujuſmodi Novitiorum continuam curam gerat, viam Dei ipſos doceat, & ſæpe eos pure confiteri faciat, & ad ſervandam eordis, & corporis puritatem informet, mores, & obſervantias ejuſdem Religionis eis verbo, & exemplo demonſtret. Hujuſmodi autem Novitii ſuæ probationis tempore ſtudio ſcholaſtico non intendant, ſed divinum addiſcentes Officium, ac omnia ſuo ſtatui convenientia, ſtudio orationis & devotionis vigilanter inſiſtant, nec ordines ſacros ſuſcipiant, nec confeſſiones audiant, ſi fuerint ſacerdotes, nec portam conventus exeant, niſi cauſa tranſlationis, vel generalis proceſſionis, vel alia juſta, ſeu rationabili cauſa, per Guardianam, & Magiſtrum judicanda; nec loquantur cum aliqua perſona ſeculari, aut Religioſo alterius Ordinis & Congregationis, niſi ſuo preſente Magiſtro, vel alio per ipſum, aut a Guardiano deputando: dum vero Novitii extiterint, nullo modo aliorum Fratrum, præter quorum ſuorum Magiſtrorum, & Prælatorum cellas ingrediantur; neque alii Fratres e converſo cellas Novitiorum & Juvenum intrare præſumant.

Caveant autem Guardiani, & ipſorum Novitiorum Magiſtri, ac Fratres alii, ne quem conſtitutum infra annum probationis aliquatenus impedire præſumant ſub pœna privationis ſuorum officiorum, quominus vel ad aliam Religionem, quam maluerit, tranſeat, vel omnino ad ſeculum revertatur, ſicut de ſua proceſſerit voluntate; nec cogantur ſibi ipſi Novitii de veſtimentis

in

in ſuo ingreſſu providere. Magiſtri vero non mittantur (dum actu habent Novitiorum curam) extra conventum, vel locum, aut alias ſic occupentur, quominus utiliter & ſalubriter curæ intendere valeant prælibatæ.

Si autem Fratres ad hujuſmodi magiſterium deputati ipſum pertinaciter recipere recuſaverint, puniantur pœnu, qua Fratres inobedientes debent ſecundam ipſius Ordinis ſtatuta puniri.

Nec volumus, quod Miniſtri, aut Guardiani, ſub pœna privationis ſuorum officiorum, aliquid diſponant de rebus Novitiorum, aut legatis, aut donatis ab ipſis Novitiis, vel ante receptionem, vel poſt: ſed in emittendo profeſſionem, aut ab Ordine ante emiſſam recedendo, ſi perſeveraverint in eadem voluntate libera, quod aliquid ſuorum bonorum ſit Fratrum, aut conventuum; tunc poſſint per ordinarios procuratores dicta dona, vel legata in Fratrum, & locorum utilitatem convertere, & non primo; eſto quod (ut præfertur) ante profeſſionem donaverint, vel legaverint: & hoc ad evitanda multa ſcandala, quæ alias orta ſunt propter dictas donationes, etiam ante receptionem habitus Novitiorum factas; eum ſæpe contingat, quod Novitii vel expellantur, vel ſponte recedant ab Ordine, & repetant elargita. Hoc etiam ſtatutum multum arridet declarationi Clementis V. qui in Clementina Exivi de Paradiſo, §. Nos autem, *dicit*: Nos autem conſiderantes attente intendiſſe ſanctum Franciſcum ſuæ Regulæ profeſſores, quos fundaverat in maxima paupertate, ab affectu temporalium rerum ipſorum ingredientium per dicta verba, ſcilicet [ne Fratres, vel Miniſtri ſolliciti ſint de rebus ſuis temporalibus, ut libere faciant de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpiraverit eis] ſpecialiter & totaliter elongare, ut quantum eſt ex parte Fratrum, ipſorum receptio ad Ordinem, ſancta & puriſſima appareret, & ne aliquo modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, ſed ad ipſos tantum divino ſervitio mancipandos; dicimus omnino debere tam Miniſtros, quam Fratres ceteros a dictis inductionibus ad ſibi dandum, & ſuaſionibus, necnon & a dandis circa diſtributionem conſiliis abſtinere; cum per hoc ad timentes Deum ſtatus alterius mitti debeant, non ad Fratres; ut vere cunctis pateat, eos eſſe tam ſalubris inſtituti paterni ſtudioſos, zelatores ſedulos, & perfectos. Non videtur tamen quin liceat eis recipere (conſideratis ſcilicet eorum neceſſitatibus, & moderationibus Nicolai III. declarationis) ſi quid de bonis ſuis intrans, ſicut & ceteris pauperibus, per modum eleemoſynæ libere velit dare.

Propter tamen, ut dictum eſt, exorta in plaribus locis ſcandala decernimus, ut non alienentur libere elargita, niſi peracta profeſſione; & uſque ad tempus illud volumus, quod ſi Religionem egredi vellent, quod poſſint ea repetere, & Fratres Miniſtri, vel Guardiani integre ea conſignare illis teneantur.

Completo vero anno probationis, ſi Novitii a Fratribus, cum quibus fuerint converſuti, laudabile habeant teſtimonium, de Generalis, vel Provincialis ſui Miniſtri licentia recipi poſſint ad profeſſionem, quam quilibet Novitius in manibus Prælati faciat in hunc modum.

Ego frater N. voveo, & promitto Deo, & beatæ Mariæ Virgini, & beato Franciſco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ ſervare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Honorium Papam confirmatam, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. *Et qui eum recipit, promittat ei vitam æternam, dicens*: Si hæc obſervaveris, promitto tibi vitam æternam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen. *Fratrum tamen profeſſiones, & ætas profitentium juridice, & manu profitentis conſcribantur, & in area conventus concludantur.* Si

Si quæratur quale ſit hoc votum emiſſum, an ſimplex, an ſolemne, & quare dicatur tale. Reſpondeo, quod duplex eſt votum, ſcilicet ſimplex, & ſolemne, & quodlibet iſtorum poteſt eſſe publicum, vel privatum. Dicitur autem ſolemne, non quia publicum, ſed quia in ſe habet annexum aliquid, unde veniat, vel venire poſſit in publicum. Solemnizatur autem votum per ſuſceptionem ordinis ſacri, ut patet diſt. 28. cap. Diaconi; *per quod ordinem ſuſcipiens conſtituitur miniſter Eccleſiæ, Deo publice ſerviendo, & ponitur quis, aliter quam prius, ſub alterius hominis poteſtate, & ſub ſui Epiſcopi juriſdictione: unde tale votum eſſet ſolemne, etiamſi prædictum ordinem ab Epiſcopo ſuſciperet in ſecreto. Profeſſio etiam in Religione approbata facta in manu ejus, qui poteſt eam recipere, in ſe habet aliquid annexum, quo in publicum debet venire, & ſic talis profeſſio ſolemnizat votum, quia talem oportet vitam ſecularem relinquere, & in Chriſto cum aliis ſui Ordinis converſari, ut per Richardum 38. tertii, & Extra:* de Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem, *c.* Statuimus.

Ad hunc modum reducuntur alii duo modi, quibus præſumitur profeſſio interpretata. Primus per ſuſceptionem habitus Religionis, qui ſolet dari profeſſis, præcipue quando eſt diſtinctus habitus profeſſorum ab habitu Novitiorum, ut habetur in eodem capite Statuimus. *Secundo, quando quis ultra annum perſeverat in Religione, in qua ſolet profeſſio fieri completo anne probationis, & non proteſtatur de non profitendo. Omnes quatuor modi ſupradicti pro ſolemni voto habentur; omne vero aliud votum, quod non eſt ſolemnizatum aliquo prædictorum modorum, ſive ſit privatum, ſive publicum, dicitur votum ſimplex. Ex quibus omnibus patet, quod ſupradictum votum, quod emittimus in noſtra præfata profeſſione, eſt ſolemne.*

Vide tamen quid poſtea ſanxerit de hac re Concilium Tridentinum anno 1563. ſeſſ. 25.

Receptio autem Novitii ad profeſſionem fiat in capitulo locali, vel alibi coram Fratribus congregatis, ut poſſint ſemper reddere teſtimonium de ſua prædicta profeſſione. Hujuſmodi autem Novitii ſint ante profeſſionem expropriati omnino, & nihil pro ſe in teſtamento, vel alias faciant reſervari. Si autem alicujus Novitii fuerit dubia profeſſio apud Fratres, utpote quando tertia pars Fratrum conventus converſationem Novitii habet ſuſpectam, ejus ad profeſſionem receptio Provinciali Miniſtro penitus reſervetur.

Nullus Novitius pro Clerico ad profeſſionem recipiatur, niſi totum divinum Officium ſciat per ſeipſum ditere. Si quis Guardianus aliquem contra dictum ſtatutum recipere ad profeſſionem præſumpſerit, puniatur graviter per Miniſtrum. Nullus Frater pro laico profeſſus ad clericatum aſcendat ſine Generalis Capituli expreſſa licentia; & ſi quis intra, vel extra Ordinem quovis modo fuerit ad clericatum, ſeu ſacerdotium promotus, omni honore clericali, & ſacerdotali privetur, nec permittatur canonicum, ſed laicale (juxta ſtatuta Apoſtolica) perſolvere officium, & ad merum laicalem ſtatum reducatur. Nullus profeſſus clericus promoveatur ad ſacros ordines, niſi per Miniſtros, & niſi prius per biennium ſteterit in Religione. Ad ſacerdotium vero nullus promoveatur antequam 25. annum ætatis ſuæ attigerit, & ſextum ad minus annum compleverit in Religione.

Sequitur: Et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire &c. *Valentes apoſtatis viam præcludere, in his ſcriptis excommunicamus omnes Fratres ab Ordine apoſtatantes, & ex decreto præſentis ſtatuti anathematis vinculo (auctoritate Apoſtolica ſuper hoc nobis conceſſa) innodamus.*

Intelligimus autem apoſtatantem omnem, qui ſine licentia, vel contra obedientiam Superiorum ſuorum per terras, loca, ſeu patrias cum habitu, & ſocio, vel ſine utroque ierit, vel vagabundus diſcurrerit, ac generaliter abſque

que ejuſdem Ordinis licentia quomodolibet a conventibus diſcedens, qui etiam ultra hoc carceri per tempus taxandum juxta menſuram delicti, & apoſtaſiæ per Miniſtrum mancipetur. Item ſi quis, inſtigante inimico, apoſtata ab Ordine receſſerit, nullus Miniſter in ſua provincia, aut Guardianus in loco ſuo recipere, & apud ſe retinere poſſint, quinimo eum ab apoſtaſia abſolvant, & per triduum in carcerem conjiciant, & poſtea cum litteris teſtimonialibus ad provincias proprios, aut loca remittere debeant: ſi quis autem Prælatus contrariam fecerit, in ſequenti provinciali Capitulo officio ſuo omnino privari debeat, & cui hæc pœna non competit, at ſi jam ſuo functus fuerit officio, alia condigna ad arbitrium Generalium plectatur pœna.

Et ſub eadem pœna Prælatis localibus & provincialibus præcipitur, ne præfatis apoſtatis alterius provinciæ, aut loci, eundi ad præfatam Generalium licentiam, ſeu ad Romanam curiam, aut ad quemcumque alium locum, præterquam ad propriam provinciam, ſeu locum impendere præſumant. Et notandum, quod ſi præfatos apoſtatas ad Generales Prælatos, vel curiæ Romanæ officiales recurrere contigerit, & ab eis puniri, pœna illo pro apoſtaſia damtaxat, & non pro aliis defectibus per eos commiſſis inflicta intelligatur, pro quibus aliis defectibus ad proprios Prælatos, qui cauſam eorum plene norunt, puniendi remittantur, niſi forte per Generales Miniſtrum & Commiſſarium particulares defectus, pro quibus ab eis ex cauſa rationabili puniti fuerint, particulariter exprimantur. Et decernimus ad præcludendam viam dictis apoſtatis, quod ultra pœnam carceris maneant per trienniam voce activa & paſſiva privati.

Item ut omnis apoſtaſia e medio tollatur, præcipitur, quod nullus Frater deinceps, cujuſcumque gradus, ſeu conditionis exiſtat, prætexta cujuſcumque obedientiæ, ſeu licentiæ a ſuperioribus Prælatis obtentæ limites ſuæ provinciæ, aut conventus egredi audeat, quin prius ſuo provinciali Prælato humiliter ſe repræſentet, eique ſuam obedientiam, vel licentiam oſtendat, & deinde habita ab eo benedictione recedat. Si autem dictum Prælatum in remotis agere contigerit, ita quod ejus præſentia de facili haberi nequeat, & negotium, pro cujus expeditione iter facturus eſt, dilationem ad arbitrium ſui localis Prælati non patiatur, tunc per litteras ſuas eidem provinciali Prælato receſſum ſuum inſinuare teneatur, & ultra hoc ſuo locali Prælato obedientiam, aut licentiam oſtendere debeat: quod ſi ſecus fecerit, talis obedientia, ſeu licentia ei minime ſuffragetur, quin prius habeatur pro apoſtata, & apoſtaſiæ pœna plectatur. Et ut omnis fraus de medio auferatur, præfatas ſio hujuſmodi, ac litterarum oſtenſio coram legitimis teſtibus fiat; poſtquam autem redierit ab executione ſuarum præfatarum obedientiarum, ſive a Generalibus, ſive a Provincialibus impetratarum, ſuis præfatis Provincialibus reditum ad ſuam provinciam, & locum quamprimum per litteras ſaltem ſignificare teneatur. Nullus etiam Prælatus localis extra ſuam quæſtam & territorium voleat ſuos mittere Fratres, niſi legitima & neceſſaria cauſa ſubſit, & de conſilio Patrum Diſcretorum illius conventus: ſi autem dicti locales Prælati & Diſcreti nimis propenſi & faciles in hoc inventi fuerint, auctoritate mittendi omnino privari debeant.

Item ordinatur, quod Fratres, qui a Superioribus ſuis peregrandi, vel alio ſe transferendi licentiam obtinuerint (non intelligimus de commiſſionibus, aut obedientiis Prælatorum, quas pro bono Ordinis proprio judicio, & ex libera voluntate ſua mittant ad Fratres, quia eas tempore commodo, vel eis præfixo, etiam elapſo ſpatio duorum menſium exequi poterant) eas infra duorum menſium ſpatium executioni debitæ demandare teneantur; aliter

eodem

eodem elapſo termino ſint irritæ, & nullius valoris: ſunt enim nonnulli, qui ſimiles licentias per totum annum penes ſe tenent, & ſi Prælatus localis, aut provincialis ob demerita alicujus Fratris voluerit in eum animadvertere, aut ei injungere aliquam obedientiam ſibi ingratam, ille ſtatim dictam licentiam exequitur: quare conſulimus præſenti ſtatuto Prælatis omnibus, ut non paſſim ſimiles licentias concedant, ſed tantum legitima & neceſſaria ſubſiſtente cauſa, cum ex inutilibus Fratrum diſcurſibus mille incommoda, & Fratri diſcurrenti, & Ordini proveniant.

Statuitur etiam, ut Prælati poſſint habere notitiam Apoſtatarum, & Fratrum per obedientiam diſcurrentium, quod hoſpites, ac tranſeuntes Fratres eum declinant ad loca noſtra, ſaltem poſt primam refectionem teneantur obedientias ſuas, aut teſtimoniales litteras oſtendere Guardianis, vel eorum Viariis, aut Præſidibus in eorum abſentia; quod ſi non fecerint, teneantur ipſi Prælati hujuſmodi ſuas obedientiales, aut teſtimoniales litteras ab eiſdem exigere; contra facientes vero in ſequenti refectione teneantur facere diſciplinam.

Declaratur etiam ex auctoritate Apoſtolica, quod Prælati noſtri Generales, vel Provinciales de conſenſu aliquorum Patrum poſſint licentiare Fratres petentes ad Conventuales noſtros; licentiati autem ad noſtram Obſervantiam amplius non admittantur, niſi eum pœna portandi probationis caputium per quatuor menſes: Fratres autem noſtri, qui ad Caputiatos ſine Prælatorum Ordinis licentia in ſcriptis habita poſtbac tranſibunt, aut poſt Generalia Comitia Salmanticæ celebrata tranſierunt, non recipiantur ſine Generalis Miniſtri licentia, & pœnitentia per eundem injungenda.

Nullus Frater incorporetur ſub pœna carceris in aliena provincia ſine utriuſque Miniſtri, videlicet provinciæ propriæ, ex qua recceſſit, & illius, ad quam accedit, aut Generalium Prælatorum licentia; & qui ex levitate voluerit, poſtquam fuerit incorporatus, ad priorem ſuam reverti, non recipiatur, niſi per bimeſtre portet probationis caputium: ſecus eſſet, quando Generalis Miniſter, aut Commiſſarius pro aliquo Ordinis commodo, aut præfatæ provinciæ ad eam ipſos per obedientiam deſtinarent, cauſa in eadem manendi, & ſerviendi, maxime ſi ejuſdem provinciæ Patres ad id faciendum induxerint præfatos Generales Prælatos.

Sequitur in Regula: Et illi, qui jam promiſerunt obedientiam, habeant unam tunicam cum caputio &c. *ſuper quo paſſu diverſi Pontifices declarant, ſecundum ſententiam quatuor magiſtrorum, quod Miniſtri & Prælati poſſunt plures concedere, cum viderint neceſſarium ſecundum loca, & tempora, & frigidas regiones: poterunt etiam Fratres mantellos de panno vili & humili habere, non rugatos circa collum, vel criſpos, neque uſque ad terram, ſaltem per palmum integrum protenſos; & in forma ſervetur modus antiquus, omni curioſitate penitus abdicata.*

Fratres nunquam dormiant ſine habitu, femoralibus, & chorda: contra facientes ſequenti prandio coram Fratribus in terra comedere teneantur: eadem pœna plectatur Frater ille profeſſus, qui diſſutum portaverit caputium. Etſi quiſpiam camiſiam lineam, vel de bombace aut cotone portaverit, in proxima futura refectione coram communitate in terra, habens coram ſe camiſiam pro mantili, comedat. Si vero relapſus fuerit in aliquo præmiſſorum, voce activa & paſſiva ipſo facto per annum integrum ſit privatus: eadem pœna plectatur Frater ille, qui ſine neceſſitate expreſſa, & licentia portet petias albas, crepidas, calecamenta, & caligas uſque ad genua: & licentia concedatur, vel denegetur a Provinciali Miniſtro, vel Guardiana

cum consilio Discretorum: habeantur tamen calceamenta, sive crepidæ in Sacristia pro celebrandis Missis, aut faciendis sacris: cingulum habeatur de chorda communi rudi, & omnis curiositas ab ea penitus rescindatur.

Frater, qui portaverit oras habitus, manicarum, caputii, aut fimbriarum cum filo albo (at dicunt) repuncto artificiose confectas, velut sensualis, vel minus sui instituti observator, per Provinciales Ministros, & Guardianos acriter puniatur: qua etiam pœna puniantur Abbatissæ, quæ permiserint, quod Sorores suæ talia repuncta faciant. Ceterum cum Regula dicat, quod Fratres omnes vestimentis vilibus induantur, *ordinamus, & statuimus, quod vestimentorum vilitas attendatur in pretio pariter, & colore, in quibus semper reluceat asperitas, vilitas, & paupertas.*

Et ut ignorantia nemini sit occasio delinquendi, ordinamus, quod omnes Fratres vestimentis talibus induantur, quod non sint adeo pretiosa, ut videntes eos de curiositate notare debeant, nec ita vilia, & grossa, quod ipsa videntes in horrorem indueant, & provocent ad risum; & super hoc Pontifices in suis declarationibus aggravant conscientias Prælatorum, quorum judicio volunt, quod stetur in præfatis: sed quia nondum (ut audivimus) cessat temeritas, seu præsumptio aliquorum Fratrum habitus, & vestes singulares, & deformes portantium, volentes eosdem per pœnæ additionem a temeritate, & præsumptione hujusmodi ad communis Ordinis observantiam revocare; auctoritate Benedicti XII. statuimus, quod si qui ejusdem Ordinis professores contra arbitriam, declarationem, seu judicium Ministrorum, vel Guardianorum in Ordine ipso præsidentium, habitus, seu habituum caputia, aut vestes deformes, & vestibus aliorum Fratrum communitatem Ordinis tenentium dissimiles portare, aut quod Fratres Ordinis talibus uti deformitatibus teneantur, pertinaciter asserere præsumpserint, nisi in 15. dierum spatio postquam præsens nostra ordinatio ad eos pervenerit, a talibus insolentiis, & inobedientiis desisterint; ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua per Generalem Ministrum, seu Provinciales in suis provinciis (digna dumtaxat satisfactione præmissa) possint absolvi.

Ad majorem autem conformitatem inter nos servandam, & ne detur occasio introducendi, vel fovendi deformitates in Ordine; ordinamus, ut latitudo caputii nostri habitus non transeat a lateribus conjunctura humerorum, & quod longitudo illius caputii a parte posteriori cingulum non excedat: longitudo vero habitus talis sit, quod Fratris illum deferentis nullo modo excedat mensuram: latitudo ultra mensuram 18. palmorum non protendatur, nec minus, quam 15. palmos habeat: longitudo autem manicarum cooperiat extremam junctturam manuum, nec ultra protendatur; & earum latitudo sit discreta, pannus vero habituum sit coloris cinericei.

Tonsuram etiam desuper aures tam clerici, quam laici sibi fieri procurent, & de quindena in quindenam semper radantur.

CAPUT III.

De divino Officio, modoque illud persolvendi, & quomodo omnes ad illud accedere debeant: de mentali oratione, & silentio: & quod omnes teneantur communitatem in quibuscumque servare: & sine necessitate, & licentia non equitent.

Statuimus, & ordinamus, quod ante Missarum, & horarum principia Fratres omnes, quos causa rationabilis non excusat, ad chorum conveniant præparaturi Domino corda sua, ibique sine discursu, murmure, risu, & abs-

& abſque vanis, & vagis aſpectibus, ſub ſilentio, in pace, & cum debita gravitate permaneant, cantent, & orent ſimul, & uſque in finem unanimiter perſeverent; hortamurque in Domino, ut divinas laudes integre, attente, honeſte, & religioſe perſolvant, geſtus leves, & cantus diſſolutos, ſeu fractos omnino declinent, tractim pſallant, debito more incæpta, quæ ſimul cantanda fuerint, ſimul continuent, ſimulque pauſent; & qui in his defectuoſi fuerint, graviter puniantur per Guardianos; & ſi Guardiani in hoc delinquentes fuerint, per Miniſtrum ſuis priventur officiis.

Quicunque Frater non legitime impeditus, aut per obedientiam, aut per infirmitatem, niſi fuerit generalis lector, aut actualiter in prædicatione occupatus, non interfuerit omnibus horis, teneatur dicere, & recognoſcere culpam ſuam, & pro prima vice, ſi non interfuerit Matutino, & aliis horis, dicat quinquo Pater noſter, *& totidem* Ave Maria, *& pro ſecunda dimittat pitantiam; & qui fuerit defectuoſus in hoc, & ſolitus, pro qualibet vice faciat diſciplinam. Et ſi Guardiani in exigendis dictis pœnis fuerint negligentes, eiſdem pœnis ſubjoceant.*

Nec volumus, quod aliquis a choro tempore, quo divinum perſolvitur Officium, recedat ſine expreſſa Præſidentis chori licentia, ſub pœna per Guardianum taxanda. Silcatur autem ſemper in choro, in dormitorio, in Eccleſia a principio chori, & ſupra, in refectorio tam in prima, quam in ſecunda menſa, & hoc non ſolum o reſidentibus, ſed etiam a forenſibus obſervetur.

Ne etiam fervor devotionis per inquietudinem multiloquii extinguatur, ſtatuimus, quod ſilentium a ſigno ſalutationis Angelicæ in ſero uſque ad pulſationem primæ horæ diei ſequentis ab omnibus obſervetur, exceptis hoſpitibus de novo venientibus, & eis miniſtrantibus de licentia Guardiani.

Similiter hora dormitionis a feſto Reſurrectionis Domini uſque ad feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis quatibet die poſt ſecundam menſam pulſetur camponella refectorii, & ex tunc ſileatur uſque ad Nonam.

In diebus jejuniorum ſimili modo a pulſata companella poſt ſecundam menſam ſilentium obſervetur, donec per Sacriſtam fiat ſignum ad ſurgendum a ſomno: liceat tamen Fratribus, quod neceſſe eſt, loqui breviter, & ſubmiſſe.

Si quis autem ſilentium fregerit, debeat dicere culpam ſuam coram Fratribus in communitate, prout ſe in hoc deliquiſſe meminerit, exprimendo: cui a Guardiano pœna ſecundum exigentiam culpæ imponatur.

Mandamus quoque, ut Fratres aſſuefcant ubique religioſe, & ſine clamore loqui, maxime in dormitorio, ſacriſtia, refectorio, & choro.

Nec poſſit aliquis Frater ſine licentia Superiorum ſtare, ſive eſſe cum alio Fratre, vel ſeculari juvene in aliqua cella, vel camera clauſo oſtio: oſtium vero clauſum dicimus, quando ab extra libere ingredi non poteſt: contra facientes in pane, & aqua coram Fratribus jejunare teneantur.

Nec bireta in capite in loco communi, & patenti deferant; cum hoc maxime perhorreret beatus Pater noſter Franciſcus.

Quoad jejunium, quod in hoc capite præcipitur, ordinamus, ut ſingulis diebus jejuniorum ſive ab Eccleſia, ſive a Regula indictorum Fratres nullo modo ſub pœna probationis coputii comedant lacticinio, ova, caſeum, & ſimilia; & Guardiani, qui dederint talia in talibus diebus, ſuis priventur officiis: procurabunt tamen dicti Guardiani omnibus modis ſibi poſſibilibus, ut tempore jejuniorum neceſſaria dent ſuis Fratribus, ne ex talium defectu inde ſumant occaſionem frangendi jejunium. In quadrageſima, quæ incipit ab Epiphania, quam vocamus Benedictam, *nullo modo compellontur Fratres*

jejunare, cum hoc diametraliter repugnet Regulæ; providetur tamen Fratribus, qui volnerint eam jejunare.

Ordinamus, quod Miniſtri, Guardiani, & eorum Vicarii ſint cum Fratribus in communitate, in Eccleſia, in menſa; & in cibis, veſtibus, ſtratis, & aliis Fratribus ſe conforment.

Et quod dicti Guardiani diligenter caveant, ne ſine pia, & rationabili cauſa dent Fratribus extra communitatem licentiam comedendi: & ſi in hoc fuerint delinquentes, graviter puniantur.

Caveant Fratres, ne veſtes extraneas, religioſas, vel ſeculares, aut clericales, etiam ſub ſpecie devotionis induant, nec habitus, aut veſtes Ordinis ſecularibus præludis, aut ſimilibus faciendis ullo modo accommodent ſub pœna amotionis confuſibiliter ex conventu.

Sequitur: Et non debeant equitare, *ubi ſanctus Bonaventura dicit, quod nec debent bigare, nec quadrigare, niſi manifeſta neceſſitate prolixi itineris, vel negotii urgentis, vel infirmitate cogantur: & caveant Miniſtri, ne Fratres ſuæ curæ commiſſos ſine præfata manifeſta neceſſitate, prout in Regula continetur, equitare, aut calceamenta etiam in itinere portare permittant: & qui in hoc negligentes fuerint, in ſequenti capitulo a ſuis officiis amoveri debeant: qui autem a præfata neceſſitate equitare, aut calceamenta præfata deferre in itinere, aut infirmitate coacti fuerint, habeant ſui provincialis, aut localis Prælati licentiam in ſcriptis ſuam neceſſitatem declarantem: & contra facientes per biennium priventur voce activa ſcilicet, & paſſiva, & cui hæc pœna non competit, alia confuſibili ad arbitrium Miniſtri puniatur.*

Strictè etiam præcipimus, quod nullus Frater cujuſcumque gradus, ſeu conditionis exiſtat, ad aliquam civitatem, vel oppidum, ubi eſt conventus naſter, accedat, ſine eo, quod prius ſe loci Guardiano, aut ejus Vicario in ſua abſentia ſe præſentet: neque ſine ejus licentia comedat, aut dormiat in aliqua ſecularium domo, etiam attinentium: quam licentiam Prælatus non concedat, niſi urgente neceſſitate, & imminente.

Neque ad aliquem Rectorem, Dominum, ſive Magiſtratum, ſub quocumque colore, nec etiam ſub prætextu eleemoſynæ petendæ accedat, niſi præfati loci Guardiano negotium, pro quo accedit, prius manifeſtet, & ſi præfatus Guardianus cum Diſcretorum conſilio judicaverit, tale negotium non eſſe in Religionis decus, aut utilitatem; nullo modo ad præfatos Rectorem, Dominum, aut Magiſtratam permittat eis acceſſum, & qui contra fecerit, in eodem loco coram Fratribus in Refectoria unam faciat diſciplinam.

CAPUT IV.

Pecunia quid ſit, & denarii, qui amici ſpirituales, quid recipere per ſe, & per interpoſitam perſonam: de Procuratoribus, de modo, quo illis uti debent Guardiani, & Fratres, ut ſecuri ſint in conſcientia: & quomodo ſubditi in dubiis ſtare debent Prælatorum judicio.

PRo quo ſciendum eſt, quod ſecundam expoſitores, & maxime quatuor Magiſtros, qui non gloſſam (ut ajunt) ſed purum intellectum Regulæ ex ipſa littera extraxerunt: Pecunia eſt quidquid recipitur, ut vendatur; *unde libri, & calices, ſi reciperentur hac intentione, ut auctoritate Fratrum, & non dantis, vel Procuratoris loci venderentur, poſtea inter pecuniam cam-*

pu-

putantur : intentio enim denariorum eſt in ſic recipiente ; quia quod venditur, denario venditur: nomine vero denariorum ſumitur ipſa pecunia numerata, vel numiſma, ut quatreni, juiii, ſcuta, & ſimilia.

Prohibetur igitur in Regula receptio denariorum, & quarumlibet rerum, quæ accipiuntur ad pretium rerum vendendarum. Dicunt etiam, quod receptio cujuslibet rei prohibetur Fratri Minori in proprietatem ; receptio vero denariorum, vel pecuniarum, & quantum ad proprietatem, & quantum ad uſum prohibetur omnino & per ſe, & per interpoſitam perſonam.

Per ſe pecuniam recipere, eſt pecuniam in ſuum uſum convertendam recipere ; recipere vero per interpoſitam perſonam, eſt ſua auctoritate alium ſubſtituere ad recipiendum pecuniam in uſus proprios convertendam. Supra dicta trahuntur ab Evangelio Matthæi 10. Nolite poſſidere aurum, neque argentum, nec pecuniam: *ubi gioſſa dicit* : Duo ſunt genera neceſſariorum ; unum, quo neceſſaria emuntur ; aliud, ipſa neceſſaria ; *per pecuniam in nonis intelligitur, unde illa emuntur : unde propric ipſa pecunia eſt menſura commutationis rerum. Actuum* 8. Pecunia tua ſit tecum perditione. *Perperam vero, quod emitur, pecunia dicitur, & ſolum abuſive.*

Etſi dicatur, quod pecunia pro Fratribus deputatur ; Reſpondetur, quod ly pro, *non dicit proprietatem, cum eorum auctoritate non deponatur ; ſed utilitatem : nec ſequitur, hoc deputatur pro iſto ; ergo eſt iſtius, pro quo deponitur. Exempium in patrefamilias, qui diſpenſatori ſuo pro nutrienda familia tradit pecuniam : licet enim pecunia ſit pro utilitate familiæ, non tamen eſt familiæ, ſed domini.*

Quod etiam pecunia deputata pro Fratribus non ſit Fratrum, oſtendunt Gregorius, & Innocentius : quia nec eorum auctoritate deponitur, nec etiam exigunt nomine depoſiti. Eccleſia tamen Romana, ut volunt Martinus IV. & V. per ſuos Procuratores retinet, & recipit dominium pecuniæ, & aliorum ad ſtatum noſtrum impertientium, & mandat ea commutari in res neceſſarias, & licitas Fratribus, retinendo etiam dominium, & proprietatem omnium rerum mobilium, & immobilium, quibus Fratres utuntur.

Et licet Joannes XXII. in Extravaganti, quæ incipit : Ad conditorem canonum, *limitet, quæ ſpectant ad Eccleſiam Romanam de rebus noſtris Fratribus conceſſis, qui ſic dicit :* Sancimus, quod in bonis, quæ in poſterum conferentur, vel offerentur, aut alias quomodolibet obvenire Fratribus contigerit ſupra dictis, vel eorum Ordini, exceptis Oratoriis, Eccleſiis, officinis, habitationibus, vaſis, libris, veſtimentis divinis officiis deputatis, & deputandis, quæ ad ipſos obvenient in futurum, propter quod conſtitutionem iſtam extendi volumus, nullum jus, ſeu dominium aliquod occaſione ordinationis prædictæ, ſeu cujuslibet alterius a quocumque prædeceſſorum noſtrorum ſuper hoc ſpecialiter editæ, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ acquiratur, ſed quoad hoc habeant ordinationes hujuſmodi pro non factis. *Quibus verbis patet, quod dicta pecunia ad Eccleſiam Romanam non pertinet.*

Verum pro ſupra dictorum declaratione, & dicti ſtatuti Joannis XXII. derogatione, eſt notandum, quod Martinus IV. conceſſit Generali, & Provincialibus Miniſtris univerſis, quod poſſint nominare aliquas perſonas, quæ non ſint de dicto Ordine, quæ ſic nominatæ habeant circa res concernentes dictos Fratres adminiſtrationem legitimam, & generalem, ac liberam ; & decrevit, quod tales perſonæ ſint veri, & legitimi adminiſtratores, œconomi, ſyndici, & actores, qui res prædictas, & earum pretiam nomine Romanæ Eccleſiæ recipiant, & per eoſdem in prædictorum Fratrum utilitates, prout

eis

eis ex Regula, vel declaratione Regulæ licet, convertant, quando a prædictis Miniſtris, vel aliis Fratribus de aſſenſu eorundem Miniſtrorum fuerint requiſiti: & generaliter conceſſit, quod prædictæ perſonæ habeant facultatem procurandi in omnibus cauſis pro rebus, & locis ad Eccleſiam Romanam ſpectantibus, & ipſorum Fratrum uſui conceſſis, necnon pro immunitatibus, libertatibus, juribus, ac privilegiis eorundem Fratrum, & ſuorum conventuum. Nicolaus IV. fecit ſimilem conceſſionem circa procuratores, vel ſyndicos. Martinus quoque V. edidit conſtitutiones, quæ vulgariter nuncupantur Martinianæ, *his noſtris inſertæ fere omnes; quas quidam Legatus a latere præfati Pontificis ordinaverat, in quibus quoad Procuratores habetur ſequens ſtatutum, videlicet*: Statuimus, & ordinamus, juxta declarationem Martini IV. & V. quod quilibet conventus, ſeu locus habeat ſuum Procuratorem, œconomum, ſyndicum, & actorem, cui omnes eleemoſynæ pecuniariæ, & alia, quæ ad pecuniam reduci poſſunt, integraliter aſſignentur, qui eaſdem diſpenſare debeat legaliter, & fideliter pro reparatione conventuum, & locorum, ac in alias neceſſitates Fratrum pro tempore occurrentes.

Subſtitutus per Procuratores, ut puta famulus, non poſſit tenere penes ſe de eleemoſynis Fratrum ultra duoſcuta: & ſi aliquis Guardianus alibi, quam in manu Procuratoris, vel ejus ſubſtituti habere aliquam eleemoſynam fuerit repertus, puniatur pœna proprietarii, niſi id de ſcitu fiat dicti Procuratoris.

Nullus etiam Prælatus localis quidpiam conventus ſine Procuratore prædicto vendere præſumat, & qui contrarium fecerit, ut proprietarius coerceri mancipetur.

Dictus etiam Martinus litteras Martini IV. approbavit, & confirmavit, illas inſerendo de verbo ad verbum, & conceſſit Miniſtris, & Cuſtodibus, ac aliis Fratribus Minoribus, quod litteris prædictis, ac omnibus in eis contentis libere, & licite uti valeant, tamdiu, & quouſque per Sedem Apoſtolicam aliud in præmiſſis eidem Ordini utilius fuerit ordinatum. Non obſtante conſtitutione Joannis XXII. quæ incipit: Ad conditorem &c. *per quam prædictis Fratribus, ne litteris, & conceſſione præfatis ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia uterentur, probibitum fuerat: & in fine concludit*: In omnibus autem, quæ ultra hoc magis videntur arctare Fratres, ſive ex declaratione ſummorum Pontificum, vel aliorum quorumcumque, Apoſtolica nobis auctoritate commiſſa miſericorditer diſpenſamus, non adſtringentes eos propterea, qui voluerint declarationes Nicolai, & Clementis ſervare, quin ſuo voto ſatisfacientes ſervare valeant, & tenere. *Eugenius IV. prædictorum Martini IV. & V. de verbo ad verbum eaſdem litteras inſerult, & approbavit. Sixtus IV. etiam fecit idem, quod ſupra dicti.*

Fratres pro conſcientiarum ſuarum exoneratione utantur infra ſcriptis verbis Procuratoribus ſupra dictis locorum.

Rogamus vos, atque obſecramus, Domini Procuratores, aut ſyndici noſtri omnes, ut modum infra ſcriptum pro tutandis Fratrum conſcientiis ſervare curetis, cum nobis ob Dei amorem vobis inſervire placuerit. In primiſque commonefacimus vos, quod eleemoſynarum quarumcumque, ſeu ſponte oblatarum, ſeu per Fratres emendicatarum totum extet dominium, totaque proprietas penes Romanam Eccleſiam, vel illas elargientem, & nullum prorſus nobis ſit: illas vice dictæ Romanæ Eccleſiæ, aut offerentium ipſi & cuſtodiatis, & cum opus fuerit, ſecundum dictæ Eccleſiæ, vel eorumdem elargientium voluntatem expendatis, ſive palam vobis foris explicita fuerit, ſive rationabiliter interpretata, quam vobis faciliter perſuadere poteſtis,

teſtis eſſe illam. Cum autem ipſi inſumpſeritis illas in præſentaneam Fratrum prædictorum neceſſitatem, atque utilitatem, requiſiti per Ordinis præfati Rectores, & Prælatos, rationem reddatis; proteſtantes nihilominus ſemper, nos neutiquam intendere his cum officiis jubere vobis, aut infeſtos eſſe, quin precari vos ſemper humiliter potius per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, ut noſtris velitis ſuccurrere indigentiis, non diſſimiliter ad voluntatem dictas eleemoſynas elargientium. Quod ſi videritis amplius conducibile dictarum eleemoſynarum computa libro excipere, acceptum feremus a vobis, ſi ſub tali formula libellum illic ſic inſcribatis: *Proventus eleemoſynarum pro Fratribus conventus N. elargitarum, quæ ipſorum extant elargitorum, quouſque ſecundum eorumdem voluntatem eas penes me conſervabo pro ipſorum Fratrum ſubventionibus conſumendas*. E regione vero ſic: *Inſumptus eleemoſynarum pro Fratrum conventus N. neceſſitatibus, ac uſu conſumptarum, ſecundum illorum voluntates, qui eas obtulerant*. Idem prorſus intendimus de tritico, aut quavis re alia huic ſimili Fratribus elargita, quam venundare oportet, pretiumque alia in Fratrum commoda convertere: nempe quod negotiemini hæc cuncta nomine, aut auctoritate illa condonantium, vel Sedis Apoſtolicæ. Liberum erit inſuper vobis, ſi id probaverint Fratres, nomine, atque auctoritate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dictas eleemoſynas penes vos continere, ſupradictaque negotia omnia auctoritate eadem, ſeu prædictorum eleemoſynas exhibentium tractare, atque perficere.

Secundo, ſi contingat rem aliquam vendi, quæ pro uſu Fratrum antea jam demigraverat, ceu belluam aliquam, aut quidquid ſimile aliud, ipſi venditote; pretiumque in licitas Fratrum utilitates, prout Prælatorum Ordinis noveritis eſſe voluntatem, convertitote, ſic ut memores ſitis vos in his negotiis Procuratores agere ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, viceque ipſius omnia hæc eſſe negotiaturos. Deinceps, ſi cogerentur Fratres forte ob veſtimentorum indigentias, aut ejuſcemodi, debitis irretiri, placeretque creditori vos ſui ipſius conſtituere Procuratores ad tale exigendum a nobis debitum, ne recuſetis deprecamur: tuncque vos creditoris procuratione fungentes, eleemoſynas illas ad exolvenda hæc debita, quæ in dies ſuppeditabuntur, deputatas ad creditorem ipſum pertinere dignoſcetis. Poſtremo cum ſæpius contingat, ſuppeditatas Fratribus eleemoſynas penes vos non extare, cogantur nihilominus interea ipſi nonnulla exolvere debita; cuperemus tunc omne per vos debitum ſolutum iri, ſub ſpe tamen, impenſas, quas effeceratis antea, ex illis redimendi, quæ gratia Dei ſuppeditabuntur, eleemoſynis, non intendentes vos obligare Fratres ad mutui redditionem obligatione reali; quandoquidem nequeunt Fratres hoc facere, nec intendunt, ſed ſpondere tantum pro virili ſibi enitendum, ut ex eleemoſynis undecumque congeſtis, contractum a ſe debitum ſit exacte ſolvendum. Id quod etiam dicimus, ſi quid vos ſponte pro Fratribus expendatis, careatis interea præſentaneis Fratrum eleemoſynarum præſidiis; eo ſiquidem in caſu, ceu amici Fratrum ſpirituales Fratribus ipſis inſervire dignemini. In quibus omnibus ſupra dictis modis, & caſibus, liberum erit vobis vice veſtra alios, quot, qualeſque volueritis, ſubſtituere ad hæc vice procuratoria explenda, caventes ſemper, ne Fratres quoſvis in his ſe perperam gerentes tutemini, aut diſſimuletis, quin illos ſtatim denuncietis Guardiano, aut Miniſtro, ſi Guardianus ipſe ad lucem pariter cæcutiret.

Quoad amicos ſpirituales, de quibus in Regula, & in hoc capitulo, eſt ſciendum, quod de ſententia Bartholomæi de Piſis, & Hugonis, antiquitus Mi-

Miniſtri, & Cuſtodes declinantes ad caſtra, ſeu loca, de præfatis neceſſariis, ſcilicet de infirmis, & induendis Fratribus, populum in prædicatione exhortabantur, & tunc Fideles aliqui ab aliis poſiti ad procuranda hujuſmodi neceſſaria, in his vice populi abſque Fratrum ſollicitudine providebant, & iſti vocabantur amici ſpirituales: ſic & in quibuſdam locis aliqui Fideles ad præfata deputabantur ab Epiſcopis, vel Dominis, aut Rectoribus terrarum, & amici ſpirituales cenſebantur.

Aliqui videntur dicere, quod ex quo Chriſtus, & Apoſtoli in ſua comitiva mulieres ducebant, quæ eis miniſtrabant facultatibus ſuis: unde Petrus Joannes ſupra 4. capitulum Regulæ dicit, quod illæ dominæ, tanquam ſuarum rerum dominæ, miniſtrabant eis quantum, & qualiter ipſæ ex ſua devotione libera volebant; *etiam qui modo loco earum ſuppeditant Fratribus neceſſaria, poſſunt dici amici ſpirituales.*

Capiſtranus ſuper capitulo dicit, quod ſi contingat, pecuniariam eleemoſynam procurari a Fratribus, juxta declarationes Apoſtolicas Procuratori œconomo loci integraliter conſignetur, & per eundem expendatur ſuis temporibus tam pro neceſſitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, quam pro aliis quibuſcumque neceſſitatibus occurrentibus, juxta declarationem Pontificum. Caveant tamen Fratres omnino, ne aliquam eleemoſynam pecuniariam, ſive pro ſe, ſive pro aliis Fratribus, vel ſecularibus perſonis de provincia; vel extra provinciam procurare præſumant, vel acceptare, ſub pœna proprietarii, ſine ſpeciali licentia Prælati ſui: ſimiliter caveant ne contrahant debita, niſi de eadem licentia, & cum modis licitis Fratribus, ſecundum declarationem Nicolai.

Quicumque Frater ſupra ſe portaverit, aut manu propria contrectaverit pecuniam, aut in pera, quam portat ſecum, aut ſupra jumentum portaverit, vel in cella, aut confeſſoriis retinuerit, pœna carceris per menſem puniatur.

Nullus etiam Prælatus, vel ſubditus ſub eadem pœna audeat clavem alicujus arculæ, ubi ſunt pecuniæ reconditæ, tenere apud ſe.

Et pro ſatisfactione eorum, qui volunt uti Apoſtolico Procuratore, & ſyndico, at ſunt noſtri Patres reſtricti, notandum eſt, ultra multa alia, quæ dicta ſunt, quod pauperibus, juxta mentem beati Bonaventuræ, quantumcumque extremam voverint paupertatem, licet recipere eleemoſynam, niſi velint ſe occidere: quod ſi nefas eſt dicere, non eſt contra eorum profeſſionem, ſi quis dives homo hanc eis adminiſtrat manu propria: quod ſi noluerit, poteſt eam illis adminiſtrare per manus ſervi ſui, vel per manum alterius per Fratres præſentati, expendendam pro relevandis eorum neceſſitatibus ſine offenſione Regulæ; cum pecunia ita ſit domini, cum committitur perſonæ intermediæ, ac ſi ipſe dominus eam manu propria conſervaret, niſi forte quis ſic deſipiat, ut dicat, quod pecunia in manu ſervientis poſita, tranſeat in ejus dominium, quod eſt abſurdum.

Et ſi dicatur, quod dominus ſimpliciter, & abſolute intendat dare Fratribus, dicunt expoſitores, quod nullus ſanæ mentis dare intendit Fratribus, niſi prout convenit Regulæ, & profeſſioni eorum: dat ergo eo modo, quo Fratribus expedit, ſcilicet committendo alicui, qui per ſe eam diſpenſet in his rebus, quas Fratribus licet accipere; & ſic pecunia illa per quaſcumque manus tranſeat, nullo modo ſpectat ad Fratres, quia ſemper eſt primi domini; & eſt per hoc manifeſtum, quod nec per ſe, nec per interpoſitam perſonam eam recipiunt. Unde Gregorius IX. qui compoſuit decretales, & fuit perfectionis æmulator, qui (ut ipſe teſtatur) in Regulæ conditione beato Franciſco

ſto aſtitit, & ejus plenum intellectum agnovit, requiſitus a Fratribus dicit, quod Fratres volentibus ſibi eleemoſynas facere poſſunt fidelem aliquem præſentare, qui non erit eorum nuncius, ſed illius potius, cujus mandato ſolutionem facit, & non recipientis eandem: *& ſubdit*, quod Fratres nec in communi, nec in ſpeciali habere debent proprietatem, ſed utenſilium, & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere, uſum ſimplicem facti habeant, & Fratres ſecundum quod Generalis Miniſter, vel Provincialis dixerint, his utantur.

Idem dicit Innocentius IV. Et talia extra ordinem alienare nullo modo Fratres poſſunt abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, niſi eſſent vilia, & parum valentia, quæ pietatis cauſa licet extra Ordinem dare, & elargiri, obtenta tamen ſuper hoc prius Superiorum ſuorum licentia.

Gregorius tamen X. Generali Miniſtro hujus Ordinis concedit facultatem res commutandi, & alienandi ſub iſtis verbis: Nos diſcretioni tuæ, quam credimus inſtituti regularis ſollicitam, & honeſtatis obſervantiæ ſtudioſam, tribuendi Fratribus dicti Ordinis licentiam alienandi, & commutandi bona mobilia, quibus ipſi utuntur, in res alias ſibi magis neceſſarias (cum eis videbitur opportunum) liberam, auctoritate præſentium, concedimus facultatem; ſecurius tamen erit, quod de conſenſu Prælatorum totum hoc fiat medio procuratorum localium.

Sed quia dicit ſanctus Bonaventura in 12. capitulo ſuæ Apologiæ: Evangelica paupertas pro eo, quod a terrenis ad cœleſtia ſpiritum ſublevat, tamquam ea, quæ in cœlis totaliter theſaurizat, perfecte ipſam profitenti ſuadet omnibus temporalibus debere nudari quantum ad affectum, atque dominium, & arcta neceſſitate ſuſtentationis eſſe contentum quantum ad uſum. *Et hic eſt ejuſmodi, quod ſic relinquat dominium, quod non ejiciat uſum, ſic recipiat uſum, quod non reſervet dominium, ſic arctitudinem uſus ſervet, quod ſuſtentationem naturæ neceſſariam non devitet, ſed neceſſitati ſubveniat, ut ab arctitudine non recedat. Et iterum*: Illa eſt manifeſta neceſſitas, quod ſi non provideretur, ſtatus debitus communitatis, vel alicujus officii, vel alterius particularis perſonæ ſine detrimento ſtare non poſſet.

Exceſſus autem ſuperfluus conſiſtit in numero, qualitate, & decore; duo autem ſuperfluunt, ſi unum ſufficit, multum, ſi parum, ſumptuoſum, ſi vile, ſpecioſum, ſi deſpicabile: quibus bene conſideratis a Prælato, poterit melius ipſe determinare, quæ ſit vera neceſſitas circa ſolutionem.

Et quia forte ex ſupra dictis poſſet oriri ſubditis aliquis ſcrupulus, credendo, Prælatos non recte dictas neceſſitates examinare, neque in his poſſe ſe intromittere, & non eſſe Prælatis obediendum.

Ideo ad ſecuritatem conſcientiarum eorundem eſt ſciendum, quod cum anno 1439. in provincia ſancti Angeli eſſent aliqui ſcrupuli, & altercationes circa arctum uſum paupertatis inter Fratres Obſervantes, frater Nicolaus de Auximo dictæ provinciæ Vicarius Provincialis, de mandato Domini Papæ, & Generalis Miniſtri, ſcilicet Guillelmi de Caſali fecit aliquos articulos pertinentes ad illam materiam, qui fuerunt examinati per dictum Generalem Miniſtrum, & ſanctum Bernardinum de Senis Vicarium Generalem ſuper Fratres de Obſervantia, & fratrem Joannem de Capiſtrano, & nonnullos alios maturos noſtri Ordinis Patres, & fuit mandatum, ut ſub certis pœnis ſervarentur.

In quorum tertio articulo ſequentia ponuntur, videlicet, quia moderatus uſus (uſus moderatus non debet dici ſuperfluus, curioſus, vel vitioſus)

debet attendi ſecundum qualitatem perſonarum, varietatem temporum, & locorum conditiones, ac alias occurrentes neceſſitates; ideo ſuperfluitates, & curioſitates non poſſunt faciliter diſcerni. Quapropter per ſubditos non poſſunt, nec debent judicari, ſed per Miniſtros, & Guardianos, vel per eos, quibus ab ipſis committitur, qui de talibus ſecundum eorum conſcientiam ſtricte judicare debent.

In quarto articulo continetur, quod ſi in aliquibus locis etiam ſit manifeſta ſuperfluitas, vel curioſitas, ex eis non vitiantur, niſi forte introducentes, vel conſentientes, ſi ad eorum officium ſpectat, & poſſunt reſiſtere, vel quicumque aliis poſſunt legitime obviare non reſiſtentes; & non illi, qui dictis utuntur ob aliquam neceſſitatem, vel cauſas, vel ſcandalum vitandum.

In quinto vero articulo dicitur, quod uſus carnium moderatus, & diſcretus non prohibetur Fratribus.

In ſeptimo articulo rurſus dicitur, quod in omnibus dubiis, de quibus non poſſunt Fratres ſubditi indubitanter lucidari, tenentur ſtare judicio Prælatorum, & obedire, & contrarium agentes ſunt tranſgreſſores voti obedientiæ, & digni a ſuis Prælatis cenſura Eccleſiaſtica, vel alia condecenti pœna caſtigari. Ex quibus patet, quod, cum determinatio prædictorum Prælatis incumbat, non eſt ſecurum, ima periculoſum eſt ſubditis in talibus ſe intromittere præſumptuoſe judicando.

Poſſunt tamen humiliter ſuis Prælatis notificare judicium ſuum, dum tamen tandem in talibus ordinationi, & judicio eorum ſe ſubmittant. Hæc tamen ſunt vera, niſi certiſſime eis conſtaret, Prælatos male ſe habere in dictis pecuniis, & Regulam non ſervare; nam tunc non eſſet in his eis obediendum.

Oblationes etiam pecuniarias in Miſſi novellis, aut ſimilibus Fratres nullo modo recipiant, aut recipi permittant: qui autem contra fecerint, tribus diebus infra quindecim dies in pane, & aqua jejunent.

CAPUT V.

De laboritio honeſto Fratribus neceſſario, de pretio laboris, & in cujus manu poni debet; de ſacramentali confeſſione, ſacra communione, culpis, diſciplinis, oratione mentali, ſtudiis; & quomodo abſtinere debent Fratres a ſecularibus negotiis, ac prohibitis artibus.

PRo quo nota, quod beatus Paulus 2. ad Teſſal. 3. hunc laborem non ſolum commendat, ſed & præcipit, dicens: Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet; *ubi beatus Thomas dicit, quod eſt præceptum. Sed aliquid ſecundum eum præcipitur dupliciter, ſcilicet ſimpliciter, & ſub conditione; ſimpliciter præcipitur, quod per ſe eſt neceſſarium ad ſalutem, ut ſunt opera virtutum; ſub conditione vero, ut quando talis eſt caſus, ſine quo præceptum ſervari non poteſt: præcipitur enim homini, quod corpus ſuum ſuſtentet, aliter eſſet homicida ſui ipſius: ex præcepto tenetur corpus ſuum nutrire: unde quicumque non habet alias, unde corpus ſuum ſuſtentet, illicite ne furetur, licito negotio tenetur laborare, ad Epheſios 4.* Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret, operando manibus ſuis.

Quare ordinamus, quod tam clerici, quam laici compellantur per ſuos Superiores in laboribus ſibi competentibus exerceri, & ſi qui inventi fuerint no-

notabiliter vitiosi, vel otiosi, per Ministrum, & Guardianum voce activa, & passiva priventur.

Merces vero laboris, juxta determinationem Martini, si pecuniaria fuerit, per solventes statim consignetur Procuratori conventus, sive loci; si vero pecuniaria non fuerit, sub pœna inobedientiæ consiguetur integra per laborantes Prælatis ejusdem loci, de qua possit omnibus Fratribus ibidem commorantibus communiter (prout necessitas exegerit) provideri.

Dicit enim Nicolaus III. in sua decretali Exiit: quod vacantes studio, orationi, divinis officiis, & ministeriis exequendis, manuali labore, seu exercitio non arctentur.

Fratres, qui non sunt sacerdotes, de quindena in quindenam per totum annum (dempta Quadragesima, & Adventu, in quibus singulis Dominicis debent communicari) recipiant cum devotione sanctissimum Eucharistiæ sacramentum; sacerdotes vero non dimittant singulis diebus facere sacrum, & celebrare, nisi legitimo subsistente impedimento.

Fratres etiam in singulis diebus solitis secundum consuetudinem provinciæ coguoscant culpam suam, & faciant disciplinam in communitate, bisque ad minus in hebdomada confiteantur peccata sua.

Ordinatur, quod omnes Fratres congruis locis, maxime in Ecclesia, quando commode fieri potest, in sanctæ devotionis, & mentalis orationis studio, ad minus omni die per horam, juxta consuetudinem provinciarum exerceantur, & super hoc Superiores invigilent diligenter, & inviolabiliter animadvertant in delinquentes.

In omnibus etiam conventibus statim post Ave Maria *Fratres omnes ad Ecclesiam vadant, & ante sanctissimum Sacramentum dicant brachiis extensis sex* Pater noster, *& totidem* Ave Maria, *&* Gloria Patri, *ultimum pro eodem sanctissimo Domino nostro Papa pro lucranda indulgentia plenaria.*

Nullus etiam Frater sui laboris pretium, sive pecuniarium, vel non pecuniarium existat, per se recipere præsumat, & qui contrarium fecerit, deprehensus pœna probationis caputii per mensem plectatur, & si fuerit in hoc consuetudinarius, vel proprietarius, carceri mancipetur.

Nullus etiam Frater sportulas, pileos, vel galeros, aut coronas, vel quidquam aliud de bombice, tornatile, aut de alia materia venale facere præsumat sine licentia sui Ministri, sub pœna pro prima vice unius disciplinæ per totum Miserere *in communitate, pro secunda probationis caputii per mensem, pro tertia carceris per 15. dies: licentiam Minister non concedat eis, nisi pro communi utilitate conventus, & non pro commoditatibus particularibus laborantium. Possunt tamen Ministri, & Guardiani (si eis expedire videbitur) de pretio laboris alicui necessitati Fratrum laborantium satisfacere, quam eis conventus teneretur providere.*

Præcipitur etiam Patribus, & Fratribus omnibus tam Guardianis, quam subditis sub pœna privationis activæ, & passivæ vocis per biennium, aut alia per Ministrum injungenda, ne sine scitu dicti Patris Ministri, & licentia in scriptis incidant aliquam arborem viridarii, aut conventus, seu nemoris, sive sit fructifera, sive ad ornatum; cum aliqui sint Guardiani, qui dummodo tempore sui officii satisfaciant Fratribus, & debitis, non curant totum conventum alienare, aut viridarium in uno anno privare ornamento, & fructibus, quod per 50. annos fuerat arboribus refertum: nec Ministri passim concedant licentiam, sed tantum pro extrema, evidentique necessitate, & non in genere, sed ad determinatam causam, quam etiam non exequatur sine præsentia, & consensu Discretorum.

Præterea cum ex Regula ad labores honeſtos, & Ordini utiles Fratres excitentur, de quorum numero ſacræ Scripturæ, & bonarum artium ſtudium præcipue arbitramur; omnes Fratres, tam Prælatos, quam ſubditos in Chriſti viſceribus exhortamur, ut quotquot idoneos & ad ſtudia promovendos viderint, juxta eorum capacitatem, eiſdem omne auxilium, omnemque favorem, & conſilium impendant in quibuslibet opportunis, & neceſſariis; cum ſcientia ſit donum Dei, armatura ad defendendam Eccleſiam, & ſanctam Fidem Catholicam, corona Ordinis, lumen veritatis, & via in tenebris ambulantium populorum. Miniſtri diligenter, & ſollicite inviglent circa reformationem ſtudiorum in ſuis provinciis, adeo ut cuilibet ſtudenti pro poſſe provideatur de neceſſariis, tum pro libris, quam pro aliis neceſſitatibus ex eleemoſynis per Procuratorem receptis.

Præcipimus inſuper, quod in qualibet provincia, ubi bono modo fieri poteſt, habeantur ſtudia Grammaticæ, Logicæ, Philoſophiæ, & Theologiæ, ad quæ juvenes idonei promoveantur.

Fratres vero cujuſcumque conditionis exiſtant, modo ſint judicati a Capitulo provinciali idonei ad Grammaticam legendam, teneantur per obedientiam, & ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ, per triennium hujuſmodi ſtudium, & negotium Grammaticæ legendæ acceptare, & ſecundum gratiam ſibi cœlitus datam executioni demandare.

Ordinamus etiam, quod ſtudentes extra ſuas provincias commorantes confeſſiones non audiant mulierum; niſi talis cuſus contingeret, quod aliqua vellet confiteri, cujus linguam nullus alius intelligeret de conventu, & ſi Miniſter aliquos invenerit notabiliter inſolentes, vel in ſtudio negligentes, ad ſuas de conſilio Diſcretorum remittat provinciat.

Abſtineant inſuper Fratres pro poſſe a negotiis, & implicationibus ſecularibus, & non ſint judices, vel arbitri, vel arbitratores quorumcumque, nec de aliis officiis noſtram Ordinem dedecentibus ſe aliqualiter intromittant, & quicumque contra fecerit (niſi de illis ſuus Miniſter mandaverit) omnibus actibus legitimis privetur.

Nullus etiam Frater procuret per ſe, vel per alium quovis modo committi ſibi, vel ulicui Frutri occapationes aliquas, ſeu negotia procuranda, per Reges, Principes, & Prælatos, ſea communitates: ſi quis autem contrarium fecerit, procurundo ſibi committi negotia, vel ſuam cum perſonis extra Ordinem manſionem, omnibus officiis Ordinis habeatur indignus.

Fratres euntes etium per obedientium, non accedant ad Curiam Romanum, neqac ad Curias aliorum Principum, niſi hoc eis ſpecialiter in ſcriptis ſuis concedatur; & primo conventibus, ubi Curiæ fuerint, ſe præſentare, ac ad Commiſſarios in eiſdem Curiis per Religionem deputatos recurrere omnina teneantnr.

Nullus audeat puerorum ſcholas regere, ſeu ſecularium perſonarum in conventa noſtro, ſive extru, ſub actuum legitimorum privationis pœna.

Diſtricte etiam præcipimus, quod nullus Frater operationes Alchimiæ, aut alius qaaſtumque operationes doctrinarum, vel artium ſuſpectarum (quæ in publico non docentur, aut ab Eccleſia reprobatæ ſunt) addiſcere, exercere, vel docere, aut libros, vel ſcripturas continentes talia ſcienter retinere præſumat: qai contrariam fecerit, ipſo facto ſententium excommunicationis incurrat, & ſi legitime fuerit deprehenſus, carceri mancipetur, & ſi de his violenta ſuſpicione fuerit ſuſpectus, in domo diſciplinæ arctetur ad veritatem dicendam.

Interdicitur etiam Fratribus univerſis, ne quis extra Ordinem audeat

velut

Anno Christi	Julii III.	Caroli V. Imp.	Religionis Minorum anno 346.
1553.	anno 4.	anno 35.	

velut medicus pulſum tangere, urinas videre, ſyrupos, & pharmaca ordinare, aut actum aliquem medicinalem exercere, ſeu phlebotomiam facere: & Miniſtri ſuper hoc per obedientiam invigilent, puniantque delinquentes.

CAPUT VI.

Quod nihil ſibi approprient Fratres; de proprietariis, ac eorum pœnis; & quomodo in omnibus ſervari debet communitas; quod non recipiantur depoſita, nec pignori dentur res conventus, nec recipiantur de novo, nec relinquantur conventus ſine Generalis Miniſtri licentia; de legatis perpetuis, & cura infirmorum.

FRatres nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem &c. *ſed tanquam mundo veri pauperes, Chriſto autem divites ſciant ſe ad omnium rerum abdicationem, tam in communi, quam in particulari eſſe obligatos: de qua abdicatione Nicolaus inquit*: Ne Fratrum perfectionis claritas imperitis æmulorum ſermonibus laceretur, dicimus, quod abdicatio proprietatis hujuſmodi omnium rerum, tam in ſpeciali, quam in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmavit.

Nec quiſquam ex his inſurgat erronee, quod taliter propter Deum proprietatem omnium rerum abdicantes, tanquam homicidæ ſui, vel tentatores Dei, vitæ diſcrimini ſe committant; quia ſic ſe ipſos committunt divinæ providentiæ in vivendo, ut viam non contemnant proviſionis humanæ; cum vel de his, quæ mendicantur humiliter, vel offeruntur, vel de his, quæ acquiruntur per laboritium, ſuſtententur: qui triplex vivendi modus in Regula providetur expreſſe. Profecto, ſi juxta Salvatoris promiſſum nunquam deficiet fides Eccleſiæ, per conſequens nec opera miſericordiæ ſubtrahentur: ex quo Chriſti pauperibus omnis ratio diffidentiæ cujuslibet videtur eſſe ſublata.

Et quidem, ubi (quod non eſt aliquatenus præſumendum) hæc cuncta deficerent, ſicut nec ceteris, ſic nec ipſis Fratribus jure poli in extremæ neceſſitatis articulo ad providendum neceſſitati naturæ via omnibus extrema neceſſitate detentis conceſſa præcluditur; cum ab omni lege extrema neceſſitas ſit excepta; cum nulla poſſit eſſe profeſſio, quæ a ſe uſum ſimplicem facti, & non juris, neceſſariæ ſuſtentationis excludat.

Et quia Fratres nec domum, nec locum ſibi appropriare debent, contra hujuſmodi locorum appropriatores ſtrictiſſime præcipimus, quod Miniſtri cum viſitant, de hujuſmodi in ſuis viſitationibus diligenter inquirant, & ſi quos invenerint tales, de ſuis locis expellere teneantur. Dicimus autem locorum appropriatores, quibus dantur obedientiæ recedendi, & ipſi procurant eas per preces ſecularium revocari, ſeu qui alios a ſuis locis nativis, quos extraneos reputant, ſubditos, ſeu Prælatos habere, vel etiam pacifice ſuſtinere nolunt.

Miniſtri etiam Provinciales pro virili laborent, ut habitus, tunicæ, mantelli, femoralia, faſciolæ, & ſimilia cuſtodiantur in communitate ad ſufficientiam pro neceſſitatibus Fratrum, & pro tota communitate.

Si quis Fratrum inventus fuerit proprietarius, omni actu legitimo ſit privatus; laici vero, & clerici, qui carent officiis, probationis caputio puniantur; & ſi quis talis in morte inventus fuerit, eccleſiaſtica carcat ſepultura.

Et

Et quia non modo omnem appropriationem, verum & ejus ſpeciem a noſtro inſtituto omnino extirpare debemus; ideo præcipimus, quod Fratres, quandocumque pro aliquo negotio extra terram, ubi manent, exire contigerit, ſemper dimittant claves cellæ, & arculæ, ſive ſtabelli Guardiano, aut de ejus licentia alicui alteri Fratri; & qui contrarium fecerit, ad Miniſtri arbitrium puniatur.

Si qui Fratrum in aliena provincia medio ordinato, & per ſpirituales amicos, aut ſub honeſto labore acquiſierint libros; provinciæ, & loco nativo, vel ubi profeſſi ſunt, ſecundum conſuetudinem provinciorum, eos acquirunt: ſi tamen aliquem Fratrem propriam provinciam dimittere contigerit, & in alia incorporari, ac in ea mori; tunc libri erunt illius provinciæ, in qua moritur, diſtribuendi juxta neceſſitatem Fratrum, aut locorum od arbitrium Miniſtri: ſi vero moriatur in provincia, ubi erat forenſis, & non incorporatus, revertantur ad propriam provinciam, & ad locum ſuum.

Quilibet autem Frater teneatur quamprimum, poſtquam fuit Guardiani præſentiam habuerit, eidem totam eleemoſynam, quæ pro ipſo quocumque modo expendenda, vel pro aliis diſtribuenda habetur, integraliter revelare: & hoc idem Guardianus Miniſtro facere teneatur: & qui ſecus fecerit, pœna proprietarii puniatur.

Nullus etiam Guardianus loci, Vicarius, aut alius quomodocumque præſidens, etiam per Procuratorem audeat vendere ligna, fœnum, vel quæ naſcuntur in hortis, & hujuſmodi; neque paſcua, domos, aut hortos ipſos quovis modo locare ſub pœnis per Miniſtrum taxandis.

Pœna etiam proprietarii puniatur, quicumque libros, ſeu alias res quaſcumque ſuo uſui deputatas apud perſonam aliquam extra conventum, ſeu locum Fratrum depoſuerit abſque Miniſtri ſui licentia, vel Guardiani, & ſcitu aliquorum Patrum præſentis loci.

Simili quoque pœna puniatur, qui pro ſe, vel pro alio in contrahendis debitis inventus fuerit vitioſus; & ſimiliter, qui libros, vel res alias ſuo uſui deputatas pro ſe, vel pro alio pignori ſuppoſuerit ſine ſui Miniſtri licentia.

Guardiani inſuper res conventuum, vel locorum ſine magna neceſſitate, vel evidenti utilitate impignorare non audeant; & ſi id fecerint, ſit de aſſenſu majoris partis conventus.

Caveant autem Guardiani, ne aliquem locum in debita oneroſa inducant, vel induci permittant abſque Miniſtri conſilio, & aſſenſu; & de his debitis in quolibet provinciali Capitulo perquiratur, & in delinquentes animadvertatur.

Item nullus Prælatus, vel ſubditus aliquam litteram, vel inſtrumentum confici permittat, in quibus profiteatur, ſe pecuniam recepiſſe; cum hoc ſonet proprietatem: ſufficit enim dicere (ut conſuluimus Procuratori, & dictum eſt in quarto capite) tantam quantitatem pecuniæ datam, vel legatam pro ſua neceſſitate, vel utilitate, ab aliqua perſona eſſe acceptam, & ſibi plenarie ſatisfactum.

Inhibemus diſtricte ſub pœna privationis actuum legitimorum, quod nihil permittatur deponi in locis Fratrum in auro, vel argento, gemmis, ſeu alia quacumque pretioſa materia, niſi aliquis neceſſitatis articulus emergat, quem Fratres ſine ſcandalo vitare non poſſunt; & nunquam fiat ſine conſilio Diſcretorum, & licentia Guardiani, ita quod videatur ab ipſis, quid ſit, ſi fieri permiſerit, qui deponit, & cui, & qualiter reddi debeat, & hoc ſub ſcriptura authentica, vel deponentis ſigillo, ſi habet, & ſemper cum proteſtatione a deponentibus facta, quod Fratres de cuſtodia nullatenus tenebuntur:

talia

talia tamen depoſita ſemper in communi loco a Guardiano aſſignato ſerventur, & eo modo, quo accepta fuerint, reddantur cum idonea cautione.

Guardiani etiam ſingulis menſibus teneantur ſub pœnis per Miniſtrum taxandis reddere computum eiarum, & diſtinctam de eleemoſynis elargitis, & de modo, & via, quibus ſunt largitæ, & de expenſis, & de modo, quo ſunt expenſæ, coram tota ſua communitate, & Miniſtris in ſuis viſitationibus: ſi quos Guardianos vero dictus Miniſter invenerit notabiliter defectuoſos, ſuis privet officiis.

Eccleſias, & alia ædificia, quæ conſiderato Fratrum inhabitantium numero exceſſiva merito debeant judicari, fieri de cetero firmiter prohibemus.

Nullus etiam conventus de novo accipiatur, aut de novo relinquatur ſine licentia Generalis Miniſtri, ſub pœnis ſibi arbitrariis, & nullitate talis receptionis, aut alienationis; nec aliquod notabile ædificium de novo conſtruatur, aut deſtruatur in conventibus noſtris ſine diſpenſatione Miniſtri; & qui contrarium fecerit, per ipſummet Provincialem Miniſtrum de illo loco irrevocabiliter expellatur.

Inhibemus etiam per obedientiam, quod nullus Frater per ſe, vel per alium indaeat aliquam perſonam ad faciendam, vel ordinandam aliquam eleemoſynam perpetuom, vel ad vitam ſibi, vel alteri Fratri, vel etiam Ordini, aut conventui exhibendam; & ſi aliqua talis fuerit ordinata, nullo modo a Fratribus, vel ab aliquo nomine ipſorum in judicio exigatur, aut exigi procurent: ſi quis autem contrarium attentaverit ſcienter inducendo, vel in judicio exigendo, vel exigi faciendo modo prædicto; ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrat.

Fratres non recipiant legata perpetua præſata, aut exigant, niſi eo modo, quo convenit ſtatui noſtro, & obſervationi; eum nec legantes, & ordinantes talia legata intendant relinquere, & dare Fratribus, niſi eo modo, quo convenit profeſſioni noſtræ, & ſalati ea recipere; eum ponatur in teſtamentis particula illa, videlicet, quod valeat omni meliori modo, quo poteſt, quæ facit actum valere eo modo, quo de jure fieri poteſt; & ſic illa deberentur monaſterio, quoniam deberent converti ad pios uſus, & pro cultu Divino monaſterii. Magis ergo hoc dicendum erit, quando expreſſe apparet, legata fuiſſe ordinata pro anima, & amore Dei, ut ſingulis diebus celebraretur Miſſa, vel ſimile.

Caveant Fratres pro poſſe ab omni ſcandalo clericorum, & irreverentia Prælatorum; & in generalibus interdictis, ſecundum formam ſtatuti Domini Clementis Papæ V. matricibus Eccleſiis ſe conforment.

Cum etiam ex Regula Miniſtri, & Cuſtodes circa infirmos ſollicitam curam gerere teneantur, juxta Nicolai expoſitionem, declaramus prædictos Miniſtros, & Cuſtodes per alios infirmorum ſervitio deputatos hoc Regulæ adimplere præceptum.

Prædicti autem Infirmarii, ſeu Fratres infirmorum ſervitiis deputati, ſtudeant cum diligentia, & ſedulitate eis ſervire: Miniſtri vero, & Guardiani, eorumque Vicarii eos viſitare perſonaliter, eiſque ſerviri facere, & de cunctis neceſſariis providere, vel provideri facere teneantur; & hoc de communibus eleemoſynis, niſi pro neceſſitate Fratris infirmi indiſtincte fuerit aliqua eleemoſyna deputata.

Et ut hoc melius obſervetur, volumus, & mandamus Miniſtris, & Guardianis, ut in ſuis conventibus, & locis, in quibus erunt, ſi qui fuerint infirmi, perſonaliter viſitent, & inquirant ſollicite, qualiter conſuetudinarie providetur, & ſervitur infirmis; & ſi aliquos defectus compererint,

Fra-

Fratres, qui fuerint in his culpabiles, ſecundum defectus, & culparum exigentiam puniant, & defectus, prout poterunt, faciant emendari.

Miniſtri in quolibet loco ſuæ provinciæ deputent unum Fratrem, qui in eorum abſentia infirmos Fratres frequenter viſitet, & Guardianum, & Procuratorem, & Infirmarium, prout viderit expedire, ſollicitet, ita quod (ut præmiſſum eſt) bene provideatur, & ſerviatur infirmis.

Porro Miniſtri, ſi quos Guardianos, vel eorum Vicarios legitime deprehenderint in præmiſſis notobiliter deliquiſſe, ipſos, ſicut crudeles, vel nimium negligentes in Provinciali Capitulo a ſuis officiis debeant amovere.

Infirmarios vero, & alios ſervitores, quos in hujuſmodi officio reperierint deliquiſſe, ſecundum qualitatem delicti debitæ ſubjiciant diſciplinæ.

Viſitatores etiam in provinciis, quas viſitant, de hoc articulo ſingulariter inquirant, & ſi aliquas provincias in hoc vitioſas invenerint, fideliter veritatem ſignificent Capitulo Generali.

CAPUT VII.

De caſibus reſervatis, & habentibus auctoritatem ab eiſdem abſolvendi, de ſtatutis ſuper eiſdem caſibus ſigillatim terminatis, & pœnis annexis, de forma procedendi contra exceſſus, & incorrigibiles, & illos, qui aſſerunt, quod Prælati non valent ſibi reſervare caſus.

Bonifacius Papa VIII. Ad augumentum continuum Religionum, & Ordinum, quos Romana ſuſcepit, & approbavit Eccleſia, paternis ſtudiis intendentes, & conſiderantes attentius, quod non intermiſſa ſedulitas diſciplinæ, & rigoris Ordines ſupra dictos, ſtatuſque regulares ſalubriter dirigit, & conſervat, quodque ſi eam perire, vel remitti contigerit, Ordo quilibet collabi neceſſario cogeretur: penſantes, quod ſi regularium perſonarum correctio rimas juris, & apices ſequeretur, hujuſmodi rigor lenteſceret, ac multiplici laxatione torperet; Nos veſtris piis ſupplicationibus inclinati, vobis auctoritate Apoſtolica indulgemus, ut ad correctiones, & punitiones Fratrum ejuſdem Ordinis delinquentium infligendas Prælati Ordinis ſupra dicti, ad quos ea ſpectare noſcuntur, rimulis juris, & apicibus ejus poſtpoſitis, libere procedere valeant, ſecundum conſuetudines approbatas, & generalia facta, & facienda Ordinis inſtituta; nec volumus eiſdem licere Fratribus ab eiſdem correctionibus, & punitionibus aliquatenus appellare, prævia deliberatione, & maturitate debita obſervatis. *Hæc tamen conceſſio Bonifacii intelligitur (ut inferius in decimo capite patebit) ubi propter hoc juſtitia non periclitatur, ut dicit Papa in cap.* Ad hæc. De dolo, & contumacia.

Ordinamus igitur, quod nullus Frater Provincialis Miniſtro inferior, niſi ex ſpeciali Generalis, vel Provincialis Miniſtri licentia, poſſit aliquem abſolvere a peccato inobedientiæ contumacis (dicimus autem inobedientiam contumacem, quando quis trina monitione præmiſſa, factis congruis intervallis, per diem naturalem inobediens perſeverat) proprietariæ rerum detentionis, lapſus carnis, furti rei notabilis, ſeu frequenter iterati, injectionis manuum violentæ, falſi teſtimonii in judicio facti, compoſitionis, vel projectionis, aut publicationis libelli famoſi, falſificationis ſigilli cujuſcumque perſonæ notabilis, & falſæ criminationis in infamiam cujuſcumque. Et ſi aliquis Miniſter Provincialis committat alicui ſubditorum ſuorum auctoritatem ſuam ſuper illis caſibus, qui Miniſtris ipſis reſervantur, ſi contingat Miniſtrum

ſtrum mori, vel ab officio amoveri, talis commiſſio penes illum, cui fuerat facta, dumtaxat remaneat, donec Miniſter in provincia habeatur, niſi Miniſter de novo creatus confirmet ſibi talem facultatem.

Quicumque autem confeſſor ex certa ſcientia præſumpſerit a prædictis abſolvere, ſuſpenſus ſit ipſo facto a confeſſionibus audiendis, nec reſtitui poſſit, niſi per Miniſtrum Provincialem, & quicumque in hoc vitioſus legitime fuerit deprehenſus, pœna carceris puniatur.

Si quis autem auſus fuerit affirmare, quod quilibet ſacerdos poſſit abſolvere a peccato, ſuper quo non habet commiſſam facultatem, & maxime de prædictis, & correctus noluerit revocare, tanquam errans, & ſubverſor, carceri mancipetur.

Ordinamus igitur, quod ſi qui Fratres, divina permittente juſtitia, & hoſtis antiqui procurante malitia (quod abſit) præmemoratis criminibus fuerint irretiti, pro abſolutionis beneficio ad Miniſtros, vel eorum Commiſſarios, ut poteſtatem tenebrarum effugiant, ſine mora accedant, quanda maxime peccatum fuerit notorium: ſi vero fuerit occultum, confeſſor ſuus ordinarius poſſit ſibi beneficium abſolutionis impendere, hac tamen lege, ut quamcitius poterit præſentiam habere ſui Miniſtri, illi pro manifeſtando tali crimine ſe præſentet.

Miniſtri vero, & eorum Commiſſarii diligenter attendant, quod miſericordiæ oleum infundentes vinum juſtitiæ infundere non prætermittant, ut ſcilicet, de pœnitentia debita pœnitentibus non modicam gratiam facientes, non abſolvant quempiam, niſi priùs ab eo damnificatis in perſona, fama, vel rebus aliis ſatisfaciat.

Talis autem abſolutio in foro quidem obtenta ſecreto, non debet correptionem judicialis fori (ſi crimen probatum fuerit) impedire.

Si tamen Frater pœnitens, inſtigante ſe ſpiritu, antequam ſit delatus, ſive accuſatus de crimine, faciem Miniſtri coram teſtibus in confeſſione prævenerit, indulgemus, & concedimus, quod Miniſtri de plenitudine poteſtatis, & gratiæ, a pœnis debitis, de conſilio præmemoratorum teſtium Fratrem pœnitentem quoad extrinſecum forum quietare valeant, alia quacumque minus confuſibili ſibi impoſita pœnitentia ſalutari. Hoc autem intelligimus de primo recurſu, & ſemper cum proteſtatione, quod ſi relabatur in eadem crimina, de quibus fuerat quietatus, ad ſtatum priſtinum reducetur, ſi de lapſu ſufficiens probatio habeatur.

Nullus Confeſſor poſſit abſolvere de talibus impudicis enormibus, niſi qui de lapſu carnis licentiam habeat abſolvendi, & qui in talibus conſuetudinarie fuerint deprehenſi, & moniti ſe non correxerint, ſicut de lapſu carnis, carceris pœna puniantur. Idem etiam judicium habeatur de ſollicitantibus ex certa ſcientia ad peccatum carnis; & Guardiani, ſive Cuſtodes non poſſint abſolvere a prædictis, etiam in privato commiſſis, ſi per Miniſtrum ſpecialiter non committatur eiſdem.

Inhibemus etiam Fratribus univerſis conformiter ad conſtitutiones Papales, ne aliis, quam Prælatis ſuis, vel aliis ſacerdotibus ejuſdem Ordinis (niſi in neceſſitatis articulo) confiteri præſumant.

Singuli etiam Fratres noſtri de conſcientia, & voluntate ſui Guardiani determinatos habeant Confeſſores, quibus bis ad minus in qualibet hebdomada confiteantur.

Si aliquis Frater convictus fuerit de crimine, aut confeſſus, pro quo in judicio ſeculari eſſet morte plectendus, vel de crimine relapſus in hæreſim, vel de homicidio voluntario, & aliis ſimilibus, perpetuis carceribus mancipetur.

Nullus autem carceretur, niſi pro manifeſto, & enormi exceſſu, & qui aliter aliquem incarceraverit, ipſo facto omnibus actibus legitimis ſit privatus.

Enormem dicimus exceſſum, vel ratione generis peccati, ut inobedientia contumax, lapſus carnis, & perfidia hæreſis; vel ratione circumſtantiæ, ſicut eſt furtum rei notabilis, vel notorie factum, ſeu quia frequenter iteratum, & de aliis caſibus reſervatis idem judicium habeatur.

Declaramus, quod omnes, qui pœna carceris puniuntur, eo ipſo actibus legitimis ſint privati; unde quamvis liberentur a carcere, non propter hoc reſtituuntur ad actus prædictos. Suſpenſi autem, ſive privati, nullo modo poſſint relevari, niſi in Capitulo Provinciali.

Declaramus inſuper, quod in privatione officiorum Ordinis intelligitur privatio non ſolum prælationis, ſed etiam confeſſionis, prædicationis, lectionis, definitionis, viſitationis, & electionis in diſcretum ad Capitulum mittendum, non tamen vocis activæ in electione ejuſdem. In privatione autem actuum legitimorum nolumus, quod intelligatur privari quis exequutione Ordinis, ſive voce activa, aut lectione, ſive prædicatione, vel teſtificatione in judicio, niſi ſpecialiter exprimatur, bene tamen intelligitur privari confeſſione, ſaltem ſeculari.

Quicumque Frater incarceratum a carcere liberaverit, vel conſentiens fuerit, ut recedat ſine licentia Miniſtri, & Frater incarceratus manus Ordinis evaſerit, tam liberans, quam Guardianus, vel cuſtos Fratri incarcerata aſſignatus, ſi de præfatis convicti fuerint, carceri mancipentur.

Si quiſpiam fecerit aliquid, propter quod pœnam carceris mereatur ſuſtinere, declaramus, quod Guardianus, vel ejus Vicarius de conſilio Diſcretorum poſſit eum detinere in domo diſciplinæ, ne fugam arripiat, ſive ſit de eorum ſubditis, ſive non, donec per Miniſtrum, quid ſit agendum de tali, definitum fuerit. Hoc autem intelligimus, quando rei evidentia exceſſus commiſſus fuerit manifeſtus.

Carceres habeantur in ſingulis provinciis fortes, multiplices, & humani, & ut legi caritatis, & pietatis ſatisfiat, præcipitur, quod carceres non ſint omnino ſine luce, ut carcerati in ipſis divini officii ſolutioni, & lectioni pro ſpirituali conſolatione aliquando intendere poſſint. Incarceratis quoque confeſſionem ſacramentalem petentibus præſidentes negare non poſſint; perpetuo nihilominus carceri damnati pro die ſacro Paſchæ radantur, & ad ſacram communionem in infirmaria, vel in alio loco honeſto, & ſecreto ipſo die admittantur.

Declaramus etiam, quod quando in ſtatutis ſit mentio de arctatione alicujus Fratris, arctatio hujuſmodi ſic intelligatur, quod per triduum in qualibet hebdomada Frater talis diſciplinetur cum Pſalmo Miſerere mei Deus *ſemel recitata, & comedat panem dumtaxat, & aquam bibat; pœna autem hæc durabit per tempus, quod Miniſter, ſeu Guardianus cum conſenſu Diſcretorum conventus, ubi arctandus eſt, judicabunt, ita tamen, quod tempus hujus taxationis arctato ipſi non reveletur.*

Volumus autem, & præſenti ſtatuto decernimus, ut carcerati ſemel in qualibet hebdomada, ſexta videlicet feria, faciant in communitate Fratrum ſine caputio per totum Miſerere mei Deus *diſciplinam manu propria, & eodem die etiam in pane, & aqua jejunent: omnes autem carcerati habitu Ordinis expolientur, non ſic in domo diſciplinæ poſiti.*

Declaramus item, quod quando in ſtatutis quibuſcumque pœna carceris, excommunicationis, ſuſpenſionis, & privationis exprimitur, nolumus Fra-

Fratres ligari ad illas, niſi ſcienter, & ex deliberatione contrarium facientes: & ubicumque taxatur pœna incurrenda ipſo facto, decernimus, quod in talem pœnam non incurritur, niſi poſt declarationem factam a Prælato: Prælatus autem non declaret delinquentem commiſiſſe factum, pro quo pœna ipſo facto erat impoſita, niſi per rei evidentiam, vel alias legitime de crimine conſtiterit: poſt declarationem tamen hujuſmodi ipſo facto reus in pœnam venit impoſitam ſine nova impoſitione.

Declaramus itidem, quod ubicumque in conſtitutionibus iſtis, vel aliis quibuſcumque cenſura excommunicationis, ſuſpenſionis, & ſimilium continetur, ubi eſt comminatio de futuro, vel latæ ſententiæ, eſt facienda declaratio, ut in ſupra dicto proximo ſtatuto. Et ſi ibi non exprimitur, a quo imponi, vel infligi debeat, intelligitur ab eo debere infligi, ſeu declarari, coram quo legitime talis probatur exceſſus, dummodo ad eundem pertineat talis exceſſus correctio.

Si quis autem de innominabili crimine, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, fuerit (quod abſit) notatus, & convictus, carceri perpetuo mancipetur, ubi ſaltem qualibet hebdomada, igne circa eum accenſo, corpore denudato, pane, & aqua jejunans, diſciplinatus in amaritudine, & dolore deficat vitam ſuam: poterit tamen eum Generalis Miniſter, poſt aliquot annos a præfato carcere liberare, ſi tanta in eo viderit indicia contritionis, propter quæ dignum eum tali diſpenſatione fore judicaverit.

Quicumque Fratrum peccatum alterius Fratris (quod legitime probare non poteſt) alteri, quam Prælato ſuo, revelaverit, pœna talionis puniatur.

Qui fuerit convictus, peccatum in confeſſione ſibi detectum revelaſſe, pœnam excommunicationis incurrat, & carceri per trimeſtre deputetur, ſi legitime fuerit deprehenſus.

Quicumque Frater alteri Fratri non Prælato verbum improperii, aut convicii dixerit, per unias Miſerere mei Deus *ſpatium faciat diſciplinam in communitate, & ſi alicui Prælato tale verbum dixerit, ultra præfatam diſciplinam, comedat ſemel in terra: ſi autem improperaverit aliquem de delicto ignominioſo, pro quo jam alias fuit punitus, diſciplinam faciat publice in refectorio, & ſemel jejunet in pane, & aqua.*

Si quis Frater Prælato ſuo in culpa, vel menſa reſponderit, non obtenta prius ab eo licentia, privetur voce activa, & paſſiva per annum, & cui hæc non competit pœna, alia plectatur ad arbitrium Miniſtri.

Si aliquis Frater alicui perſonæ minabitur in perſona, uno menſe probationis caputium portabit; ſi autem manum levaverit, vel aliquid ad percutiendum acceperit, ei tribus menſibus probationis caputium imponatur; ſi vero non graviter percuſſerit, per annum prædictum probationis caputium portare teneatur; ſi autem graviter percuſſerit, vel ad graviter percutiendum lapidem, vel aliquid aliud acceperit, & projecerit, vel gladium, aut aliquid aliud eduxerit, vel in cella, vel alibi retinuerit, pœna carceris per bimeſtre puniatur; & ſi aliquem enormiter vulneraverit, vel mutilaverit, vel alicui venenum dederit, perpetuo carceri manicipetur, & eidem pœnæ ſubjaceat, qui hæc eadem, vel ſimilia per alium fieri procuraverit, vel ad hujuſmodi facienda inventus fuerit machinari.

Qui per malitioſam concordiam, ſeu conſpirationem adverſus alium, maxime ſuperiorem ſe erexerint, omnibus officiis Ordinis ſint privati, quouſque per condignam ſatisfactionem per Generalem, vel Provinciales Miniſtros fuerint reſtituti; non intelligitur autem malitioſa concordia, quando ſubditi volunt Prælatis, & Superioribus ſuis aliquid intimare.

Sub interminatione anathematis prohibemus, ne aliquis verbo, vel facto aliquo modo ad divisionem Ordinis nostri laborare præsumat: si quis autem ex deliberatione contrarium fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat; & si legitime fuerit deprehensus, in carcerem conjiciatur per Ministrum.

Quicumque Frater prætendens sibi injustitiam factam, recurret ad Advocatos, Procuratores, & Judices seculares, vel quomodocumque, vel qualitercumque ad brachium seculare sine licentia, ipso facto actibus legitimis sit privatus, & cui hæc pœna non competit, probationis caputio per sex menses puniatur, nec possit relevari, nisi per Ministrum Generalem.

Ab excommunicatione pro injectione manuum violenta possit Custos, vel Guardianus absolvere, si Ministri, aut Custodis præsentia infra diem naturalem haberi non possit, aut Vicarius Guardiani, si præsentia Custodis, aut Guardiani infra triduum minime possit haberi; hoc autem statutum non intelligitur de injectione atroci, vel subditi in Prælatum.

Quicumque Fratrum per se, vel per alium, sigillum, vel litteras Prælatorum, vel Principum, Generalis, vel Provincialium Ministrorum, seu aliorum notabilium personarum falsificare præsumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, & si legitime fuerit deprehensus, carceri mancipetur; & si falsificaverit sigillum, vel litteras Generalis Ministri, non absolvatur ab excommunicatione, neque a carcere liberetur, sine ejusdem Generalis speciali mandato.

Quicumque Frater litteras earundem malitiose per se, vel per alium destruxerit, vel impedierit, ne mittantur eisdem, retinuerit, vel aperuerit, suspensus sit ab omni actu legitimo ipso facto, & cui hæc pœna non competit, probationis caputio puniatur; & hoc intelligitur tam de litteris, quas ipsi mittunt ad alios, quam de illis, quæ mittuntur ab aliis; nec relevetur, nisi per sum Provincialem Ministrum, si offensus fuerit Minister; si autem Generalis Ministri fuerint, per ipsum tantum relevetur; prædictæ etiam pœnæ subjaceant, qui Superiorum litteras sibi ipsis missas legere, vel aperire distulerint malitiose, & qui retinuerint, aperuerint, vel reddere distulerint litteras missas sociis Generalis, vel Provincialium Ministrorum, seu missas ab eisdem.

Quicumque Frater quamcumque personam falso, & scienter de crimine infamaverit in occulto, nonnisi a Ministro absolvi possit; si vero in publico, non absolvatur a dicto Ministro, nisi sibi imposita pœna criminis, de quo falso, & scienter alium infamavit; nec aliquis istorum absolvi possit a prædictis, nisi primo, prout poterit, restituat famam infamatæ personæ: ideo districte præcipimus Fratribus universis, quod nullus in secreta collocutione sub sigillo confessionis aliquid dicat, quod vergat in infamiam alicujus, vel quod possit inter Fratres dissensionem aliquam generare.

Quicumque deposuerit earum quocumque Prælato, vel Visitatore falso, vel scienter de aliquo crimine contra Fratrem, vel aliquam personam ad hoc faciendum induxerit, vel revocaverit falso, vel revocandum procuraverit, quod vere deposuit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, nec possit, nisi per Ministrum Provincialem absolvi; ita dumtaxat, quod satisfaciat, prout sibi possibile fuerit, in forma, secundum quam deposuerit, vel revocaverit publice, vel occulte.

Ordinamus quod nullus Commissarius Generalis a pœnitentia, quam imposuit Minister Generalis, nec Minister Provincialis a pœnitentia, quam imposuit Commissarius, sive Visitator, nec Custos a pœnitentia, quam imposuit

ſuit Miniſter, nec Guardianus a pœnitentia, quam impoſuit Cuſtos, nec aliquis inferior a pœnitentia, quam impoſuit Guardianus, aliquem abſolvat, nec mutet, ſine licentia imponentis, & ſi contrarium factum fuerit, ipſa abſolutio ſit inanis.

Præcipimus per obedientiam in virtute Spiritus ſancti, ut nullus Frater per ſe, vel per quamcumque interpoſitam perſonam ſuadeat, vel ſuaderi faciat alicui Prælato, Regi, vel Principi, communitati, caſtro, villæ, ſeu alicui perſonæ extra noſtrum Ordinem exiſtentem, ut aliquid immutetur de ſtatu noſtri Ordinis, vel ordinatione alicujus provinciæ, vel diviſione, ſeu unione provinciæ, vel quocumque Fratre, ſeu Fratribus de aliquo loco amovendis: & quicumque ſcienter contrariam fecerit, Nos Generalis, & Provinciales Miniſtri, & Definitores Capituli Generalis talem Fratrem contra præceptum prædictum ſcienter facientem in his ſcriptis excommunicamus, & ab omni actu legitimo ſuſpendimus; nec abſolvi a talibus pœnis poſſit, niſi per Generalem, aut Provincialem Miniſtrum, & cui hæc pœna non competit, probationis caputium portet per trimeſtre, & ſine ſpe redeundi, de ſua provincia expellatur.

Quicumque etiam Frater, cujuſcumque conditionis exiſtat, per ſe, vel per alium, pro ſe, vel pro alio quocumque modo promotionem procuraverit in noſtro Ordine per perſonam aliquam extra noſtrum Ordinem exiſtentem, vel quod in aliquo loco ponatur, vel removeatur, vel quod removeri non poſſit, ſententiam excommunicationis incurrat, & omni actu legitimo ſit privatus, & ipſa promotione, & omni alia careat ipſo facto, nec relevari debeat, niſi per Capitalum Generale immediate ſequens.

In virtute Spiritus ſancti per obedientiam diſtricte inhibemus, ne quis cauſam depoſitionis Generalis, vel Provincialis Miniſtri, ſeu Guardiani, vel eorum exceſſum, ſeu correctiones, aut ſecretum Capituli cujuſcumque, diſſenſionem Definitorum, aut Fratrum, vel aliquid aliud, unde Ordo noſter poſſet turbari, vel infamari, ſcienter audeat extra noſtrum Ordinem publicare: & ſi quis talium fuerit legitime deprehenſus, ipſo facto omnibus actibus legitimis ſit privatus.

Si quis Frater tacito proprio nomine, vel ſub nomine alieno litteras, ſeu libellos famoſos ediderit, eos mittendo, projiciendo, ſeu exponendo in infamiam alicujus; ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat: quod ſi editi fuerint in infamiam Generalis, vel Provincialis Miniſtri, non poſſit reſtitui auctor eorum, niſi ſolum per Generalem Miniſtrum, vel per eum, cui ipſe in ſpeciali duxerit committendum: ſi autem aliarum quaramvis perſonarum tangat infamiam, per Provincialem dumtaxat Miniſtrum auctor eorum poſſit relevari: & quicumque in hujuſmodi legitime fuerit deprehenſus, carceri manicipetur.

Fratres incorrigibiles cum ſuis exceſſibus conſcriptis, & examinatis fideliter per Miniſtrum, ſeu Viſitatorem ad Provinciale Capitulum tranſmittantur; quod ſi adeo incorrigibiles fuerint, quod nec culpam cognoſcere humiliter, nec pœnitentiam condignam ſubire voluerint, in carcere macerentur; ſi vero pœnitentiam acceperint, & correctionem promittant, eis cum miſericordia pœnitentia imponatur; quam ſi portare contempſerint, ad conſueta vitia revertentes, mittantur ad triremes: ubi autem id fieri non poterit, perpetuis mancipentur carceribus, aut rejecti habitu Ordinis expolientur.

Dogmatizantes etiam, quod Ordinis Prælati, in numero quorum tenſendi ſunt Cuſtodes, & Guardiani, non poſſint ligare ſubditos cenſuris Eccleſia-

fiaſticis, eoſque excommunicare, & quod Generales, & Provinciales Miniſtri non poſſint ſibi reſervare caſus, prout in ſeptimo hoc capite eiſdem conceditur, ſi ſint convicti, pro prima vice actibus legitimis ſint privati, ſi vero perſeveraverint, nec reſipiſcere voluerint, carceri mancipentur. Advertant tamen Prælati, ne pro levi cauſa excommunicationis gladio in ſubditos animadvertant, cum ſecundum doctrinam Scoti debeat tantum pro mortali, & enormi infligi.

CAPUT VIII.

De electione Generalis Miniſtri, Commiſſarii Generalis, Miniſtrorum Provincialium, Definitorum, Cuſtodum provinciarum, Diſcretorum conventuum, ſimul & de inſtitutione officialium Romanæ Curiæ, & Commiſſariorum particularium, ac de eorum omnium officio, & auctoritate, & a quibus eorum Vicarii eligantur, ſi contingat quempiam illorum debitum humanæ carnis perſolvere.

Cum Generalis Miniſter per Regulam ſit a Miniſtris Provincialibus, & Cuſtodibus eligendus in Capitulo Pentecoſtes, ſtatuimus, & ordinamus, quod ad hujuſmodi Capitulum conveniant Miniſtri, & Cuſtodes Provinciales, qui Cuſtodes Provinciales litteras teſtimoniales ſub ſigillis Miniſtrorum, & loci Capituli Provincialis, ubi eliguntur, ſecum portent; cum autem contigerit ex prædictis aliquem, ſeu aliquos ad Capitulum Generale non venire, nihil eorum, quæ expedienda ſunt per Capitulum, omittatur: quinimmo decernit Generale Capitulum, & ordinat, quod quamvis Miniſter Generalis poſſit, de conſilio aliquorum Patrum Diſcretorum, mutare locum cap. Gen. aſſignatum ex evidenti neceſſitate, non tamen poſſit differre Capitulum ultra vigiliam Pentecoſtes, in qua inviolabiliter fiat electio Miniſtri Generalis, quando erit facienda, ſive Miniſter Generalis venerit, ſive non, etiam ſi plures vocales defuerint; quod ſi Miniſter Generalis non venerit, Commiſſarius Generalis illarum partium, ubi tenetur Capitulum, loco ejus præſideat in ipſo, niſi ipſe Generalis Miniſter alium ſpecialem Commiſſorium ad id miſerit; & ſi uterque ipſorum defuerit, Miniſter Provincialis, in cujus provincia celebratur Capitulum, & in ejus abſentia ille, quem Congregatio Generalis ad hoc elegerit, præſideat uſque ad electionem novi Miniſtri Generalis. Congregatis igitur ad locum Capituli prædictis Miniſtris, & Cuſtodibus feria quinta ante feſtum Pentecoſtes, ſequenti feria ſexta, dicta Miſſa, fiat ſermo Fratribus in communi, & ipſa die quieſcant, & deliberent uſque ad mane diei ſequentis, & tunc cantata Miſſa de Spiritu ſancto, ingreſſi Capitulum cantent Hymnum: Veni Creator. *Verſus* Emitte Spiritum tuum. *Oratio:* Deus qui corda fidelium. *Deinde litteræ teſtimoniales Cuſtodum Miniſtro Generali coram omnibus legitime præſententur, & voces omnium vocalium legitime integrentur; vota abſentium, & eorum, qui ſunt voce privati (ut morti eſt) ſupplcantur; in qua ſuppletione, primo ſuppleatur Commiſſarius Generalis, ſecundo Procurator Ordinis, tertio Commiſſarius Romanæ Curiæ, quarto Guardianus Pariſienſis, & Cuſtos Hieroſolymitanus, ſi præſens fuerit, aliæ vero voces per Capitulum Generale, ſive per Generalem Miniſtrum, cum Ordinis conſilio Patrum, ſuppleantur: quod ſi nulla ſuppletio facienda ſit, tam Miniſter Generalis immediate abſolutus, quam prædicti tres, præter electiones, & depoſitionem Miniſtri, in omnibus aliis erunt de corpore Capituli*

pituli; Miniſter autem Generalis abſolutus, qui etiam habet votum activum in electione Generalis noviter eligendi, primum locum teneat poſt Generalem Miniſtrum electum durante toto Capitulo Generali, & poſt eum, alii, qui fuerunt Commiſſarii Generales, & Definitores noviter eligendi, ſtatim poſt ſuam electionem, in menſa, & aliis locis immediate ſequentur illos, qui fuerunt Generales Commiſſarii, poſtea Miniſter Provinciæ, in qua Capitulum celebratur, poſt ipſum Procurator Ordinis, deinde Commiſſarius Curiæ, poſt quos Miniſtri ſuccedent juxta ordinem provinciarum, & ſuo modo Cuſtodes. Sex Diſquiſitores eligantur, quorum tres ſint Cismontani ab iiſdem ſimiliter deputati, vel a Generali Miniſtro cum conſilio Definitorum reſpective utriuſque familiæ; Generalis autem Miniſter, & Miniſtri Provinciales, ſimiliter & Cuſtodes in conclavi recludantur, ita quod nullotenus exire valeant; nec illis aliqua alimenta miniſtrentur, donec providerint, ut oportet, de Generali Miniſtro, ita quod die Sabbati, & in vigilia Pentecoſtes habeat Religio alium Generalem Miniſtrum præſentem, vel abſentem, juxta ordinationem Domini Leonis Papæ X. In eligendo autem Diſquiſitores (ut præfertur) deputati ſingulorum vota aliquantulum patenter ſeorſum fideliter conſcribant, ita quod ſinguli, antequam recedant ab eis, audiant, qualiter receperint vota ſua: Electores vero in explicando vota ſua his verbis utantur: Ego Miniſter, ſeu Cuſtos talis Provinciæ nomino talem Fratrem in Generalem Miniſtrum; *quibus per ordinem conſcriptis, ſtatim in eodem loco publicentur in medium, quæ conſcripſerunt, tacito nomine eligentium, & ſi in primo ſcrutinio non fiat electio, iteretur modo prædicto, quouſque electio fuerit canonice celebrata. Quod ſi, divina gratia inſpirante, omnes vocales in unum aliquem ſe conformaverint, illius electio firma eſt abſque aliqua quæſtione: ſi vero in partes inæquales ſe diviſerint, ille, in quem major pars omnium eligentium conſenſerit, nulla zeli, vel meriti collatione, aut conſideratione habita, exceptione, ſeu contradictione quacumque alterius partis non obſtantibus, pro vero Generali Miniſtro habeatur. Poſtquam electio fuerit pronunciata, ſurgat unus de Diſquiſitoribus, & dicat:* In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Hæc eſt electio Reverendiſſimi Patris Generalis Miniſtri totius Ordinis Minorum ſancti Franciſci canonice celebrata per dicti Ordinis Patres Reverendos vocales, Miniſtros videlicet, & Cuſtodes, juxta formam, & puritatem Regulæ capitulariter congregatos in præſenti conventu N. civitatis, ſeu loci N. Anno Domini N. die vero N. In qua electione Rev. P. N. habet tot voces, & Rev. P. N. tot &c. Et ego frater N. ejuſdem Ordinis profeſſor, & Provinciæ N. Cuſtos, vel Miniſter, unus ex Diſquiſitoribus, & Compromiſſariis ſcriptor, virtute compromiſſi limitati in me, & in ſocios meos facti, nomine meo, & nomine aliorum omnium, qui in dictam electionem convenerunt, & conſenſerunt, nomino, & eligo in totius ejuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem præfatum Patrem Reverendiſſimum fratrem N. in quem major pars vocum conſenſit, ſicque electum denuncio. *Quo facto, auctoritate Apoſtolica, ac ex vi talis electionis, & præſentis conſtitutionis pro confirmato habeatur, & ſtatim cantor incipiat:* Te Deum &c. *& in omni pronunciatione electionis tam Miniſtrorum Provincialium, quam Definitorum, & Commiſſariorum Generalium electorum, juxta formam Bullæ* Unionis, *forma prædicta, vel alia canonica obſervetur. Omnes autem Diſquiſitores præfati teneantur poſt electionis pronunciationem ſtatim comburere ſchedulas, in quibus vota fuerunt adnotata.*

In hoc autem Capitulo Miniſtri Provinciales ſemper per ſe, ſi præſentes fuerint, aut per ſuas litteras, ſi abſentes, ſuis officiis renunciare debeant; quo-

quorum renunciatio a Miniſtro Generali, vel a Præſidente, cum aſſenſu Generalis Capituli (ſi videbitur) admittatur. In omnibus autem memorati Capituli definitionibus ſententia plurium indiſtincte prævaleat, & inviolabiliter obſervetur. Deinde fiat collatio ſuper bis, quæ ad Capitulum de provinciis ſunt tranſmiſſa, & ordine ſuo viſitentur in Definitorio, ſive fuerint contra Generalem junctum officio, ſive contra Provinciales, aut provinciarum bonum commune concernentia, & provideatur per Generalem Miniſtrum, & Definitores, & Capitulum de ſingulis (ut oportet) de correctione videlicet corrigendorum, & ordinatione ordinandorum. Perquiratur etiam diligenter, qualiter Regula, & ſtatuta in ſingulis provinciis ſerventur. Et nullus alterius Religionis, aut profeſſionis, nullusque ſecularis (cujuſcumque conditionis, aut ſtatus exiſtat) tractatibus capitularibus admittatur; & in fine aſſignetur locus Capituli Generalis ſequentis. Recitetur etiam numerus defunctorum Fratrum a tempore Generalis Capituli proxime præcedentis, pro quibus dicatur Pſalmus De profundis, *in fine* Requiem æternam, Pater noſter, *verſus* A porta inferi, Requieſcant in pace, Domine exaudi, Dominus vobiſcum, *Oratio* Abſolve quæſumus. *Numerus autem defunctorum ibi recitatus ad ſingulas provincias una cum tabella Capituli Generalis deportetur: tandem fiat confeſſio, & abſolutio in communi, perſeverantibus benedictio detur, & apoſtatæ anathematizentur. Similis ſolemnitas in fine Capituli Provincialis obſervetur. Ipſe autem Miniſter Generalis habeat duos ſocios ſcribas, unum Ciſmontanum, alium Ultramontanum, & duos alios habere poſſit, ſed non plures. Prædicti autem ſcribæ Miniſtri Generalis debeant prævidere ſemper litteras per alios ſcriptas, & viſis tantum ſignum ponere, ante quam ſignentur a Generali Miniſtro, ne forte aliquid in eis contineatur contra ſtatuta, aut ordinationes. Teneantur Provinciales Miniſtri, & Guardiani providere eidem, & ſocii de conventu ad conventum, & de provincia ad provinciam deducendo: & nullo modo habeat famulum ſecularem. Recipiatur autem in conventibus noſtris a tota communitate Fratrum cum Cruce ei per Superiorem indutum cappa, vel ubi non eſt cappa, ſuperpelliceo, & Stola ad oſculandum offerenda flexis genibus in introitu Eccleſiæ tali modo, quod Fratres deducant eum ante altare majus, cantando:* Salve ſancte Pater, *vel aliquid aliud. Inſuper Miniſtri Provinciales, & Cuſtodes, & alii Patres ad Miniſtrum Generalem pro ſuis negotiis venientes, ſi non fuerint expediti, non comitentur eum de conventu in conventum, ſed præcedant, vel ſequantur, præter Miniſtrum Provincialem, & Guardianum loci, a quo recedit. Et declarat Generale Capitulum, quod Miniſter Generalis in ſexennio per ſe, vel per ſuos Commiſſarios viſitare totum Ordinem teneatur: & infra prædictum ſexennium nullum poſſit Generale Capitulum celebrari, niſi Commiſſarius Generalis eſſet de novo eligendus, vel prædictus Generalis Miniſter ſuo cederet officio, aut mori contingeret, aut ab eodem ex alia cauſa legitima indictum facrit.*

Ad ſatisfaciendum autem Bullæ Unionis, *in qua fit mentio de Definitoribus, & propter alias multiplices cauſas, in Capitulo Generaliſſimo eodem die poſt electionem Generalis Miniſtri eligantur duodecim Fratres per ſecretum ſcrutinium: de Ciſmontanis ſex, & totidem de Ultramontanis in Definitores, & determinatores una cum Generali Miniſtro cauſarum, tam particularium perſonarum, quam provinciarum. Et Diſquiſitores Ciſmontani in electione Definitorum audiant, & recipiant vota, & ſuffragia Ciſmontanorum; Ultramontani vero audiant, & ſcribant ſeparatim in alia menſa voces Ultramontanorum, licet in electione Generalis Miniſtri omnes ſex*

Diſqui-

Diſqniſitores inſimul debent aadire, & recipere ſuffragia ſingulorum vocalium, tam Ciſmontanorum, quam Ultramontanorum, ex quibus tantum duo ſcribant vota ſingulorum, unus Ciſmontanus, & alter Ultramontanus; ceteri quatuor erunt aſſiſtentes illis duobus, & ſimul vota ſingulorum intelligentes. Præfati Definitores electi in uno Generali Capitulo, non poſſunt immediate reeligi in ſequenti Capitulo.

Ceterum ordinatur, quod ſuperveniente morte Miniſtri Generalis, ſi moriatur in partibus (ut puta Ciſmontanis, vel Ultramontanis) de quibus aſſumptus eſt, Miniſter, in cujus provincia moritur, teneatur convocare illos, qui fuerint pro tempore Generales Miniſtri, & Commiſſarii (quando electio Vicarii Ordinis celebratur in partibus illis, ubi fuerunt Commiſſarii Generales electi ſecundum Bullam in Capitulo Generali) & Definitores illorum partium, qui fuerunt electi in Generali Capitulo immediate præcedenti, quam primam ad locum commodiorem communitati dictorum Definitorum pro electione Vicarii Ordinis: in qua electione dictus Miniſter præſideat, & habeat vocem activam, & paſſivam, ſicut ipſi Patres, & Definitores; & ille, in quem major pars illorum conſenſerit, ſit Vicarius totius Ordinis.

Si vero moriatur in partibus, quibus præeſt Commiſſarius Generalis electus ſecundum Bullam Unionis *per Miniſtros, & Cuſtodes illarum partium, de quo infra; Miniſter, in cujus provincia ipſe Generalis moritur, quam primum fieri poterit, teneatur portare, vel legitime impeditus mittere ſigillum Ordinis Patri Commiſſario Generali illarum partium, regiſtro Ordinis bene clauſo, & ſigillato ſigillis Miniſtri Provincialis, & conventus, in quo moritur, apud ſcribam Ordinis curam ejuſdem regiſtri habere ſolitum remanente; qui quidem Commiſſarius Generalis illarum partium Definitores, ubi Generalis deceſſerit, quam primum fieri poterit, in loco commodo teneatur convocare: in qua Congregatione tam dictus Commiſſarius Generalis, quam illi, qui fuerunt Miniſtri Generales, eum ſint Patres, ut dicetur infra, utriuſque familiæ, & Miniſter in cujus provincia eſt defunctus Generalis Miniſter, vocem activam habeat, ſicut & præfati Patres, & Definitores. Eligendus vero ſemper ſit de eiſdem partibus, de quibus Generalis Miniſter defunctus aſſumptus erat.*

Si autem provincia, in qua moritur Generalis, orbata eſſet Miniſtro Provinciali, Commiſſarius illius provinciæ in prædictis ſuppleat vicem Miniſtri Provincialis ejuſdem.

Et ſi quis Definitorum prædictorum fuerit morte præventus, Miniſter Provincialis, ſeu provinciæ, vel præfatus Commiſſarius ad prædicta ſupplebit.

Quod ſi Miniſter Generalis moriatur in terminis duabus provinciis communibus; Miniſter provinciæ prioris in ordine provinciarum teneatur (ut prædictum eſt) providere.

Et ſi in terminis aliquibus provinciis indifferentibus moriatur; hujuſmodi proviſio ad propinquiorem provinciam pertinebit.

Miniſter Generalis ſi in adminiſtrando ſuo munere deceſſerit ex hac vita ante officii ſui quadriennium, qui tunc ſaffectus fuerit Vicarius Ordinis, eo modo ante præſcripto, is protinus cogat vocales omnes ſuffragatores, Miniſtros ſcilicet, & Cuſtodes ejus familiæ tantum, ex qua ſit Miniſter Generalis defunctus, utpote Ciſmontanæ, vel Ultramontanæ, ad cooptandum alium Generalem Miniſtrum; in eamque cooptationem, & electionem judicetur ultro compromiſiſſe, ſuiſque ſententiis ſuiſſe altera familia, ita ut quod egerit ea familia, ex qua erat mortuus Generalis, & quæ alium ſola elegit,

altera ratum, fixumque habeat. Idque propterea fit, ne totiès brevi tempore commoveatur, conturbetarque universus orbis summa seculariam admiratione, & immensis impensis factis; eum paucis post annis sint habenda comitia ex universo Ordine ad eligendum Ministrum ex altera familia, ea scilicet, quæ compromisit, quemadmodum fuit utriusque familiæ vicissitudo.

Idem omnino intelligatur & de electione novi Ministri Generalis, & de compromissione, si etiam vivens aliqua de causa, vel infirmæ valetudinis, vel alterius justæ rei volaerit renunciare muneri, officioque suo: ut ipsemet Generalis Minister convocet familiæ suæ Patres vocales, Ministros videlicet, & Custodes, & earet alium eligendum Generalem Ministrum, in quem Patres alterius familiæ compromisisse intelligantur, donec veniat tempus legitimum creandi Generalem Ministrum cunctis totius Ordinis suffragiis.

Generalis Minister suo functus officio, habeatur pro Patre, atque Definitore utriusque familiæ: æquum namque est, ut qui utramque familiam per sex annos moderatus est, ab utraque, ut verus, & legitimus Pater censeatur, & colatur. Itaque si contigerit, ut Generalis Minister vel mortuus fuerit, vel suo renunciaverit officio, quemadmodum supra dictum est; talis Pater, ac Definitor utriusque familiæ, olim Generalis Ordinis, electioni, maxime si hærere cum contigerit in illis partibus, in quibus facienda esset dicti Vicarii Ordinis electio, præsideat.

De Commissario Generali.

Post autem electionem Generalis Ministri (ut dictum est) in vigilia Penteeostes, si fuerit ex partibus Cismontanis, eligatur immediate per Patres vocales Ministros, & Custodes Ultramontanos (juxta Unionis *Bullam) per scrutinium secretum, cujus Disquisitores Ultramontani audient, & conferibent singulorum suffragia, Generalis Commissarius Ultramontanus. Et si Minister Generalis fuerit ex partibus Ultramontanis, per vocales Cismontanos, & Disquisitores ejusdem familiæ eligatur Commissarius Generalis Cismontanus, qui per triennium tantum continuabit officium suum, nisi ea sit talis acciderit, quod vel propter bella, aut aliud legitimum impedimentum Generale Capitulum intermedium pro electione alterius Generalis Commissarii celebrari non posset: quo casu stante, Generalis Minister eundem usque ad tempus opportunum de consilio nonnullorum Patrum continuare posset, aut alterum pro suo arbitratu, ejusdem tamen familiæ, de qua erat functus officio, eisdem partibus præficere.*

Ordinatur etiam, quod si contingat dictum Commissarium Generalem infra sum triennium mori, Minister Generalis possit instituere alium Commissarium Generalem, usque ad Capitulum Generale immediate futurum, de consilio aliquorum Diseretorum Patrum.

Sicut & idem Generalis Minister de una familia assumptus, si contingat se transferre ad alteram familiam ex causa visitationis, vel alterius negotii exequendi, potest de consilio aliquorum Patrum instituere alium Commissarium Generalem, & eisdem partibus, ex quibus assumptus est, præficere usque ad suum reditum ad partes illas. Post mortem autem Commissarii Generalis, sive electi secundum Bullam Unionis *per vocales, sive instituti juxta supradictum modum a Generali Ministro, Minister, in cujus provincia decesserit, ejus officium cum potestatis plenitudine exerceat, quousque alius Commissarius per Ministrum Generalem (ut præfertur) assignetur.*

Idem Generalis Commissarius electus juxta dictam Bullam, in omnibus, & per

& per omnia ſubjiciatur Generali Miniſtro; poſſit tamen exercere ſuum officium, & uti ſua auctoritate, etiam exiſtente Generali Miniſtro in partibus, quibus hæret dictus Commiſſarius, niſi eiſdem præfatus Generalis ordinaverit, ut negotia aliqua ad ſuum devolvantur judicium, aut reſervaverit ſuæ plenariæ juriſdictioni aliquas provincias per ſe, vel alios Commiſſarios ſuos particulares viſitandas. Eo tamen Generali Miniſtro exiſtente in partibus, ex quibus aſſumptus eſt, Commiſſarius Generalis in alia exiſtens familia poſſit omnes delinquentes punire, ac eadem auctoritate uti in eos in partibus ſibi creditis, tam Prælatos, quam ſubditos; tam inſtitutos a dicto Generali Miniſtro, quam ab aliis Ordinis Prælatis; qua uti poſſet præfatus Generalis Miniſter, ſi præſens eſſet; niſi fuerit ſibi aliqua particularis causa interdicta.

Poterit etiam animadvertere in officiales Curiæ Romanæ, modo, & conditione infraſcriptis in titulo, ubi de talibus erit mentio.

Dictus Commiſſarius Generalis duobus erit contentus ſociis, & in ſuo triennio creditas ſibi provincias, demptis Ultramontanis, per ſe, vel per Commiſſarios viſitare teneatur.

Prædictus item Commiſſarius Generalis functus ſuo officio habendus censetur Pater, & Definitor in ſua familia, quamquam ante geſtum munus tali honore non fuerit decoratus, & idem ipſe non ſecus, ac dictum eſt de Generali Miniſtro, olim functo officio, habebit vocem activam in electione Vicarii Ordinis.

De Definitoribus tam Generalibus, quam Provincialibus.

Definitores Generalium, & Provincialium Congregationum eligantur non ſolum vocales de corpore Capituli exiſtentes, ſed de quibuſcumque Patribus in loco Congregationis exiſtentibus. Hujuſmodi autem Definitores ſic electi non de corpore Capituli non habeant vocem activam in electionibus Miniſtri, vel Cuſtodis ad Capitulum Generale mittendi. In ceteris autem, quæ tractantur, ſicut ceteri vocales, habeant voces.

Ex partibus ultramarinis Cismontanæ, vel Italiæ familiæ unus in quibuslibet Generalibus Congregationibus eligatur Definitor, ſi provinciarum ultramarinarum, quæ ſunt duæ in Hungaria, duæ in Boſna, Lithuania, Polonia, Auſtria, Bohemia, Dalmatia, Raguſa, & Candia, Miniſtri, & Cuſtodes ad Generale Capitulum acceſſerint, aut ſui loco legitime impediti alios deſtinaverint.

Definitores Generalis Congregationis in uno Capitulo electi, in ſequenti reeligi non poterunt: & in Capitulo intermedio, in quo eſt una dumtaxat familia, ſex tantum eligantur.

In Capitulis autem Provincialibus, quatuor præciſe; & electi in uno Capitulo vacent, ſive per unum, ſive per duo Capitula juxta conſuetudinem provinciarum, antequam iterum in Definitores eligantur.

In diſpoſitione autem provinciarum erit, Definitores eodem anno, quo ſunt electi Definitores, præficere, vel non præficere Guardianos, aut Monialium Confeſſores. Sic eodem anno, quo eliguntur Definitores, præcedunt in choro, menſa, & aliis publicis actibus non Definitores, & ceteros, qui non fuerunt Miniſtri, nec ſunt actualiter Guardiani; quo elapſo, omnino ſervabunt ordinem in præfatis Religionis, quo antiquiores in Religione præcedunt Fratres minoris ætatis in ipſa Religione: nec ſocios particulares, aut capita menſæ ratione Paternitatis habere poterunt, ſed communitatem, & communem uſum Fratrum ſervabunt.

Definitores novi non eligantur poſt numerum duodecim Definitorum in provincia, ſine Generalis, vel Commiſſarii Generalis licentia, ne ex tanta Patrum multitudine & in contemptum veniat Paternitas, & ambitio augeatur.

Omnes quotquot electi fuerint Cuſtodes ad Generale Capitulum mittendi, in Provinciali Capitulo per Guardianos, & Diſcretos, de cetero (ut infra dicetur) conſeantur in numero Patrum provinciæ.

Conceſſum eſt etiam provinciis Reformatorum Galliarum ex ſpeciali gratia, ex quo promiſerunt recipere Commiſſarium Generalem electum ſecundum Bullam Unionis, *ut in Generalibus noſtris comitiis habere poſſint unum Definitorem.*

De Procuratore, & Commiſſario Curiæ Romanæ.

Procurator Curiæ, ſeu Ordinis ſemper inſtituatur de eadem familia, ex qua aſſumptus eſt Generalis Miniſter, ad quem ſpectat orare in Capella Domini Papæ, & in eadem tempore debito intereſſe.

Commiſſarius vero Curiæ ex altera inſtituatur familia; nec ambo ultra triennium in ſuo poterunt continuare officio, ne temporis diuturnitate convertant cogitationes ſuas ad privatas rationes, & cum jactura negotiorum Ordinis iidem plus æquo fiant infolentes.

Subditi ſint, ac pro ſubditis habeantur auctoritati, & obedientiæ Generalis Commiſſarii illarum partium, ſive electi, ſive inſtituti, dum ab eiſdem partibus Generalis Miniſter aberit, ita ut ab ipſo Commiſſario Generali poſſint corrigi, etiam uſque ad ſuſpenſionem a ſuis officiis, ſaltem quoad uſque ea de re fuerit factus certior idem Generalis Miniſter: alteri Prælato, ſive locali, ſive Provinciali, una cum duobus ſocüs, quos unuſquiſque eorum habere poteſt, non ſubjiciuntur, quam dictis Generalibus, Miniſtro videlicet, & Commiſſario.

Ad prædictos Curiæ officiales, Procuratores ſcilicet, & Commiſſarium pertinebit, omnia Ordinis negotia expedire: & nullus alius Frater, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, ſub pœna privationis omnium actuum legitimorum ſe intromittere, aut procurare audeat aliquam gratiam in præfata Curia, etiam bonum familiæ noſtræ concernentem, aut aliquod negotium cum Prælatis Curiæ expedire ſine illorum, aut Miniſtri, vel Commiſſarii Generalis licentia.

Præfati autem Procurator, & Commiſſarius nullo modo ſe intromittant de Fratribus quoad regimen Provinciarum, nec ſe ingerant in agendis ſecularium negotiis, nec aliquid tangens totum Ordinem, & ejus libertatem coarctans poſſint abſque Generalis Miniſtri ſcitu, & expreſſa licentia procurare, aut procurari permittere.

Procurator, aut Commiſſarius Curiæ Fratres ad eorum præſentiam cum obedientia venientes ad nullam aliam provinciam, præterquam ad Romanam deſtinare poſſint, eoſque in ea retinere, niſi dum hujuſmodi Fratrum negotia expediantur. Fratres vero hinc inde euntes nullo modo per Urbem tranſire poſſint, niſi forte pro provinciarum neceſſitatibus mitterentur ad Curiam; & in hoc caſu portent litteras cambii, vel ferri faciant per aliquem neceſſarias pecunias, pro ſatisfaciendis diplomatibus, & expeditionibus ſuis. Et quando ſunt in Ara-Cœli, præſentent ſe Procuratori, vel Commiſſario reſpective, & expoſitis ſuis negotiis, poſt tres dies recedant relinquentes negotia expedienda per dictæ Curiæ officiales: qui ſint contenti ſocios habere

Re-

Religioſos boneſtos, & exemplares, & apoſtatas omnes ad proprias remittere provincias.

De Miniſtris Provincialibus.

Provinciales Miniſtri eligantur in ſuis Provincialibus Capitulis per ſuæ provinciæ Guardianos, & locorum Diſcretos; in quorum electione omnino ſervetur eadem forma, quæ ſupra in Generalis Miniſtri electione fuit ſervata. Et ſi aliqui defuerint vocales, ſuppleantur. Tres tantum Diſquiſitores de corpore Capituli inſtituentur de conſilio Definitorum præcedentis Capituli. Et Diſcreti locorum eligantur per Fratres commorantes in eodem conventu, in quo talis Diſcretus eſt eligendus; & qui non fleterit ſaltem per menſem de familia in loco aliquo, in eodem non habebit vocem, ſed in eo, a quo immediate receſſit. Studentes forenſes in loco, ubi cauſa ſtudii de familia morantur, una cum lectore forenſi vocem activam tantum habere poſſunt.

Fratres etiam profeſſi, tam clerici, quam laici nullam habebunt vocem in electione Diſcretorum, niſi elapſo a ſuſcepto habitu triennio integro. Guardiani etiam habebunt vocem activam in electione Diſcreti loci ſui, quemadmodum Provincialis Miniſter habet eandem activam vocem in electione Cuſtodis ad Generale Capitulum deſtinandi.

Si quis Frater ad dicti Diſcreti electionem, ſeu ad alios capitulares actus convenire noluerit, voce activa, & paſſiva ſit per triennium ipſo facto privatus, & in publica prima refectione faciat per unum Miſerere mei Deus. *diſciplinam.*

In loco, ubi non ſunt quinque Fratres profeſſi, qui voce activa, & paſſiva non ſint privati, non poſſit fieri Diſcretus, & in tali caſu antiquior tempore, & honore in Religione, & non ſuſpenſus, ad Capitulum una cum Guardiano accedat; quem Miniſter, & Patres provinciæ, ſi vocalibus non erit ingratum, poterunt tanquam ſuppletum pro dicto loco admittere.

Nota etiam, quod in conventibus, ubi ſunt pauciſſimi Fratres profeſſi, & non ſuſpenſi, poſſunt inſtituere tantum duos Diſquiſitores (ſi profeſſi, & electores id approbaverint omnes) alterius conventus, qui vota ſingulorum audiant, ac electionem denuncient jam factam.

Declaratur, quod quamvis Miniſtri Provinciales per Bullam Unionis *finito triennio ſuo ſint abſoluti ab officio ſuo, & pro abſolutis haberi debeant, tamen ſi ex bonis reſpectibus ultra triennium cum conſenſu Generalis Miniſtri hujuſmodi, aut Commiſſarii Generalis Capitulum Provinciale differatur, in hoc caſu Miniſtri hujuſmodi, etiam tranſacto triennio, poſſunt auctoritate Generalis Capituli, tanquam Commiſſarii, regere provincias uſque ad celebrandum Capitulum, quo tempore non ſe Miniſtros, ſed Commiſſarios Provinciales ſubſcribent, & vocari facient.*

Miniſtri Provinciales in illo Capitulo, in quo officio ſuo functi ſunt, habeant vocem, & ſuffragium in definitorio, & in electione Guardianorum, & tabulæ confectione, & præcedant reliquos omnes durante Capitulo, excepto Miniſtro noviter creato; poſtea vero tenebunt ſuum locum ordinarium pro tempore, dignitateque ſua: nam, ut excludantur a definitorio alio nove creato, omnino indignum videtur, & ab omni ratione alienum; cum accidat ſæpe, ut qui cooptantur in Miniſtrum, & Definitores, nihil omnino ſciant de ſtatu provinciæ, neque ob id noſci poſſit, quid quomodo ſit, qui indigni, quique digni, quæ res puniri debeat, quodque remedium labentibus rebus adhiberi oporteat; contra vero Miniſter ſuperior omnem provinciam, rerumque ſtatum cognoſcat, Fratrumque omnium naturas, & merita calleat.

Mi-

Miniſtri Provinciales, finito ſuo triennio, in eodem Capitulo ad officium Guardianatus promoveri non poſſint: & vacare debeant, nec ad prædicti Miniſteriatus munus reaſſumi, donec alii duo Miniſtri functionem hujuſmodi ſubierint.

Omnes Provinciales Miniſtri faciant regiſtrum de ordinatis, concluſis, & determinatis in Capitulis Provincialibus, & de omnibus actibus alicujus importantiæ, necnon de carceratis, admonitiſque canonice: verum defectus, propter quos puniuntur, non ponantur in regiſtro.

Ordinamus etiam, quod, accedente morte Miniſtri Provincialis in ſibi credita provincia, Cuſtos illius cuſtodiæ, in qua deceſſerit, teneat ſigillum; ſi vero non ſunt ibi Cuſtodes, Guardianus, in cujus conventu moritur; teneaturque, quamprimum fieri poterit, in commodo loco congregare Definitores, qui fuerunt electi in Capitulo immediate præcedenti, & illos, qui pro tempore fuerunt Miniſtri, pro electione Vicarii provinciæ; in qua electione dictus Guardianus, vel Vicarius, ſi conventus caruerit Guardiano, habeat vocem activam, & paſſivam, ſicut Definitores, & præfati Patres; & præſidebit: & ille, in quem major pars conſenſerit, erit Vicarius provinciæ uſque ad proximum Capituium celebrandum.

Talis tamen electio abſque Generalium, Miniſtri, vel Commiſſarii conſenſu celebrari non poterit.

Si vero moriatur in terminis duobus conventibus ſuis communibus, Guardianus conventus prioris in ordine teneatur, ut dictum eſt, providere.

Et ſi in terminis duobus ſuis conventibus indifferentibus moriatur, hujuſmodi proviſio ad propinquiorem locum pertinebit. Interim tamen, quod provincia non habebit Miniſtrum, acta provinciæ bene duplici ſigilla, ſcilicet provinciæ, & conventus ſigillata manebunt penes ſocium ſcribam.

Provinciales Miniſtri duos tantum habeant ſocios, modeſtos, religioſos, & exemplares: nec mittant particulares Commiſſarios per provinciam, niſi ex legitima cauſa, & neceſſaria, & ad certum negotium; quo finito, ſtatim ceſſet commiſſionis officium.

Nullus Miniſter per commiſſionem datam ſibi a Generalibus, Miniſtro, & Commiſſario in propria provincia, ſecundum formam Provincialibus Miniſtris dari ſolitam, etiam cum poteſtatis plenitudine, per hoc fiat exemptus a Commiſſariis per dictos Generales miſſis, ſed per omnia ei ſubjiciantur, perinde ac ſi nulla eidem Miniſtro facta fuiſſet commiſſio.

Item nullus Miniſter per commiſſionem ſibi datam, etiam cum poteſtatis plenitudine, poſſit aliqua in ſibi credita provincia ordinare, aut ordinata immutare, aut contra ſtatuta provincialia quæcumque facere ſine conſenſu Patrum provinciæ pro tempore exiſtentium, vel majoris partis vocalium in Capitulo Provinciali pro tempore exiſtentium.

In Capitulo intermedio nulla erit poteſtas vocalibus confirmandi Miniſtrum, quaſi eum poſſint deponere, niſi ſuper hoc fuerit eis a Generali Miniſtro, vel Commiſſario Generali data poteſtas particularis; ſed ipſe Miniſter poterit ſuo fungi officio uſque ad exitum triennii: nam ex hac conſuetudine confirmandi Miniſtros evenire ſolet, ut non recte quandoque, atque intrepide officio ſuo ſatisfaciant. Si tamen provincia habet juſtas querelas contra Miniſtrum, tunc Generales, Miniſter, & Commiſſarius poterunt, legitima ſubſiſtente cauſa, per ſe, vel per Commiſſarios ſuos de conſenſu Patrum provinciæ eundem ſuo privare officio.

Nullus Provincialis Miniſter fines ſuæ provinciæ exeat, niſi prius de conſilio Patrum in provincia inſtituat Commiſſarium; & ſi contigerit dictum Mi-

Miniſtrum extra provinciam mori, præfatus Commiſſarius ab eo in provincia relictas, regat provinciam uſque ad novam proviſionem Miniſtri, vel Commiſſarii Generalium; talis autem Commiſſarius non poterit celebrare Capitulum ſine expreſſo mandato prædictorum Generalium, aut alterius eorum.

Ordinamus etiam, quod illi, qui pro tempore fuerunt Miniſtri, in illa provincia, in qua functi ſunt tali officio, habeant vocem in electione Vicarii provinciæ, ſicut & Definitores præcedentis Capituli; debentque a Præſidente vocari, ſicut & dicti Definitores. Eodem modo fiet in inſtitutione novi Guardiani extra Capitulum, quod ſcilicet vocentur, ſicut & ad aliquem præfatorum Guardianorum depoſitionem, quando commode eorum præſentia haberi poterit. Dicti etiam Patres defuncti officio miniſteriatus poſſunt habere gratum ſocium in provincia, in qua fuerunt Miniſtri, qui eis inſerviat, & conventui, in quo eſt; cum non eximamus eum propter hoc ab obedientia ſui Guardiani: & præcedat ceteros, qui eodem munere miniſteriatus non fuerint functi.

Nullum Capitulum Provinciale, ubi novus Miniſter eſt eligendus, celebretur, niſi eidem Capitulo Provinciali interfuerit vel ipſe Generalis Miniſter, vel Commiſſarius Generalis: hoc autem intelligi debet, ſi ipſi Generales, Miniſter, & Commiſſarius degerint apud eam familiam, Ciſmontanam ſcilicet, vel Ultramontanam, ubi celebrandum eſt Capitulum, ut de illo celebrando facile provideri queat ab eiſdem.

Miniſter Candiæ non accedat ad Capitulum Generale, ſed mittat loco ſui Commiſſarium cum Cuſtode, & ipſe regat provinciam ſibi creditam uſque ad reditum novi Miniſtri, qui novus viſitare præteritum, & jam functum officio habeat, & viſitationem legitime, & juxta formam inferius traditam factam, bene ſigillatam mittat per fideles nuntios ad Generales, Miniſtrum, vel Commiſſarium.

Terminata autem dicta viſitatione Miniſtri, & Fratrum, Miniſter jam functus officio poſſit ire Hieruſalem. Nec Miniſter dictæ provinciæ debeat, aut teneatur cauſa peregrinationis mittere Fratres ſuos ad loca ſancta, niſi primo ſteterint per triennium in illa provincia; & quando aliquos mittit, debeat eis neceſſaria ſuppeditare pro viatico, & navigio: & primo mittantur Hieroſolymam, qui primo ſteterint in eadem Cretenſi provincia, & poſtmodum ordinate alii.

Quilibet etiam Miniſter Provincialis habeat ordinariam juriſdictionem auctoritate Miniſtri Generalis excommunicandi, ligandi, capiendi, incarcerandi, ac pœna alia puniendi omnes aliarum provinciarum apoſtatas ad ſuam divertentes provinciam.

Idem poſſint etiam Guardiani, quando præſentia Miniſtri intra triduum haberi non poteſt; ſimiliter & omnes Fratres in caſu neceſſitatis, quando citra ſcandalum ſeculi bono modo fieri poteſt: & dicti Prælati non permittant apoſtatas ſuos, vel alienarum provinciarum in ſcandalum noſtri Ordinis vagari.

Miniſtri Provinciales teneantur cum ſuis Cuſtodibus accedere ad Capitulum Generale: qui Cuſtodes in Capitulo electi, poſtea ſuo munere functi, in numero Patrum intelligendi ſunt: & teneantur ſecum ad Capitulum portare litteras teſtimoniales ſub ſigillo Miniſtri, & loci Capituli Provincialis, ubi eliguntur: & ſi aliquem Cuſtodem quoquo modo impediri contigerit, ſic quod ad Capitulum Generale non poſſit accedere; per Miniſtrum, & vocales, ſi adhuc in Capitulo fuerint, vel ſi poſt Capitulum, cum aliquibus Patribus Diſcretis alius eligi, ſen deputari poſſit. Dicti Cuſtodes eligantur ſemper in Provinciali

ciali Capitulo præcedente Generale. In eventu etiam, quod Miniſter Provincialis propter legitimum impedimentum non poſſet ad ipſum Capitulum accedere, poſſit cum conſilio, & aſſenſu Patrum loco ſui inſtituere Commiſſarium, qui una cum dicto Cuſtode accedat ad Comitia Generalia. Et declarat Generale Capitulum, quod ſi Miniſtri, & Cuſtodes non legitime excuſati ſecundum judicium Generalis Miniſtri, & vocalium Capituli Generalis, non acceſſerint ad Capitulum Generale, ipſo facto ſint ſuis officiis, & voce activa, & paſſiva per ſex annos privati: & ſuper hoc fiat diligens inquiſitio in Capitulo Generali.

Miniſtri etiam Provinciales, vel Commiſſarii remanentes in provinciis tempore, quo vadunt Fratres ad Capitulum Generale, non audeant in provinciis ſuis Capitulum celebrare, conventum Fratrum, aut aliquid notabile innovare, ante quam Patres ſuæ provinciæ redierint ex dicto Capitulo Generali, niſi diſpenſationem aliquam particularem de aliquo arduo negotio circa celebrationem Capituli impetraverint. Si tamen contingeret Guardianum aliquem, aut Monialium, ſive Sororum Confeſſorem tale crimen committere in Ordinis, & ſecularium perſonarum notabile ſcandalum, propter quod non poſſet ejus punitio, & privatio differri; tunc in tali caſu poterit Præſidens provinciæ punire, & privare criminoſum, & alium loco illius in Commiſſarium loci, in quo fuit commiſſum crimen, uſque ad reditum Patrum ex dicto Generali Capitulo ſubſtituere. Irritum, & inane decernimus, quidquid fuerit contra præſens ſtatutum attentatum.

De Commiſſariis particularibus miſſis a Generalibus.

Commiſſarii miſſi ad provincias per Generales, Miniſtrum, aut Commiſſarium, nihil ſuarum commiſſionum exequantur, donec Miniſtris Provincialibus reſpective ſuas exhibuerint, aut per litteras palam fecerint commiſſiones. Rebellantes præfatis Commiſſariis, ſi fuerint Prælati, a ſuis ſint depoſiti officiis; ſi ſubditi, actibus legitimis privati, & tanquam conſpiratores in Prælatos a propriis expellantur provinciis. Fratres vero provinciæ, ad quam mittitur Commiſſarius, proteſtatione facta ad Reverendiſſimos Patres præfatos, cauſas (ſi quas legitimas adverſus Commiſſarios habuerint) mittere poſſint; quas ſi inſufficientes, & non legitimas deprehenderint, dictos Fratres juxta menſuram delicti puniant. Interim tamen Commiſſarii miſſi ſuas exequantur commiſſiones in ſibi creditis provinciis.

Nullus Commiſſarius a dictis Patribus deſtinatus poſſit aliqua in ſibi credita provincia ordinare, aut ordinata immutare, aut contra ſtatuta Provincialia quicquam facere ſine conſenſu Patrum provinciæ, vel majoris partis vocalium in Capitulo Provinciali pro tempore exiſtentium, niſi repugnaverint Generalibus illis ſtatutis, & Generalis Miniſter in ſpeciali pro bona provinciæ mandaverit id faciendum.

Dicti autem Commiſſarii a Generalibus miſſi, poſt provinciæ viſitationem, & Capituli celebrationem, teneantur ad minus intra viginti dies exire præfatam provinciam; aliter poſt talem terminum expiret eorum auctoritas, niſi fuerit illis in ſpeciali datum mandatum regendi provinciam poſt illud tempus.

Nullus talis Commiſſarius ex provincia ſibi credita ad alienas provincias Fratres deſtinare valeat, niſi eos ad Miniſtrum, aut Commiſſarium Generales pro dictæ provinciæ negotiis mittere contigerit.

Commiſſarius miſſus a Generalibus non poſſit corrigere Provincialem Mi-

Miniſtrum, niſi ex cauſa, & cum conſenſu majoris partis Patrum provinciæ, & ſi depoſitio eſſet infligenda, nihil fiat ſine conſenſu Generalium (Miniſtri, videlicet & Commiſſarii) ſed ſi commiſiſet crimen adeo ſcandaloſum, ex quo merito deberet ſtatim privari; tunc præfatus Commiſſarius de conſenſu majoris partis dictorum Patrum poſſit eum privare ſuo officio, maxime quando præſentia dictorum Generalium intra decem dierum ſpatium haberi minime poſſit.

Nullas etiam Commiſſarius poſſit privare aliquem Patrem, qui fuerit alias Provincialis Miniſter, aut facere aliquam notabilem punitionem, ut puta carcerationem, ſeu privationem ſine conſilio, & aſſenſu majoris partis Capituli.

Præfatus etiam Commiſſarius non habebit votum in electione Guardianorum, aut Confeſſorum Monialium in Definitorio ex ſua ordinaria commiſſione, niſi Generalis, Miniſter, aut Commiſſarius ſuper hoc particularem ei dederint facultatem; bene tamen poterit, ſicut & debet procurare ne indigni ad hujuſmodi manera promoveantur.

Non paſſim etiam mittantur dicti Commiſſarii ad provincias, niſi vel provinciæ petant, aut Generalis, Miniſter, & Commiſſarius aliquid audiant indignum, paniendam videlicet, aut reformandum in provincia aliqua, quod indigeret præſentia dictorum Generalium; & tunc quando non valent ipſi ad eam præſentialiter accedere aliis præpediti negotiis, tunc poterunt idoneos ad illam deſtinare Commiſſarios.

Guardiani ultra triennium non poſſint in ſuo perſiſtere officio, & in uno loco tantum per biennium: primo autem anno, quo præficiuntur Guardiani, vocent poſtea poſt illum annum per annum alterum, antequam ibi, vel alibi efficiantur Guardiani: qui Guardiani in Capitulo Provinciali, & poſt eligantur ſemper de conſilia Definitorum, & de eorundem conſilio poſt Capitulum deponantur, ſi contingat aliquos indigere privatione, ſecundum limitationem tamen ſuperius in titulo Miniſtrorum poſitam.

Poſthac ſingulis Ciſmontanis provinciis integram erit, ſi placuerit Miniſtris, & majori parti Patrum, quolibet anno ſua celebrare Provincialia Capitula; quando tamen erit (juxta præmiſſa) habenda auctoritas Generalium, primo habeatur, antequam dicta Capitula celebrentur.

CAPUT IX.

De Prædicatoribus, & ſecularium Confeſſoribus, & de his, qui eos inſtituere debeant, & ubi; de conditionibus eorundem Prædicatorum, & Confeſſorum, ac ætate, & quomodo in Fide ſuſpecti puniuntur; ſimiliter, quod nullus ſine licentia tradat prælo libros, ac impreſſioni.

Fratres non prædicent in epiſcopatu alicujus Epiſcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum, nec in alienis Eccleſiis in Ordinis ſcandalum, & dedecus: licet tamen eiſdem Fratribus, ubi pro tempore fuerit conſuetum, ut in Quadrageſima, proceſſionibus, & ſimilibus, cum Prælatorum ſuorum licentia prædicare.

Nullus etiam Fratrum populo audeat prædicare, niſi a Generali Miniſtro fuerit examinatus, & ab eo, vel a Provincialibus Miniſtris in ſuis Provincialibus Capitulis, vel ab aliis, quibus per Generalem Miniſtrum fuerit commiſſum, ſibi officium prædicationis conceſſum, & tale prædicandi offi-

eium prævia examinatione injunctum. Poſſint nihilominus præfati Miniſtri revocare, ſuſpendere, & arctare, ſicut, & quamodo eis videbitur expedire. Nec ad tale officium quempiam admittant, niſi ſit ſacerdos, vel diaconus, & ætatis ad minus 25. annorum, competentis litteraturæ, vitæ, ac moribus comprobatus, cujus doctrina merito populi ædificari valeant: & in ſingulis provinciis de novo a Generali Miniſtro, vel ejus Commiſſariis in proximis earundem Capitulis omnes Prædicatores, & etiam Confeſſores hactenus inſtituti examinentur, & ſi qui inventi fuerint minus idonei, ab hujuſmodi officiorum exequutione de Patrum conſilio ſuſpendantur, & de cetero diligentiſſime inſtituantur.

Promoti ad prædicationes, & confeſſiones per alios, quam per Generales, extra ſuam provinciam, non poſſint redeuntes ad proprias provincias officia ipſa exercere ſine conſenſu Patrum, vel Capituli ipſius provinciæ.

Nullus ad prædicationes, ſeu ſecularium confeſſiones promoveatur, niſi in Capitulis Provincialibus, ubi eorum mores & cognoſcantur, & approbentur, & qui aliunde fuerit inſtitutus, ex nunc, niſi a Generali fuerit promotus, pro ſuſpenſo, & privato habeatur.

Nulli Fratrum, cujuſcumque exiſtat dignitatis, aut gradus, litteræ ubilibet prædicandi, cum annexis ſolitis auctoritatibus (quas Apoſtolicas vocant) amplius concedantur.

Et ut Fratrum vagus evitetur diſcurſus, deinceps Prædicatores non mittantur prædicaturi ad alienas provincias, niſi urgente neceſſitate, & tunc unico ſocio ſint in itinere contenti.

Prædicatores etiam eleemoſynas eis prætextu prædicationis oblatas non recipiant, nec de eis ſe intromittant, maxime quando in propriis conſtituuntur provinciis; ſed Guardiano conventus libere aſſignentur. Guardiani tamen teneantur de omnibus neceſſariis prædictis Prædicatoribus providere, & ſi hoc Guardiani non fecerint, convicti puniantur ad arbitrium Miniſtri: & in tali caſu liceat juſto titulo, & ſine ſcandalo Prædicatoribus, maxime extra ſuas miſſis provincias, ſibi neceſſaria procurare.

Nemo ſecularium inſtituatur Confeſſarius, niſi annorum fuerit 30. eum natu minores vix habeant eam perſonam, & gravitatem, quæ tantum decet officium.

Pro illo, quod ponitur in hoc capitulo Regulæ, videlicet: Moneo quoque, & exhortor eoſdem Fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, ſint examinata, & caſta eorum eloquia, ad utilitatem, & ædificationem populi, annuntiando eis vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam cum brevitate ſermonis &c. *Caveant omnino præfati Prædicatores, ne præſumant quiequam prædicare contra Romanæ Eccleſiæ libertatem, vel Eccleſiaſticis perſonis detrahere, vel (quod abſit) ſcandalum contra clericum, vel Religionem aliquam excitare, vel perſonam aliquam præſentem criminaliter nominare; ſed potius contra hæreſes, & ſchiſmata populos dirigere, & fideliter animare, in orthodoxæ fidei veritate firmare; contraque præſentem ſatanicam, & damnatam Lutheranorum hæreſim, in aliqua ſermonis parte (prout expedire videbitur) maxime invehantur.*

Si quis autem contra ſtatum, honorem, dignitatem, & Eccleſiaſticam libertatem temerarie præſumpſerit prædicare, ipſo facto prædicationis officio, & omni actu legitimo ſit privatus.

Quod ſi poſt dictam privationem præſumpſerit prædicare, per ſuos Prælatos, appellatione poſtpoſita, vel alio ſubterfugio, carceribus mancipetur: qui Prælati, ſi in prædictis negligentes fuerint, in eandem pœnam ſe noverint inci-

incidiſſe, niſi legitima, & rationabili cauſa de impotentia ſe valeant excuſare.

Præcipitur etiam omnibus, & ſingulis Fratribus, cujuſcumque gradus, aut conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne de cetero aliquis eorum publice, vel privatim audeat dogmatizare, prædicare, defendere, ſeu approbare aliquam doctrinam, concluſionem, vel ſententiam erroneam, & ſuſpectam in fide, hæreticam, damnatam, vel contra bonos mores, detectando fructum pœnitentiæ, & auſteritatis vitæ, exaltando carnalem amorem, ſeu talia dogmatizantibus, prædicantibus, vel defendentibus aliquem favorem impendere, aut cum talibus converſari, & familiaritatem habere, aut libros damnatos, & hæreticos, ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate apud ſe retinere. Si quis autem præfatis (quod abſit) aut alicui eorum contraire præſumpſerit, & canonice monitus non reſipuerit, ſtatim debeat a ſuo locali, aut provinciali Prælata carceribus mancipari, a quibus ſine Miniſtri Generalis licentia ſpeciali, & expreſſa nullatenus liberari valeat. Si autem Prælati in hujuſmodi decreti excommunione inventi fuerint negligentes, ſtatim ab officiis ſuis depoſiti intelligantur.

Deinceps nullus audeat per ſe, vel per alium tradere prælo, ſive imprimere, aut publicare libras, ſine Ordinarii, & Generalis Miniſtri licentia in ſcriptis: & præfatus Generalis Miniſter opera illa committat aliquibus probis, & doctis perſonis examinanda, & ſic approbata, & examinata cudendi, ſeu publicandi licentiam concedat. Si quis autem contrarium fecerit, ipſo facto omnibus actibus legitimis ſit privatus.

Præcipimus etiam per ſanctam obedientiam in virtute Spiritus ſancti omnibus Fratribus, ne in ſermonibus publicis, aut privatis, ſive confeſſionibus, vel aliquo quovis alio modo, verba, vel facto, publice, vel ſecreto, vel per ſe, vel per alios pedagia ſecularium rerum defraudent. Si quis contrarium fecerit, juxta menſuram delicti erit ad arbitrium Miniſtri & plagarum modus.

Confeſſiones mulierum audiantur in aliquo Eccleſiæ loco patenti, vel alio loco honeſto ad hoc deputato: & nullus Frater pro confeſſione audienda, ſeu alia quacumque de cauſa juxta mulierem ſtet, vel ſedeat, niſi ipſe, & ſocius libere poſſint ſe mutuo videre, quando fieri poſſit bono modo.

CAPUT X.

Quomodo Prælati in viſitando Fratres, & corrigendo formam ſervare debent canonicam, maxime in neceſſariis ad recta judicia; de perſona judicis, modo convincendi reos; de confeſſis, appellationibus; de quibuſcumque aliis, in quibus quis poteſt ſe præſtare juſtum judicem.

FRatres qui ſunt Miniſtri, & ſervi aliorum Fratrum, viſitent, & moneant Fratres ſuos &c. *Ut autem Prælati Ordinis noſtri in ſuis viſitationibus, inquiſitionibus, correctionibus, & proceſſibus juridice ex lege Dei, & ſecundum formam canonicam procedant; placuit nobis Generali Miniſtro tradere illis judiciarium modum procedendi in judicio, juxta ſententiam Doctorum, & ſacrorum Canonum, & maxime noſtri Alexandri de Ales in tertia parte ſuæ Summæ.*

Pro quo notandum, quod licet habeatur in declarationibus Regulæ, & ſtatutis noſtris conformiter ad capitulum: Ad hæc de dolo, & contumacia,

quod in Eccleſiaſticis perſonis, & negotiis rigor, & diſtrictio juris non requiritur; ibidem tamen ſubdit Papa, quod hoc tantum habet vim, ubi juſtitia propter hoc non periclitatur.

Ubi nota, quod ex hoc Prælati pro arbitratu ſuo non debent in ſuis judiciis procedere, ſed ex lege Dei, ſecundum ordinem Eccleſiæ: unde beatus Auguſtinus ſuper illud 1. *Corinth.* 6. Secularia judicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad judicandum, *inquit*, Noluit homines ab homine judicari ex arbitrio ſuſpicionis, ſeu extraordinario, uſurpatoque judicio; ſed potius ex lege Dei, ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſive ultro confeſſum, aut convictum. *Et ut Prælati noſtri ſciant, quomodo in dictis judiciis debeant procedere, eſt ſciendum, quod ſecundum jura triplices ſunt judices. Quidam ſunt ordinarii, qui ab Apoſtolico jure, ut Eccleſiaſtici, vel Imperatorio, ut ſeculares, legitimam accipiunt poteſtatem.* 2. *quæſt.* 6. *cap.* A judicibus. *Vel ſunt, quibus ex dignitate, vel officio, cui annexa eſt juriſdictio, convenit judicare: & hoc modo Generales, & Provinciales Miniſtri ſunt judices ordinarii, quibus ex officio eorum licet delinquentes judicare. Quidam arbitrarii, qui nullam poteſtatem habentes, cum conſenſu litigantium in judices eliguntur, ut habetur ibidem; in quos compromittunt, ut eorum ſententiæ ſtetur; a quibus non licet appellare, quia eis imputandum eſt, quia tales ſibi elegerunt judices.*

Horum autem quidam ſunt tantum arbitrarii, de quibus ut ſupra. Quidam vero ordinarii, & ſunt ii, qui legitimam poteſtatem habentes ab eis eliguntur ad arbitrandum, qui non ſunt ſuæ juriſdictioni ſuppoſiti; ut ſi ſit controverſia inter confinia, & quæſtas duarum provinciarum, & earum Miniſtri compromittant litem ſuam in Miniſtrum alterius provinciæ, ille tertius, licet ſit ordinarius in provincia ſua, ab illis tamen duobus Miniſtris eligitur in judicem, qui non ſunt ſuæ juriſdictioni ſubjecti, & ex tali compromiſſo licet judicare, & terminare litem, & non ex ſua ordinaria. Alii ſunt delegati, quibus una, vel plures cauſæ ab eo, qui habet juriſdictionem ordinariam, ut a Generali, vel extraordinariam, ut a Commiſſario ſuo particulari inſtituto, cum poteſtatis plenitudine committuntur judicandæ. Vel delegatus eſt, cui ex ſpeciali commiſſione ordinarii judicis convenit in certa cauſa judicare: hujuſmodi judex non poteſt ſubdelegare alteri ſibi commiſſas cauſas. Ex quibus elicio, quod Commiſſarius deſtinatus a Generali ad aliquam provinciam cum poteſtatis plenitudine non eſt delegatus, ex quo non una tantum, vel plures cauſæ ſibi committuntur judicandæ, ſed legatus, aut extraordinarius, qui poterit ſubdelegare, & ad aliquam cauſam determinatam in ſibi credita provincia alium ſubſtituere.

Sed quia, ut ſcribitur Deuteron. 1. Dei judicium eſt, *ideo judex in judicando vicem Dei gerit, & in tribus debet illi conformari, ſcilicet in poteſtate, in veritate, & in bonitate. Poteſtas in auctoritate. Veritas in judicio, ſive diſcretione. Et bonitas in rectitudine animi, & vitæ. Unde* Deuron. 16. Judices, & magiſtratus conſtitues in omnibus portis. *Ex tali enim conſtitutione habetur eorum auctoritas, ut judicent populum juſto judicio: ecce veritas judicii. Nec in alteram partem declinent: ecce rectitudo animi, & vitæ.*

Et nota, quod aliquæ perſonæ non ſunt idoneæ ad judicandum, quia carent poteſtate, & hoc vel ratione ſexus, ut mulier, cui dicitur ſub poteſtate viri eris, *vel ratione conditionis fortunæ, ut ſervus, de quo ſcribitur*, ſervi ſubditi eſtote, cum omni timore.

Aliæ excluduntur ab officio judicis, quia carent diſcretione, & judicio ve-

veritatis, & hoc vel ad tempus, ut minor ætate, vel ſemper, ut judex ſurdus, mutus, aut perpetuo furioſus. Aliæ excluduntur propter defectum bonitatis, & hoc aut propter contagium converſationis, ut excommunicati, aut propter ignorantiam, ut extranei, & incogniti. Propter etiam ſuſpicionem malitiæ excluduntur inimici rei, vel aliqua alia cauſa ſuſpectis.

Duplex eſt judicium, ſcilicet temerarium, quod prohibetur, & ordinatum ſecundum legem Dei, quod conceditur homini. Et hoc etiam eſt duplex, ſcilicet diſcretionis, quod eſt in manifeſtis, & certis. De quo 1. *Corinth.* 2. Spiritualis homo judicat, & ipſe a nemine judicatur. *Et correctionis, quod conceditur Prælatis. De quo in Pſalmo*: Erudimini, qui judicatis terram.

Temerarium autem poteſt eſſe, vel ex parte judicantis, vel ex parte rei judicatæ. Primo modo tripliciter, ſcilicet uſurpative, de quo Auguſtinus ſuper illud: Quis es tu, qui judicas? *inquit*. Noluit hominem ab homine judicari extraordinario, uſurpatoque judicio. *Indignitate*; *de quo ad Rom.* 2. In quo alterum judicas, te ipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. *Et per ignorantiam, de quo Daniel* 13. Sic fatui filii Iſrael, non judicantes, neque quod verum eſt cognoſcentes, condemnaſtis filiam Iſrael?

Secundo modo ex parte rei judicatæ, & hoc tripliciter. Primo quando judicatur perſona, quantum ad eventum futurum, unde gloſſa ſuper illud: Nolite judicare. Neſcimus qualis futurus eſt, qui nunc apparet malus, de cujus correctione deſperare temerarium eſt.

Secundo, quando judicatur intentio incerta, unde ab Auguſtino, ubi ſupra, dicitur: Sunt quædam incerta, quæ animo fiunt, *& ad Rom.* 14. Manducans non manducantem non judicet.

Tertio, quando judicatur factum occultum, de quo 1. *Corinth.* 4. Nolite ante tempus judicare. *Homo enim non poteſt eſſe judex alterius de incertis, & occultis; nam de talibus* Pater omne judicium dedit Filio. *Joan.* 5.

Licet etiam judex malus de merito, & idoneitate non poſſit ſubditos bonos judicare, poteſt tamen de poteſtatis officio: judex etiam non poteſt in eadem cauſa eſſe teſtis. Unde Bonifacius IV. q. 4. Nullus unquam præſumat accuſator eſſe ſimul, & teſtis: quoniam in omni judicio quatuor perſonas neceſſe eſt eſſe, judices electos, accuſatores idoneos, defenſores congruos, atque teſtes legitimos. *Et Auguſtinus in homilia de pœnitentia ait*: Quod nemo audeat judex fieri ſimul, & accuſator: judex enim eſt perſona media, quæ in nullam partem declinare debet. *Inferior etiam licet poſſit monere Superiorem, ut patet de Bernardo, qui ad Eugenium Papam dixit*: Moneo te, non arguo (*arguere enim eſt proprie Superiorum, ut patet per Paulum ad Titum*: Argue cum omni imperio) *poteſt tamen reprehendere Superiorem; cum reprehenſio magis fiat verbis, quam verberibus; non tamen poteſt judicare, quod proprie eſt Superioris. Sapien.* 4. Audite Reges, & intelligite, diſcite judices finium terræ.

Judex etiam non poteſt ſecundum conſcientiam judicare, loquendo de conſcientia facti, & non juris: unde Ambroſius ſuper Beati immaculati, *inquit*: Qui bonus judex, nihil patratum, aut meditatum de domo refert, ſed ſicut audit, judicat, & nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed juxta leges, & jura pronuntiat. *Et Auguſtinus, ubi ſupra*: Multi corriguntur, ut Petrus, multi tolerantur, ut Judas, multi neſciuntur, quouſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum. Nos vero a communione quempiam prohibere non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut convictum.

Pro quo nota, quod conſcientia juris eſt, quæ judicat ſecundum allegata, & di-

& diligenter diſcuſſa; & ſecundum iſtam judex judicare debet, & non ſecundum conſcientiam facti. Aliud eſt enim judicare judicii veritatem, aliud judicare veritatem; quia veritas judicii eſt reſpectu convictionis, vel probationis rei legitimæ; veritas vero facti eſt reſpectu facti, vel rei, quæ eſt, vel non eſt: & talis eſt conſcientia facti, quæ formatur ex ipſa facti opinione, vel ſcientia.

Et quia ſcriptum eſt: Innocentem non condemnabis, *dicit Alexander de Ales in 3. parte Summæ*: Quod judex laborare debet quantum poteſt (ſalva juſtitia) ad repellendum accuſationem contra eum, quem ſcit innocentem, & ad repellenda teſtimonia: ſi tamen contingat, quod nulla exceptione juris accuſationem, vel teſtimonium repellere poſſit, nec aliqua occaſione ſententiam differri contingat, conſilium eſt, ut remittat ad judicium Superioris, cui ſignificet veritatem, quam novit. Superioris autem poteſtas, quæ nulli ſubeſt, de poteſtatis plenitudine poteſt juris ſententiam mitigare, ſeu remittere. Si tamen ſine ſcandalo judicium non poteſt differri, dicitur, quod ſi condemnaret innocentem cum dolore, tamen non eſſet reus; quia judicaret convictum nocentem. Si quæratur, an judex poſſit ſine miſericordia animadvertere in reum, videtur, quod non; *cum Jacobi 2. ſcribatur. Judicium ſine miſericordia his, qui non faciunt miſericordiam*. Dico conformiter ad beatum Ambroſium in libro de officiis, quod eſt injuſta miſericordia. *Et paulo poſt*: Nonne judex cum indulget indigne, ad prohibitionis contagium provocat univerſum? Facilitas enim veniæ præbet incentivum delinquendi. Miſericorditer ergo punitur unus, ut ſalventur multi, ſicut miſericorditer abſcinditur unum membrum putridum, ne ſana pars corrumpatur, vel lædatur. *Beatus igitur Ambroſius intelligit, quod non eſt miſerendum perſonæ in detrimentum multorum.*

Judex etiam poteſt in ſe delinquentes punire, non intuitu perſonæ ſuæ, aut propriæ excellentiæ, & honoris, ſed intuitu Dei, & Eccleſiæ, cujus eſt Paſtor. Unde beatus Ambroſius inquit, quod ad preces Heliæ ignis deſcendit de cælo, ut vindicaretur Prophetæ injuria, quæ cenſenda non eſt, niſi injuria Dei. Unde per hoc, quod ignem de cælo poſtulavit, non cujus meriti eſſet apud Deum, voluit oſtendere; ſed quod ipſe eſſet verus Deus, quem colebat.

Defectus etiam puniri debent tribus concurrentibus, videlicet juriſdictione, convictione, & pace, ſcilicet ſalva Eccleſiæ unitate.

De primo Auguſtinus ſuper priorem Epiſtolam ad Corinth. cap. 6. De his, qui foris ſunt, cum non ſint noſtræ juriſdictioni ſubjecti, Dominus judicabit; ab his vero, qui infra nos ſunt, ideſt fidelibus, putredo reſecanda eſt.

De ſecundo idem Auguſtinus, ubi ſupra cap. 12. Si judex es, ſi apud te accuſator ſit, ſi veris teſtibus convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada.

De tertio, ideſt pace Eccleſiæ, præfatus Auguſtinus in Epiſtola contra Epiſtolam Parmeniani: Quandocumque crimen notum eſt, & omnibus execrabile apparet, ſi tales non habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ. *Et infra*: Cum quis Chriſtianorum in aliquo peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus inveniatur, fiat hoc, ubi periculum ſchiſmatis nullum ſit. *Medicina enim non debet eſſe morbo deterior; propterea in talibus ad tempus eſt differenda pœnitentia. Unde dictus Auguſtinus in libro de conflictu vitiorum*: Errata delinquentium quandoque ad tempus ſilentio tegenda ſunt, ut aptiori tempore corrigantur.

Ceterum Innocentius III. in Concilio Generali: Ad corrigendos exceſſus (*dimiſſis notoriis, de quibus infra*) tribus modis poteſt procedi, videlicet

per

per accuſationem, denuntiationem, & inquiſitionem, & in omnibus his diligens adhiberi debet cautela, ne per leve compendium ad grave deveniatur diſpendium.

Juris periti diſtinguunt, quod in accuſatione agitur ad degradationem, & amotionem ab officio, & ideo accuſator debet ſe inſcribere, ideſt obligare ad pœnam contrapaſſi, vel talionis, quæ innititur per inſcriptionem Deuteron. 25. Si fuerit cauſa inter aliquos, & interpellaverint judices, quem juſtum eſſe perſpexerint, illi juſtitiæ palmam dabunt.

In denuntiatione agitur ad pœnitentiam, & correctionem ſecundum effectum miſericordiæ, & non ſeveritatem juſtitiæ, prout ſit in accuſatione: ideo debet præcedere charitativa admonitio. Et dictus proceſſus accipitur, Leviticî 5. *ubi dicitur*: anima, quæ audierit vocem jurantis (*ſcilicet falſum, ſecundum gloſi. Interlinearem*) teſtiſque fuerit, aut conſcius; niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam. *Ubi Auguſtinus*: quod indicare debet ei, qui prodeſſe poteſt, & non obeſſe: *& iſta indicatio eſt denuntiatio, de qua in cap.* In omni negotio de teſtibus, & atteſtationibus, *traditur forma, ſecundum quam debet denuntiare crimen alterius. Qui enim alium vult denuntiare, primo admoneat illum inter ſe, & ipſum ſolum, juxta illud Matth.* 18. Si peccaverit inter te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: *& habetur pro uno teſte, quantum ad probandam admonitionem: & ſi non corrigitur, adhibeat unum ſecum, & ſic erunt duo teſtes: & ſi adhuc ſe non corrigit, adhibeat duos, & erunt tres*: in ore enim duorum, vel trium ſtat omne verbum: *poſtea dicat, & denuntiet Prælato.*

In inquiſitione agitur ad amotionem ab adminiſtratione, & exequutione officiorum: & quia in Prælatis eſſet periculum, ſi quæcumque delatio admitteretur; ideo inquiſitionem debet præcedere clamoroſa inſinuatio, vel infamia, quæ non intelligitur ſecundum voces vulgi, quæ vanæ ſunt ſecundum jura; ſed ſecundum voces perſonarum gravium, & honeſtarum: unde dictus Innocentius ait: Si exceſſus per clamorem, vel famam ad aures ſuperioris pervenerint; non quidem a malevolis, & maledicis, ſed a providis, & honeſtis, nec ſemel tantum, ſed ſæpe; debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentius perſcrutari: & hoc fit, ut falſæ, & malignæ criminationi præcludatur janua: unde enim jura procedunt, injuriæ non debent naſci.

Proceſſus inquiſitionis ſumitur Lucæ 16. *ubi dicitur villico, qui diffamatus fuerat apud dominum ſuum*: Redde rationem villicationis tuæ. *Et Geneſ.* 18. Clamor Sodomorum multiplicatus eſt, deſcendam, & videbo, ſi clamorem, qui ad me venit, opere compleverint.

Ordo etiam judiciarius ſic eſt diſpoſitus, ut primo actori, vel accuſatori debeatur requiſitio judicis; cum nullus poſſit eſſe judex in cauſa propria. Secundo determinatur judicis auctoritas, de qua Deuter. 16. Judices, & magiſtratus conſtitues in omnibus partibus: *ex ipſa enim conſtitutione ſumitur auctoritas. Tertio ſequitur citatio rei, & ejus contumacia, de qua Numerorum* 16. Miſit Moyſes, ut vocaret Datan, & Abiron, *citando eos ut comparerent coram illo in judicio: & ibi exprimitur contumacia, qua dixerunt*: Non venimus. *Nullus enim abſens poteſt damnari, niſi fuerit abſens ex contumacia: citatio enim eſt de jure divino. Unde Actuum* 25. *Feſtus dixit*: Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam is, qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, *quæ ei objiciuntur: & Joan.* 7. *dicit Nicodemus*: Numquid lex noſtra judicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognoverit quid faciat? *Quarto conceduntur exceptiones, quæ ſunt quædam excluſiones*,

ner, quæ interponuntur actioni cujuslibet rei, ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemque deductum eſt; & ſunt, quando in perſonas teſtium crimina objiciuntur, ut puta, quod ſint infames, excommunicati, confeſſi, vel convicti de crimine in judicio. Quinto admittuntur recuſationes, ſeu declinationes, ut puta a judice ſuſpecto. Sexto formatur libellus, quem accuſator offert judici ſub hac forma: Ego N. coram, vel apud Prælatum, ſeu judicem talem refero N. reum legis Juliæ, de adulterio, quod commiſit cum N. dum eſſet cum ea, menſe tali, in domo tali, regnante tali Conſule. *Et dicitur etiam inde ſcriptio, quia obligat accuſatorem, ſi crimen non probaverit, quod impoſuit, ad talionis pœnam. Septimo determinantur ſatisdationes, quas nos lingua Italica dicimus*, ſicurtà. *Octavo admittuntur dilationes. Ultimo ſequitur litis conteſtatio, cum juramento de calumnia, quo jurant partes, ſe non animo calumniandi agere, vel reſpondere.*

Introducuntur tamen talia, ſecundum Canones, quædam in favorem actoris, quædam in favorem rei, quædam in ſuffragium utriuſque. Primo modo introducitur requiſitio judicis, locus, & auctoritas judicantis, modus citationis, & punitio contumacis. In favorem rei introducuntur exceptiones, quæ elidunt actiones actoris principaliter contra malignitatem voluntatis; recuſationes propter ſuſpicionem contra perverſitatem poteſtatis; libellus, qui continet intentionem actoris, ne poſſit poſtea ſe immutare, contra perverſitatem veritatis. In ſuffragium utriuſque introducuntur ſatisdationes, quæ dantur a reo, & procuratore actoris, quoad uſque in finem litis permanebit contra injuſtam declinationem judicii; dilationes, quæ dantur ad deliberandam contra præcipitationem conſilii; & juramentum de calumnia.

Et omnia iſta ſunt conſona juri divino. Levit. 19. Juſte judica proximo tuo. *Lex enim Dei, licet ſit ſufficiens ad omnia, quæ ſunt neceſſaria, tamen quia infinita eſt hominum malitia, ideo miniſtris legis reliquit ſtatuere, & determinare, quæ ſunt expedientia. Ideo Deut.* 17. *dicitur*: Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, decreto judicis morietur.

Sed quia ſuperius dictum eſt, quod judices in confeſſos, & convictos poſſunt tantum animadvertere, ideo, ut in hoc judices ipſi ſciant, quomodo erga tales ſe habere debeant, eſt ſciendum primo quoad confeſſos, quod Clemens III. in cap. Cum monaſterium de confeſſis, *inquit*: Eos, quorum ſuggeſtione ſcelus homicidii ſe Presbyter perpetraſſe proponit, niſi aliis modis verum eſſe conſtiterit, nulli cenſemus pœnæ ſubdendos; cum ſecundum utriuſque juris ſtatuta de ſe confeſſi ſuper aliorum conſcientiis interrogari non debent, & de reatu proprio confitentis periculoſa confeſſio non eſt adverſus quemlibet admittenda. Si tamen eos infamia hujuſmodi laborare cognoveris, purgationem injungas canonicam. *Militat ergo confeſſio illa contra confitentem, eam ex ore ipſius judicetur; ſed non contra ſceleris ſocios. Si quis igitur confitcatur conſocium criminis, non eſt teſtis idoneus ſecundum leges contra ſocium; nec talis confeſſio facit indicium contra eundem; quia ex quo confeſſus eſt crimen ſuum, eſt infamis infamia facti, ideo non teſtis omni exceptione major. Reus autem probatur talis, ſeu convincitur (ut ad præſens ſpectat) quinque modis: ſed antequam de ipſis ſigillatim loquamur, præſuppono unum; videlicet quod forum neutrius generis ſignificat territorium cujuſcumque judicis, infra quod poteſt in facinoroſa animadvertere.*

Probatio igitur eſt convictio rei dubiæ, faciens fidem, &, ut prædixi, fit quinque modis, videlicet per facti evidentiam, per famam, per præſumptionem, per juramentum, & per teſtimoniam.

Quoad primum dico, quod eſt evidens, ſive notorium juris, & facti.

Juris

Juris eſt illud factum, ut dicit Decretalis: De quo quis canonice eſt condemnatus. *Notorium vero facti eſt duplex, ſcilicet, aut facti præſumpti, aut manifeſti; præſumpti, ut paternitas, & filiatio, ſicut dicit lex, quia ſemper mater certa eſt, pater vero eſt, quem nuptiæ demonſtrant. Notorium vero facti manifeſti eſt, de quo fama publica ſuum præſtat adminiculum, & ipſa rei evidentia proteſtatur, nec poteſt aliqua tergiverſatione celari.*

Quocumque iſtorum modorum crimen notorium ſit, poteſt judex ex officio ſuo punire criminoſum, quamvis coram eo non accuſetur, nec teſtibus convincatur. Quo vero ad probationem per famam, dico ſecundum noſtrum Alex. ubi ſupra, quod probatio per famam non admittitur ad convictionem maleficii, quæ eſt ad condemnationem: admittitur tamen ad probationem honeſti matrimonii, cum jura facilia ſint ad recipiendum probationem honeſti, & difficilia ad recipiendum probationem turpitudinis, unde ſit reatus condemnandus: ideo ad convincendo maleficia non eſt admittenda probatio per famam ſolum, cum nec faciat, de mente Bartholi, indicium, niſi jungatur cum aliis indiciis: fama tamen cum uno teſte in civilibus facit plenam probationem, ut habetur in capitulo Veniens, & primo de teſtibus: *ſecus eſt in criminalibus.*

Quantum ad probationem per præſumptionem eſt ſciendum, quod præſumptio eſt conjectura, ſeu argumentum ad credendum unum factum per probationem alterius facti, & in judicio debet admitti 27. quæſt. prima. Certe ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio, & conjacentium duorum oſculatio, tarpis, & fœtida dormitio, dedecus criminis confitentur. Et dicta præſumptio eſt quadruplex, ſcilicet temeraria, violenta, levis, & probabilis.

Temeraria eſt, quando apparet conjectura boni, & non mali, & ex tali facto ſurgit ſuſpicio temeraria, & judicium, quale fuit illud Phariſæi, Lucæ 7. qui dicebat intra ſe: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. *Indicabat enim Chriſtum non eſſe Prophetam, quia permittebat ſe contingi a muliere.*

Violenta eſt contrariæ huic, quando ſcilicet apparet conjectura mali, & non boni, & in quo omnia ſigna ſunt mala, & ex tali præſumptione ſurgit violenta ſuſpicio, qualis fuit præſumptio in judicio Salomonis, cum adjudicavit puerum mulieri, quæ compatiebatur morti ejus.

Levis eſt, in qua eſt conjectura parva mali, & magna boni, ex qua conſurgit ſuſpicio levis in judicium leve, quale videtur fuiſſe illud Salomonis 3. Reg. 2. cum adjudicavit fratrem ſuum interfici, quia petierat Abiſag Sunamitidem. Unde ſi vir bonæ famæ videatur ſemel loqui cum muliere in loco ſuſpecto, in talibus dicitur, quod dubia ſunt in meliorem partem interpretanda.

Præſumptio vero probabilis eſt, quando conjectura in pluribus, & fere in omnibus ſignis eſt mala, & parva ſunt ſigna bona, de qua Matth. 7. Attendite a falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium: a fructibus eorum cognoſcetis eos: *fructus dicit actus plures, ex quibus ſumitur probabilis malitiæ conjectura, quamvis aliquod ſignum appareat ſimplicitatis.*

Ex præſumptione ergo temeraria, quæ provenit ex perverſitate accuſantis, & ex præſumptione levi, quæ provenit ex indiſcretione, non eſt argumentum probationis in judicio, nec debent talia movere animum judicis, de quo Matth. 7. Nolite judicare. *Ex præſumptione vero probabili non debet induci judex ad ferendam ſententiam, ſed ad indicendam purgationem canonicam,*

nicam, ut dicit Decretalis, de purgationibus. *Ex præſumptione autem violenta ſumitur argumentum probationis ad ferendam ſententiam, ſicut fecit Salomon in ſupra dicto exemplo: & illa conſurgit ex ſpecie mala, quæ prohibetur* 1. *ad Theſſal.* 5. Ab omni ſpecie mali abſtinete.

Probatio per juramentum differt a probatione per teſtes, quia ad purgationem innocentiæ de objecto crimine admittitur juramentum accuſati, vel denuntiati, quod non admittitur ad probationem culpæ. Probatio per teſtimonium, quod etiam eſt juramento firmatum, & perſonarum differentium ab actore, requiritur ad convictionem culpæ; ſicut autem purgationem innocentiæ ſequitur abſolutio accuſati, ita convictionem culpæ ſequitur damnatio.

Purgatio igitur canonica fit per juramentum, & bonorum teſtimonium: unde habetur in cap. Quoties de purgatione canonica: quod infamatus, contra quem crimen probari non poteſt, debet ſe purgare juramento. *Tenor purgationis talis eſſe debet*: Jurabit Prælatus, vel alius purgandus ſuper ſancta Dei Evangelia, quod non commiſit objectum ſibi crimen. Compurgatores jurabunt, quod credunt eos juraſſe verum. *Tales enim, ut habetur in cap.* Teſtibus de purgatione canonica, *jurant tantum de credulitate, quos oportet tolerator eſſe ab Eccleſia, bonæ famæ, nec de crimine condemnatos, & debent habere notum eum, quem purgant.*

Quo autem ad probationem per teſtes eſt notandum, prout habetur in titulo, de teſtibus, *quod iidem teſtes ſunt diligenter examinandi, & debent de ſingulis circumſtantiis prudenter inquiri, videlicet de cauſis, perſonis, locis, tempore, auditu, viſu, ſcientia, credulitate, & fama: hoc autem fit, ut ſciatur quanta fides ſit dictis teſtium adhibenda. Tria enim ſunt, quæ poſſunt derogare fidei teſtium ſpecialiter, ſcilicet res, tempus, & locus, cum in his diſſentiunt; res, ut quando unus de una re, vel perſona teſtificatur, & alius de alia: ex quo enim non conveniunt, nihil probant.* 35. *q.* 6. *Tempus, ut cum unus teſtificatur factum in uno tempore, alius in alio* 4. *q.* 9. *Teſtium voces, tamquam plurium non admittuntur, quos temporum diverſitas ſimul eſſe prohibuit. Locus, ut cum unus teſtificatur aliquid factum in uno loco, & alius in alio; & hoc modo reprobatum eſt teſtimonium ſenum* Danielis 13. *Nec creditur teſti vario, & vacillanti.* 2. *q.* 3. *Et ratio eſt, quia quilibet eſt teſtis ſingularis, & lex dicit*: Deuteron. 19. Non ſtabit teſtis unus contra aliquem. *Si autem teſtis profiteatur, ſe de tempore non recordari, nihilominus ei creditur.*

Teſtes ſingulares dicuntur, quando deponunt ſuper diverſis factis: ita quilibet eſt ſingularis, & ſolus de facto ſuo reſpectu objecti; ſed quando crimen, ſuper quo deponunt, fuit repræſentatum ſenſibus teſtium eodem tempore, tunc ſunt conteſtes, quia deponunt de eodem facto.

Teſtes autem ſingulares nullo modo poſſunt conjungi (ut dicit Angelica) ad faciendum judicium, niſi ſit teſtis omni exceptione major, & multo minus ad faciendam plenam probationem: & ratio eſt, quia cum duo teſtes regulariter requirantur ad judicium, tales non ſufficiunt, quia unumquodque dictum per ſe eſt imperfectum; ex quibus infert Angelus, quod duæ mulieres dicentes ſe peccaſſe cum aliquo, non poſſunt jungi ad faciendum judicium perfectum pro arctando ad veritatem dicendam; maxime cum deponant de delicto perpetrato in ſuo corpore, per Bart. in l. Si quis in gravi, *ff.* ad Senatus conſultum.

Nec etiam eſt ſtandum pluralitati teſtium, ſed æſtimationi majoris honeſtatis; cum non ad multitudinem reſpici oporteat, ſed ad ſinceram teſtium fidem.

fidem. Exodi 23. Non ſequeris turbam ad faciendum malum; nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero declines. *Unde ſecundum legem, juniori ſemper ſeniorem, & amplioris honoris inferiori, & mari fœminæ, & ingenuum liberto præferemus. Si autem omnes teſtes producti, ex utraque parte ſint ejuſdem honeſtatis, honoris, & conditionis, quibus erit credendum? Dico, quod in judiciis generaliter pro reo eſt ſententiandum; cum in teſtibus æqualitas eſt, ſequendi ſunt teſtes, qui ad humanam declinant ſententiam, & hæc niſi favorabiliter ſit pars actoris, quia videlicet ſtat pro libertate, pro dote, pro teſtimonio, pro pupillo, vel vidua: hæc enim declinant ad humanam ſententiam, ut habetur Eccleſiaſtici* 4. Eſto pupillis in judicando miſericors.

Si vero quæratur, an Prælati debeant deferre appellationibus ſubditorum ſuorum? Reſpondet Alex. III. in cap. Ad noſtram de appellationibus: quod a correptione legitima non appellatur, niſi modum excedat; *ubi ponitur talis caſus*: Abbas ſancti Petri quæſivit a Domino Papa, an deberet deferre appellationibus Monachorum ſuorum a correctione interpoſitis. Reſpondet Papa: Quia vero remedium appellationis, non ideo inventum eſt, ut alicui præſtaret patrocinium in ſua nequitia exiſtendi, mandamus quatenus, ſi quando quiſpiam ſubditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit, non ideo minus eum juxta tenorem mandati, quod in prædicta Regula continetur, & inſtitutionem Ordinis, corrigas, & caſtiges. *Appellatio eſt a minori ad majorem judicem provocatio*, 2. *q.* 9. *c.* Omnis oppreſſus.

Nullus Prælatus Ordinis teneatur ſervare proceſſus, ſive confeſſiones Fratrum, vel alia acta judicialia ultra ſex menſes poſt Capitulum Generale, aut Provinciale, ſi ad illud res eſt deducenda, ſed infra dictum tempus quilibet, qui vult querelas dare de injuſtitia ſibi facta, teneatur perſonaliter, vel per litteras ſignificare ſuo Superiori, coram quo querela erat danda, & elapſo illo tempore imponitur ſilentium perpetuum.

Teneantur Fratres exeuntes per obedientiam in reditu ſuo ſecreto Guardiano, & etiam alteri Superiori in abſentia Guardiani exceſſus ſociorum notabiles intimare; & ſi unus Frater exceſſus alterius ſciverit per duas vias, utpote per confeſſionem, & per alium modum, non propter hoc minus (ut prædicitur) teneatur dicere Guardiano, & alteri Prælato ab eo requiſitus per obedientiam; quia hoc nullo modo ſigillo confeſſionis præjudicat, quin potius ſi faciat, inobedientiæ crimen incurrit: & ſi quis contrarium obſervaverit, & correctus revocare noluerit, omni actu legitimo privetur.

Dogmatizare etiam, quod Frater, qui Fratrem corripit de aliquo exceſſu ſecundum Evangelii normam in occulto, non tenetur dicere Prælato, quamvis ab eo per obedientiam requiſitus; ſimiliter, quod quando aliqui ſunt ſocii in crimine, non tenetur alter alterum revelare Superiori, qui poteſt, & debet prodeſſe, & animarum præcavere pericula; declaratur, eſſe doctrinam peſtiferam, & non ſanam; pro eo, quod cedere poteſt in detrimentum Ordinis, & regularis diſciplinæ præjudicium, cum Prælati ſcire debeant ſubditorum exceſſus, non ſolum ut puniantur, quando confeſſi, aut convicti ſunt, ſed ut periculum præcavere poſſint; & idcirco omnes taliter dogmatizantes, & pertinaciter tenentes, non ſolum omni actu legitimo ſint privati, ſed & carceri mancipandi.

Nullus Frater accuſare audeat aliquem de crimine, quod ipſe probare per legitimos teſtes non poteſt: qui vero contrariam fecerit, talionis pœna puniatur. Dicimus autem accuſantem, qui coram Prælato ſe obligat per te-

ſtet idoneos ad probandum. Idem etiam fiat de illo, qui Guardiani, aut alterius Fratris defectus per litteras, vel alio modo ad Capitulum mittit; & eadem talionis pœna puniatur, qui aliam de delicto, de quo alias fuit ſufficienter correctus, ſcienter accuſaverit, aut per litteras Capitulo, ut iterum puniatur, ſignificaverit. Si autem in probatione infamiæ, de qua accuſat, tunc deſierit, pro culpæ modo legitime puniatur. Eadem etiam talionis pœna puniatur, qui alium accuſaverit de illis, quæ jam in Capitulo fuerant tanquam falſa reprobata; niſi de novo ad novam ſe obliget probationem, in qua ſi defecerit, pœna, quæ reo deberet imponi, puniatur.

Diſtricte per obedientiam inhibemus, ne perſonæ accuſantes accuſatis, vel aliis aliquo modo ſcienter revelentur: quod maxime de nominibus accuſantium inhibemus Miniſtro; niſi de crimine accuſati in ſua accuſatione petierint a ſuo Superiore ſibi accuſantis, & teſtium nomina revelari: & quicumque contrariam fecerit, revelando videlicet, vel inquirendo, non poſſit, niſi per Miniſtrum Provincialem abſolvi, vel per alium, cui ipſe in ſpeciali duxerit committendum.

Circa viſitationes ad Capitula, ſive Generalia, ſive Provincialia tranſmittendas, vel contra Prælatos quoſcumque, vel contra ſubditos, ſequens obſervetur forma, videlicet, quod fiant omnino ſecreto per ſcrutinium cum triam Patrum diſquiſitione, ut puta, quod ipſi Diſquiſitores audiant Fratres deponentes, & ſi quid depoſitum fuerit in infamiam Prælati, exigant a deponente probationem, & ſi in probatione defecerit, ſit nulla depoſitio ſua: ſi autem intentam probaverit, probatio hujuſmodi non publicetur Fratribus, ſed clauſa, & ſigillata ad Capitulum, vel Generale, vel Provinciale per Cuſtodem, vel Diſcretum tranſmittatur in Definitorio diſcutienda ſine dicti Prælati præſentia.

Et ubicumque ſunt Fratres, qui ſcirent, & cognoſcerent, ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare, ad ſuos Miniſtros debeant, & poſſint recurrere. *Declaramus tamen, tunc ad prædictos recurrendi juſtam eſſe cauſam, cum tali loco eſt annexa proprietas, vel cura animarum, pueros baptizandi, & alia Parochialia exercendi; aut quia propter neceſſariorum penuriam oportet eos in fructuum congregationibus, vel quæſtibus inhoneſtum incurrere contra Regulæ puritatem, & uſum Ordinis generalem occupari; aut propter ſocietatem inhoneſtam, vel importabilem Fratribus; præſertim radibus, & infirmis: pro hujuſmodi autem cauſis, & ſimilibus Fratres debeant, & poſſint ad ſuos Miniſtros recurrere, per eoſdem inde pie, & paternaliter amovendi, & in locis devotis, & ſpiritualibus collocandi.*

Nullus tamen Frater extra ſuum conventum, vel provinciam pro tali ad Superiorem recurſu exeat ſine Guardiani ſui, aut Miniſtri Provincialis licentia reſpective; & quando a Guardiano, vel a Diſcretis judicantibus cauſam legitimam ad Prælatum recurrendi fuerit licentia munitus, in litteris, quas ad Superiorem mittant, exprimant prædictam cauſam.

Sequitur modus, quem Generales, Commiſſarii, Miniſtri, & Viſitatores in ſuis viſitationibus ſervare debent.

Primo. Nullo modo ſe intromittant de omnino occultis, ſed tantum de his, quæ denuntiata ſunt ab homine, vel de quibus eſt fama, & clamoroſa inſinuatio. Secundo. Viſitabunt, & inquirent de paupertate, an ſcilicet Fratres teneant aliqua contra voluntatem Prælatorum, vel ſine ſcitu ipſorum; ſi tenent res pretioſas de argento, vel de auro: poſtea ſi habent res ſuper-

perſuaſi, vel curioſas: deinde ſi tenent pecuniam penes alium, quam Procuratorem, vel ejus ſubſtitutum, & ſi tantum (ut teneantur) pro imminenti, vel præſenti neceſſitate, & cum licentia Prælatorum: item ſi faciunt congregationes rerum contra Regulæ puritatem, ſi quærunt pecunias ſine neceſſitate, & in caſibus non conceſſis, vel modo indebito, ut ſi tenent eam in cippis, arculis, vel alia loco, ex quo pro arbitratu ſuo poſſunt illas extrahere; ſi ſint appropriatores locorum, ſi equitant in caſu non permiſſo, & cum burſariis, ſi deferunt calceamenta ſine neceſſitate, & licentia, ſi deferunt pannos, & habitus curioſos, diverſos in pretio a communitate; ſi promoventur indigni, ſi in electionibus fiunt ſuborationes, ſi ſint partialitates in provincia, & qui ſint illarum cauſa, aut nutriunt eas; ſi charitas & ab Infirmariis, & Guardianis ſit infirmis, & hoſpitibus; ſi ſervatur a quibuſcumque communitas; & ſi offendiculum aliquis ſe præſtat ſecularibus; ſi quis etiam deliquerit verbo, vel facto, in voto honeſtatis; & ſi habent aliqua ſuſpecta conſortia.

Viſitentur ſemel ſaltem in quolibet anno cellæ Fratrum, & omnes res, quas habent, & omnia ſuperflua, & curioſa ab eis auferantur; & juxta Regulam moneant, & humiliter, & charitative corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & Regulam noſtram.

CAPUT XI.

De ſuſpectis conſortiis, vitandis offendiculis, & ſcandalis cujuſcumque; de ſequeſtrationibus a ſociis, collocutionibus cum Monialibus, ingreſſibus Monaſteriorum earundem, & de modo ſervando, cum illa ex officio ingreditur quis; de omnibus ſtatutis ad eas ſpectantibus, & quomodo non poſſunt trahi ad judicium; & de caſibus, in quibus cum recipiunt Moniales, incurrunt ſimoniam.

Capitulum hoc duo prohibet, videlicet ſuſpecta conſortia, & ingreſſum Monaſteriorum Monialium. Quoad primum, notandum, quod, ut inquit ſanctus Bonaventura, ſuſpectum conſortium eſt non ſolum de mulieribus, ſed de quibuſcumque perſonis ſuſpectis, ubi locus, tempus, geſtus, aſpectus, & alia notabilia indicia ſuſpicionem non excludunt, ut ſi locus quærutur pro mulierum colloquio ſolitarius, aut obſcurus, & tempus nocturnum, vel alias importunum: ſi geſtus ſit diſſolutus, utpote ex nimio mulieris uppropiuquitate, vel faciei ad eam fixis oculis converſione, manibus juncti: tale etiam eſt ſuſpectum conſortium. Item ſi ſolitaria ſint, excluſo aliorum auditu, licet non viſu, ex inteutione maxime ſi ſint ſolitarie prorogata ſine piu cauſa, aut cum eadem perſona ſine evidenti rutione frequentata; ſuſpecta ſunt conſortia. Ad ſuſpicionem autem facit ætas, & conditio colloquentis: illam ſuſpicionem exiſtimo hic prohiberi, quæ Fratri excitat enormis tentutianis ſtimulum, vel crimini præſtat fomentum, aut quæ apud alias ſcandalum generare poteſt: & hic etiam exiſtimo, omne ſuſpectum prohiberi colloquium, quod ordinetur ad carnis immunditiam quamcumque, vel quod poteſt hujus rei ſcandalum, vel ſuſpicionem probabiliter excitare.

Unde in titula: de cohabitatione clericorum, & mulierum, *cap.* Inhibendum: *dicitur*, quod ſacerdos non poteſt retinere fœminam in domo, etiam matrem, & attinentes propter periculum peccati. *Et in cap.* Si quiſpiam, *eodem titulo*, *habetur*, quod clericus tertio monitus, non deſiſtens cum mulieribus confabulari, excommunicetur. *Non mirum, ſi beatus Pater noſter*

noſter Franciſcus occaſionem removeat peccatorum, & ſuſpecta prohibeat conſortia; maxime cum beatus dicat Hieronymus, quod in carnis militia non niſi cum fuga reportetur victoria.

Unde firmiter omnibus nobis creditis Fratribus præcipimus, ut non tantum a malo, ſed (ut ad lucernam beati Pauli legimus) etiam ab omni ſpecie mali caveant, evitentque omnia conſortia, familiaritatem, converſationem, ſequeſtrationem, colloquia mulierum, virorum, aut puerorum ſuſpecta, etiam ſi ſano animo, candidoque, ſancta, & bona mente fiant: cum aliquando Satanam in Angelum lucis transfigurari contingat. Et ſi aliqui de hujuſmodi ſuſpectis conſortiis, & colloquiis notati fuerint, charitative, & chriſtiane admoneantur, & corrigantur; ſed ſi admoniti ſe non correxerint, ſi in officiis ſunt, ab eiſdem abſolvantur, & ſuſpendantur, nec taliter ſuſpenſi, vel abſoluti reſtituantur, niſi in Provinciali Capitulo; ſi vero in officiis non fuerint, omni actu legitimo priventur, & cui hæc pœna non competit, probationis caputio per bimeſtre puniatur.

Qui ſe a ſocio ſequeſtrare ſolitus fuerit cum mulieribus, de quibus judicio Prælati ſui merito oriri poſſit ſuſpicio, ſi canonice monitus, & correctus ſe non emendaverit, tanquam ſuſpectus de mulieribus, omnibus officiis Ordinis, aut probationis coputio per trimeſtre ſit privatus; & ſi iterato punitus, a duobus fide dignis de ſequeſtratione præfata convincatur, de Diſcretorum conſilio arctetur ad veritatem dicendam: ſi vero unus teſtis fide dignus de ſequeſtratione præfata apparet contra eum, & alius de lapſu carnis, arctetur gravius in domo diſciplinæ.

In confeſſionibus vero per domos ſecularium audiendis, & aliis negotiis expediendis, ſemper teneatur alter alterum intueri; & hoc quanto commodius (juxta domus diſpoſitionem) fieri poteſt, obſervetur.

Nullus Frater mulieres intra noſtros conventus intromittat, niſi fuerint nobiles, & bonæ famæ, quibus ſine ſcandalo aditus negari non poſſit, & tunc cum honeſta ſocietate, & Diſcretorum conſilio ingrediantur: qui contra fecerit, pœna unius publicæ diſciplinæ feriatur. Nullo tamen tempore in eiſdem pernoctare poſſint, aut choreizare, ſive prandere, vel cenare: & Gnardianus, qui id permiſerit, ſuo privetur officio. Si tamen eſſent adeo illuſtres Dominæ, noſtroque Inſtituto addictiſſimæ, ac in tali neceſſitate conſtitutæ, quod aliunde honeſtum hoſpitium habere non valerent, haberentque probatiſſimos viros in ſuo comitatu, permittitur in tali caſu, quod in iiſdem conventibus noſtris, eum dicto ſuo honeſto ſecularium comitatu, pernoctare, & comedere valeant.

De Monialibus.

Ordinamus, ut nullo modo Fratres cum Monialibus, aut Sororibus Tertii Ordinis in congregatione viventibus colloquia habeant, nec ad earum Monaſteria accedere poſſint, niſi neceſſitate urgente, quam Miniſter cum aliquo probo Patre debeat judicare: & tunc, licentia in ſcriptis habita, poterunt eas duabus Sororibus, aut Monialibus præſentibus, & audientibus colloqui, ita tamen, quod prius ſe earum Confeſſori ſub unius diſciplinæ pœna ſe præſentent. Et qui ſine præfata licentia ad præfata Monaſteria Monialium, & Sororum accederit, & eas, vel aliquam earum alloqui auſus fuerit, actibus legitimis per annum privetur; & cui hæc pœna non competit, ad Miniſtri ſui arbitrium luat pœnas alias: & ſi præfata Monialium interiora, vel clauſuram ingredi Frater aliquis præſumpſerit, cum ſit excommunicatus, pœna carceris per duos menſes puniatur.

Mi-

Miniſtri per obedientiam, & ſub pœna privationis officii ſui arctabunt, quantum poſſibile erit, acceſſum ad Monaſteria tum Monialium, quam Sororum Tertii Ordinis. Unde ut habetur de vita, & honeſtate clericorum, *cap.* Monaſteria, *Monaſteria Sanctimonialium frequentantes, ſi clerici ſunt, per Epiſcopum arceri debent, & ſi non deſierint, ab officio Eccleſiaſtico reddantur immunes, & ſi laici, excommunicationi ſubdantur: unde ibi dicit Gloſſa, quod duo requiruntur ad hoc, ut quis impune frequentare poſſit talia Monaſteria, ſcilicet cauſa rationabilis, & manifeſta, nec ſufficit prima ſine ſecunda; vel occaſio conſanguinitatis, & ultra ſemel non licet, ſed ſtatim malum præſumitur: nec ſufficit bona conſcientia quoad Deum, ſed neceſſaria eſt bona fama, ne alii ſcandalizentur; & tamen in præfato capitulo punitur tantum ſuſpicio, propter inobedientiam, & non ſacrilegium: quia ubi conſtaret de delicto, clericus in quocumque Ordine debet deponi, & detrudi in Monaſterium ad agendum perpetuam pœnitentiam: laicus vero ſecundum leges decapitatur, & omnia bona applicantur Monaſterio, cui intulit injuriam.*

Multo magis noſtri Inſtituti Fratres, quibus non modo ex ſacris Canonibus, verum ex Regula interdicitur & colloquium, & in earum clauſuras ingreſſus, debent cavere & a dictis extra neceſſitatis cauſam colloquii, & ab ingreſſu.

Propter quod ſub pœna anathematis, & maledictionis æternæ præcipimus omnibus Confeſſoribus dictarum Monialium, & Prælatis quibuſcumque Ordinis noſtri, ne citra meram, & legitimam neceſſitatem, & nonniſi in caſibus a Regula, vel ab Apoſtolica auctoritate eis conceſſa permiſſis dicta Monaſteria Monialium, ſive noſtri, ſive alterius Ordinis ingredi audeant: a quibus, quando contingit ea propter officium ſuum, & auctoritatem ſibi datam ingredi, quam citius poterunt, expediantur. Nec Confeſſor ingredi poſſit, niſi cum deputato ſibi per Capitulum, vel Miniſtrum ſocio. Et Miniſter, aut particularis Commiſſarius, ſeu Viſitator, nonniſi cum Confeſſore, vel alio probatiſſimo, poſſit ingredi. Patres Generales vero, Miniſter, & Commiſſarius, quando ingredi opus erit, ducant ſecum probatiſſimos, & honeſtos viros, ſeu ſocios, juxta præſcriptam illis legem. Nec Confeſſarius, Miniſter, privatus Commiſſarius, & Generales permittant unquam, quod ſcili intra clauſuram ab eis ſeparentur; qui expediti cum omni maturitate, & exemplaritate ab officiis, pro quibus ingrediuntur, quam citius poterunt, egrediantur.

In ſolemnitatibus Monialium, vel alio quovis tempore, nullo modo Fratres comedant apud earum Confeſſores, niſi in prandio tantum, ubi conventus Fratrum uno, aut altero milliario diſtaret ab ipſo Monialium conventu.

Nulla Abbatiſſa, aut quævis alia Monialis, vel Soror cum ſecularibus, vel Regularibus perſonis loquatur, niſi duabus aliis Sororibus maturis, & antiquis præſentibus, & audientibus, ſub unius diſciplinæ pœna in communitate faciendæ pro qualibet vice; cum hoc diametraliter repugnet earum Regulæ, & ſtatutis. Id etiam multo magis teneantur facere aliæ privatæ Moniales.

Nullus Frater, ſive ſubditus, ſive Guardianus aliquam Sororem, aut Monialem Ordini noſtro non ſubjectam audiat in confeſſione ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ per biennium, aut alia per Prælatos infligenda, ſine ſpeciali Miniſtri licentia; quam non concedat, niſi legitima, & neceſſaria ſubſiſtente cauſa.

Si aliqua Monialis, aut Soror in articula mortis conſtituta alium Confeſſorem petierit, eidem concedatur; modo Pater ille petitus aliquando illius

Con-

Confeſſor extiterit, aut probus Pater: & is cum ordinario Confeſſore ingrediatur. Excepto vero præfato mortis articulo, omnes proprio ſibi aſſignato Confeſſori confiteri teneantur.

Confeſſores Monialium in Capitulo Provinciali inſtituantur. Nulluſque ultra biennium ejuſdem Monaſterii valeat inſtitui: & nullo modo ſe intromittant de Monaſteriorum regimine, ſed ſuis Prælatis, & Abbatiſſis liberam curam dimittant.

Item nullo modo pernoctent præfati Confeſſores ſub pœna privationis officii ſui in domo earum Monaſterio contigua, aut pro Confeſſore aſſignata; ſed ad Fratrum conventum debeant omnino reverti, niſi in nocte diem ſacratiſſimæ Communionis præcedente.

Confeſſores omnes tam Monialium, quam Sororum in omnibus, & per omnia (demptis ſpectantibus ad ſuum officium) cum ſuis ſociis ſubjiciuntur illis Guardianis, in quorum conventibus ſunt, ſicut & ceteri Fratres eorum curæ commiſſi. Et Abbatiſſæ, ſive Miniſtræ teneantur Confeſſori ſaltem de indumento providere: cum non ſit juſtum, quod ipſe, & ſocius fere per totum annum inſerviant Monaſterio Monialium, & Guardianus teneatur ambobus de veſtimento providere. Confeſſores etiam ipſi non circuibunt per civitatem una cum ſociis, vel per terras ſine ſpeciali ſui Guardiani licentia.

Non recipiantur Dominæ ſeculares in Monaſteria Monialium, abſque Sedis Apoſtolicæ mandato: nec pueri, aut puellæ etiam citra infantiæ tempus recipiantur ſub pœna privationis officialium locorum, per quæ ingredientur.

Confeſſores Monialium non ſe intromittant, ſub pœna privationis officii ſui ipſo facto incurrenda, de electionibus Abbatiſſarum, vel Miniſtrarum, aut aliarum officialium; ſed permittant Moniales libere, & juxta inſtinctum Spiritus Sancti, & conſcientiæ propriæ procedere in ſuis electionibus.

Moniales, & Abbatiſſæ, ſeu Miniſtræ ſuæ, quæ auctoritate Apoſtolica ſine conſenſu Prælatorum egreſſæ fuerint per aliquod tempus ſuum Monaſterium, non leviter recipiantur redeuntes; ſed ſi eaſdem recipi contigerit, ſint nihilominus voce activa, & paſſiva privatæ, & ultimum locum teneant in omnibus Monaſterii negotiis, & ſeſſionibus per biennium. Eadem pœna puniantur tam Monioles, quam Sorores Tertii Ordinis, ultra pœnam carceris, quæ ab apoſtaſia redeuntes receptæ fuerint.

Qui conventus Monialium, aut Sororum Tertii Ordinis adeo perfrictæ frontis erit, ut ſpreta ſuorum Prælatorum auctoritate, ruptoque obedientiæ vinculo, confugerit ad Principes, & ad conſilium eorum, vel ad Dominorum opem implorandam, contra juriſdictionem Ordinis noſtri, is continuo abdicetur ab ipſius Ordinis noſtri cura, & tutela: & ob eo avocentur, & amoveantur ii Fratres, quicumque & ad gubernandum, & ad miniſtrandum præfecti erant. Idque per omnia obſervetur ſub excommunicationis pœna. Quod ſi non univerſus conventus, ſed una tale facinus commiſerit, ea ſola velut morbus peſtilens a ſuo Monaſterio expellatur in aliud noſtræ obedientiæ. Cujus utriuſque Monaſterii Abbatiſſæ ſub eadem excommunicationis pœna teneantur, altera, a cujus Monaſterio rea, pernicioſaque Monialis, aut Soror amovebitur, ſuppeditare alteri impenſas in victum, atque veſtitum annuum in omne poſterum vitæ ſuæ tempus; altera vero, ad cujus Monaſterium tranſfertur, eam recipere, & perpetuo retinere. Quod ſtatutum ſemper obſervabitur, quotieſcumque aliqua Monialis, ſeu Soror quavis cauſa e ſua domo ad aliam juſſu Prælatorum erit transferenda. Qui quidem Prælati, cauſa correctionis, præſenti decreto auctoritatem habebunt Moniales, ſive Sorores inſolen-

ſolentes, aut eriminoſas ad aliud Monaſterium transferendi; quodque Monaſterium teneatur ſub eiſdem pœnis, vel aliis Miniſtro arbitrariis illas recipere.

Tertiariæ includantur omnino, ubi ſine magna ſecularium offenſione fieri poterit, aſſignatis prius illarum conventibus, qui paaperes ſint, oliquot quæſtuariis (ut vocant) quæ circumeuntes concluſi mendicent. Repugnantes vero, & Capitula diſcretiſſima per Patrem Reverendiſſimum Generalem Miniſtrum illis propoſita, aut proponenda non acceptantes, a noſtra cura repellantur, tamquam publicæ honeſtatis inimicæ.

Pro etiam amovendis nonnullis ſcandalis, quæ in dies occurrunt, eſt notandum, quod, ut habetur de judiciis in cap. Mulieres, *mulieres religioſæ, etiam volentes, extra Monaſterium ſuum ex aliqua cauſa perſonaliter ad judicium trahi non poſſunt, & quod contra prædictum fit, eſt irritum: & ſub iſtis verbis dicit Bonifacius Papa VIII.* Ceterum feminæ Religioſæ, præſertim quæ debent ſub clauſura morari, extra ſuum Monaſterium, vel clauſuram non vocentur ad judicium, vel extrahantur ex quavis cauſa perſonaliter, etiamſi ad hoc voluntas accederet earumdem. Decernimus quoque, ut ipſo jure ſit irritum, & inane, ſi quid contra præmiſſa contigerit attentari.

Pro cognoſcenda ſimonia a Sororibus in receptione mulierum, quæ in Moniales, vel Sorores acceptantur, Innocentius VIII. declaravit, quod Moniales, aut Sorores, quia neſciunt diſcernere inter intentionem primariam, quæ cauſat ſimoniam, & ſecundariam, nunquam incurrunt ſimoniam, niſi in duobus caſibus, ſcilicet quando paciſcuntur de aliquo dando, vel ſolvendo pro ingreſſu, & quando recipiunt inhabiles ob ſpem habendi aliquid, quia illa tunc eſt principalis intentio.

Quæ dicta ſunt de ingreſſu Monaſteriorum Monialium, extendimus etiam ad Monaſteria Sororum Tertii Ordinis in congregatione viventium; nec volumus, ut ea Fratres ingrediantur, niſi in caſibus illis conceſſis, & permiſſis a moderno Generali per capitula reſtrictionis eis ab illo data, & ab eis accepta.

CAPUT XII.

Quomodo de bono regimine providendum eſt Terræ Sanctæ, & quod nonniſi probati mittantur de auctoritate eidem præſidentium. De Reverendiſſimo Protectore, & ejus facultate: & qualiter Fratres omnes ſuis reſpective obedire debeant Prælatis, ſervare inviolabiliter ſtatuta iſta, legereque illa integraliter ſemel in ſingulis duobus menſibus Fratribus, ac eiſdem lingua vernacula declarare, ut nullus velamen excuſationis habere poſſit.

DE euntibus inter Saracenos &c. *Statuimus, quod ſervetur Regula, & ſemper, quantum poſſibile erit, provideatur, & diſponatur de bono regimine locorum Terræ Sanctæ, tam quoad Commiſſarium, & Prælatos, quam quoad alios Fratres, ita quod ſemper pro gubernatione illorum locorum eligantur de melioribus, & devotioribus Fratribus Ordinis, qui vita, moribus, & doctrina probati lucis exempla præbeant, & ædificationem pariter infidelibus, cum quibus contigerit converſari.*

Ordinamus, quod Generales, Miniſter, & Commiſſarius nullos Fratres mittant, ſive licentient ad infidelium partes, aut Hieroſolymam, ſive de familia, ſive peregrinationis cauſa, niſi prius habito teſtimonio Miniſtri Pro-

vinciæ, cujus erunt Fratres mittendi. Provincialis autem Miniſter per obedientiam ſuper hoc requiſitus, teneatur perhibere fidele teſtimonium veritati, an ſcilicet Fratres mittendi ſint idonei, vel non; ante vero, quam hujuſmodi teſtimonium perhibeat, Fratres mittendos de fide, & doctrina, quam ſequuntur, vel hactenus ſecuti ſunt, idem Provincialis Miniſter examinet diligenter, & nihilominus Fratrum Diſcretorum requirat teſtimonium, & conſilium, & illi fidele dare per eandem obedientiam teneantur, ita quod nullus de aliquo errore, vel mala converſatione ſuſpectus ad partes hujuſmodi deſtinetur. Provinciales vero Miniſtri nullos ad memoratas partes mittant ſine conſcientia, & licentia Generalium præfatorum.

Guardianus Hieroſolymitanus, vel Commiſſarius, aut Vicarius de cetero inſtituendus non poſſit deſtinare Fratres ad Italiam, aliaſve partes orbis Chriſtianis ſubjectas, neque pro pecuniis mendicandis, neque pro aliis negotiis tractandis, niſi ea lege, ut eoſdem Fratres primum ad præſentiam Miniſtri, vel Commiſſarii Generalis deſtinet, & ſine eorum permiſſu, & judicio non exequantur, ſub pœna carceris, quod ille dedit in mandatis.

Omnes Fratres venientes de Terra Sancta, quamprimum intraverint propriam provinciam, infra quindecim dies barbam faciant ſibi penitus radi ſub pœna privationis actuum legitimorum: & cui hæc pœna non competit, alia confuſibili per Miniſtrum puniatur.

Commiſſarius, aut Guardianus locorum Terræ Sanctæ nullo modo recedat ex commiſſione, vel officio ſuo, antequam novus Prælatus, aut Commiſſarius acceſſerit. Similiter nec Frater aliquis, niſi fuerit Cuſtos cum ſocio ad Capitulum Generale proficiſcens. Et tunc dictus novus Prælatus auctoritate Generalis Miniſtri, quam ipſi in his damus plenariam, præteritum viſitet, qui vacat ab officio, & ceteros Fratres quam diligentiſſime, & viſitationem totam bene ſigillatam, & authenticam per fideles latores mittat ad Generales, Miniſtrum, aut Commiſſarium, ut poſſint in delinquentes animadvertere: & ſi inveniret aliquod ſcandalum in detrimentum Ordinis, & notabile damnum illorum locorum, non prætermittat de conſilio aliquorum probatiſſimorum Patrum illius correptionem, condignamque ſatisfactionem, quando citra præjudicium Ordinis fieri poterit.

Ordinamus etiam, quod Guardianus præfatus, aut Commiſſarius, illo pro gubernatione illorum locorum profecturus, ducat totam familiam ſecum, tam in eundo, quam elapſo ſuo triennio in redeundo, & de communibus eleemoſynis illorum locorum in itinere, vel navigatione ſuppeditet ſingulis neceſſaria pro victu, & navigio, aut viatica: & non permittat quoquo modo, quod Fratres ſibi ipſis provideant, aut elemoſynas pecuniarias teneant, ſed tantum Procurator, aut aliquis fidelis ab eo ſubſtitutus. Si tamen contingeret, legitima ſubſiſtente cauſa, familiam vel non poſſe accedere cum Prælato novo, aut reverti; tunc Prælati, quibus incumbit, citra ſcandalum cujuſcumque, providebunt præfatis Fratribus, aut illo accedentibus, aut revertentibus ſine Prælato novo, vel antiquo, pro commeatu de neceſſariis.

Sequitur in Regula: Ad hæc per obedientiam injungo Miniſtris, ut petant a Domino Papa unum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector iſtius Fraternitatis &c.

Pro quo advertendum, quod officium Reverendiſſimi Domini Protectoris ſe extendit, ut habetur in titulo Protector *(& hoc auctoritate diverſorum Pontificum, & maxime Gregorii XI.) ad tres caſus. Primo, ſi Ordo totus recederet ab unitate fidei. Secundo, ſi totus recederet ab obedientia Eccleſiæ Romanæ. Tertio, ſi totus ab obſervantia ſuæ Regulæ: & hac de cauſa dicitur*

tur in hoc capitulo: Ut ſemper ſubditi, & ſubjecti pedibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & ſanctum Evangelium, quod Domino promiſimus, melius obſervemus. *Et ad hoc propoſitum habetur in Memoriali Ordinis, quod Dominus Papa Nicolaus III. dixit fratri Bonagratiæ, tunc Generali Miniſtro*, ut cum Provincialibus Miniſtris conferret, ſi vellent aliquid eis ab eo fieri pro Ordinis utilitate. *Et ipſe Generalis cum aliquibus Patribus ad Domini Papæ præſentiam ſe contulit, & propoſuit, ſi placeret Sanctitati Suæ, ut daret ſibi Protectorem: qui favorabiliter reſpondit, quod libentiſſime faceret: & ſic Domino Matthæo nepoti ſuo, Ordinis præcipuo dilectori, coram eo conſtituto, intendens in ipſum, ait*: Ad te ſermo noſter dirigitur; ſi beneficia, quæ tibi proveniunt per nos, recenſere vellemus, invenirentur magna, & utilia; ſed in nullo ſic e vicino dedimus tibi arrham vitæ æternæ, ſicut in noſtro, quod tibi modo præſtamus. Damus tibi cordis noſtri deſiderium, pupillam oculorum noſtrorum. *Tunc tanta eſt elicita cum his verbis dulcedo amoris de corde Pontificis, tanta ab oculis lacrymarum abundantia profluxit, ut quaſi loqui non poſſet. Tandem reaſſumpta voce ait*: Non poſſumus in hac materia dilatare, quod natura non patitur. *Et extenta manu proprium annulum porrexit dicens*: Committimus tibi Ordinem Fratrum Minorum. *Et convertit ſe ad illa vocabula declaranda, videlicet, ut ſit* Gubernator, & Corrector; *& dixit*: Tua gubernatione non indiget Ordo, quia tot ſapientibus, & prudentibus perſonis abundat, quod ad bene gubernandum ſe ſufficit ſibi ipſi: correctioni quoque non oportet te inſiſtere, quia inter Fratres ſunt taliter diſpoſitæ Prælaturæ, quod in hac parte non videtur eſſe defectus; habent enim Guardianos, qui ſi deficiunt, poſſunt recurrere ad Miniſtros, ſupra quos ſunt Generales, & Generale Capitulum; ita quod non eſt veriſimile apud eos ea, quæ correctione indigerent, præteriri. Unum eſt, in quo patrocinio tuo opus habent: ſunt enim imbecilles, & pauperes, & multos habent, qui eos indebite inquietent, quibus per ſe repugnare non poſſunt, & indigent brachio, & fortitudine Protectoris: hoc eſt potiſſimum, in quo ipſis tua cura debet aſſiſtere.

Verum quia parum eſt legem condere, niſi executioni debitæ demandetur; volumus, ac ſtricte præcipimus omnibus, & ſingulis Fratribus ejuſdem Ordinis, ubicumque fuerint, cujuſcumque gradus, ſeu conditionis exiſtant, quod in his omnibus ſupra dictis ſuis Prælatis teneantur firmiter obedire, ſcilicet Generali Miniſtro in toto Ordine, Miniſtris Provincialibus in ſuis provinciis, Cuſtodibus in ſuis cuſtodiis, Guardianis in ſuis guardianatibus, ceteriſque Prælatis in his, & aliis licitis, & honeſtis, quæ non ſunt contra animam ſuam, & Regulam noſtram: & ſi quis (quod abſit) contra fecerit, trina monitione præmiſſa, cum congruis intervallis facta, ſi poſt eam inobediens, & rebellis extiterit, carceri mancipetur.

Ne autem labor noſter ſit inanis, & in contemptum veniat Ordinis diſciplina; volumus prædicta ſtatuta, conſtitutiones, & ordinationes, ſeu declarationes ab omnibus, tam Prælatis, quam ſubditis integre, & inviolabiliter obſervari: mandantes, & ſtricte præcipientes omnibus Prælatis Ordinis, quod omnia, & ſingula ſupra dicta ſervent, & faciant in ſuis adminiſtrationibus inviolabiliter obſervari: qui ſi in ſupra dictis fuerint negligentes, ipſo facto officiis ſint privatè. Et ne alicui ignorantia ſit occaſio delinquendi, ordinamus, quod quilibet Guardianus in ſuo conventu illa habeat, ſub pœna privationis ſui officii, & diligenter in loco tuto cuſtodiat, ne furentur, nec extraneis publicentur. Et omnia lingua vulgari exponantur ſaltem ſemel in ſinguli duo-

bus menſibus in communitate: & Miniſtri etiam in ſuis viſitationibus, tam paternalibus, quam judicialibus procurabunt, ut ſinguli Guardiani in ſupra dictis delinquentes puniantur: & tempore, quo viſitabunt, nulla alia habebitur in menſa lectio, quam ſtatutorum ſupra dictorum, quæ etiam vulgariter Fratribus Miniſtri proponent.

Statuit Capitulum Generale, ut ſingulis diebus Sabbathinis dicatur in Ciſmontanis partibus Officium Conceptionis Virginis Mariæ, tam in horariis precibus, quam in Miſſa, & reliquis precibus; incipiendo a primis Veſperis, & a Capitulo, ut vocant, itaut omnia fiant ſolemniter. Quod namque Feſtum hoc videatur Ordinis noſtri proprium, atque peculiare, quia continuum gerimus bellum pro eo; noſtri quoque officii eſt frequentem de illo facere commemorationem.

Joannes Paſchalis moritur. *Anno 1541.*

VIII. Joannes Paſchalis, de quo ſupra commemoratum eſt, hoc anno vivere deſiit. Ejus de moribus atque factis quæ Franciſcus Gonzaga aliique memoriæ prodiderunt, nunc locus poſtulat, ut ego breviter narrando perſequar. Natus eſt igitur modicis parentibus Aſtæ regiæ, quod eſt oppidum Hiſpaniæ Bæticæ ad Lethen fluvium. Cum prima ætate ſoluta admodum diſciplina haberetur a ſuis, juvenilem licentiam ex convictu amicorum, & conſuetudine facile hauſit. Aleator in primis erat & perjurus, & procax; cum a certo ſalutis æternæ diſcrimine ſummo Dei beneficio revocatus eſt. Cum enim aliquando ad multam noctem luſiſſet, audito æris campani ſonitu, quo Franciſcani ad ſtatas preces evocabantur, e veſtigio cohorruit: ac ſecum reputans, quam meritis pœnis plectendus eſſet in alia vita, qui aleæ uſu nec honeſto, nec modico Numen Divinum irritaret, interea dum ejus laudes incenſi homines religionis officio celebrarent; ſalutare concepit odium earum rerum, quæ ſibi antea jucundiſſimæ, & omnium primæ videbantur. Ergo ad bonam frugem, Deo dante, traductus, de contemnenda ſeculi vanitate mature deliberat. Cumque infimis precibus Obſervantium præfectos exoraviſſet, ut ſodalitium ne ſibi dare gravarentur; *In Memoriali.* in provincia ſancti Jacobi, ut auctor eſt Jnannes Baptiſta Moles, inſtitutum familiæ profitetur. Aliquanto poſt, Joannem ab Aquis Lupiis conſtituendæ in Bætica ſancti Gabrielis provinciæ operam dantem magnopere adjuvit. Tandem provinciam ſancti Joſephi, curante Petro Alcantarenſi viro ſanctiſſimo conſtitutam, integerrimis moribus, exempliſque virtutum maximis illuſtravit. Diſciplinæ ſeveritatem, quamquam ſenio debilitatus, & ipſe retinuit, & junioribus noſtris, ſi qui forte reformidarent, ut in ſinu, atque oculis ferrent, hortando, inſtandoque perſuaſit. Septuagenarius jam erat, eum ea faceret domandi corporis cauſa, quæ propemodum pauci, quamvis ætate florentes, &, recenti adhuc Excalceatorum ſpiritu, ad genus omne aſperitatis perferendum alacres, & erecti, feciſſent. Auguſta tunica panni craſſioris, pallio brevi utebatur; promiſſa barba, eademque inculta; nudis omnino pedibus incedebat. Lectus aut nuda humus, aut ſarmentis inſtrata. Statas preces Breviarii Romani uſque adeo diligenter obivit, ut vel feſſus aliquando de via matutinum penſum nocte media perſolveret. Vir profundiſſimæ demiſſionis, & contemptus ſui, humile genus, quo ortus fuit, jucunde ſolebat domi foriſque commemorare, non ſecus, ac familiæ ſuæ decora, & ſtirpis ſplendorem. Cum Tydetanum Epiſcopum, data occaſione, liberius monuiſſet officii; ille cæcus iracundia, quod Paſchalis in verbis contumeliam ineſſe ſuſpicaretur, monitori colaphum infregit. Hic vero, flexis ante Præſulem genibus, audaciæ crimen

Ejus virtutes.

de-

Anno Christi 1553.	Julii III. anno 4.	Caroli V. Imp. anno 35.	Religionis Minorum anno 346.

deprecari; tum alteram maaillam ea Evangelii præſcripto ad injuriam ludibriumque præbere. Ab ea ſeu altitudine animi, ſeu modeſtia captus Epiſcopus, illico ruit in amplexus viri; virtutem humanis omnibus excelſinrem magnopere commendat; ipſumque deinceps, ac univerſam familiam magno tum in amore, tum in honore, cunctis approbantibus, habuit. Inter hæc Paſchalis, cum, quacumque inceſſerat, velut antiquæ virtutis, ac probitatis exemplum ſpectaculo eſſet, in itinere Luſitano febricula repente correptus, ac brevi tempore extinctus eſt tam placide, ac leniter, tanta cum teſtificatione pietatis Chriſtianæ, ut non mortem oppetere, ſed ex hoc inquieto, ac turbulento ſalo ad beatiſſimum portum perpetuæ quietis contendere videretur. Obiit autem in cœnobio Riſani pagi Excalceatorum; elatuſque eſt magna populi acclamatione, primuſque conditus in ſepulchro nuper extructo ante aram maximam; quod piorum concurſu, & ad Paſchalem ſupplicibus votis diu poſtea celebratum.

IX. Antonius Ortizius Toleti in Hiſpania illuſtri loco natus, juri Pontificio, ſacriſque litteris adoleſcens operam dedit. Subinde adſcitus in in Obſervantium familiam, cum ita balbus eſſet, ut impedimenta naturæ diligentia, induſtriaque ſuperare non poſſet, concionandi munere, ad quod erat paratus ab optimis diſciplinis, omiſſo, divinis rebus apud ſe commentandis adjecit animum. Joanni Velaſco regalis cœnobii ſanctæ Iſabellæ ſorores inſtituenti aliquot annos adjutor fuit. Euchariſtiæ venerabile ſacramentum & colebat egregie, & ad illud conficiendum præſtanti religione quotidie ſe comparabat. Sacrificio peracto, ſex horas ſolitus continenter orare tanta cum animi alienatione a rebus humanis, ut eum ſatis appareret cœleſtium, ac divinarum deſiderio magnopere commoveri. Sobrietate fuit plane incredibili: quippe raro, nec niſi modico cibo, eoque vulgari veſcebatur. Obiit autem placidiſſime; cum inter canendum divinas laudes ad eum verſum, *Sitivit in te anima mea*, ſeſe propediem moriturum manifeſtis indiciis comperiſſet: elatuſque eſt celeberrimo funere, civitate ingemiſcente, memoriamque optimi viri nulla temporis longinquitate delendam dictante.

Antonius Ortizius eximie pius.

X. Anna Paceca illuſtri loco nata, ab ineunte ætate domi Chriſtianam pietatem mirifice coluit. Nam & libros ad animi diſciplinam eaaratos cum voluptate lectitabat, & frequenter genibus niaa Deum & Superos eaorabat; ſtatiſque diebus, cum ejus parentes nihil tale ſuſpicarentur, omni cibo abſtinebat. Quintodecimo ætatis anno in cœnobium Aſſumptæ Deiparæ, quod eſt in oppido ſancti Clementis Conchanæ diœceſis, aggregata, inſtitutum Ordinis Tertii ampleaa eſt; ea eoque tempore magno animi ardore divinarum rerum contemplationi, ſuique corporis conflictationi vacare cœpit. Quippe inter orandum arreptis flagris quam acerrime ſeſe cædere, ſororibuſque acerbitatem tantam miſerantibus dictitare ſolebat, his demum artibus cœleſte regnum eapugnari poſſe. Morbos & multos, & graves, quibus identidem premebatur, libentiſſime pertulit, cum dolores Chriſti, mortemque obitam ſua cauſa animo ſecum reputaret. Divum Franciſcum Aſſiſiatem incredibili ſtudio proſequebatur, in ejuſque vulneribus contemplandis, quæ Chriſtus ipſe ad inflammandos Dei amore mortales illius corpori infliaerat, non ſine magna jucunditate diutius hærebat. Quo pietatis ardore in Acacium Martyrem æque flagrabat, cujus vitam propemodum infans legendo didicerat. Cum in morbum extremum incidiſſet, labeſque totius vitæ accurata & ſincera confeſſione eapiandas curaſſet, Sacramentis ceteris Eccleſiæ ritu præculta, e vivis exceſſit, ingenti ſui deſiderio,

Anna Pececa vitæ innocentia illuſtris.

derio, minimeque vulgaris probitatis opinione apud omnes relicta. Sepulchrum corpori ejus non commune, ſed proprium, cognatorum videlicet rogatu, virginumque contubernalium permiſſu eum hac epigraphe eſt datum;

D. Anno Paceo morte oc vita beato.

Adamus Sasbouth litteratâ ſcientia clarus.

XI. Adamus Sasbouth Gemmula Delphis Batavorum civitate natus, ubi ptimis bonarum artium rudimentis imbutus eſt, Ultrajectum a parentibus mittitur: qua in urbe præceptore uſus Georgio Macropedio latinas, græcaſque litteras didicit, itaque profecit, ut in utraque lingua ſcriberet elegantiſſime, ſpemque omnibus faceret, ſi in eo ſtudiorum genere porro pergeret, fore, ut principatum eruditionis, & eloquentiæ per id tempus teneret. Sed ut erat ingenio ad omnes diſciplinas comparato, haud ita longo intervallo Philoſophiæ, ac Theologiæ gravioribus ſtudiis vacare cœpit. Itaque Lovanii in Collegio Pontificio eorum curſum abſolvit; ac demum ſacerdos factus, cum inter Canonicos Ultrajectenſis Eccleſiæ adſcribi ſe recuſaſſet, eumque honorem ultro delatum conſtanti animo reſpuiſſet, ad Obſervantium Lovanienſe cœnobium ſe contulit annos natus circiter octo & viginti. Ex eo gravem epiſtolam ſenis hexametris comprehenſam ad parentes, & conſanguineos dedit: quibus verſibus animi propoſitum de ſtatu vitæ mutando indicavit. Sunt autem verſus hujuſmodi:

Quam ſit vita brevis, quam ſit via lubrica, quamque
Mors incerta, bonis quæ præmia, quæque parata
Sint tormenta malis, horum meditatio noſtra eſt.
Quod facimus, quod firmamus, quod & eſſe perenne
Optamus teſtamentum. Salvete, valete,
Care pater, cari fratres, cæræque ſorores.

XII. Cum exacto tyrocinio Obſervantium ſolemnia vota nuncupaſſet, e veſtigio Theologicas litteras profiteri juſſus, in celeberrima illa Muſarum ſede, ac domicilio Iſaiam Prophetam, & Paulinas Epiſtolas magna cum laude interpretatus eſt. Inter haſce commentationes præcipiti morbo correptus eſt, & ferveſcente circa pulmonem ſanguine extinctus. Deceſſit autem alieniſſimo tempore, cum ad eum ſalutaris doctrinæ dogmata de loco ſuperiore oſtendentem omnis omnium concurſus fieret, cum hæreticæ factionis inſidias pateſaceret, impetum frangeret, tela retunderet; deceſſit, inquam, florente adhuc ætate, nimis immatura morte, ſummo ingenio vir, incredibili ſcientiæ copia, maxima jam apud omnes bene ſentientes exiſtimatione. Scripſit autem, quos diximus, commentarios in Iſaiam Prophetam, & in omnes Epiſtolas divi Pauli; item in primam beati Petri, & in Catholicam beati Judæ; quibus adjecit præfationis loco eruditum ſyntagma de multiplici ſenſu Divinæ Scripturæ. Ii autem primum editi ſunt Coloniæ Agrippinæ typis Joannis Birchmanni anno MDLXVIII.

Eccle. 16.

XIII. Ellies Dupinus, manifeſtæ videlicet veritati teſtimonium perhibens, Adamum inquit perſpicuo dicendi genere, miroque ordine uſum ab inanibus Scholaſticorum quæſtionibus, aliorumque Scripturæ interpretum abſtinere; divi Auguſtini, ac divi Thomæ Aquinatis in explicandis difficultatibus dogmata perpetuo ſequi; eumque a vitæ innocentia, & paupertatis Evangelicæ ſtudio egregie dilaudat; quippe qui nihil ad vitæ uſum, immo etiam ſtudiorum ſuorum in cubiculo haberet, præterquam Breviarium ad preces quotidianas, & ſacrorum Bibliorum volumen una cum ſcriptis ab ſe commentariis. Fuit in eo memoriæ vis plane incredibilis; cum Æneidos

Vir-

Anno Christi 1553.	Julii III. anno 4.	Caroli V. Imp. anno 35.	Religionis Minorum anno 346.

Virgilianæ duodecim libros, nuſquam vel inſiſtens, vel hæſitans, pronuntiaret. Lucubravit etiam Adamus Homilias complures, quarum catalogum hic adſcribam.

Ejuſdem Opera.

In illud Levitici 11. Sancti eſtote, *tres*.
In illud Geneſis 3. Pulvis es, & in pulverem reverteris, *itidem tres*.
In illud Joelis 2. Convertimini ad me in toto corde veſtro, *duas*.
In Feſto trium Regum, unam.
In Feſto Purificationis beatæ Mariæ, unam.
In Dominica Septuageſimæ, unam.
In Dominica Sexageſimæ, unam.
In Dominica Quinquageſimæ, unam.
In Dominica prima Quadrageſimæ, unam.
In Dominica ſecunda Quadrageſimæ, unam.
In Dominica Lætare, *unam*.
In Dominica Paſſionis, unam.
In Feſto Annuntiationis beatæ Mariæ, unam.
In Aſſumptione beatæ Virginis Mariæ, duas.
In illud ad Galatas cap. 6. Mihi abſit gloriari, *unam*.
In Dominica tertia Adventus, unam.
In Dominica quarta Adventus, unam.
De Nativitate Domini, duas.
In die Animarum, unam.
De timore Domini ad Studentes, unam.

XIV. Habuit etiam orationem, in qua docuit, eandem omnium temporum Eccleſiam viſibilem ubique diffuſam, cujus principatus ſit penes Romanum Pontificem. Item, cum junior eſſet, orationem in funere Titelmani Lovanienſis Collegii Moderatoris. Novem circiter annos in Ordine vixit, Evangelicæ paupertatis cultor eximius: ſepultuſque eſt in cœnobii monumento, ingenti luctu non ſuorum modo contubernalium, verum etiam civitatis univerſæ. Cujus tumulo Cornelius Muſius Delphitanus inſcripſit carmen hujuſmodi:

Adamus nomen, Batavi mea patria Delphi,
Progenies Sasbouth non inhonora fuit.
Trajectum Latias, & Græcas tradidit artes,
Lovanium Hebræas addidit, atque ſacras.
Quas ut proferrem (culpa eſt ſepelire talentum,
Et Domino uſuras non ſoluiſſe ſuas)
Commoda viſa mihi Franciſci ſemita: at illam
Dum ſequor, in mediis curſibus eripior.

XV. Poſt aliquanto ejuſdem oſſa honeſtiorem in locum translata ſunt, & ante gradus aræ maximæ condita, curante Sasboldo Voſmero Ultrajectenſium Antiſtite, ipſius Adami ex ſorore nepote. Michael Voſmerus Saſboldi frater ad avunculi effigiem hoc appoſuit epigramma.

Bis decimum & quintum Delphorum Conſule patre,
Agnatis etiam Præſidibus variis,
Aſſiſii vatis normamque habitumque ſecutus
Adamus Sasbouth hac fuit effigie.
At genus, & vitæ ſtudium, pietaſque, ſacrumque
Eloquium, & quatuor lingua diſerta ſonis,
Exprimitur libris, ſolers quos ſuſcipit orbis,
Auctoris nomen dum canit & titulus.

Quæ,

Quæ, ni pulchra ſciat manſuram gloria famam,
Debuerant vitæ de brevitate queri.

XVI. Idem Michael Homilias Adami accurate recognovit, & alteris typis Coloniæ anno MDCXIII. in lucem edendas curavit una cum auctoris vita, quam ipſe conſcripſit, adjecta confutatione cujuſdam æmuli, qui Commentarios in Iſaiam Prophetam, & Paulinas Epiſtolas, ſub Adami nomine editos, non ejus eſſe, ſed Juannis Haſſelii profeſſoris Lovanienſis falſo dicebat. Scripſit etiam Adamus luculentos commentarios in quatuor libros ſententiarum, eodem teſte Dupino; qui nondum tamen publicam lucem viderunt.

Cœnobia Obſervantium ædificata.

XVII. Apud oppidum Alcocerum in diœceſi Toletana Obſervantium familia cœnobium condidit; cum Aloyſius a Sotnmajore, clariſſimo ortus genere, ejuſque ſoror Philippa pecuniam liberaliter contuliſſent. Uterque vero, hac largitione teſtato deſcripta, humaniſque rebus nuntio remiſſo, Franciſcanum in Ordinem nomen dedit, ac vota ſolemnia nuncupavit: ille in cœnobio Angelorum Reginæ: hæc diſciplinam beatæ Claræ profeſſa apud Sorores, quarum cœnobio Columnæ nomen inditum erat.

XVIII. Arequipæ Peruviani regni civitate conditum eſt Obſervantium cœnobium, curantibus Franciſco Rinconio, & Franciſco a Torriſa, viris egregiis, deque populo Americano, quem concionibus ſuis ad rectum ſalutis iter traduxerunt, optime meritis. Lucas Martinius civis opulentus, & in Ordinem Franciſcanum præclare animatus, conceſſa illis privata domo, conſtituendi & amplificandi cœnobii poteſtatem fecit.

XIX. Hoc tandem anno alumni quinque Obſervantium familiæ in Cilen profecti (ea pars eſt Americæ meridionalis juxta mare pacificum) apud urbem ſancti Jacobi cœnobium fundarunt. Ii fuerunt, Martinus Robleda, qui poſtea Cilenſem geſſit Epiſcopatum; Joannes Torrolva, Chriſtophorus Ravanera, Joannes a Turre, & Franciſcus Frexenalis. Cœnobium illud divæ Luciæ Virginis ſumpſit auſpicia. Puſtero anno inde migrarunt, & apud ædem Auxiliatricis Mariæ perpetuam ſedem collocaverunt. Item in urbe Conceptionis idem Martinus domicilium conſtituit; & alia quædam in regione Cilenſi: quorum Cuſtos eſt appellatus. Cuſtodia hæc, ut appellant, ad Peruvianam provinciam XII. Apoſtolorum pertinebat; cum anno MDLXXII. Generalium Comitiorum decreto provincia eſt facta.

RE-

REGESTUM PONTIFICIUM.

REGESTUM PONTIFICIUM.

PAULUS III.

ANNO CHRISTI 1541. PAULI III. ANNO 7.

BULLA I.

Bernardinus Calinus Ordinis Minorum de Obſervantia Epiſcopus Signinus renunciatur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto filio Bernardino Calino Electo Signin. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. REDEMTNI unIverſalis Eccleſiæ meritis licet impariBus, diſponente Domino, præſidentes, de univerſis Orbis Eccleſiis pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo ſollicite, quantum Nobis ex alto permittitur, cogitamus; ſed illa propenſius ſollicitudo Nos urget, ut Eccleſiis ipſis, quæ ſuis ſunt deſtitutæ Paſtoribus, ne in ſpiritualibus & temporalibus detrimenta ſuſtineant, de ſalubri remedio, prout Eccleſiarum ipſarum neceſſitas, & locorum ac temporum qualitas exigunt, conſulamus.

§. II. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum omnium apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantium, & in antea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuperiis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Signin. ex eo quod Nos hodie venerabilem fratrem noſtrum Sebaſtianum Epiſcopum Vican. nuper Signin. a vinculo, quo dictæ Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Vican. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutam, de ſimili conſilio Apoſtolica auctoritate traſtulimus, præficiendo ipſum illi in Epiſcopum & Paſtorem, apud Sedem prædictam Paſtoris ſolatio deſtituta. Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Signin. celerem & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſtantibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa Signin. longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Signin. perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, litterarum ſcientia præditum, vitæ munditia ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicum virtu-

tum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, te a quibuſvis eacommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ Signin. de ipſorum Fratrum conſilio, dicta auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Signin. tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie commitrendo, in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia Signin. per tuæ circumſpectionis induſtriam & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod dicta Eccleſia Signin. Gubernatori provido & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis.

§. III. Quocirca dilectis filiis Capitulo & Vaſſallis Ipſius Eccleſiæ Signin. ac Clero & Populo Civitatis & Diœc. Signin. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitulum tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac Clerus te pro noſtra & ejuſdem Sedis reverentia benigne recipientes & honorifice pertractantes, tua ſalubria monita & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent; Populus vero te tamquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, tuis monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendant; ita quod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis. Vaſſalli autem præfati te debito honore proſequentes, tibi fidelitatem ſolitam, ac conſueta ſervitia & jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXL. XIV. Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri anno VII.

II.

Permittit Monialibus Tertii Ordinis ſimul vitam degentibus, ut Sacellum ædificent ad Dei laudes celebrandas in urbe Drepana. Ex Bordono in Chronologio pag. 461. num. 92.

Dilectis in Chriſto Monialibus ſancti Franciſci Tertii Ordinis nuncupatis Terræ Drepani Mazarenſis Diœceſis ſalutem.

§. I. INjunctum Nobis ab Apoſtolica Sede ſervitutis officium Nos admonet & inducit, ut prudentium Virginum votis, quæ virginitates ſuas Deo conſecrarunt, promptos Nos & favorabiles exhibeamus, ac ad ea attendamus libenter, pro qua Monaſterium, & in illis caſtimonia clauſtrali de-

deditarum perſonarum fœminei ſexus commoditatibus pariter augmento valeat ſalubriter provideri.

§. II. Sane pro parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quod cum in Terra prædicta veſtri Ordinis, profeſſionis, habituſque Moniales in domibus propriis permaneant, & quod cupiatis vos, quæ numerum viginti in circa non exceditis, cum humilitate cordis & puritate mentis Deo ſervire, voſmet ipſas a mundanis ſervitiis & curis eximendo, in quadam domo honeſta intus Terram prædictam congregatas ſtare & permanere, & in eo Oratorium, in quo Divina celebrentur conſtruere & ædificare, & eamdem obedientiam veſtris Superioribus, quam antea reddebatis, reddere. Ex quo profecto animarum veſtrarum ſaluti, & Divini cultus augmento conſuleretur; & tamen vobis licere dubitatis abſque Sedis Apoſtolicæ licentia. Quare ſupplicari feciſtis humiliter Nobis ſuper his per Sedem eamdem de opportuno remedio miſericorditer provideri. Nos igitur veſtrum hoc laudabile propoſitum plurimum in Domino commendantes, dictæque domus ſituationes & dominationes præſentibus pro expreſſis habentes, veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate, etiam ſpeciali vobis etiam Superiorum quorumvis licentia ſuper hoc minime requiſita, in domo præfata congregatas ſub obedientia & correptione veſtrorum Superiorum, prout hactenus permanſiſtis, & caſtam vitam ducendo ſtare & permanere, & in ea Oratorium pro Divinis celebrandis conſtruere & ædificare libere & licite poſſitis & valeatis, veris exiſtentibus præmiſſis, tenore præſentium licentiam & indulgentiam, ac liberam concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac tam Provincialibus, quam Synodalibus &c.

Datum III. Kal. Januarii, anno VII.

III.

Sacras Ædes Strangulenſes ſanctæ Mariæ de Gratiis a Lateranenſi Capitulo Fratribus Conventualibus elargitas confirmat. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilectis filiis Fratribus Ordinis Minorum Conventualibus nuncupatis Provinciæ Calabriæ.

§. I. CUm ſicut Nobis exponi nuper feciſtis, alias Capitulum Eccleſiæ Lateranenſis quamdam Eccleſiam ſub Invocatione beatæ Mariæ de Gratiis in Civitate Strongolienſi ſitam ad eos legitime ſpectantem, vobis per vos tenendam, in Divinis deſerviendam, & inibi Domum ſeu Conventum pro uſu & habitatione veſtrum perpetuis conſtrui, & ædificari facere poſſetis, conceſſerint & donaverint, ac conceſſio & donatio hujuſmodi per Sedem Apoſtolicam confirmata fuerit, prout in Inſtrumento, & literis Apoſtolicis deſuper confectis plenius continetur. Voſque Eccleſiam prædictam vigore conceſſionis & donationis hujuſmodi per plures annos pacifice & quiete poſſideritis & poſſideatis de præſenti, illamque ac prope illam Domum pro veſtris uſu & habitatione hujuſmodi convenienti ædificiorum apparatu inſtaurare deſtinaveritis, & jam, Deo auxiliante, incœperitis, cupiatiſque, ut hilariori animo id proſequi valeatis, donationem, & conceſſionem prædictas etiam Noſtræ confirmationis munimine roborari.

§. II. Nos qui ſingulorum votis, præſertim ſub Regularis Obſervantiæ jugo Deo famulantium libenter annuimus, & Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem noſtris potiſſime temporibus ſupremis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; Eccleſiæ hujuſmodi verio-

veriores invocationes & ſituationes, aliaque hic forſan neceſſario exprimenda pro ſufficienter expreſſis habentes, conceſſionem & donationem prædictas, & prout eas concernunt, omnia & ſingula in Inſtrumento, & literis prædictis contenta, & inde ſequuta quæcumque licita tamen, & honeſta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſine alicujus præjudicio confirmamus & approbamus, omneſque & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan in præmiſſis intervenerint, ſupplemus, necnon dictis Domui, ac Priori, & Fratribus hujuſmodi, qui illam inhabitabunt pro tempore, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus aliæ domus dicti Ordinis utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poſſint & valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus: Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ Lateranenſis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xxv. Januarii MDXLI, Pontificatus noſtri anno VII.

IV.

Ædes Sacras ſanctæ Mariæ de Loreto prope Caſtrum Sancti Felicis Theanen. Diœc. Fratribus Conventualibus conceſſas atque donatas confirmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Provincialibus & Fratribus Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum Provinciæ Terræ Laboris.

§. I. CUm ſicut Nobis exponi nuper feciſtis, alias venerabilis frater Epiſcopus Cavenſis, necnon dilecti filii Michael & Vincentius Sancta Felice de Neapoli quamdam Eccleſiam ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Loreto prope Caſtrum Sancti Felicis, Theanen. Diœceſis ſitam adhuc non conſecratam, & ad Nos legitime ſpectantem vobis per vos tenendam & in Divinis deſerviendam; itaut inibi domum ſeu Conventum pro uſu & habitatione Fratrum veſtrorum perpetuis conſtrui & ædificari facere poſſetis, etiam conceſſerint & donaverint, prout in publico inſtrumento deſuper confecto plenius dicitur contineri. Voſque Eccleſiam prædictam vigore donationis hujuſmodi pacifice & quiete poſſideritis ac de præſenti poſſideatis, illamque ac prope illam domum pro veſtris uſu & habitatione hujuſmodi convenienti ædificiorum apparatu inſtaurare deſtinaveritis, & jam Domino auxiliante incœperitis, cupiatiſque, ut id hilariori animo proſequi valeatis, donationem & conceſſionem prædictas etiam noſtro confirmationis munimine roborari.

§. II. Nos qui ſingulorum votis, præſertim ſub regularis obſervantiæ jugo Domino famulantium libenter annuimus, & Divini cultus augmentum, ac Religionis propagationem noſtris potiſſime temporibus ſupremis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiæ hujuſmodi veriores invocationes & ſituationes, aliaque hic forſan neceſſario exprimenda pro ſufficienter expreſſis habentes, conceſſionem & donationem prædictas, & prout eas concernunt, omnia & ſingula in inſtrumento prædicto contenta, & inde ſequuta quæcumque licita tamen & honeſta ac ſacris Canonibus non contraria, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſine alicujus præjudicio confirmamus & approbamus, omneſque & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, necnon

non dictæ domui, ac Guardiano & Fratribus hujuſmodi, qui illam inhabitabunt pro tempore, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus aliæ domus dicti Ordinis, & Fratres in eis habitantes in genere utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſint & valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Februarii MDXLI. Pontificatus noſtri anno VII.

V.

Fratres Domus ſancti Franciſci Ordinis Minorum Conventualium Mediolanen. tributis omnibus ratione ſolutionis quartæ bonorum eis relictorum reddit Immunes. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus Domus ſancti Franciſci Mediolanen. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum.

§. I. CUm dudum felicis recordationis Sixtus PP. IV. Prædeceſſor noſter conſtitutionem piæ memoriæ Clementis PP. etiam IV. Prædeceſſoris ſui ſuper juſtitia Parochialium Eccleſiarum, a quibus corpora defunctorum ſumuntur declarando eo caſu dumtaxat, quo corpora ipſa apud Loca Fratrum Ordinis veſtri ſepelirentur, intelligi debere, necnon ex his quæ ad Fratres prædictos, apud quos corpora hujuſmodi non ſepelirentur, de bonis ipſorum defunctorum quomodolibet obvenirent, quovis particulari vel univerſali titulo, directe, vel per obliquum, nullam Canonicam, aut Parochialem portionem Rectoribus Eccleſiarum hujuſmodi dare tenerentur. Quodque de bonis eorum, quorum corpora apud eos ſepeliri contingeret, quæ ad certos & determinatos uſus eiſdem Fratribus, & eorum Domibus in genere vel in ſpecie legarentur, necnon in caſibus, in quibus per ejuſdem Clementis, & aliorum illius Prædeceſſorum alia ſpecialia privilegia, Fratres ipſi a Canonicæ, aut Parochialis portionis hujuſmodi ſolutione eſſent exempti, in aliquo caſuum prædictorum de candelis, quæ in exequiis defunctorum quorumlibet Fratribus ipſis ad manus darentur, quarta ſeu portio hujuſmodi quomodolibet non detraheretur, inter alia ſtatuerit & ordinaverit.

§. II. Et deinde recolendæ memoriæ Clemens Papa VII. etiam Prædeceſſor noſter præfatorum Clementis IV., & Sixti, ac nonnullorum aliorum Prædeceſſorum ſuorum veſtigiis inhærendo, eoſdem Fratres a quibuſvis exactionibus, & collectis etiam circa ſolutionem quartæ vel decimæ de pie legatis ſeu relictis in Teſtamento per eos, quorum corpora apud ipſos Fratres non ſepelirentur, ſalva quarta Epiſcopali, immunes & liberos eſſe, & cenſeri debere decreverit & declaraverit. Noſque poſtmodum omnia & ſingula privilegia, exemptiones, immunitates, libertates, gratias, indulta, & conceſſiones, ac literas Prædeceſſorum hujuſmodi auctoritate Apoſtolica confirmaverimus & approbaverimus, ac vobis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis, indultis, & conceſſionibus, Fratribus, & Ordini veſtro prædictis quomodolibet conceſſis, uti, frui & gaudere libere & licite poſſetis de novo conceſſimus, prout in diverſis Prædeceſſorum noſtrorum hujuſmodi & Noſtris

ſtris etiam in forma Brevis ſiteris deſuper confectis plenius continetur.

§. III. Et ſicut Nobis nuper eaponi feciſtis, licet vos hactenus quartam ea bonis ipſis, juata ejuſdem Siati Prædeceſſoris declarationem hujuſmodi Rectoribus Parochialium Eccleſiarum in Civitate & diœceſi Mediolanenſi conſiſtentem præſtare conſueveritis, & illam præſtare parati ſemper fueritis & ſitis, nihilominus nonnulli Rectores Parochialium Eccleſiarum hujuſmodi vos contra præmiſſa, ac eorumdem Prædeceſſorum, necnon noſtrarum literarum hujuſmodi tenorem diverſimode moleſtare, & perturbare non verentur, & ultra quartam portionem hujuſmodi, necnon de candelis, quæ vobis ad manus ut præfertur, dantur, aliquid eatorquere in Sedis Apoſtolicæ, & literarum prædictarum contemptum, ac Ordinis hujuſmodi, & domus veſtræ perturbationem & præjudicium non modicum procurent, & diverſis mediis conentur.

§. IV. Nos ea debito noſtri officii ſingulorum Chriſtifidelium, præſertim Religioſarum Perſonarum quieti & indemnitati, ac ſcandalis hujuſmodi providere ſinceris deſiderantes affectibus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis; ut contra tenorem literarum prædictarum, quatenus in uſu & obſervantia hactenus fuerint, a dictis Rectoribus ſuper præmiſſis moleſtari non poſſitis, auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus & indulgemus. Mandantes omnibus & ſingulis Parochialium Eccleſiarum Civitatis & Diœceſis Mediolanenſis prædictarum Rectoribus quovis nomine nuncupatis, & aliis quibuſcumque ſub excommunicationis pœna eo ipſo per eos, qui contrafecerint, incurrenda, ne vos præter, aut contra literarum prædictarum tenorem, & earum uſum & obſervantiam inquietare, ſeu moleſtare, aut ad præſtationem alicujus canonicæ, vel alterius portionis directe vel indirecte, aut quæſito colore cogere audeant, vel præſumant. Mandantes etiam venerabili fratri Archiepiſcopo Mediolanenſi, vel ejus in ſpiritualibus Vicario Generali, ut quoties per vos, aut Œconomum, ſeu Procuratorem veſtrum requiſitus fuerit, per ſe vel alium, ſeu alios vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant vos pacifica poſſeſſione, vel quaſi literarum Siati Prædeceſſoris hujuſmodi, juata uſum & obſervantiam prædictos gaudere, non permittentes vos contra illarum tenorem directe vel indirecte quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoſcumque quovis etiam Eccleſiaſtico, vel laicali officio, vel dignitate fungentes, ac in præmiſſis contra vos auxilium, conſilium vel favorem quovis quæſito colore præſtantes, cenſura Eccleſiaſtica, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus etiam ſanctæ memoriæ Bonifatii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus contrariis quibuſcumque. Aut ſi Rectoribus præfatis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel eacommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & eapreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. Februarii MDXLI., Pontificatus noſtri anno VII.

VI. *Fra-*

VI.

Fratri Bonaventuræ de Venetiis Ordinis Minorum de Obſervantia in ſacris Ædibus ſanctæ Mariæ Angelorum Venetiarum degenti germanum Fratrem recipere, ſibique ſocios aſcire indulget. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio fratri Bonaventuræ de Venetiis Fratrum Minorum de Obſervantia Profeſſori, & Eremitæ.

§. I. EXponi nobis nuper feciſti, quod tu, qui in Oratorio ſeu Eccleſia beatæ Mariæ Angelorum, & omnium Sanctorum Domini Jeſu in Civitate Venetiarum, & loco *la Zuecha* verſus mare nuncupato ſita, ſatis ſolitario & remoto vitam eremiticam una cum uno ſocio de licentia Sedis Apoſtolicæ, & Loci Ordinarii ducis, fratrem tuum Fauſtum nomine, Presbyterum ſecularem, ad honorem Dei vitam ſimiliter eremiticam cum uno ſuo ſocio Eccleſiaſtico vel ſeculari in dicto Loco, quem idem Fauſtus Presbyter fratrer tuus ſuis propriis, & nonnullorum aliorum expenſis ad ſimilitudinem Eremitorii Camaldule quantum ob Loci anguſtiam fieri potuit, fundari procuravit, tecum ducere cupientem, recipiendi facultatem a Nobis ad Divini cultus augmentum, & animarum ſalutem habere deſideras.

§. II. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut votis tuis hujuſmodi annuere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ut fratrem tuum Fauſtum Presbyterum prædictum etiam cum uno ſocio eccleſiaſtico vel ſeculari per eum eligendo, & vitam eremiticam tecum ducere cupientem, in dicto Loco ſeu Oratorio beatæ Mariæ Angelorum recipere, ac etiam te, aut dicto fratre tuo, vel tuo aut ipſius fratris tui ſocio prædictis vita functis, aut vitam eremiticam ducere ex quavis cauſa deſinentibus, ceteri ex vobis ſuperſtites in dicto Oratorio remanere, tuque & dictus Fauſtus frater tuus in locum ſociorum prædictorum hujuſmodi demortuorum, tu videlicet loco tui unum, & Fauſtus loco ſui alium, qui inhibi ſimiliter vitam eremiticam ſub ejuſdem Ordinarii obedientia ducant, toties quoties obierint, vel vitam eremiticam reliquerint, ſubrogare poſſitis, & quilibet veſtrum poſſit, dummodo in locum ſociorum hujuſmodi ſubrogandi alicujus ex beati Franciſci Ordinibus Profeſſores non ſint, auctoritate Apoſtolica per præſentes licentiam & facultatem concedimus.

§. III. Volentes quod tam tu, quam dictus Fauſtus & ſocii prædicti omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, conceſſionibus & gratiis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, ac tam tibi, quam Eremitis in monte Civitatis noſtræ Anconæ quoquomodo per Sedem Apoſtolicam conceſſis, ac quibus tu, & ipſi Eremitæ Civitatis Anconæ utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere valeatis, & quilibet veſtrum valeat, ac literæ conceſſionum & indultorum per te obtentæ prædictæ, quoad omnia & ſingula, & in eis contenta, tibi, & Fauſto, ac veſtris ſociis prædictis in omnibus & per omnia ſuffragentur, ac ſi in eis Fauſtus, & ejus ſocius expreſſi fuiſſent.

§. IV. Quocirca dilectis filiis Vicario venerabilis fratris Patriarchæ Venetiarum in ſpiritualibus Generali, ac Primicerio ſancti Marci Venetiarum, necnon Joanni Franciſco Valerio Canonico Paduan. Eccleſiarum, & eorum cuilibet per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi per ſe vel alium ſeu alios tibi & ſociis, ac ſubrogandis hujuſmodi in præmiſſis efficacis

defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant te & ſocios, ac ſubrogandos prædictos conceſſione & indulto, ac aliis præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes te & ſocios, ac ſubrogandos hujuſmodi ſuper eiſdem præmiſſis, vel eorum aliquo per Locorum Ordinarios, vel dictorum Ordinum cuſtodes Miniſtros, Generales, Superiores & Prælatos, aut quoſcumque alios tam eccleſiaſticos, quam ſeculares Judices & Perſonas cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, & quacumque etiam Pontificali præfulgeant dignitate, vel auctoritate etiam Apoſtolica fungantur, quomodolibet moleſtari, perturbari aut inquietari; contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis Ordinibus hujuſmodi, ſeu quibuſvis illorum Superioribus, Prælatis & Reformatoribus etiam Generalibus ſub quibuſvis verborum formis & clauſulis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis irritantibuſque, & aliis decretis, etiam ad inſtantiam Imperatoris, Regum, & aliorum quorumcumque, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac in forma Brevis, etiam in præjudicium præſentium literarum in genere vel in ſpecie conceſſis, confirmatis & innovatis, & etiam in futurum concedendis & innovandis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, illorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, aut quævis alia expreſſio habenda, vel alia exquiſita forma ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, ac per præſentes literas ſub quibuſcumque revocationibus, ſuſpenſionibus, derogationibus, limitationibus, ſeu aliis alterationibus earumdem, aut ſimilium vel diſſimilium literarum & indultorum per Sedem Apoſtolicam pro tempore factis & faciendis, minime comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties ſub eis comprehendi viderentur, toties in priſtinum & validiſſimum ſtatum reſtitutas fuiſſe & eſſe, & cenſeri debere, decernentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXXI. Martii MDXLI., Pontificatus noſtri anno VII.

VII.

Fratribus Conventualibus adverſus illos de Obſervantia Domum ſancti Franciſci oppidi de Stella, Pampilonen. diœceſis detinentes Conſervatores decernit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Decano Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Tudela, Tiraſonen. diœceſis & Abbati ſancti Victoriani ejuſdem vel alterius diœceſis, vel eorum alteri.

§. I. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum in Romana Curia exiſtens ſecundum morem dicti Ordinis, quod licet alias felicis recordationis Leo Papa X. prædeceſſor noſter ad tollendas controverſias & diſſenſiones, quæ inter dictos Conventuales, & de Obſervantia nuncupatos ejuſ-

ejuſdem Ordinis Fratres ſæpe oriebantur, per ſuas ſub plumbo literas Bullam Concordiæ nuncupatas, ſtatuerit & ordinaverit, ne ipſi de Obſervantia aliquas domos dictorum Conventualium, aut aliqua Monaſteria Monialium vel Sororum ſub cura eorumdem Fratrum Conventualium degentium, & e contra, ne dicti Fratres Conventuales aliquas domos dictorum Fratrum de Obſervantia, aut Monaſteria Monialium vel Sororum ſub ipſorum Fratrum de Obſervantia cura degentium recipere, aut in illarum regiminibus ſe quomodolibet intromittere valerent, & piæ memoriæ Clemens Papa VII. etiam Prædeceſſor noſter, cui per dictos Fratres de Obſervantia ſuggeſtum fuerat valde expedire, ut eis domorum & Monaſteriorum Monialium & Sororum dicti Ordinis in Regno Navarræ conſiſtentium reformatio, & cura committeretur ſeu concederetur, poſtquam ſuggeſtionibus hujuſmodi inductus, curam & reformationem domorum & Monaſteriorum in dicto Regno conſiſtentium hujuſmodi eiſdem Fratribus de Obſervantia, ſeu illorum Generali Miniſtro per ejus in forma Brevis literas commiſerat ſeu conceſſerat; cum ipſe Clemens Prædeceſſor intellexiſſet ipſarum literarum prætextu dictos Fratres de Obſervantia domos dictorum Fratrum Conventualium capere & retinere, ac in illarum regimine ſe intromittere velle, dictas in forma Brevis literas, tamquam melius informatus, per alias ejus etiam in forma Brevis literas revocaverit, prout in illis plenius continetur.

§. II. Nihilominus dicti Fratres de Obſervantia prætextu literarum Clementis Prædeceſſoris hujuſmodi, ut præfertur, revocatarum, & quarumdam forſan aliarum noſtrarum literarum, tacita veritate, ac alias per ſubreptionem & obreptionem extortarum, Domum ſancti Franciſci oppidi Stellæ dicti Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, Pampilonen. vel alterius diœceſis, prætextu reformationis hujuſmodi per vim capere & detinere, ac in illius cura & regimine ſe intromittere auſi ſunt, & alias domos dictorum Fratrum Conventualium, ac Monaſteria Monialium ſeu Sororum ſub illorum cura degentium in dicto Regno conſiſtentium, capere & detinere nituntur, literis dictæ Concordiæ contraveniendo, & per eas ſopitas antiquas lites & diſcordias ſuſcitando & innovando in magnam ejuſdem Ordinis confuſionem & perturbationem, ac ſcandalum plurimorum: Quare dictus Procurator aſſerens dictos Fratres de Obſervantia nuncupatos ad præſens dictam Domum detinere, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur ea, quæ a Prædeceſſoribus noſtris præſertim pro pace & concordia ſtatuta ſunt, inviolabiliter, ut convenit obſervari, & hujuſmodi confuſionem removere, deſuper opportune providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per præſentes committimus & mandamus, quatenus ſi ita ſit, dictos Fratres de Obſervantia a detentione dictæ Domus deſiſtere, eamque dimittere, & dictis Fratribus Conventualibus reſtituere omnino faciatis, & ipſos Fratres de Obſervantia alias Domos dictorum Fratrum Conventualium, aut Monaſteria Monialium vel Sororum ſub cura ipſorum Fratrum Conventualium in dicto Regno conſiſtentia, de cetero contra tenorem dictarum literarum Concordiæ de facto capere vel detinere, aut in illorum cura vel regimine ſe intromittere nullatenus permittatis, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ipſaſque cenſuras etiam iteratis vicibus aggravando, & interdictum Eccleſiaſticum apponendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus ſanctæ memoriæ Bonifacii Pa-

pæ VIII. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, necnon dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini, aut ejus Superioribus ſub quibuſcumque tenoribus & formis, & per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Nos aut Sedem Apoſtolicam, vel ejus Legatos, ſeu quoſcumque alios conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus illorum tenores, etiamſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XXIV. Junii MDXLI., Pontificatus noſtri anno VII.

VIII.

Joannis Calvi electionem in Miniſtrum Generalem totius Ordinis Pontifex approbat, quæque in Comitiis Mantuanis conſtituta fuerant rata habet.
Ex Regeſto Ciſmontano fol. 93.

Dilecto filio Joanni Calvo totius Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro.

§. I. CUm ſicut Nobis nuper exponi feciſti, in Generali Capitulo Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, in proxime elapſo feſto Pentecoſtes in Civitate Mantuana celebrato, in Generalem Miniſtrum totius prædicti Ordinis, juxta ipſius Ordinis inſtituta, canonice electus fueris; ac in eodem Capitulo nonnulla quietem & augmentum dicti Ordinis concernentia, matura ac diligenti deliberatione præhabita, per te ac dictum Capitulum ſtatuta & ordinata fuerint, cupiaſque electionem & ſtatuta prædicta, ut majorem obtineant roboris firmitatem, noſtræ approbationis munimine roborari, Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut votis hujuſmodi annuere, ac aliàs in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ejuſdem Ordinis profectum & incrementum paterno exoptamus affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, electionem de te factam, necnon ſtatuta & ordinata hujuſmodi, quatenus ſacris Canonibus non ſint contraria, auctoritate Apoſtolica ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robore communimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; dantes tibi prorſus eamdem facultatem & auctoritatem, quam alii dicti Ordinis Generales Miniſtri, qui pro tempore fuerunt, habere conſueverunt. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XXVII. Julii MCXLI. Pontificatus noſtri anno VII.

IX.

IX.

Cœnobia ſancti Antonii Paduan. & ſancti Franciſci Venetiarum Generali Magiſtro Ordinis Minorum Conventualium reformanda committit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Laurentio Spata Generali Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum.

§. I. Intelleximus, dilecto filio noſtro Rodulpho tituli ſanctæ Priſcæ Presbytero Cardinali de Carpo nuncupato, Ordinis Fratrum Minorum apud Nos Protectore Nobis referente, quod ſancti Antonii Paduan. & ſancti Franciſci Venetiarum dicti Ordinis Conventualium domus, ac ipſarum Religioſi, obſervantiæ norma & Religionis jugo ſemotis, carnis illecebris ſeducti, ad vetita profilant, & adeo diſſolute vivant, ut Regulam, quam profeſſi ſunt, omnino negligant in Divinæ Majeſtatis offenſam, & animarum ſuarum periculum, ac Religioſorum opprobrium, periculoſum quoque exemplum & ſcandalum plurimorum, reformationis officio indigere noſcuntur.

§. II. Quamobrem Nos volentes, ut Religioſi prædicti eum vivendi modum, ad quem juxta per ipſos emiſſam profeſſionem, & ipſius Ordinis inſtituta tenentur, obſervent, tibi per præſentes committimus & mandamus, quatenus ad domos prædictas perſonaliter te conferas, illaſque & earum ſingulas, necnon Guardianos, Fratres & perſonas in eis degentes tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus viſites, & in eo quod reformatione indigere noveris, juxta Canonicas ſanctiones, ac dicti Ordinis Regularia inſtituta in melius reformes, corrigas & emendes, ac ad regularem obſervantiam, ad quam, juxta emiſſam profeſſionem hujuſmodi, ut præfertur, tenentur, reducas, necnon dictas perſonas, quæ Regulari obſervantiæ ſe confirmare noluerint, aut alias in Regularia inſtituta & ordinationes hujuſmodi, ac expreſſam qualitatem & exigentiam debitis pœnis punias, ac omnia & ſingula alia in præmiſſis, & circa ea facias & exequaris, quæ pro directione domorum prædictarum juxta Canonicas ſanctiones & Regularia inſtituta prædicta, ad Dei laudem & Religionis augmentum & animarum ſalutem neceſſaria noveris fore, ſeu quomodolibet opportuna, ſuper quibus omnibus & ſingulis plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, per præſentes tibi concedimus facultatem; contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias, ac alia juris remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, diſtrictius inhibentes, ac mandantes dilectis filiis Miniſtris, Diſcretis, Diffinitoribus, Guardianis & Fratribus dicti Ordinis Provinciæ ſancti Antonii ejuſdem Ordinis, ac quibuſvis exequutoribus in quibuſvis literis Apoſtolicis, illis etiam per Nos conceſſis, deputatis & expreſſis, eorumque ſubexequutoribus ac quibuſvis aliis perſonis in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis latæ ſententiæ, necnon ſuſpenſionis a Divinis, & privationis omnium & ſingulorum dignitatum ac beneficiorum Eccleſiaſticorum per quemlibet eorum obtentorum, ac inhabilitatis ad illa ac alia quomodolibet impoſterum obtinenda pœnis, quas non parentes abſque aliqua declaratione eo ipſo incurrere volumus, declaramus & decernimus, ne te ſuper præmiſſis impedire, moleſtare aut inquietare, ſeu circa earumdem literarum vel alio prætextu quovis modo præſumant. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinatio-

nationibus Apoſtolicis, ac Ordinis & domorum prædictarum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, Ordini, Miniſtris, Diſcretis, Diffinitoribus, Guardianis, Fratribus ac domibus prædictis, ac aliis perſonis, etiam per felicis recordationis Pium II. Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrum VI. Pium III. Julium etiam II. & Leonem X. Adrianum VI. & Clementem VII. ac quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos & Sedem Apoſtolicam ſub quibuſcumque verborum formis & clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis Decretis, etiam in præjudicium præſentium, etiam in forma Brevis & ad quorumvis inſtantiam pro tempore conceſſis, confirmatis ac etiam iteratis vicibus innovatis, etiam Mare Magnum aut Bulla Aurea vel alias nuncupatis.

§. III. Quibus omnibus & ſingulis etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quavis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi Miniſtris, Diſcretis, Diffinitoribus, Guardianis & Fratribus ac Conventibus prædictis, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 11. Auguſti MDXLI. Pontificatus noſtri anno VII.

X.

Sacras Ædes ſancti Rochi oppidi de Maſſafre, Motulen. Diœceſis ab Obſervantibus impetitas Conventualibus reſtituendas eſſe ſancit. Ex Vaticano Secretiori Tulario.

Dilectis filiis venerabilium fratrum Archiepiſcopi Baren. & Epiſcopi Bitantin. Vicariis in ſpiritualibus Generalibus ac eorum alteri.

§. I. EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Agapitus de Tagliacotio Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum profeſſor, ac ejuſdem Ordinis Generalis Procurator, quod licet alias felicis recordationis Leo PP. X. prædeceſſor noſter ad tollendas diſcordias & differentias, quæ inter eoſdem Conventuales & de Obſervantia nuncupatos ejuſdem Ordinis Fratres, occaſione domorum ipſius Ordinis multoties oriebantur, habita deſuper deliberatione matura, de venerabilium fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, per ejus ſub plumbo literas, Bullam Concordiæ nuncupatas, ſtatuerit & ordinaverit, ne præfati Fratres de Obſervantia aliquas domos ſeu loca dictorum Fratrum Conventualium, & e contra Fratres Conventuales prædicti domos eorumdem Fratrum de Obſervantia quovis quæſito colore accipere vel retinere poſſent, & licet etiam Eccleſia ſeu capella ſub invocatione ſancti Rochi prope & extra muros oppidi Maſſafre, Motulen. Diœceſis per dictos Fratres Conventuales ab illius fundationis primordio continue tenta, poſſeſſa & gubernata, & in illa per eos

in

in Divinis laudabiliter deſervitum fuerit. Nihilominus ſuggeſto dilecto filio A . . . tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Majori Pœnitentiario noſtro per dilectos filios Franciſcum Pappacoda Dominum in temporalibus, ac Univerſitatem & homines dicti caſtri aſſertos dictæ Eccleſiæ ſeu capellæ fundatores, quod dicti Fratres Conventuales circa curam & regimen ejuſdem minus probe ſe gerebant, ac eam quaſi deſeruerant, & per ſuggeſtionem hujuſmodi quadam licentia concedendi prædictam Eccleſiam ſeu capellam eiſdem Fratribus de Obſervantia a præfato A . . . Cardinale & Pœnitentiario per Franciſcum ac Univerſitatem & homines præfatos extorta, dicti Fratres de Obſervantia prætextu conceſſionis eis de dicta Eccleſia ſeu capella per dictos Franciſcum & Univerſitatem & homines factæ, Eccleſiam ſive capellam eamdem occupare nituntur, ſeu jam forſan occuparunt, contra dictarum litterarum continentiam & tenorem, & in ſopitarum diſſentionum renovationem, dictique Ordinis confuſionem & perturbationem, ac Chriſtifidelium illarum partium ſcandalum.

§. II. Quare præfatus Agapitus Procurator aſſerens dictos Fratres Conventuales Eccleſiam ſeu capellam eamdem numquam deſeruiſſe, ac curam & regimen ejuſdem continue debite ſe geſſiſſe, & in futurum ad eam regendam, tenendam, gubernandam, ac in Divinis ſerviendum paratos eſſe, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur qui diſcordiarum materias, præſertim inter Religioſas perſonas, quas ab eis præ ceteris convenit eſſe alienas, vigentes, pro paſtoralis officii debito libenter ſuccidimus & amputamus, ſcandaliſque obviamus, ea quæ per eumdem Prædeceſſorem ad extinctionem diſcordiarum hujuſmodi, ut præfertur, ſtatuta ſunt, inviolabiliter, ut par eſt, obſervari volentes, deſuperque opportune providere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per præſentes committimus & mandamus, quatenus dictis Fratribus Conventualibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, veris exiſtentibus præmiſſis, eos ſuper dicta Eccleſia ſive capella ejuſdem conceſſionis prætextu, per dictos Fratres de Obſervantia moleſtari, inquietari ſeu quomodolibet perturbari nullatenus permittatis, & quatenus ipſi Fratres Conventuales ab eadem Eccleſia ſeu capella dictæ conceſſionis prætextu, ejecti fuerint, eos ad eamdem, ac eum ſtatum, in quo antequam conceſſio hujuſmodi emanaret, quoad præmiſſa exiſtebant, reſtituatis, reducatis ac plenarie reintegretis, amotis inde dictis Fratribus de Obſervantia; contradictores quoslibet & rebelles cujuſcumque ſtatus, gradus vel conditionis, etiamſi Domicelli vel Barones fuerint, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, quis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, ac aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 11. Auguſti MDXLI. Pontificatus noſtri anno VII.

XL.

XI.

Cornelius Muſſus Ordinis Minorum profeſſor Brittonorienſis Epiſcopus renunciatur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Cornelio Electo Brittonorien.

§. I. MEritis tuæ devotionis inducimur, ut perſonam tuam Nobis & Apoſtolicæ Sedi devotam paterns benevolentia proſequentes, illa tibi favorabiliter concedamus, quæ tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna.

§. II. Cum itaque Nos hodie Eccleſiæ Brittonorien. tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ de perſona tui, tunc Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris, Nobis & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorumdem conſilio, Apoſtolica auctoritate duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Et ſicut accepimus, tu tempore proviſionis & præfectionis prædictarum, unam in Paduan. & aliam Camerss in Placentin. dicti Ordinis domibus ex ipſius Ordinis inſtitutis obtineres, prout obtines.

§. III. Nos tibi, ut ſtatum tuum, juxta Pontificalis dignitatis exigentiam, decentius tenere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere, teque præmiſſorum intuitu gratioſo favore proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodstus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tecum, ut etiam poſtquam in vim proviſionis & præfectionis prædictarum pacificam poſſeſſionem ſeu quaſi regiminis & adminiſtrationis dictæ Eccleſiæ, ac illius bonorum ſeu majoris partis eorum aſſequutus fueris, Cameras prædictas ut prius, quoad vixeris, etiam una cum dicta Eccleſia quamdiu illi præfueris, retinere in omnibus & per omnia perinde, ac ſi eidem Eccleſiæ de eadem perſona tua minime proviſum fuiſſet, libere & licite valeas, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, dicta auctoritate tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ diſpenſamus; decernentes propterea eaſdem Cameras non vacare, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIV. Novembris MDXLI. Pontificatus noſtri anno VIII.

XII.

XII.

Generali Miniſtro Ordinis Minorum de Obſervantia cœnobia utriuſque ſexus ſui Ordinis in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis conſiſtentia viſitandi per alios indulget. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio Joanni Calvo Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro.

§. I. EXpoſitum Nobis nuper fuit pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Portugalliæ & Algarbiorum Regis illuſtris, quod cum in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis nonnullæ domus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, necnon Monialium Ordinis ſanctæ Claræ etiam de Obſervantia ſub tua & pro tempore exiſtentis dicti Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſtri cura degentium exiſtant, quæ niſi ſæpius a Superioribus viſitentur, & in fuæ profeſſionis obſervantia manuteneantur, ab hujuſmodi profeſſionis puritate de facili devient, cupiatque idem Joannes Rex, quod Fratres ac Moniales hujuſmodi eo ferventius ad meliora chariſmata emulanda, & ad reddendum Deo gratiſſimum famulatum excitentur, quo ab eiſdem Superioribus ſuis verbo pariter & exemplo ad id inducti fuerint, humiliter Nobis ſupplicari fecit, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui dicto Regi in omnibus, & præſertim his, quæ Dei honorem, animarum ſalutem ac dictorum Ordinum, quos (debita pietate procuramus) incrementa concernunt, paterno affectu morem gerere cupimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi in virtute ſanctæ Obedientiæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus ſi per te ipſum munus hujuſmodi adimplere nequiveris, aliquem ex dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſoribus, quem ad hujuſmodi viſitationis officium idoneum fore cenſueris, qui tibi immediate, & nulli alteri dicti Ordinis Prælato ſubjiciatur, nec a quopiam te inferiore in præmiſſis moleſtari ſeu impediri poſſit, toties, quoties a Rege Joanne præfato ad id fueris requiſitus, & tibi viſum fuerit opportunum, ad id deputare & deſtinare debeas, quod etiam a ſucceſſoribus tuis obſervari volumus & mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros & Nos, ac Sedem Apoſtolicam ſub quibuſcumque tenoribus & formis quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, necnon dictorum Ordinum ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, quibus illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Februarii MDXLII. Pontificatus noſtri anno VIII.

XIII.

Archiepiſcopo Elborenſi viſitationem Domorum Ordinis Minorum Conventualium, ac Monaſteriorum Monialium eis ſubjectarum correctionem committit, earumque regimen Obſervantibus demandat. ExVat. Secret. Tabul.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Elboren.

§. I. EXponi Nobis nuper fecit cariſſimus in Chriſto filius noſter Joannes Portugalliæ & Algarbiorum Rex illuſtris, quod in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis nonnullæ domus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium ſeu Clauſtralium nuncupatorum, necnon Monialium ſanctæ Claræ ſub eorumdem Fratrum cura degentium ſunt, quorum Fratres ac Moniales a ſuæ profeſſionis obſervantia deviantes, in propriæ ſalutis diſpendium, Religionis dedecus, ac ſcaodalum plurimorum, prophanam penitus ac infamem ducunt vitam, cupiens itaque Joannes Rex præfatus, quod Fratres ac Moniales hujuſmodi ad melioris vitæ frugem redigantur, Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui univerſos Chriſtifideles, præſertim perſonas jugo Religionis aſtrictas ad rectam vivendi normam, quantum cum Deo poſſumus, reducere, piiſque dicti Joannis Regis votis morem gerere intenſis deſideriis exoptamus, fraternitati tuæ tenore præſentium committimus & mandamus, quatenus domos, Monaſteria ac illorum Fratres & Moniales hujuſmodi per te vel alium ſeu alios idoneos & Deum timentes viſites ſeu viſitari & ad rectum vivendi modum reduci facias; Nos enim tibi & aliis prædictis, ſi pro reductione hujuſmodi ſecundum Deum cognoveris vel illi cognoverint expedire, Moniales prædictas a dictorum Fratrum cura eximendi & ſubtrahendi, curæque, regimini & ſuperioritati aliorum Religioſorum ſubjiciendi & ſubmittendi, dictoſque Fratres de domibus, Civitatibus, terris & locis, ubi dictarum Monialium domus ac Monaſteria hujuſmodi ſunt, ad alias domos & loca ejuſdem Ordinis transferendi ſeu alia loca eis aſſignandi, ac in domibus & locis, a quibus, ut præfertur, ejecti fuerint, alios probatæ vitæ ejuſdem Ordinis Conventualium, ſi reperire poteris, alias de Obſervantia Religioſos introducendi, aliaque ſtatuendi, ordinandi & mandandi, quæ neceſſaria fuerint ſeu quomodolibet opportuna, necnon contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, ac ſi opus fuerit auxilium brachii ſecularis invocandi auctoritate Apoſtolica facultatem concedimus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, etiam in forma Brevis, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Nos ac Sedem Apoſtolicam ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, hac vice dumtaxat illis

illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Martii MDXLII., Pontificatus noſtri anno VIII.

XIV.

Monaſterium Valliſoletanum pro mulieribus Repentitis inſtituit, ipſumque juris & poteſtatis Prælatorum Ordinis Minorum de Obſervantia vel Prædicatorum eſſe decernit. Ex Vat. Secret. Tabul.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EXpoſcit debitum paſtoralis officii, cui diſponente Domino, præſidemus, ut circa ea, quæ pro perſonarum quarumlibet, præſertim fœminei ſexus, quæ mundanis illecebris penitus abdicatis, ſtudio piæ vitæ & Divinis obſequiis ſe cooptare, ac in contemplationis ſuavitate quieſcere deſiderant, ſalubri ſtatui & animarum ſaluti profutura conſpicimus, operoſis ſtudiis favorabiliter intendamus.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis oppidi Valliſoleti, Palentin. Diœceſ. & nonnullarum aliarum particularium perſonarum, certorum locorum eidem oppido vicinorum incolarum & habitatorum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum alias ipſi Deum zelantes & conſiderantes, quod in illis partibus nulla conveniens exiſtebat domus, ad quam mulieres, quæ pudicitiæ laxatis habenis, vitam inhoneſtam duxerant, Divina inſpirante gratia, ad Deum converſæ, & vitam ipſam relinquere cupientes ſe recipere, & inibi Altiſſimo famulari, ac dies ſuos in ea finire poſſent. Et propterea cupientes eiſdem mulieribus in præmiſſis opportune providere, ex piis Chriſtifidelium eleemoſynis unam domum cum Eccleſia ſub invocatione ſancti Philippi in eodem oppido, & loco ad id condecenti pro uſu & habitatione ſimilium mulierum, ut præfertur, pro tempore convertendarum, ad inſtar domus ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Urbe, olim ad hujuſmodi effectum fundatæ, decentibus fundamentis & clauſura, ad laudem Omnipotentis Dei conſtrui & ædificari facere inceperunt, ac in domo hujuſmodi ad præſens certæ mulieres, quæ licet hactenus aliquem Ordinem profeſſæ, aut alicui ſubjectæ non fuerint, ad inſtar tamen Religioſarum ſub eadem clauſura degunt, inibi introductæ reperiuntur, ſi domus prædicta cum conſtructa fuerit pro uſu & habitatione talium mulierum, quæ inibi ad inſtar mulierum Convertitarum nuncupatarum domus ſanctæ Mariæ Magdalenæ hujuſmodi includerentur & viverent, perpetuo concederetur & aſſignaretur, profecto Divino cultui cum ſalute animarum ſimilium miſerabilium perſonarum pro tempore pœnitentium, ac devotioni Univerſitatis & aliarum perſonarum prædictarum opportune conſuleretur.

§. III. Quare pro parte Univerſitatis & aliarum perſonarum hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum ſub invocatione ſancti Philippi hujuſmodi, in qua tam introductæ permanere, & impudicæ mulieres pro tempore converſæ ſe recipere, & vota ac profeſſionem in omnibus & per omnia ad inſtar mulierum domus beatæ Mariæ Magdalenæ hujuſmodi emittere, & Altiſſimo famulari poſſint, ad debitam perfectionem cum parvis Eccleſia, ſacrario, campana, campanili humili, cœmeterio, refectorio, dormito-

nitorio, horto ſeu hortalitio, & aliis officinis neceſſariis pro uſu & habitatione earumdem mulierum pro tempore converſarum, ad inſtar ejuſdem domus ſanctæ Mariæ Magdalenæ deduci faciendi licentiam & facultatem concedere, ac domum perficiendam hujuſmodi, poſtquam perfecta fuerit, præfatis mulieribus pro earum perpetuis uſu & habitatione ac receptione perpetuo concedere & aſſignare, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui perſonis quibuslibet, præſertim fœminei ſexus fragilitati ſubditis, ut gratum Altiſſimo famulatum exhibere poſſint, Apoſtolici favoris præſidium libenter impendimus, Univerſitatem & alias perſonas hujuſmodi ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Univerſitati & perſonis domum ſub invocatione ſancti Philippi hujuſmodi, in qua jam introductæ permanere, & impudicæ mulieres pro tempore converſæ ſe recipere, ac vota & profeſſionem, ut præfertur, emittere, & Altiſſimo famulari poſſint, ad debitam perfectionem cum parvis Eccleſia, ſacrario, campana, campanili humili, cœmeterio, refectorio, dormitorio, horto ſeu hortalitio, & aliis officinis neceſſariis pro uſu & habitatione earumdem mulierum pro tempore converſarum, ad inſtar domus ſanctæ Mariæ Magdalenæ hujuſmodi deduci faciendi, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus, ac domum perficiendam prædictam poſtquam perfecta fuerit, præfatis mulieribus pro eorum perpetuis uſu & habitatione ac receptione auctoritate & tenore prædictis perpetuo concedimus & aſſignamus. Ac ut mulieres hujuſmodi eo ferventius Divinis vacare ſtudeant, quo maturioribus erunt adjutæ conſiliis, eaſdem domum perficiendam & mulieres in ea pro tempore receptas curæ regimini, adminiſtrationi & viſitationi alicujus Vicarii Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, aut Fratrum Prædicatorum, ſeu alterius Ordinis, ſub obedientia Miniſtri Generalis Fratrum Minorum, ſeu Prædicatorum, aut alterius Ordinis hujuſmodi viventis per Univerſitatem & perſonas prædictas nominandi & eligendi ſubmittimus, ac ab omni juriſdictione & ſuperioritate tam Ordinarii loci, quam cujuſvis alterius perpetuo eximimus & liberamus. Et ut domus perficienda prædicta rectius conſervetur, eoſdem Univerſitatem & perſonas in illius Protectores & Defenſores conſtituimus & deputamus, eiſque ſeu perſonis per eas ac dictum Vicarium deputandis, ut eleemoſynas inibi pro tempore erogatas in uſus domus perficiendæ, & mulierum earumdem exponere & diſpenſare, necnon quæcumque ſtatuta & ordinationes licita & honeſta domum perficiendam, & mulieres pro tempore converſas, ac earum Capellanum ſeu Capellanos, ſervitrices & bona quæcumque concernentia condere & condita, prout qualitas temporum exegerit, reformare & mutare, & alia de novo condere, quæ poſtquam condita fuerint, ut præfertur, eo ipſo cum juris & facti defectuum, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem ſuppletione confirmata & approbata ſint & eſſe cenſeantur, ac mulieribus præfatis, ut Capellanum ſeu Capellanos & Confeſſores idoneos, & præfatum Vicarium conſtituendos & deputandos, ac ad ejus nutum ponendos & amovendos, qui Miſſas in dicta Eccleſia celebrent, & Confeſſiones præfatarum mulierum & eis ſervientium in ipſa perficienda domo, etiam in feſto Paſchatis audiant, & Eccleſiaſtica Sacramenta eis miniſtrent, ac eas a contentis literis in die Cœna Domini legi con-

conſuetis, in mortis articulo, ac ab aliis quibuſcumque caſibus, de quibus corde contritæ & ore confeſſæ fuerint tam in vita, quam in eodem mortis articulo abſolvant, ac earum cadavera in dicta Eccleſia ſeu cœmeterio Eccleſiaſticæ tradant ſepulturæ, præfati Ordinarii loci, aut Rectoris alicujus Parochialis Eccleſiæ, ſeu cujuſvis alterius licentia ſeu conſenſu deſuper minime requiſitis, habere libere & licite valeant. Ac ut animarum ſalus per amplius propagetur eiſdem mulieribus pro tempore converſis & illis ſervientibus ac Vicario, necnon Univerſitati & perſonis, ac quibuſvis aliis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, ſeu ſtatutis a jure temporibus confitendi propoſitum habentibus, qui in feſto ejuſdem ſancti Philippi poſt publicationem præſentium in dicto oppido faciendam immediate ſequenti, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis ipſius diei Eccleſiam præfatam devote viſitaverint, & quinquies Orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam, Deum pro pœnitentia & perſeverantia ipſarum mulierum pro tempore converſarum exorando, necnon qui in oppido præfato, ac Civitate, & dicta Diœceſi Palentin. ob infirmitatem vel aliquod aliud juſtum impedimentum ad dictam Eccleſiam dicta die accedere nequeuntes, ter Orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam, ut præferiur, recitaverint, plenariam omnium peccatorum ſuorum, qui vero eamdem Eccleſiam in Nativitatis & Reſurrectionis ac Aſcenſionis & Pentecoſtes Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Aſſumptionis beatæ Mariæ feſtivitatibus ſimiliter a primis Veſperis uſque ad occaſum Solis ſingularum feſtivitatum hujuſmodi etiam devote viſitaverint annuatim, ac Orationem & Salutationem præfatas, ut præfertur, recitaverint, quoties id fecerint, viginti quinque annorum & totidem quadragenarum de injunctis eis pœnitentiis, necnon mulieribus converſis in eadem domo inclulis tam profeſſis, quam profitendi propoſitum habentibus, quæ quadrageſimalibus & aliis anni temporibus, & diebus Stationum Eccleſiarum Almæ Urbis, & extra muros ejus in Eccleſia domus perficiendæ hujuſmodi ter Orationem & toties Salutationem præfatas recitaverint, omnes & ſingulas Chriſtifidelibus Eccleſias Urbis & extra muros hujuſmodi, ſingulis prædictis Stationum diebus perſonaliter viſitantibus conceſſas indulgentias, & peccatorum remiſſiones auctoritate & tenore prædictis miſericorditer concedimus & elargimur.

§. V. Et inſuper ne mulieres pro tempore converſæ, & Deo adhærere volentes impoſterum loco, in quem ſe recipere poſſint, deſtituantur, quod perpetuis futuris temporibus dicta domus mulierum peccatricum, quæ dimiſſa peccati vetuſtate Divinis obſequiis ſe coaptare voluerint, & pro illis recipiendis & confovendis, eorumque uſu & habitatione perpetuo deputata ſit & eſſe cenſeantur. Quodque ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna per contrafacientes eo ipſo incurrenda, a qua nonniſi a Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo abſolutionis beneficium obtinere poſſint, in eadem perficienda domo, etiam pro cuſtodia ad vitam aut ad tempus, aliæ mulieres, quam illæ, quæ incontinentia carnali laboraverint, & dimiſſa incontinentia ad ſuaviſſimum Chriſti jugum redire voluerint, & quæ deformes notabili deformitate aut infirmæ ſeu ſenio confectæ fuerint, ſuper quo judicio & arbitrio ipſorum Univerſitatis & hominum, ſeu ab eis deputatorum, ac Vicarii præfatorum ſtetur, admitti non poſſint; ac quod nullus vir, nullaque mulier cujuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis & præeminentiæ fuerint, etiam ipſarum pro tempore converſarum affines & parentes, ſub ſimili excommunicationis pœna dictam perficiedam domum ingrediantur; cum eis colloquium voce vel ſcriptura aut alias quomodocumque habere poſſint abſque expreſſa licentia ipſorum Univerſi-

veritatis & Vicarii, ſeu aliarum perſonarum per ipſos Univerſitatem ad hoc deputandarum.

§. VI. Quodque nulli per ſe vel alium ſeu alios quovis quæſito colore vel ingenio, ſub ſimili pœna dictas mulieres pro tempore converſas poſt ingreſſum ipſius domus moleſtare, inquietare vel vexare, aut a ſancto propoſito revocare vel deterrere quoquomodo præſumant, eiſdem auctoritate & tenore etiam perpetuo ſtatuimus & ordinamus. Decernentes ex nunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſvis privilegiis, indultis & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis etiam motu proprio & iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, conceſſionis, aſſignationis, ſubmiſſionis, exemptionis, conſtitutionis, deputationis, largitionis, ſtatuti, derogationis & decreti infringere vel ei auſu temerario contrsire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLII. XIV. Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno VIII.

XV.

Permittit Pontifex Alphonſo Caſtrioto Marchioni Tripaldæ, ut in Cœnobium Neapolitanum Matris Domini, quod Obſervantes Campaniæ Felicis deſeruerant, quibuſdam pactis, conditionibus eos iterum deducat. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 98. a tergo.

Dilecto filio Alphonſo Caſtrioto Marchioni Tripaldæ.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſti, quod quondam Joanna Caſtriota ſoror tua, dum in humanis ageret, ad Dei honorem, ac Religionis propagationem, terrena in cœleſtia felici commercio commutare cupiens, domum quamdam cum utenſilibus, humili campanili, aliiſque officinis, ſub titulo & invocatione Matris Domini pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Terræ Laboris, juxta morem dicti Ordinis intra Civitatem Neapolitanam propriis ſumptibus conſtrui & ædificari fecit, in qua Domo dicti Fratres hactenus commorati ſunt; ſuperiori vero anno, nonnullis reſpectibus eorum animum moventibus, Domum ipſam reliquerunt.

§. II. Cum autem, prout eadem expoſitio ſubjungebat, tu, qui pro Divini cultus incremento, ac pro dictæ quondam Joannæ voluntatis executione, ut Fratres præfati ad hujuſmodi Domum inhabitandum redirent, nonnullas cum eiſdem Fratribus conventiones, ac pacta inieris, prout in litteris manu dilecti filii Joannis Calvi, ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri deſuper confectis, plenius contineri dicitur. Nobis humiliter ſupplicari

cari feciſti, ut conventionibus ac pactis hujuſmodi pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui piis Chriſtifidelium votis libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pacta & conventiones hujuſmodi, ac prout illa concernunt, omnia & ſingula in eiſdem deſuper confectis literis contenta, & inde ſtatuta quæcumque, licita tamen & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, Apoſtolica auctoritate ſine alterius præjudicio, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ſupplentes omnibus & ſingulis tam juris, quam facti defectibus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Quæ omnia & ſingula tam a te, & Procuratoribus tuis, quam etiam a Miniſtro & Fratribus dictorum Ordinis & Provinciæ nunc & pro tempore exiſtentibus, firmiter & inviolabiliter obſervari volumus & mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus veſtro juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roborasis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VI. Martii MDXLII. Pontificatus noſtri anno VIII.

XVI.

Confirmat Pontifex Prædeceſſorum Pontificum privilegium, quo Fratres Minores Inquiſitorum hæreticæ pravitatis imperio minime obnoxios eſſe decreverant. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 99.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Romanus Pontifex, providentia circumſpecta, ea, quæ per Sedem Apoſtolicam pro religioſarum Perſonarum tranquillitate & quiete provide ſtatuta & ordinata noſcuntur, ut illibata perſiſtant, Apoſtolico conſuevit munimine roborare, ac aliis deſuper providere, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

§. II. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Calvus Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, quod licet per felicis recordationis Clementem IV., & Sixtum etiam IV., Innocentium VIII., ac Leonem X. Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis tam Apoſtolica, quam Ordinaria auctoritatibus, in quibuſvis Mundi partibus, præſertim Hiſpaniarum Regnis & dominiis deputatis, ſub generalibus cenſuris & pœnis expreſſe inhibitum fuerit, ne prætextu quarumcumque facultatum & literarum Apoſtolicarum ipſis, ac officio eorum cum quibuſvis clauſulis, quantumcumque fortiſſimis, efficaciſſimis & inſolitis conceſſarum, contra Fratres dicti Ordinis quomodolibet procedere, vel de illis directe vel indirecte, quovis quæſito colore ſe intromittere auderent. Et præfatus Leo Prædeceſſor eiſdem Inquiſitoribus, ne contra dictos Fratres ſe, ut præfertur, intromitterent, ſed ſi forſan aliquid eatenus contra eos egiſſent, eos capiendo, vel alia faciendo, Fratres ſic captos, ac quoſcumque proceſſus habitos, & ſcripturas deſuper confectas eorumdem Fratrum Superioribus, ut per eos caſtigari deberent, traderent, etiam mandaverit, prout in eorumdem Prædeceſſorum deſuper confectis literis, quarum tenores præſentibus, pro inſertis ac ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Nihilominus nonnulli ex dictis Inquiſitoribus in Regno Sardiniæ conſtituti, literis & mandatis Apoſtolicis hujuſmodi contemptis, in magnam dicti Ordinis turbationem, & ſcandalum plurimorum, con-

contra euſdem Fratres procedere, eoſque carceribus mancipare non verentur.

§. III. Quare pro parte ipſius Joannis Miniſtri Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui Ordinem præfatum, propter uberrimos fructus, quos in agro militantis Eccleſiæ, & hactenus attulit, & in dies afferre non ceſſat, ſpeciali dilectione proſequimur, illius privilegiorum conſervationi conſulere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas Prædeceſſorum hujuſmodi, ac prout illa concernunt, omnia & ſingula in eis contenta, auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium confirmantes & approbantes, ac perpetuæ firmitatis robur habere decernentes; univerſis & ſingulis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis hujuſmodi per Sedem præfatam, vel alias quomodolibet deputatis ſeu impoſterum deputandis in præfato Regno Sardiniæ, vel alibi per univerſum Orbem conſiſtentibus, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant vel fuerint, in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub excommunicationis & privationis omnium & ſingulorum beneficiorum, quæ obtinent, ac inhabilitatis ad illa & alia impoſterum obtinenda, aliiſque cenſuris & pœnis in literis Prædeceſſorum contentis, quas contraſacientes eo ipſo incurrere volumus, auctoritate & tenore ſimilibus diſtincte præcipimus & mandamus, ne de cetero contra quempiam dicti Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, quovis modo directe vel indirecte contra dictarum literarum tenorem procedere, vel ſe intromittere, aut hujuſmodi Inquiſitionis officium exercere præſumant: & ſi quos forſan ejuſdem Ordinis Profeſſores capere, ſeu carceribus mancipare hucuſque propoſuerint, Fratres ipſos ſic captus, juxta tenorem prædictum remittant.

§. V. Et nihilominus univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis Filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, ceteriſque Perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel eorum aliqui per ſe vel alium ſeu alios, qui deſuper pro parte alicujus Profeſſoris dicti Ordinis pro tempore fuerint requiſiti, eiſdem requirentibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, literas Prædeceſſorum hujuſmodi, & noſtras ſolemniter publicari, necnon omnia & ſingula in eis contenta ab omnibus & ſingulis firmiter & inviolabiliter obſervari faciant; non permittentes aliquid per quoſcumque, quacumque dignitate, præeminentia & auctoritate fungentes, contra eorumdem Prædeceſſorum, ac noſtrarum literarum hujuſmodi tenorem quomodolibet attentari; & ſi quos ex eis cenſuras & pœnas hujuſmodi Prædeceſſorum, & Noſtris literis & mandatis prædictis non parendo, incurriſſe conſtiterit, excommunicatos & privatos publice nuncient ſeu nunciari, & ab omnibus evitari, ac legitimis ſuper his habitis proceſſibus, cenſuras ipſas iteratis vicibus aggravare faciant. Contradictores quoslibet & rebelles per eaſdem cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſanctæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus his, quæ Prædeceſſores præfati in ſingulis prædictis literis voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VI. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis ſigillo alicujus Per-

Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, & manu alicujus Notarii ſubſcriptis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ originalibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VI. Martii MDXLII. Pontificatus noſtri anno VIII.

XVII.

Eccleſiam ſanctorum Gervaſii & Protaſii in urbe Ticinenſi Nicolao Pinello Clerico ultro cedente Tertii Ordinis Profeſſoribus Pontifex aſſignat. Bordonus pag. 434. Bulla 221.

PAULUS &c.

§. I. PAſtoralis officii cura, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſa Nos excitat & inducit, ut circa ſtatum Fidelium quorumlibet, præſertim religioſam vitam ducentium, ſalubriter dirigendum operoſis ſtudiis diligenter intendamus, ac iis, quæ propterea cum Divini cultus augmento proceſſiſſe dicuntur, ut firma perpetuo & illibata perſiſtant, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis præſidium propenſius impertiamur, aliaſque deſuper diſponamus, prout in Domino conſpicimus, ſalubriter diſponamus.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum Nicolai Pinelli Clerici Januenſis, qui Prioratum non Conventualem ſanctorum Gervaſii & Prothaſii Papienſem Ordinis ſancti Benedicti ex conceſſione ſeu diſpenſatione Apoſtolica in Commendam obtinet, & Sebaſtiani de Cremona moderni Miniſtri, ac univerſorum Fratrum Domus ſancti Savini extra & prope muros Papienſes, Tertii Ordinis ſancti Franciſci de pœnitentia nuncupati, ſub regulari Obſervantia degentium, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum alias tunc Miniſter, & Fratres dictæ Domus, eadem Domo, præter bella, quæ in partibus Lombardiæ, & præſertim in Civitate Papiæ, & illius comitatu viguerant, ſolo æquata, coacti fuiſſent alio ſe transferre, & per nonnullos annos a dicta Civitate abſentes ſtare, iidem Miniſter & Fratres ad eamdem Civitatem poſtmodum reverſi, in Eccleſia dicti Prioratus, quæ Parochialis exiſtit, & cui ante bella hujuſmodi per Vicarium ſeu Presbyterum mercenarium in Divinis deſerviri conſueverat, ac quæ diu ante propter eadem bella Vicario ſeu Presbytero, qui animarum curam eidem Eccleſiæ imminentem exerceret, caruerat, ac etiam tunc carebat, de concurſu & licentia præfati Nicolai inhabitarunt, Miſſas, & alia Divina officia celebrando, ac curam animarum laudabiliter exercendo, cum magna dilectorum filiorum Parochianorum ipſius Eccleſiæ ſatisfactione, & ſpirituali Populi ejuſdem Civitatis conſolatione.

§. III. Ex quo dictus Nicolaus laudabili vita Miniſtri, & Fratrum prædictorum inductus, pro Divini cultus augmento, & eorumdem Parochianorum utilitate, eamdem Eccleſiam cum ejus domibus, ædificiis & horto, in quibus Prioratum prædictum in titulum vel commendam pro tempore obtinentes, & alii ipſius Prioratus Religioſi illi antiquitus deſervientes habitare conſueverant, ac cœmeterio & campanili ſimul ſe tenentibus, necnon paramentis & calice ejuſdem Eccleſiæ, eorumque omnium uſu, habitatione & commodo eiſdem Sebaſtiano Miniſtro & Fratribus pro eis, & Succeſſoribus ſuis in perpetuum, per certum ipſius Nicolai Procuratorem, ad id ab eo ſpecialiter conſtitutum, ſub Sedis Apoſtolicæ beneplacito, & dilectorum filiorum Capituli Generalis ſeu Provincialis, aut Miniſtri Generalis Tertii

Ordinis, vel alterius Superioris Domus hujuſmodi ratificatione deſuper obtinenda pro annuo cenſu duorum ducatorum auri de Camera Taurinorum nuncupatorum, ſeu illorum æquivalentis monetæ Mediolanen. Monaſterio ſancti Petri de Bremite dicti Ordinis ſancti Benedicti Papien. dicti, & unius libræ thuris menſæ Epiſcopali Papienſi pro ipſo Nicolao, & ſucceſſoribus ſuis Prioratum prædictum in titulum vel commendam pro tempore obtinendis, & unius ſcuti auri a Sole eidem Nicolao, & Succeſſoribus ſuis annuatim perſolvendo, ita tamen, quod ex eodem ſcuto valor dicti thuris deduceretur, ad livellum perpetuum ſeu emphiteoſem perpetuam locavit & conceſſit cum onere, quod Miniſter, & Fratres præfati in eadem Eccleſia miſſas & alia Divina officia celebrare, ac curam animarum hujuſmodi exercere, necnon alia, quæ eidem Eccleſiæ incumbebant facere, & Eccleſiam, domos, ac ædificia hujuſmodi ſuis ſumptibus & expenſis abſque ipſius Nicolai onere reparare & manutenere, necnon libras mille Imperialium monetæ illarum partium eidem Nicolao per eum in emptionem unius domus æquivalentis in ipſa Civitate conſiſtentis, pro ipſius Nicolai & ſucceſſorum ſuorum prædictorum habitatione, & non aliumuſum convertendas, in certis tunc expreſſis terminis ſolvere tenerentur, excluſis nihilominus a locatiune ſeu conceſſione prædictis, ac eiſdem Nicolao & ſucceſſoribus ſuis reſervato titulo dicti Prioratus, ac omnibus & ſingulis aliis bonis & proprietatibus, necnon cenſibus illi debitis, ac fructibus, redditibus, proventibus & emolumentis ad dictum Prioratum quomodolibet ſpectantibus, ita quod Miniſter & Fratres præfati, ac eorum ſucceſſores de illis ſe intromittere, ac Nicolaum & ſucceſſores ſuos ex Eccleſia & bonis, ut præfertur, locatis & conceſſis expellere aut removere, ſeu eos in illis impedire, vel in illis ſe intromittere ullo unquam tempore nullatenus poſſent; promiſitque idem Nicolaus Miniſtrum & Fratres præfatos, ac illis locata & conceſſa bona a quibuſcumque oneribus eidem Prioratui, & eis bonis occaſione decimæ vel decimarum, ſeu etiam additionum, aut quavis alia cauſa, etiam Apoſtolica auctoritate, ſeu alias pro tempore impoſitis indemnes, & indemnia conſervare; itaut Miniſter & Fratres præfati nullum exinde damnum aut intereſſe pati, aut ratione vel cauſa fructuum & reddituum, ſeu aliorum ad dictum Prioratum ſpectantium Miniſtro & Fratribus non locatori aliquas expenſas facere non haberent, remanerentque eiſdem Miniſtro & Fratribus, ac ſucceſſoribus ſuis omnia eleemoſinæ, oblationes & legata, quæ exinde in ipſa Eccleſia, ſeu ejus & domorum, ædificiorum, horti & cœmeterii & campanilis intuitu, vel contemplatione fieri contigerit. Pacto præmiſſis omnibus inter alia adjecto, quod in eventum non ſolutionis annui cenſus hujuſmodi per triennium continuum, & unum menſem, aut contraventionis pactorum inter eos, deſuper initorum, Miniſter & Fratres præfati a locatione & conceſſione prædictis cecidere intelligerentur, ipſaque Eccleſia cum illius bonis ad dictum Nicolaum reverteretur, ipſeque Nicolaus poſtmodum locationem & conceſſionem prædictas per ſe ipſum approbavit & ratificavit, prout in diverſis deſuper confectis inſtrumentis dicitur plenius contineri.

§. IV. Quare pro parte Nicolai & Sebaſtiani Miniſtri, ac univerſorum Fratrum prædictorum afferentium cultum Divinum in dicta Eccleſia, & locatione & conceſſione prædictis auctum fuiſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Ordinem ſancti Benedicti hujuſmodi in dicta Eccleſia ſupprimere & extinguere, ac locationi & conceſſioni prædictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtulicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Nos igitur, qui Religioſorum quorumlibet profectibus, quantum

tum cum Domino poſſumus, libenter intendimus, Nicolaum & Sebaſtianum Miniſtrum, ac univerſos Fratres præfatos, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Ordinem ſancti Benedicti in eadem Eccleſia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſupprimimus & extinguimus, ac locationem & conceſſionem prædictas, necnon prout illas concernunt, omnia & ſingula in inſtrumentis prædictis contenta, licita tamen & honeſta, ac inde ſequuta quæcumque auctoritate & tenore prædictis, ex certa ſcientia approbamus & confirmamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, eaque perpetuis futuris temporibus per quoſcumque etiam ipſius Nicolai in dicto Prioratu ſucceſſores præfatos inviolabiliter obſervari debere, ipſoſque Sebaſtianum Miniſtrum, & Fratres ac ſucceſſores ſuos ex Eccleſia, domibus, ædificiis, horto, cœmeterio & campanili præfatis, ullo umquam tempore a quoquam, etiam prætextu alicujus læſionis, ſeu in integrum reſtitutionis, aut alias quomolibet expelli, ſeu in eis moleſtari ſeu inquietari non poſſe, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi auctoritate & facultate, judicari & definiri debere decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem.

§. VI. Et nihilominus pro potiori cautella Eccleſiam præfatam cum ſuis domibus, ædificiis, horto, cœmeterio & campanili, ac paramentis, calice, ac aliis prædictis eidem Sebaſtiano prædicto, Miniſtro, & Fratribus ac ſucceſſoribus ſuis, ſeu quatenus opus ſit, Syndico, & per ipſos nomine Cameræ Apoſtolicæ eligendo, ad eorum commodum cum pactis, obligationibus, promiſſionibus, conventionibus & capitulis in inſtrumentis prædictis contentis, dummodo ipſius Nicolai ad hæc accedat conſenſus, auctoritate & tenore præmiſſis concedimus & aſſignamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Prioratus, & Ordinis ſancti Benedicti prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, ſuppreſſionis, extinctionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, decreti, conceſſionis & aſſignationis, ac ſuppletionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLII. XVII. Kalend. Junii Pontificatus noſtri anno VIII.

XVIII.

Providet libertati ſepulturæ in quibuſdam Eccleſiis Ordinis. Ex Regeſto Ciſmontano pag. 100.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Leonardo de Coſis, & Jacobo de Bracciolinis Canonicis Eccleſiæ Piſtorien. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. COnqueſtus eſt Nobis Miniſter Provincialis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Provinciæ Tuſciæ, quod nonnulli Rectores Parochialium Eccleſiarum, ac quidam alii Clerici & Laici Lucen. Civitatis & diœceſis, cadavera Chriſtifidelium defunctorum in Eccleſiis Fratrum Ordinis, ac Civitatis & diœceſis prædictorum, ſepulturam eligentium, ac Sororum de Pœnitentia nuncupatarum, ſub cura dictorum Fratrum degentium pro tempore decedentium, contra formam ſacrorum Canonum & privilegiorum a Sede Apoſtolica eidem Ordini conceſſorum, per violentiam rapere, ac ſuas Eccleſias deferre præſumpſerunt hactenus & præſumunt ſive comminantur, & ſe jactant, ac ſuper literis injuriantur eiſdem.

§. II. Ideoque cum dictus conquerens, ſicut aſſerit, potentiam præfatorum injuriantium merito perhorreſcens, ipſos injuriantes infra Civitatem & diœceſim prædictas nequeat convenire ſecure; diſcretioni veſtræ per Apoſtoliça ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernentes, faciatis, quod decreveritis per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, Cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellatis veritatis teſtimonium perhibere: quod ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur.

Datum Romæ apud ſanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Chriſti MDXLII. III. Nonas Julii Pontificatus noſtri anno VIII.

XIX.

Minoritas Conventuales in Siciliæ Regno, & Venetorum ditione degentes ad medietatem decimarum tantum teneri declarat. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilectis filiis Magiſtro Generali & Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium.

§. I. DUdum cum urgentibus temporum conditionibus diverſas, ſuper redditibus Eccleſiaſticis decimas a quibuſcumque etiam Ordinum Mendicantium Profeſſoribus, bona ſtabilia ex privilegio poſſidentibus perſolvendas in diverſis Orbis partibus, & præſertim in tota Italia impoſuiſſemus. Nos vobis quod ex tunc de cetero ratione cujuslibet decimæ in tota Italia per Nos eatenus impoſitæ vel impoſterum imponendæ ultra illius medietatem ſolvere non teneremini, nec ad id a quoquam quavis auctoritate cogi poſſetis, per alias noſtras in forma Brevis literas conceſſimus & indulſimus, & tunc & pro tempore exiſtentibus Camerario noſtro, ac Clericis & Præ-

Præſidentibus Cameræ Apoſtolicæ, necnon quibuſvis decimarum hujuſmodi eatenus deputatis & impoſterum deputandis Collectoribus & Subcollectoribus quavis dignitate præfulgerent, dedimus in mandatis, quatenus de cetero vos occaſione ſingularum decimarum eatenus in dicta Italia impoſitarum & imponendarum hujuſmodi, ratione domorum veſtri Ordinis, & illarum fructuum ultra illius medietatem quovis modo gravare non præſumerent, ſed exactione medietatis decimarum hujuſmodi contenti, vos ab illis in totum omnino liberarent, quietarent & abſolverent in omnibus & per omnia, perinde ac ſi decimas hujuſmodi integre perſolviſſetis, prout in eiſdem literis plenius continetur.

§. II. Cum autem poſtmodum cauſis, propter quas dictæ decimæ impoſitæ fuerunt, & forſan majoribus adhuc ſubſiſtentibus, aliæ fructuum Eccleſiaſticorum decimæ per Nos in tota Italia prædicta impoſitæ fuerint, & licet ſub tota Italia Regnum Siciliæ, & dominium Venetorum cenſeantur comprehenſa, ne dictæ literæ etiam ratione decimæ impoſterum imponendæ vobis, ut præfertur, conceſſæ fuerint: Nihilominus, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, pro eo, quod in dictis literis de Regno Siciliæ, & dominio Venetorum hujuſmodi ſpecialis & ſpecifica mentio facta non extitit, a nonnullis literas ipſas nimis curioſe interpretantibus aſſeritur, literas ac per illas vobis factam conceſſionem hujuſmodi vobis in Regno & Dominiis prædictis non ſuffragari, voſque ad integram ſolutionem decimarum poſtmodum impoſitarum teneri: quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur ad uberes fructus, quos veſtri Ordinis Profeſſores in militanti Eccleſia producunt, debitum reſpectum habere, ac vobis, ut a moleſtiis hujuſmodi ſublevati, Divinis obſequiis liberius vacare poſſitis, paterno affectu providere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica auctoritate vobis concedimus ac decernimus, quod literæ prædictæ quoad impoſitas & de cetero imponendas decimas valeant, & vobis etiam quoad hoc, ut in toto Regno, & univerſo Dominio prædictis ad ſolutionem decimarum hujuſmodi ultra illarum medietatem, juxta tenorem dictarum literarum non teneamini, ſuffragentur in omnibus & per omnia, perinde ac ſi in dictis literis de Regno, & Dominio prædictis ſpecialis & ſpecifica mentio facta fuiſſet, quodque vos ratione quarumcumque decimarum etiam poſt conceſſionem dictarum literarum impoſitarum, & impoſterum imponendarum hujuſmodi, etiam in Regno, & Dominio prædictis, ultra illarum medietatem prædictam ſolvere non teneamini, nec ad id per Collectores præfatos, ſeu quoſcumque alios quavis auctoritate fungentes cogi ſeu compelli poſſitis, ac propterea aliquas cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas minime incurratis: diſtrictius inhibentes quibuſvis decimarum hujuſmodi pro tempore deputatis Collectoribus & ſubcollectoribus quavis facultate munitis, ne vos aut aliquos veſtrum contra præſentium & dictarum literarum tenorem, quovis prætextu ſeu quæſito colore vel ingenio, directe vel indirecte, indebite moleſtare vel perturbare quoquo modo præſumant, ac decernentes irritum & inane quidquid ſecus ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſcumque literis ac facultatibus ſuper impoſitionibus decimarum hujuſmodi pro tempore emanatis, quas adverſus præſentes nullatenus ſuffragari poſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque; decernentes etiam, quod præſentium literarum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicujus Curiæ Eccleſiaſticæ, ſeu alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis,

nitis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ iſidem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XXIX. Julii MDXLII. Pontificatus noſtri anno VIII.

XX.

Privilegia Maronitarum Principi conceſſa firmat, doniſque perpulchris decorat. Ex Vat. Secret. Tabul.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio nobili viro Joanni Abdelmenem Domino temporali Maronitarum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. ATtulit ad nos literas tuas XIX. Februarii proximi præteriti datas dilectus filius frater Felix de Venetiis Procurator & Commiſſarius Guardiani Domus Montis Syon, in quibus & officium piæ ſalutationis atque humilis reverentiæ Nobis exhibere, & te cum tibi ſubdito Populo Maronitarum verum filium, ac fideliſſimum noſtrum Sediſque Apoſtolicæ ſubditum, quemadmodum tui Anteceſſores fuerunt, fuiſſe & eſſe pia devotione fateris, & futurum omni tempore polliceris, etiamſi vitam & ſanguinem vobis profundere ſit neceſſe; petis præterea pari humilitate, ut noſtram & dictæ Sedis benedictionem una cum confirmatione tuæ auctoritatis, quam per Romanos Pontifices Anteceſſoribus tuis conceſſam habere aſſeris, ad te mittere velimus. Quibus lectis paterna ſane caritate, & ſpirituali gaudio de hac veſtra pietate exultavimus, etiam perſpicientes, quod vos quamquam tanto jam tempore ſub Infidelium jugo poſiti, & ob fidem Chriſtianam acerbe vexati, illam tamen ſemper conſtantiſſime conſervaſtis & conſervare intenditis, de quo, ut debemus, agimus omnipotenti Deo gratias ejus miſericordiam ſuppliciter deprecantes, ut vos in hoc ſancto propoſito per donum ſuæ gratiæ confirmare, & in dies augere dignetur.

§. II. Nos autem, ut tuo deſiderio paterne ſatisfaciamus, omnia privilegia tibi per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices conceſſa, ſi & prout illa pacifice poſſides, ſine alterius præjudicio auctoritate Apoſtolica tibi confirmamus. Mittimus etiam ad te duas veſtes, quas eidem fratri Felici conſignari fecimus, ut illis in noſtri memoriam utaris, alia etiam dona miſiſſemus, ſi ad te ſine periculo deferri potuiſſent. Et quoniam ex literis venerabilis fratris Petri Patriarchæ Maronitarum intelleximus, hoc ab eo & toto Clero Maronitarum deſiderari, ſcripſimus propterea dilecto filio Dionyſio Guardiano Domus Montis Syon eum Commiſſarium noſtrum deputantes, ut ipſos Patriarcham, & Clerum, ac Populum noſtro & hujus ſanctæ Sedis nomine viſitet, ſpiritualique conſolatione afficiat, id ſedulo curans, ut Fides Catholica ab eis eo ritu ſervetur, quo illis per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices deſcripta eſt. Itaque te hortamur, ac tibi paterne præcipimus, ut eumdem Commiſſarium & Viſitatorem honorifice ſuſcipiens, prout debes, omni honore & favore tuo proſequaris ad noſtram hujuſmodi commiſſionem exequendam, ſi & prout ab eo requiſitus fueris. Tibi inſuper, Fili dilecte, ipſum Petrum Patriarcham, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros, ac Religioſos, & omnem Clerum Maronitanarum ſtudioſe commendamus, ut eos tamquam animarum veſtrarum Paſtores, ſicut facis & debes, omni humanitate, caritate, filialique obſervantia ve-

ne-

nereris & tractes, atque a tuis ſubditis tractari facias, ut liberius & quietius Deo ſervire, & pro vobis valeant ejus majeſtatem ſupplicare, qui vos ex alto dextera ſuæ clementiæ benedicat & protegat.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXII. XI. Kalendas Decembris Pontificatus noſtri anno IX.

XXI.

Fratrem Dyoniſium Guardianum Montis Syon Ordinis Minorum de Obſervantia ad Maronitas delegat, ipſoſque reformandi facultatem tribuit. Ex Arch. Secr. Vat.

PAULUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei

Dilecto filio Dionyſio Guardiano Domus Montis Syon Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, noſtro & Sedis Apoſtolicæ Commiſſario ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. SUis Nobis literis venerabilis frater Petrus Patriarcha Maronitarum nuper ſignificavit, quod licet ipſe, qui cum ſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Clero & Populo Maronitarum in Monte Syriæ Libano inter Infideles degit, cum eiſdem ſuis graves ab eiſdem Infidelibus contumelias & præſſuras ob Fidem Chriſtianam quotidie ſuſtineant, tamen ipſi eamdem Fidem Chriſtianam numquam deſerere, ſed in ea uſque ad ultimum ſub obedientia hujus ſanctæ Sedis, ac noſtra & Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium perſeverare firmo & conſtanti propoſito decreverunt, petens humiliter a Nobis, ut cum ab eadem Sede viſitari conſueverint, & a tempore felicis recordationis Leonis Papæ X prædeceſſoris noſtri, qui eos ultimo loco per Commiſſarium ad hoc miſſum viſitavit, & trinas literas piæ memoriæ Eugenii IV. etiam prædeceſſoris noſtri (ſacro approbante Florentino Concilio) editas ſuper doctrina Fidei Chriſtianæ, quam ſequi deberent, ad eos miſit, numquam poſtea viſitati fuerunt, aliquem ad eos Commiſſarium & Viſitatorem deſtinare vellemus, ut & ipſi tantis terrarum & maris ſpatiis a Nobis avulſi, ſpirituali conſolatione afficiantur, & ſi qua in re a dogmate ac ritu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tamquam novellæ Fidei plantæ aberrent, eodem Commiſſario viam monſtrante corrigantur, in rectum tramitem, ſicut ſummopere deſiderant, reducantur; utque facilius id aſſequi poſſint, idem Petrus Patriarcha humili Nobis ſupplicatione ſubjunxit, vellemus Miniſtro Generali dicti Ordinis præcipere, ut is ſex Fratres dicti Ordinis in ſacris literis eruditos, qui tibi, & pro tempore exiſtenti Guardiano Domus Montis Syon ſubjiciendi, & ab ipſis Patriarcha, ac Clero, & Populo in victu & neceſſariis benigne tractandi, eoſdem Maronitas, qui lingua tantum chaldea utuntur, ad faciliorem Fidei noſtræ perceptionem latine legere & ſcribere doceant, & in puritate ejuſdem Fidei conſervare, ſuoque exemplo ac præſentia confirmare pleniuſque inſtruere ſtudeant.

§. II. Nos igitur merito ex hac illorum fortitudine in preſſuris, deſiderio in addiſcendo, propoſito in perſeverando plurimum in Domino lætati, ut & conſuetudinem hujus ſanctæ Sedis laudabilem in illis viſitandis proſequamur, & amantibus ac piis Filiis a Patre opem poſcentibus manum porrigamus, Commiſſarium ad eos, ſicut poſtulant, mittere decrevimus, ſed cogitantibus Nobis, quem potiſſimum mitteremus, nemo vel vicinitate propior, vel ob vicinitatem inſtructior, vel ob doctrinam & mores magis ido-

idoneus Nobis occurrit, quam tu, qui præclaram pietatis, doctrinæ & prudentiæ laudem in conſpectu noſtro & hujus Sedis meruiſti. Quamobrem te noſtrum & dictæ Sedis Commiſſarium in hoc deputantes, te Fili hortamur, tibi nihilominus in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipientes, ut hunc pium laborem Dei ac noſtra cauſa libenter ſuſcipiens, ad eoſdem Maronitas quamprimum cum tuo commodo poteris, te conferas, triniſque noſtris literis, quarum unas eidem Petro Patriarchæ, alteras Archiepiſcopis, Epiſcopis, Clero & Populo, reliquas Domino temporali ipſorum Maronitarum ſcriptas, præſentibus adjunximus, eis redditis, poſtquam illos ex parte noſtra & hujus ſanctæ Sedis pia ac paterna ſalute & Apoſtolica benedictione noſtra conſolatus fueris, te de univerſo ſtatu ſuarum rerum, præcipueque de obſervantia Catholicæ Fidei, ac de Sacramentis & eorum uſu diligenter informare, & ſi qua in re, ac præcipue in his, quæ noſtris ad ipſum Patriarcham literis continentur, aberrare eos cognoveris, auctoritate noſtra reformare, corrigere, & ad rectum tramitem reducere cures, ſuper quo tibi ampliſſimam, etiam ipſos aberrantes prævia canonica monitione per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, a quibus, præterquam in mortis articulo, nonniſi a te, & eodem Patriarcha in forma Eccleſiæ conſueta abſolvi poſſint, niſi reſipuerint, coercendi, auxiliumque dicti Domini temporalis invocandi, tenore præſentium concedimus facultatem.

§. III. Hortamur igitur tam Patriarcham, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quam ipſum Dominum temporalem, univerſumque Clerum & Populum Maronitanarum eis nihilominus in ſimili virtute ſanctæ Obedientiæ præcipientes, ut te tamquam Commiſſarium noſtrum, & hujus ſanctæ Sedis, pro eorum conſolatione, & animarum ſuarum ſalute a Nobis miſſum, debita reverentia & honore ſuſcipientes, tibi tamquam noſtro Commiſſario in omnibus & ſingulis, quæ eis pro reformatione, correctione & ſalute eorum ordinanda duxeris haud aliter pareant & obediant, tuaque juſſa exequantur, ac tibi ſedulo faveant & aſſiſtant, quam ſi Nos ipſi præſentes ea omnia ordinaremus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLII. XI. Kalendas Decembris Pontificatus noſtri anno IX.

XXII.

Fratribus Conventualibus adverſus eos qui Anicienſe Cœnobium occupare nitebantur Conſervatores legat. Ex Vat. Secret. Tabul.

Venerabili fratri Epiſcopo Gratianopolitano, ac dilectis Filiis ſancti Antonii de ſancto Antonio ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinen., Viennen., & ſancti Theofredi, Anicien. diœceſis Monaſteriorum Abbatibus, vel eorum cuilibet.

§. I. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum, quod licet ex tenore literarum ſelicis recordationis Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri Bulla Concordiæ nuncupatarum, non liceret Fratribus de Obſervantia nuncupatis Domos ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum Conventualium hujuſmodi quovis prætextu capere, ſeu quovis modo occupare, & e contra non liceat Fratribus Conventualibus Domos Fratrum de Obſervantia capere vel occupare; Nihilominus quidam Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſervantia, favoribus nonnullorum Civium Civitatis Anicien. ſeu Magiſtratuum

tuum Civitatis Tholoſanæ ſuffulti, dictis literis ſpretis, quærunt dictos Fratres Conventuales a Domo ſancti Franciſci prope & extra muros dictæ Civitatis Anicienſis per eos ab immemorabili tempore inhabitata ejicere, & eamdem Domum occupare vi & violenter, jocalia & indumenta dictæ Domus auferre, in maximum ipſorum Fratrum Conventualium præjudicium, & Sedis Apoſtolicæ contemptum. Quare idem Procurator Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut turbationibus & moleſtiis, quibus ipſi Fratres Conventuales ex hujuſmodi conatibus affici poſſent, occurrere, necnon bona ſibi violenter ablata hujuſmodi reſtituere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, paterna diligentia dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cunctorum præſertim Religioſorum quieti libenter conſulimus, & jura eorum adverſus violentias & injurias tuemur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis per præſentes committimus & mandamus, quatenus eiſdem Fratribus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, eos a dicta Domo a quoquam quavis auctoritate fungente, quovis quæſito colore de facto amoveri, aut quominus Domum ipſam, prout hactenus conſueverunt, tenere & habitare poſſint per dictos Fratres de Obſervantia, aut quoſcumque alios contra prædictarum literarum tenorem quomodolibet moleſtari vel impediri, aut inquietari nullatenus ſinatis vel permittatis, necnon jocalia, & cetera bona illius Domus violenter ablata reſtitui faciatis; contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ vel excellentiæ fuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ipſiſque cenſuris, etiam iteratis vicibus, legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, aggravando, interdictum Eccleſiaſticum apponendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas quis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxx. Decembris mdxlii. Pontificatus noſtri anno ix.

Anno Christi 1543. Pauli III. anno 9.

XXIII.

Pecuniam, quam ex venditis fundis Mutinenſis Eccleſiæ Obſervantes contraxerant apud ſequeſtrem deponi jubet, ut inde bona emi poſſint in uſum cujuſdam Templi ſuburbani aſſignanda. Ex Regeſto Ciſmont. fol. 102.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris Epiſcopi Mutinen. in ſpiritualibus Generali.

§. I. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Miniſter & Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupati, Provinciæ Bononiæ, juxta morem dicti Ordinis, quod alias, poſtquam Nos ex certis cauſis tunc expreſsis, in domibus & horto Parochialis Eccleſiæ ſanctæ Margaritæ Mutinen. unam domum eorum Ordinis ſub invocatione ſanctarum Cæciliæ & Margaritæ, cum clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis & aliis officinis neceſſariis pro uſu & habitatione nonnullorum ipſius Ordinis profeſſorum, qui ſub illius regularibus Inſtitutis Altiſsimo exhiberent famula-

tum, Apoſtolica auctoritate erexeramus & inſtitueramus, ac omnia & ſingula ipſius Parochialis Eccleſiæ, præter illius domus & hortum hujuſmodi, poſſeſſiones & bona ab eadem Eccleſia perpetuo diſmembraveramus & ſeparaveramus, illaque ſic diſmembrata & ſeparata, necnon ſolum ſeu fundum, in quo altera dictorum Fratrum domus demolita extra muros Mutinen. conſiſtebat, ac illius hortum ſeu hortos, aut eorum loco tot alia bona ſtabilia, valoris mille ſcutorum ex pretio ipſius ſoli ſeu fundi ac hortorum, aut alias habendorum, emenda & acquirenda Eccleſiæ ſeu Oratorio ſancti Joannis Baptiſtæ de Coceo territorii Campi, Mutinen. Diœceſis, quam ſeu quod dilectus filius Annibal de Thebaldis, ut aſſeritur, obtinet, perpetuo applicaveramus, & appropriaveramus, ac Parochialem Eccleſiam præfatam, certo tunc expreſſo modo apud Sedem Apoſtolicam vacantem, eiſdem Fratribus per eos juxta mores & ritus dicti ſui Ordinis tenendam, regendam & gubernandam, perpetuo conceſſeramus & aſſignaveramus, prout in noſtris ſub plumbo deſuper expeditis literis plenius continetur.

§. II. Miniſter & Fratres præfati cupientes contenta in eiſdem literis, & inter alia, partem illam emptionem bonorum hujuſmodi concernentem, omnino adimplere, dicta mille ſcuta, quæ ex venditione dicti fundi habuerunt, penes unam vel plures perſonas fide & facultatibus idoneas, cum tunc temporis non invenirent, ubi alia bona ſtabilia præfata ſaltem ad utilitatem ejuſdem Eccleſiæ ſeu Oratorii ſancti Joannis Baptiſtæ commode emere poſſent, donec emptionis hujuſmodi caſus eveniret, deponi curaverunt.

§. III. Cum itaque, ſicuti eadem expoſitio ſubjungebat, ex eo quod juxta dictarum literarum tenorem bona præfata hactenus emere non valuerunt, ne a nonnullis in medium adduci poſsit eos emptionem præfatam diſtuliſſe, ac literarum hujuſmodi conditionem non adimpleviſſe, ac pecuniæ depoſitæ hujuſmodi eorum periculo, aliquo caſu pareant, deſiderant pecunias præfatas in emptionem ſtabilium bonorum hujuſmodi exponi, aut alias, cum per eos non ſtare conſtiterit, per depoſitionem hujuſmodi ad emptionem præfatam non teneri, quare Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in præmiſſis de opportuno remedio providere, de bonitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, tibi per præſentes committimus & mandamus, quatenus vocato dicto Annibali moderno dictæ Eccleſiæ Rectore, ut pecunia præfata in emptionem tot bonorum ſtabilium, juxta dictarum literarum formam, omnino exponatur, omnem curam ac diligentiam adhibeas, etſi talem emptionem de proximo fieri non poſſet, ac per dictos Miniſtros & Fratres non ſtetiſſe, nec ſtare, quominus emptio hujuſmodi fiat, repereris, penes eoſdem vel alios magis idoneos, ſeu Montem Pietatis Mutinen. prout tibi ſecurius videbitur, ſummam mille ſcutorum hujuſmodi deponi mandes & facias; itaut quandocumque emptionis ſtabilium bonorum præfatæ opportunitas ſe exhibuerit, omnino in emptionem hujuſmodi converti valeant & debeant; decernentes Miniſtrum & Fratres præfatos per depoſitum ſic per te factum, ad emptionem bonorum hujuſmodi per eos faciendam ulterius non teneri, nec obligatos fore; nec denique ullo umquam tempore etiam ad dicti Annibalis, & pro tempore exiſtentis ejuſdem Eccleſiæ ſeu Oratorii ſancti Joannis Baptiſtæ Rectoris, aut cujuſvis inſtantiam moleſtari, impediri vel perturbari poſſe ſeu debere.

§. V. Nos enim tibi ipſas partes ad emptionem hujuſmodi faciendam, ac perſonam ſeu perſonas pecunias præfatas in depoſitum habentes, ad illas reſtituendas cogendas, necnon eaſdem pecunias penes eoſdem, aut quos tibi

tibi videbitur, de novo deponendas; Contradictores quoslibet, & tibi in præmiſsis non parentes per cenſuras Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias tuo arbitrio moderandas & applicandas, aliaque juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac auxilium brachii ſecularis, ſi opus fuerit, invocando, ceteraque in præmiſſis neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna gerendo, faciendo & exequendo, facultatem & poteſtatem per caſdem concedimus. Non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac juramentis per eos ſuper obſervatione præmiſſarum forſan præſtitis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ ſub annulo Piſcatoris xv. Junii mdxliii. Pontificatus noſtri anno ix.

XXIV.

Concedit Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci Capellam quamdam ſancti Antonii de Capodantio, Arben. Diœceſis, juxta conditiones initas inter ipſas & Confraternitatem, olim in dicta Capella inſtitutam, eaſque approbat. Ex Regeſto Ciſmontano pag. 102. a tergo.

Dilectis in Chriſto filiabus Miniſtræ & Sororibus Monaſterii ſancti Antonii de Capodantio, Arben. Tertii Ordinis ſancti Franciſci.

§. I. Exponi Nobis nuper feciſtis, quod alias, poſtquam dilecti filii Confratres Confraternitatis in Capella ſancti Antonii de Capodantio Arben. canonice inſtitutæ, cupientes, ut Monaſterium Tertii Ordinis ſancti Franciſci apud dictam Capellam conſtrui cœptum, præclara ſtructura perficeretur, quod tunc Miniſtra ejuſdem Monaſterii, ad effectum hujuſmodi, filias legitimas & naturales nobilium, ac alias mulieres nobiles Civitatis Arben. ſub regulari clauſura Altiſſimo famulari cupientes, ſemoto quocumque impedimento contrario, in dicto Monaſterio recipere & ad profeſſionem admittere poſſet, libere conſenſerant, & dicta Miniſtra de ipſorum Confratrum conſenſu, nonnullas filias nobilium cum convenientibus dotibus, & inter alias dilectam filiam in Chriſto Dorotheam, relictam quondam Joannis Baptiſtæ de Zudenigo, nobilem dictæ Civitatis, in Sorores ejuſdem Monaſterii receperat, & ex bonis Dorotheæ ac dotibus aliarum in Sorores receptarum hujuſmodi, Monaſterium prædictum, Deo propitio, perfectum fuerat in maximum ipſius Civitatis decus & nobilium prædictorum commodum; præfati confratres ſeu eorum major pars pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, quod tunc Miniſtra & Sorores Monaſterii hujuſmodi pro majori eorum quiete & animorum ſerenitate, & ut Monaſterio prædicto ac duabus domunculis, antea in vim certi tunc expreſſi pacti conſtructis liberius uti poſſent, Capellam prædictam, non tamen illius aut ipſorum Confratrum bona vel redditus, quos per eorum tunc & pro tempore exiſtentes Caſtaldiones gubernari, & ad ipſorum Confraternitatis uſus & utilitatem, prout eatenus factum fuerat, diſpenſari voluerunt, regere & gubernare, ac ea cum omnibus privilegiis, indultis, pertinentiis, favoribus & gratiis per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros dicto Ordini conceſſis, uti, potiri & gaudere poſſent; cum hoc, quod ſi tunc & pro tempore exiſtens Miniſtra & Sorores Monaſterii hujuſmodi omnes deficerent; quod tunc & eo caſu & non aliter, Capella & Monaſterium hujuſmodi, cum omnibus eorum ſtructuris ad eoſdem Confratres, qui illam gubernandam haberent, devolvi debere libere conſenſerunt, prout in inſtrumento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri.

§. II. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut Capellam prædictam vobis modo & forma, ac cum conditionibus præmiſſis concedere & aſſignare, aliaque vobis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui perſonarum quarumlibet, præſertim fœminei ſexus ſub ſuavi Religionis jugo Altiſſimo famulantium, votis, quantum cum Deo poſſumus, libenter annuimus, inſtrumenti prædicti tenorem, ac ſi de verbo ad verbum inſereretur præſentibus, pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Capellam prædictam vobis per vos, abſque illius aut ipſorum Confraternitatis bonis vel redditibus, qui per eorum pro tempore exiſtentes Caſtaldiones gubernentur, & ad ipſorum Confraternitatem uſus & utilitatem, prout hactenus factum fuit, diſpenſentur, regendam & gubernandam, itaut ea cum omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, præeminentiis, favoribus & gratiis prædictis uti, potiri & gaudere poſſitis; etſi vos & pro tempore exiſtens Miniſtra & Sorores Monaſterii hujuſmodi defeceritis, tunc & eo caſu & non aliter, Capella & Monaſterium hujuſmodi cum omnibus eorum ſtructuris ad eoſdem Conſratres, qui illa gubernare habeant, devolui debeant. Dummodo Superioris in huc expreſſus accedat aſſenſus, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium de ſpeciali gratia concedimus & aſſignamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſorum Conſratrum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Parmæ ſub annulo Piſcatoris die xv. Junii MDXLIII. Pontificatus noſtri anno IX.

XXV.

Eximit Monaſterium Monialium ſanctæ Claræ oppidi Bureti a ſolutione quorumdam onerum ab Univerſitate ipſis impoſitorum. Ex Regeſto Ciſmontano pag. 103. a tergo.

Dilectis filiis Archipreſbytero & Præpoſito Eccleſiæ Cremonen. vel eorum alteri.

§. I. EXponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa & Conventus Monaſterii Monialium ſanctæ Claræ oppidi Bureti, Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ, Cremonen. Diœceſis, quod licet laicis in Eccleſiaſticas perſonas aut eorum bona nulla ſit attributa poteſtas, ac perſona & bona hujuſmodi: nihilominus dilecti filii Univerſitas dicti oppidi, prætextu nonnullorum ſtatutorum ejuſdem oppidi, prædictas Abbatiſſam ſeu Conventum pro bonis eis pro tempore relictis, ad ſolutionem diverſorum onerum realium, per eadem ſtatuta impoſitorum contra exceptionem hujuſmodi, cogere nituntur, eaſque deſuper diverſimode vexant & moleſtant, falcem ſuam in meſſem alienam ponendo, in animarum ſuarum periculum, & ipſarum Abbatiſſæ & Conventus detrimentum non modicum.

§. II. Quare Abbatiſſa & Conventus præfatæ Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eas a vexationibus & moleſtationibus hujuſmodi præſervare, aliaſque eis in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur attendentes Eccleſias ſtatutis laicorum affici non poſſe, vobis per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum per vos vel alium ſeu alios eiſdem Abbatiſſæ & Conventui in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eas prætextu

textu ſtatutorum dicti oppidi, per Univerſitatem hujuſmodi, ſeu alios eorum nomine, occaſione bonorum eis pro tempore relictorum, in dictæ exceptionis præjudicium quomodolibet vexari aut moleſtari; contradictores quoslibet & rebelles, ac vobis in præmiſſis non parentes, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias arbitrio noſtro moderandas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas hujuſmodi, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſsint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Bononiæ ſub annulo Piſcatoris die v. Julii MDXLIII. Pontificatus noſtri anno IX.

XXVI.

Pontificium Monitorium, quo citantur quidam Fratres Provinciæ Neapolitanæ ad comparendum in Urbe coram Rodulpho Cardinali de Carpo, Ordinis Protectore. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 101. a tergo.

§. I. EX rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus, vobis dilectis filiis fratri Angelo de Neapoli Guardiano domus Crucis, ac fratri Gabrieli de Monte Sarculo Guardiano domus Trinitatis, prope & extra muros Neapolis, necnon fratri Alphonſo Romero Hiſpano Neapoli commoranti Ordinis Min. de Reg. Obſerv. nuncupatis, in virtutæ ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto, niſi parueritis, incurrendæ, tenore præſentium præcipimus & mandamus, quatenus infra ſpatium decem dierum poſt præſentationem præſentium computandorum, quos pro firma & canonica monitione ac ultimo & peremptorio termino vobis aſſignamus, in alma Urbe noſtra, coram dilecto filio noſtro Rodulpho Cardinali de Carpo, totius Ordinis Minorum apud Nos Protectori, voluntatem noſtram ab eo audituri, perſonaliter & non per Procuratorem vel excuſatorem compareatis.

§. II. Aliter enim Nos eidem Cardinali Protectori per eaſdem præſentes damus in mandatis, ut ſervatis quatuor terminis per proceſſum ad valvas ſui palatii vel habitationis, in ſimilibus ſervari ſolitis, contra vos & quemlibet veſtrum, ad declarationem incurſus pœnarum ſupradictarum, & illarum excommunicationem irremiſsibiliter procedat, favoribus ac privilegiis Apoſtolicis, quibuſcumque perſonis quavis dignitate fulgentibus, quomodolibet conceſsis, quibus vos juvari contra præſentes nullatenus volumus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentes originales, dimiſſa vobis copia, præſentatori earum reſtituantur; cui fidem . . . . . ſuper habebimus . . . . .

Datum Maræni, Albanorum Diœceſis, ſub annulo Piſcatoris die ultima Auguſti MDXLIII. Pontificatus noſtri anno IX.

XXVII.

Fratres de Obſervantia Portugalliæ, & Algarbiorum Minoritas Conventuales Domibus ſpoliare molientes ceſſare jubet, Judiceſque pro eorum manutentione deſignat. Ex Vat. Sec. Tab.

PAULUS PAPA III.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. INter Fideles quoslibet præſertim Religioſos, ſub voluntariæ paupertatis habitu Altiſſimo ſamulantes pacem & concordiam vigere, ſinceris deſiderantes affectibus, iis quæ deſiderio noſtro hujuſmodi obviare poſſe videntur, libenter occurrimus, aut alias deſuper providemus, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem, licet poſtquam felicis recordationis Leo Papa X. prædeceſſor noſter pro concordia in toto Ordine Fratrum Minorum, & inter illius tam Conventuales, quam de Obſervantia nuncupatos profeſſores perpetuo ſtabilienda, Motu proprio & ex ejus certa ſcientia, ac matura cum nonnullis ex Fratribus ſuis deliberatione præhabita, quod tam Generalis, quam Provinciales Miniſtri dicti Ordinis de Obſervantia nuncupati, de Generali & Provincialibus Magiſtris ejuſdem Ordinis Conventualibus nuncupatis, ac illius Profeſſoribus ſeu eorum & aliorum Tertii Ordinis Fratrum & Sororum, qui eatenus ſub cura Fratrum Conventualium fuerant regimine nullatenus ſe intromittere, aut eos per ſe vel ſuos Commiſſarios viſitare ſeu corrigere poſſent, ſub certis tunc expreſſis modo & forma per ſuas ſub plumbo, ad perpetuam rei memoriam, confectas literas ſtatuerat & ordinaverat, ac pro tempore exiſtentibus Generali & Provincialibus Miniſtris de Obſervantia nuncupatis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ne directe vel indirecte, etiam favore Dominorum temporalium, Civitatum & Univerſitatum, Oppidorum, Terrarum & Villarum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, etiam Prælatorum quorumcumque, ſive alio quæſito colore vel ingenio malitioſe, quod Domus & Loca Fratrum Conventualium ſeu Monaſteria Monialium curæ Magiſtri Generalis Conventualium hujuſmodi ſubjecta, eis quoquo modo auferentur, procurare præſumerent, præceperat & mandaverat, decreto irritanti deſuper adjecto.

§. II. Cum nos Literarum hujuſmodi nntitiam non habentes, procurante cariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanne Portugalliæ & Algarbiorum Rege Illuſtri, nonnulla in præjudicium earumdem Literarum, & contra illarum formam & tenorem, quoad Domos Fratrum Conventualium & Monaſteria Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, ſub cura eorumdem Fratrum, in Regnis & Dominiis ipſius Joannis Regis conſiſtentia, per quaſdam ſub datum quinto nonas Martii, Pontificatus noſtri anno 1. diſpoſuiſſemus; Nos, poſtmodum de Literis prædictis hujuſmodi informati, nolentes eis ac in eis contentis, quovis modo contravenire, omnia & ſingula in dictis Literis noſtris contenta, motu proprio per alias revocaverimus, caſſaverimus & annullaverimus, ac nullius prorſus roboris vel momenti fuiſſe & eſſe, ac pro penitus inſectis, quoad omnia haberi, & ſic per quoſcumque judicari & decidi debere, necnon quidquid ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, irritum & inane decreverimus. Nihilominus annò ſuperiori, pro parte ejuſdem Joannis Regis Nobis expoſito, quod in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis, erant nonnul-

nullæ Domus Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, ſeu Clauſtralium nuncupatorum, necnon Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, ſub eorumdem Fratrum cura degentium, quorum Fratres & Moniales a ſuæ profeſſionis obſervantia deviantes, in propriæ ſalutis diſpendium & Religionis dedecus, ac ſcandalum plurimorum, prophanam penitus & inſamem vitam ducebant.

§. III. Nos ejuſdem Joannis Regis ſupplicationibus inclinati, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Elboren. per reliquas noſtras in forma Brevis literas commiſimus & mandavimus, quatenus Domos & Monaſteria hujuſmodi, ac illorum Fratres & Moniales prædictos per ſe vel alium, ſeu alios idoneos & Deum timentes, viſitaret ſeu viſitari, & ad rectum vivendi modum reduci faceret, ſibique, & aliis prædictis, ſi pro reductione hujuſmodi ſecundum Deum cognoviſſent expedire, Moniales prædictas a dictorum Fratrum cura eximendi & ſubtrahendi, euræque, regimini & ſuperioritati aliorum Religioſorum ſubjiciendi & ſubmittendi, dictoſque Fratres de Domibus & Civitatibus, Terris & Locis ubi Domus ſeu Monaſteria Monialium hujuſmodi erant ſita, ad alias Domos & Loca ejuſdem Ordinis transferendi, ſeu alia Loca eis aſſignandi, ac in Domibus & Locis a quibus, ut præfertur, ejecti fuiſſent, alios probatæ vitæ ejuſdem Ordinis Conventualium ſi reperiri potuiſſent, alias de Obſervantia Religioſos introducendi, aliaque ſtatuendi, ordinandi & mandandi, quæ neceſſaria fuiſſent, ſeu quomodolibet opportuna; necnon contradictores quoslibet & rebelles, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, & alia opportuua juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, & ſi opus foret auxilium brachii ſecularis implorandi per eaſdem literas facultatem conceſſimus, prout in ſingulis literis prædictis, quarum tenores, acſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro expreſſis habere volumus, plenius continetur.

§. IV. Cum autem, ſicut dilectus filius Bonaventura de Coſtachiaro dicti Ordinis Conventualium Magiſter Generalis, Nobis nuper exponi fecit, præfatus Arhiepiſcopus prætextn poſteriorum litterarum noſtrarum prædictarum, diverſas Domos Fratrum, ac diverſa Monaſteria Monialium dictorum Ordinum in Regnis & Dominiis prædictis conſiſtentia, tam per ſe, quam forſan alios viſitaverit, & ad ſui libitum reformaverit, & eorum Fratres & Moniales, ſeu partem eorum ex eis forſan expulerit, & in eiſdem Domibus & Monaſteriis, ſeu eorum aliquibus diverſos alios Fratres etiam Minorum & de Obſervantia nuncupatos, ſeu alios Regulares, & diverſas alias etiam ejuſdem ſanctæ Claræ, & forſan primæ vel ſecundæ Regulæ, aut aliorum Ordinum Moniales introduxerit; ipſique ſic introducti Fratres & Moniales Domos & Monaſteria hujuſmodi occupaverint, & occupata detinuerint & detineant, ſicque diſſentiones & rixæ per literas Prædeceſſorum hujuſmodi ſopitæ in dicto Ordine, & inter illius Profeſſores de novo ſuſcitentur, & Fratres de Obſervantia præfati contra tenorem litterarum prædictarum hujuſmodi Domos & Loca Fratrum Conventualium in Regnis & Dominiis prædictis occupent, ac Monaſteria Monialium eiſdem Conventualibus ſubjecta ab eis auferant; ſicque cenſuras & pœnas in literis Prædeceſſoris hujuſmodi contentas damnabiliter incurrant, in animarum ſuarum periculum, & dicti Ordinis perturbationem, ac ſcandalum plurimorum, dictus Bonaventura Generalis Magiſter Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut poſteriores literas noſtras prædictas, & in eis contenta, ac ex eis ſecuta quæcumque revocare, caſſare & annullare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Nos igitur non ſolum diſſenſionum & rixarum hujuſmodi fomenta tollere, verum etiam concordiam per litteras Prædeceſſoris hujuſmodi

modi firmatam vigere, & ſi fieri poſſit, augere cupientes, nec intendentes literis Leonis prædeceſſoris hujuſmodi quoquomodo derogari, poſteriores literas noſtras prædictas, ac omnia & ſingula in eis contenta, & ex eis quomodolibet ſecuta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, revocamus, caſſamus, annullamus & irritamus, ac pro nullis & infectis, quoad omnia haberi & cenſeri debere decernimus; necnon tam præfato Archiepiſcopo & aliis ab eo deputatis, quam quibuſcumque de Obſervantia, vel quorumvis aliorum Ordinum Profeſſoribus & Fratribus, ac quibuſvis aliis præter ipſum, & pro tempore exiſtentem Magiſtrum Generalem, vel ab eo pro tempore deputatos, perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis, ſeu præeminentiæ exiſtentibus, ne de cetero poſteriorum literarum noſtrarum hujuſmodi, aut quocumque alio prætextu, per ſe vel alium, ſeu alios Domos & Monaſteria, ac Fratres & Moniales hujuſmodi viſitare ſeu viſitari facere, aut aliquam in Domos ac Monaſteria, & Fratres ac Moniales hujuſmodi juriſdictionem, aut ſuperioritatem exercere quoquomodo præſumant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, a qua nonniſi a Nobis & Succeſſoribus noſtris Romanis Pontificibus canonice intrantibus, aut in mortis articulo conſtituti abſolvi poſſint, necnon privationis vocis activæ & paſſivæ, ac quorumcumque Beneficiorum & Officiorum Eccleſiaſticorum, cum cura & ſine cura ſecularium, & quorumvis Ordinum Regularium per eos quomodolibet obtentorum, & inhabilitatis ad illa vel quævis alia ulterius obtinenda; necnon decem milliuni Ducatorum auri de Camera, Cameræ Apoſtolicæ applicandorum pœnis diſtrictius inhibemus, omnemque poteſtatem & facultatem Archiepiſcopo & aliis prædictis, per eaſdem poſteriores literas noſtras, quoviſinodo attributam ab eis auferimus & totaliter amovemus ac abdicamus; necnon Domos & Monaſteria, ac Fratres & Moniales hujuſmodi in priſtinum, & eum in quo antequam poſteriores noſtræ literæ prædictæ emanarent, etiamſi ad earum plenariam executionem proceſſum ſit, erant ſtatum, reſtituimus, reponimus, & plenarie reintegramus; Domorum & Monaſteriorum, ſic ut præfertur, Viſitatorum & Reformatorum, occupatoribus & detentoribus, ac Fratribus & Sororibus in eis prætextu poſteriorum literarum noſtrarum hujuſmodi quomodolibet introductis, cujuſvis Dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis aut præeminentiæ exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ & aliis pœnis prædictis, per eos eo ipſo incurrendis diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus ſtatim poſt intimationem præſentium eis pro tempore factam, debeant Domos & Monaſteria hujuſmodi Fratribus & Monialibus in eis primo exiſtentibus, libera & expedita pacifice dimittere, ac omnia in priſtinum, & eum ſtatum in quo ante conceſſionem poſteriorum literarum noſtrarum hujuſmodi erant, reſtituere & reponere, nec ulterius ſe de Domibus & Monaſteriis prædictis, quoviſmodo intromittere præſumant; decernentes ex nunc irritum & inane ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. VI. Quo circa Venerabili Fratri Epiſcopo Cæſenaten. & dilectis filiis Decano Eccleſiæ Colimbrien. ac Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Bonaventuræ Generalis Magiſtri, ac aliorum Fratrum Conventualium & Sororum hujuſmodi deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque ac aliis Fratribus Conventualibus & Sororibus prædictis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos auctoritate Noſtra revo-

revocatione, caſſatione, annullatione, irritatione, Decreto inhibitione, ablatione, amotione, abdicatione, reſtitutione, repoſitione, reintegratione, mandato & decreto, ac aliis præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes Generalem Magiſtrum & Fratres Conventuales hujuſmodi per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet & rebelles, per prædictas & alias, de quibus eis videbitur ſententias, cenſuras & pœnas etiam pecuniarias, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper iis habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas, ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ipſius Ordinis de Obſervantia nuncupati, etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini, ac illius Generali & Provincialibus Miniſtris ac Fratribus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Ceterum quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula, in quibus de eis fides forſan facienda foret, loca deferre, etiam volumus, & eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, quod ipſarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, ea prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi foret exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. Octobris MDXLIII. Pontificatus noſtri anno IX.

XXVIII.

Fratres Conventuales Inſulæ Sardiniæ, & Moniales eorum curæ ſubjectas, ab omni impetitione & Laicali poteſtate immunes reddit. Ex Vat. Secr. Tab.

PAULUS PAPA III.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. DUdum felicis recordationis Leo Papa X. prædeceſſor noſter, ad confirmationem concordiæ & unionis, inter Obſervantiæ & Conventuales nuncupatos Fratres Ordinis Minorum, in Capitulo Generaliſſimo ſuo tempore in alma Urbe celebrato, initarum, tam Generali quam Provincialibus Miniſtris pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis de Obſervantia, ne Domos & Loca Fratrum Conventualium nuncupatorum, ſeu Monaſteria Monialium curæ Magiſtri Generalis ipſorum Fratrum Conventualium ſubjecta, & quæ tunc ſub illorum Magiſtro Generali exiſtebant, eis quoquomodo auferre directe vel indirecte, etiam favore Dominorum temporalium, ſeu Communitatum, Civitatum & Univerſitatum, Oppidorum, Terrarum & Villarum, ac Perſonarum Eccleſiaſticarum etiam Prælatorum, quorumcumque, aut ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, ſeu alio quovis quæſito colore vel ingenio, procurare præſumerent, & quoties ipſi Fratres Conventuales ſua ſponte ſe reformare vellent, reformatio ipſa juxta Privilegia Apoſtolica eis conceſſa, per ſuos Generalem & Provinciales Magiſtros dumtaxat fieri deberet, niſi ut Fratres alicujus illorum Domus ſeu Conventus ad veram regularemque Obſervantiam, ac omnimodam Generalis

ralis & Provincialium Miniſtrorum obedientiam, ſub certis tunc expreſſis modo & forma ad id ſervandis, venire, & Generali aliiſque Miniſtris præfatis ſe ſubjicere vellent, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, Motu proprio per quaſdam ſuas literas diſtricte præcipiendo mandavit, certis ad id exequtoribus deputatis, prout in dictis literis plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut accepimus, a certo tempore citra dilecti filii Magiſter Provincialis, ac Guardiani & Fratres Conventuales, nonnullarum Domorum Regni Sardiniæ, præcipue Civitatis Calaritan. & Algaren., ſuper quibuſdam illorum Domibus, in quibus ipſi Fratres Conventuales degunt, ad ſuggeſtionem ſeu intuitu & contemplatione, ut creditur nonnullorum Fratrum Obſervantiæ dicti Ordinis, ſub colore forſan confictæ illarum reformationis, vel alias per Dominos temporales, & forſan de commiſſione, decreto & mandato Viceregis, ſeu perſonarum Regiæ Curiæ dicti Regni, ejuſque Miniſtrorum & Commiſſariorum etiam Parlamentorum, per Communitates & Sindicos Civitatum & Univerſitatum, Caſtorum, Oppidorum & Villarum, illorumque ac etiam Prælatorum, hujuſmodi ſingulares perſonas veriſimiliter timeant moleſtari, vexari & perturbari, ac mediantibus dictis favoribus abinde, quamvis de facto expelli & ſpoliari, contra formam & tenorem dictarum literarum.

§. III. Nos cupientes unionem, concordiam & literas prædictas inviolabiliter obſervari, volenteſque, ne per hujuſmodi exquiſita media rurſus inter ipſos Fratres ſuſcitentur diſcordiæ, opportune providere, Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa noſtra ſcientia, univerſis & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtentibus, ac quavis etiam Archiepiſcopali, Patriarchali & Epiſcopali, vel alia quavis Eccleſiaſtica Dignitate, aut Laicali, etiam Regali ſeu Viceregali, Ducali vel Marchionali auctoritate & nobilitate fungentibus; necnon Generali ac Provincialibus, & Sororibus Obſervantiæ hujuſmodi, ac Communitatibus & Sindicis Civitatum, Caſtrorum, Oppidorum, Terrarum & Villarum, eorumque Commiſſariis, Miniſtris & Exequtoribus quorumcumque Parlamentorum, ac quibuſvis aliis perſonis tam Clericis Regularibus & ſecularibus, quam Laicis, in virtutæ ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ, necnon privationis Beneficiorum & Officiorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, inhabilitatiſque ad illa & alia impoſterum obtinenda quæcumque, ac mille Ducatorum auri de Camera, toties quoties contravenire tentaverint, Fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe applicandorum, pœnis eo ipſo incurrendis, præſentium tenore diſtricte præcipiendo mandamus, ne de cetero Fratres Conventuales prædictos, & ſub illorum cura degentes Moniales ſeu Sorores invitos, etiam minis aut terroribus, vel aliis exquiſitis mediis, ad dimittendum ſeu relaxandum Domos ſeu Monaſteria ſua hujuſmodi tetent aut compellant, ſeu tentari & compelli faciant, aut Domos & Monaſteria hujuſmodi acceptare illaque inhabitare, ſeu alias de illis quovis alio modo, invitis dictis Fratribus Conventualibus, ſe intromittere, aliaſque modo & forma in ipſius Leonis prædeceſſoris literis contentis audeant vel præſumant; decernentes irritum & inane quidquid ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabili fratri Noſtro Epiſcopo Alerien., & dilectis filiis Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Generali Auditori, ac Vicario venerabilis fratris Archiepiſcopi Calaritan. in ſpiritualibus Generali per præſentes com-

committimus & mandamus, quatenus ipſi aut unus eorum præſentes literas & in eis contenta quæcumque ubi & quando opus fuerit, ſolemniter publicantes, dictiſque Fratribus Conventualibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittant ipſos Fratres Conventuales, ac ſub eorum cura degentes Moniales vel Sorores invitos, etiam mediantibus minis, terroribus aut aliis violentiis, contra dictarum & præſentium literarum tenorem quovis quæſito colore, per ſupradictos Viceregem & Poſquiſitorem, ac alios duns Judices Parlamentorum, vel eorum Commiſſarios ſeu Miniſtros, aut quoſcumque alios directe vel indirecte, ad dimittendum ſeu relaxandum: Domos & Monaſteria ſua prædicta, quoquomodo aſtringi vel coarctari. Contradictores inſuper & alios quos præmiſſis contravenisse repererint, cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe declarent, eaſque toties, quoties expediri videbitur, etiam iteratis vicibus aggravare procurent; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac tam Provincialibus & Synodalibus, quam Laicalibus, etiam Regalibus & Imperialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, ſtatutis quoque & conſuetudinibus, ac Pragmaticis, Sanctionibus, necnon tam privatorum, quam Comitatuum, aliorumque Regiæ Curiæ Syndicorum & Conſiliariorum conſultationibus, ſeu tractatibus & Parlamentis, ad privationem, expulſionem, ſeu dejectionem ipſorum Fratrum, & forſan Monialium ſeu Sororum Conventualium, ab eorum Domibus & Monaſteriis eiſdem Fratribus Monialibus vel Sororibus de Obſervantia, pro illorum uſu & habitationibus reſpective applicandis vel aſſignandis, quoquomodo tendentibus, etiam noviſſime in Civitate Calaritan. per modernum Viceregem & Syndicos ac Conſiliarios, & forſan alios Officiales Regios, quamvis nulliter & de facto habitis, ac forſan deſuper emanatis decretis, mandatis & inibitionibus etiam pœnalibus, etiam paratam exequtionem in ſe habentibus, & forſan, Apoſtolica auctoritate, etiam Motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, confirmatis & approbatis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis deſuper ſub quacumque verborum forma conceſſis; quibus omnibus, illorum omnium tenores & formas, perinde ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. Octobris MDXLIII. Pontificatus noſtri anno IX.

XXIX.

Hurtadi Mendozæ beneficium erga Monialet de Conceptione B. Mariæ, quo Cœnobium iiſdem apud Oppidum Plecum, Concben. Diœceſis, bonaque ad uſum vitæ attribuerat, ratum habet. Ex Vat. Sec. Tab.

PAULUS &c.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. PAſtoralis officii cura Nobis, meritis licet imparibus, ex alto commiſſa mentem noſtram excitat & inducit ut his, quæ pro Monaſteriorum & aliorum piorum Locorum quorumlibet, felici regimine & proſpe-

ſpero ſtatu geſta fuiſſe dicuntur, Sedis Apoſtolicæ munimen propenſius impertiamur, prout in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

§. II. Dudum ſiquidem ſel. rec. Clementi Papæ VII. prædeceſſori noſtro, pro parte quondam Hurtadi de Mendoza Rectoris Parochialis Eccleſiæ loci de *Zahotegias*, Conchen. Diœceſis, inter alia expoſito, quod ipſe zelo devotionis & Religionis ductus, ac cupiens quæcumque bona, quæ ex hæreditaria ſucceſſione, & ſua induſtria acquiſiverat, vel majorem partem eorum in conſtructionem, fulcimentum, & dotationem unius Monaſterii Monialium, Ordinis Conceptionis B. Mariæ, ſub cura Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia degentium, liberaliter exponere, unum Monaſterium Monialium in Eremitorio B. Mariæ de Roſal extra muros Oppidi de Pliego dictæ Diœceſis, ſuis propriis ſumptibus & expenſis, conſtrui & ædificari facere incœperat, & deinde ſuum teſtamentum condiderat, & in eo inter alia voluerat, quod ex ejus bonis Monaſterium prædictum perficeretur, & in eo tot Moniales dicti Ordinis, quot ex dote per eum ad hoc relicta ſuſtentari poſſent, exiſterent, ac Monaſterium prædictum, illiuſque Abbatiſſa & Moniales Generali & Porovinciali Provinciæ ſecundum morem ejuſdem Ordinis Minorum, in qua Monaſterium prædictum conſiſtebat, Miniſtris præfati Ordinis Minorum eſſent ſubjectæ, ac per ipſum Generalem vel Provincialem Miniſtrum ſemel quolibet anno viſitari & reformari, ipſeque Generalis vel Provincialis Miniſter duos honeſtæ vitæ, & laudabilis famæ de conſanguinitate dicti Hurtadi, ſi reperirentur, alioquin ex aliis Religioſis dicti Ordinis Minorum inhibi de licentia Abbatiſſæ dicti Monaſterii, deputari, ac qui ſic deputati Miſſas, & alia Divina officia in Eccleſia dicti Monaſterii celebrare, Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, ac eandem Abbatiſſam ipſis ſic deputatis, de requiſitis ad eorum victum & veſtitum providere deberent, & intra clauſtra dicti Monaſterii nullus vir, nullaque, niſi Comitiſſa de Pliego pro tempore, aut de progenie dicti Hurtadi exiſterent, & tunc etiam de expreſſa licentia tunc Abbatiſſæ Monaſterii hujuſmodi, mulier aliquatenus intrare poſſet, & quod Comes de Pliego pro tempore exiſtens eſſet Patronus dicti Monaſterii, ut procuraret, quod in ipſo Monaſterio ſervitium Dei vigeret, illiuſque Moniales, & in ejus Eccleſia hujuſmodi deſervientes Fratres exemplarem vitam ducerent & Altiſſimo famularentur, præfatus prædeceſſor ipſius Hurtadi, in ea parte ſupplicationibus inclinatus, præmiſſa omnia & ſingula per ſuas literas approbavit & confirmavit, ſupplens omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, illaque perpetuæ firmitatis rnbur obtinere, & inviolabiliter obſervari debere decrevit.

§. III. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Joannis Hurtadi de Sandoval, Domini in temporalibus Oppidi de la Ventoſa, ejuſdem Diœceſis, & Alphonſi Alvarez Rectoris, *Regidor* nuncupati Civitatis Conchen. petitio continebat, poſtquam pro parte dicti Hurtadi Nobis inter alia expoſito, quod ipſe provide deſiderans, protectionem & adminiſtrationem ipſius Monaſterii, per dilectos filios nobilem virum Ferdinandum tunc Comitem de Pliego, & Ludovicum ejus natum minus utiliter exercendas fore, cupiebat eidem Monaſterio, pro illius proſpero regimine, ipſorum Ferdinandi & Ludovici vita durante, de alio ſeu de aliis Protectoribus & Patronis ſalubriter conſulere, Nos ejuſdem Hurtadi in ea parte ſupplicationibus inclinati, per alias noſtras in forma Brevis literas eidem Hurtado, ut ex tunc alium ſeu alios, de quibus ſibi viſum fuiſſet, & qui ſibi placuiſſet in dicti Monaſterii Patronos & Protectores ſemel vel pluries nominare & deputare valeret, idul-

idulſeramus, ac nominationem ſeu nominationes per eumdem faciendas, ex tunc prout ex ea die, poſtquam factæ forent, & e contra approbaveramus & confirmaveramus, illiſque Apoſtolicæ confirmationis robur adjeceramus, ſupplentes, omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerant in eiſdem.

§. IV. Et nihilominus perſonæ, ſeu perſonis per ipſum Hurtandum nominandis hujuſmodi, ut juxta nominationem eamdem, protectionem & adminiſtrationem dicti Monaſterii libere & licite ſuſcipere poſſent conceſſeramus, diſtrictius inhibentes Ferdinando & Ludovico præfatis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ eo ipſo per contrafacientes incurrenda pœna, ne deinceps poſt nominationem Hurtadi hujuſmodi in dicti Monaſterii adminiſtrationem vel protectionem ſe quomodolibet intromittere auderent ſeu præſumerent, decernentes irritum & inane &c. attentari, prout plenius in Prædeceſſoris continetur, & in noſtris, in quibus volumus, quod dictis Ferdinando & Ludovico ab hac luce decedentibus, nominatio ſeu nominationes, vigore earumdem literarum noſtrarum per ipſum Hurtadum faciendæ, & tunc extinctæ ..... eo ipſo, ac juſpatronatus & protectio dicti Monaſterii, ad perſonam ſeu perſonas, quæ poſt ipſorum Ferdinandi & Ludovici obitum in Domo de Pliego hujuſmodi ſucceſſiſſent, juxta literarum Prædeceſſoris hujuſmodi continentiam & tenorem devolueret eo ipſo, prout in literis prædictis dicitur plenius continere, præfatus Hurtadus etiam tunc in humanis agens felicem ſucceſſum dicti Monaſterii pio affectu deſiderans, Joannem Hurtadum, & Alphonſum Carillo, & Alphonſum Alvarez prædictos, in Patronos & Protectores dicti Monaſterii earumdem noſtrarum literarum vigore, nominaverit & deputaverit, ac in ejus ultima voluntate voluerit, & ſuæ intentionis fore declaraverit, quod Monaſterium illiuſque Abbatiſſa & Moniales hujuſmodi Toletanæ, & nullatenus Carthaginen. in qua Monaſterium ipſum conſiſtebat, Provinciarum, juxta morem Ordinis Minorum hujuſmodi, Provinciali Miniſtro ſubjicerentur & ſubdita forent, quodque per eum in dicta ultima voluntate expreſſa & ordinata, aliquo modo immutari non poſſint, niſi hujuſmodi voluntas totaliter inſereretur, prout publicis ſuper nominatione & deputatione, ac ultima voluntate Hurtadi hujuſmodi confectis inſtrumentis etiam dicitur plenius.

§. V. Pro parte Joannis Hurtadi, & Alphonſi Carillo, ac Alphonſi Alvarez prædictorum aſſerentium præfatum Hurtadum, in conſtructione & dotatione dicti Monaſterii, ultra ſummam decem millium Ducatorum auri, ex ejus propriis patrimonialibus bonis expoſuiſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut nominationi & deputationi, ac ultimæ voluntati Hurtadi hujuſmodi, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, & ut Chriſtifideles ad ſimilia Religioſa loca fundanda & dotanda efficacius alliciantur, quo diſpoſitiones hujuſmodi potioribus gratiis Apoſtolicis fruerentur, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. VI. Nos igitur, qui honeſtis petentium precibus favorem benevolum impertimur, Joannem Hurtado & Alphonſum Carillo, ac Alphonſum Alvarez præfatos, ac eorum quemlibet a quibuſvis excommunicationis &c. Cenſentes, necnon litterarum noſtrarum & inſtrumentorum prædictorum veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, nominationem & deputationem, ac ultimam voluntatem Hurtadi hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, confirmamus & approbamus, omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, illaque inconcuſſæ firmitatis robur obtinere, & invio-

& inviolabiliter obſervari debere, ſicque per quoſcumque quavis auctoritate fungentes, Judices & perſonas, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, & ſi ſecus ſuper his ... vel attentari, irritum & inane decernimus, non obſtantibus præmiſſis, & Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Monaſterii & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, Generali & Provinciali Carthaginen. hujuſmodi Miniſtris & illorum Fratribus, per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac Nos & Sedem eamdem, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ad quorumvis inſtantiam, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, ac alias quomodolibet, ac etiam pluries conceſſis, confirmatis & approbatis.

§. VII. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, & in illis caveretur expreſſe, quod eis nullatenus, aut nonniſi ſub certis modo & forma inhibi expreſſis derogari poſſet, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno MDXLIII. VII. Idus Decembris anno IX.

XXX.

Facultatem largitur pro conſtructione Conventus Montis Feltrii. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 103. a tergo.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatis Provinciæ Marchiæ.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod dilecti Filii Communitas Montis Feltrii, ob ſingularem eorum erga Ordinem veſtrum devotionis affectum, vos, ut in certo congruo & convenienti loco iſtius Provinciæ ad id ab eadem Communitate vobis dudum aſſignato, unam Domum ſub alicujus Sancti invocatione, pro perpetuo uſu & habitatione aliquorum veſtri Ordinis Profeſſorum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, horto & hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere, ædificare & conſtruere, ſeu erigi, ædificari, & conſtrui facere velletis, ſæpius requiſiverunt: vobiſque pro dictæ Domus conſtructione, necnon pro victu & veſtitu Fratrum ibidem pro tempore exiſtentium, ex ſuis opibus vos coadjuvare obtulerunt, ſperantes ex veſtra laudabili vita, ac Divinorum aſſidua celebratione, ſpeciales fructus pro ſalute animarum ſuarum colligere poſſe.

§. II. Cum autem id vobis ſine Sedis Apoſtolicæ licentia facere non liceat, Nobis tam veſtro, quam ejuſdem Communitatis nomine humiliter ſupplicatum fuit, ut vobis ſuper hoc licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III.

ANNO CHRISTI 1543. PAULI III. ANNO 10.

§. III. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum ubique deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in loco præfato unam Domum cum Eccleſia ſub invocatione vobis viſa, ac campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione aliquorum veſtri Ordinis Profeſſorum, dictæ Communitatis ſuffragiis ſeu eleemoſynis erigi, ædificari & conſtrui faciendi, illamque recipiendi & habitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem; ac Domui hujuſmodi, poſtquam ædificata & conſtructa fuerit, ac Fratribus in ea pro tempore commorantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, favoribus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliis Domibus & Fratribus dicti Ordinis veſtri, per Nos, & alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam hactenus conceſſis & impoſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua expreſſe cavetur, ne prædicti veſtri aut aliorum Ordinum Mendicantium Profeſſores nova loca ad inhabitandum recipere poſſint, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus, necnon dicti veſtri Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, etiamſi de illis expreſſa & ſpecifica mentio hic habenda eſſet, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XX. Decembris MDXLIII. Pontificatus noſtri anno X.

ANNO CHRISTI 1544. PAULI III. ANNO 10.

XXXI.

Confirmat erectionem Monaſterii de Clanciano Monialibus Tertii Ordinis.

Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis in Chriſto filiabus Miniſtræ, & Sororibus Monaſterii ſancti Angeli de Clanciano Cluſin. diœceſis Tertii Ordinis ſancti Franciſci.

§. I. EXponi nobis nuper feciſti, quod alias vos, Deo inſpirante, in quodam loco ſeu ſitu, quod vulgo dicitur el *Caſſaro*, prope Eccleſiam ſancti Angeli Terræ Clanciani, Cluſinen. diœceſis, vobis a Communitate præfatæ Terræ Clanciani aſſignato, quamdam Domum ſeu Monaſterium ex bonis veſtris erexiſtis, in qua ſub habitu Sororum Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſponte vos collegiſtis, ad effectum hujuſmodi, ut dicta Domus ſancti Angeli Monaſterium Sororum præfatarum efficeretur, in quo cum aliis Virginibus, ſeu honeſtis Mulieribus cælibem vitam degentes, ſub regularibus inſtitutis Sororum Tertii Ordinis hujuſmodi, ac ſub cura & regimine ſpirituali Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, devotum Altiſſimo famulatum præberetis.

§. II. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, hactenus in Domo prædicta, abſque ullo Sedis Apoſtolicæ munimine, vitam hujuſmodi honeſte ac laudabiliter egeritis, cupiatiſque deinceps pro tutiori conſcientiæ veſtræ ſtatu, necnon ut veſtrum obſequium, ac ſanctum propoſitum Deo gratius fiat, hujuſmodi honeſtam ac religioſam Tertii Ordinis præfati vivendi formam, ſecundum dicti Ordiois inſtituta ſervare, & ad inſtituta hujuſmodi ſervanda teneri, ac prout aliæ ejuſdem Ordinis Moniales

les ſeu Sorores, Domum ſeu Monaſterium hujuſmodi, necnon Eccleſiam cum humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, pro veſtro uſu habere; Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis in præmiſſis opportune conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Perſonarum quarumlibet, præſertim fœminei ſexus ſub ſuavi Religionis jugo cœleſti Sponſo famulari ſtudentium, votis quantum cum Deo poſſumus, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut dictam Domum ſeu Monaſterium cum omnibus pertinentiis ſuis, Eccleſiam cum humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis prædictis, pro veſtro & aliarum Sororum hactenus introductarum, & impoſterum per te, aut per alias Miniſtras pro tempore exiſtentes, introducendarum, uſu & habitatione perpetuis temporibus tenere, inhabitare, ac ſub eiſdem modo & forma, ſalutaribuſque inſtitutis, quibus aliarum Domorum ſeu Monaſteriorum Tertii Ordinis præfati Sorores vivunt, & regulantur ſub cura Miniſtri & Fratrum Provinciæ Thuſciæ, juxta morem Ordinis Minorum hujuſmodi, nunc & pro tempore exiſtentium, vivere, degere & regulari, necnon omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, gratiis & indultis, quibus aliæ Sorores ejuſdem Tertii Ordinis ſancti Franciſci in Congregatione degentes, de jure vel de conſuetudine, aut alias quomodolibet in genere utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſitis & valeatis, per præſentes auctoritate Apoſtolica concedimus & indulgemus; non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus; necnon Monaſterii, & Ordinum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die III. Martii MDXLIV. Pontificatus noſtri anno X.

XXXII.

Tertium Ordinem ſancti Franciſci in Monaſterio Urbevetano ſancti Bernardini ſupprimit, Ordinemque ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ a Monialibus obſervandum inſtituit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EX incumbenti Nobis Apoſtolicæ ſollicitudinis ſtudio, ad ea libenter intendimus, per quæ in Monaſteriis & locis regularibus quibuslibet, præſertim deformationis opprobrio ſubjacentibus, quantum Nobis ex alto permittitur, debita vigeat obſervantia regularis, illaque per noſtræ providentiæ ſtudium utilium Perſonarum ſuffulta præſidiis, ſuperno ſuffragante auxilio, ad Divini nominis laudem & gloriam ſalubribus proficiant incrementis.

§. II. Dudum ſiquidem, poſtquam nos accepto, quod dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſa ſeu Mater, ac Moniales ſeu Sorores Monaſterii ſeu Domus

mus ſancti Bernardini Urbevetan. Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia nuncupati, inhoneſtam, & religioſis Perſonis minime convenientem vitam ducebant, arbitrantes id ex Superiorum, ſub quorum cura degebant, negligentia provenire, eas a cura hujuſmodi exemeramus & liberaveramus, ac curæ, regimini, correctioni & directioni venerabilium fratrum noſtrorum Urbevetan. & Suanen. Epiſcoporum ſubjeceramus & ſuppoſueramus; cum accepiſſemus eaſdem Abbatiſſam ſeu Matrem, & Moniales ſeu Sorores non ſolum ab earum inhoneſta & lubrica vita recedere neglexiſſe, verum etiam audaciores factas, diſſolutiorem & licentioſiorem vitam ſequi, nullam, quod reformari vellent, Nobis ſpem relinquentes, Nos venerabili fratri noſtro Laurentio Epiſcopo Calven. tunc in minoribus conſtituto, & Ordinis Fratrum Minorum Generali Magiſtro, ut conſtito ſibi de præmiſſis, in Monaſterio ſeu Domo hujuſmodi eumdem Tertium Ordinem ſancti Franciſci auctoritate noſtra perpetuo ſupprimeret & extingueret, ac inibi Ordinem ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ nuncupatum etiam perpetuo inſtitueret per quaſdam mandavimus, ſibique prædicta, & certa alia tunc expreſſa faciendi facultatem ſub certis tunc expreſſis modo & forma conceſſimus: & deinde accepto, quod Abbatiſſa ſeu Mater, & Moniales ſeu Sorores præfatæ ad impediendum exequutionem earumdem literarum cauſam prætenſarum jactationis & moleſtationis contra certas Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ, quas in Monaſterium prædictum per dictum Laurentium Epiſcopum dictarum literarum vigore, introducendas eſſe forſan audierant, dilecto filio Magiſtro Joanni Paulo Ptolomeo Capellano noſtro, & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori committi, & Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi, ac forſan præfato Laurentio Epiſcopo per eumdem Joannem Paulum Auditorem inhiberi obtinuerunt. Nos eidem Laurentio Epiſcopo per alias noſtras in forma Brevis literas commiſimus & mandavimus, quatenus ad dictarum literarum exequutionem in omnibus & per omnia, prout ante commiſſam cauſam hujuſmodi poterat, perinde ac ſi ſibi, & Monialibus Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi inhibitum non fuiſſet, procederet.

§. III. Cum autem, ſicut nuper accepimus, præfatus Laurentius Epiſcopus, poſtquam ad Civitatem Urbevetan. ſe tranſtulerat, ac Abbatiſſam ſeu Matrem, & Moniales ſeu Sorores hujuſmodi non ſolum contemptis in primo dictis literis, verum etiam diverſis aliis & enormibus exceſſibus & delictis coinquinatas eſſe, ac præmiſſorum culpas inter diverſas etiam notabiles & inſignes dictæ Civitatis Perſonas verſari, & propterea ad exequutionem earumdem literarum abſque maximis tam Abbatiſſæ ſeu Matris, & Monialium ſeu Sororum, quam Perſonarum notabilium & inſignium hujuſmodi ſcandalo, infamia & dedecore procedi non poſſe cognoverat, ſcandalo, infamiæ & dedecori prædictis parcere volens, diverſis ſuperinde extrajudicialiter ſumptis informationibus, & præmiſſis omnibus veris compertis, eiſdem Abbatiſſa ſeu Matre, ac Monialibus ſeu Sororibus aliter non citatis, ac copia earumdem literarum præfatis Abbatiſſæ ſeu Matri, ac Monialibus ſeu Sororibus illam petentibus aliter non conceſſa, aliaſque ſummarie & extrajudicialiter, ac prædictarum literarum forma ſeu ordine non ſervatis, & forſan contra earum tenorem procedens, in Monaſterio ſeu Domo hujuſmodi Tertium Ordinem ſancti Franciſci ſupprimendum & extinguendum, ac Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi inſtituendum, necnon Moniales Tertii Ordinis hujuſmodi ab eodem Monaſterio, ſic exigente earum indecenti vita, ejiciendas eſſe per ejus ſententiam declaraverit, & Tertium ſancti Franciſci ſuppreſſerit & extinxerit, ac ſanctæ Claræ Ordines hujuſmodi

di inſtituerit, necnon Moniales Tertii Ordinis ſancti Franciſci hujuſmodi ab eodem Monaſterio ejecerit, ac diverſas alias boni exempli & probatæ vitæ Moniales Ordiuis ſanctæ Claræ hujuſmodi in illud introduxerit ſeu introduci mandaverit vel fecerit, ipſæque ſic introductæ Moniales poſſeſſionem ſeu quaſi regiminis & adminiſtrationis Monaſterii ſeu Domus hujuſmodi aſſequutæ fuerint, prout plenius in eiſdem literis continetur, & aliis in præmiſſis confectis publicis documentis dicitur contineri.

§. IV. Nos, quibus non ſolum ex præfati Laurentii Epiſcopi, ſed etiam dum in dicta Civitate eſſemus, ex diverſarum ejuſdem Civitatis fide dignarum Perſonarum fideli relatione, de ipſarum Abbatiſſæ ſeu Matris, & Monialium ſeu Sororum lubrica & inhoneſta vita, ac diverſis aliis delictis & demeritis ad plenum conſtitit & conſtat, volentes in præmiſſis opportune providere, ac proceſſus per dictum Laurentium Epiſcopum in præmiſſis, ut præfertur, habiti & facti, necnon declarationis, ſuppreſſionis, extinctionis, inſtitutionis & erectionis prædictarum, ac omnium & ſingulorum aliorum per ipſum Laurentium Epiſcopum in præmiſſis, & circa ea geſtorum & factorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro expreſſis habentes, motu proprio, non ad ipſarum introductarum Monialium, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, in Monaſterio ſeu Domo hujuſmodi Tertium Ordinem ſancti Franciſci Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſupprimimus & extinguimus, ac inibi Ordinem ſanctæ Claræ ſecundæ Regulæ hujuſmodi, ita quod liceat Monialibus in Monaſterio ſeu Domo hujuſmodi, ut præfertur, introductis, poſſeſſionem ſeu quaſi regiminis & adminiſtrationis ipſius Monaſterii ſeu Domus propria auctoritate libere continuare, ſeu eam de novo apprehendere, ac Monaſterium ſeu Domum hujuſmodi in ſpiritualibus & temporalibus regere & gubernare, Diœceſani loci, vel cujuſvis alterius licentia deſuper minime requiſita, auctoritate & tenore prædictis erigimus & inſtituimus, ac Monialibus ſeu Sororibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci hujuſmodi deſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponimus, ac quod omnia & ſingula, res & bona mobilia & immobilia ac ſemoventia, necnon actiones & jura, quæ ad dictum Monaſterium ſancti Bernardini ante declarationem, ſuppreſſionem, extinctionem & inſtitutionem Laurentii Epiſcopi hujuſmodi quomodolibet ſpectabant & pertinebant, quæcumque, quotcumque & qualiacunique ſint, & ubicumque conſiſtant, eidem Monaſterio & illius Abbatiſſæ ſeu Matri, & Monialibus ſeu Sororibus Ordinis ſanctæ Claræ hujuſmodi, reſervatis tamen eiſdem Monialibus ejectis juribus ſuper earum dotibus & aliis bonis, juxta literarum dicto Laurentio Epiſcopo directarum hujuſmodi formam & tenorem, perpetuo remaneant, ipſæque Abbatiſſa ſeu Mater, ac Moniales ſeu Sorores Ordinis ſanctæ Claræ eis uti, frui & gaudere libere & licite poſſint & debeant, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi dictum Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ, & non Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſemper extitiſſet, auctoritate & tenore prædictis ſtatuimus & ordinamus, decernentes præſentes literas ex quacumque cauſa de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis defectu notari aut impugnari, ac per Nos diſpoſita revocari, ſuſpendi, limitari, aut eis aliquatenus derogari non poſſe, & ſi illa etiam cum præſentium totali inſertione revocari, ſuſpendi, limitari, vel eis in aliquo derogari contigerit, revocationem, ſuſpenſionem, limitationem & derogationem hujuſmodi nullius roboris vel momenti fore, ſicque in præmiſſis omnibus & ſingulis per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate fun-

fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, in quavis cauſa & inſtantia, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi auctoritate & facultate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. V. Quocirca venerabilibus fratribus Viterbien. & Montisfalconen. Epiſcopis, ac Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori pro tempore exiſtenti per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Monialium in dicto Monaſterio, ut præfertur, introductarum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra ſuppreſſionem, extinctionem, erectionem & inſtitutionem per Nos factas prædictas, ac omnia & ſingula per Nos diſpoſita hujuſmodi inviolabiliter perpetuo obſervari, ac Moniales Ordinis ſanctæ Claræ introductas hujuſmodi illis pacifice gaudere, non permittentes eas deſuper per Abbatiſſam ſeu Matrem, ac Moniales ſeu Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci hujuſmodi, vel quoſcumque alios quomodolibet indebite moleſtari, impediri vel perturbari, contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem vel diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices ab Apoſtolica Sede deputati, extra Civitatem vel diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali edita, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium non trahatur, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſterii, & ſeu Tertii Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Monaſterio ſeu Domui, & Tertio Ordini, illorumque Superioribus & perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari, ſeu extra vel ultra certa loca ad judicium trahi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum ſuppreſſionis, extinctionis, erectionis, inſtitutionis, impoſitionis, ſtatuti, ordinationis, decreti, mandati & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſum-

pſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLIV. VII. Kalendas Maii Pontificatus noſtri anno X.

XXXIII.

Indulget, ut poſſint annuos fructus cujuſdam Molendini recipere. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 105.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus Domus ſancti Bernardini Aquilan. Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatis.

§. I. CUm ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, quondam Melchiorra quondam Bernardini de Maneriis, dum viveret, Civis Aquilani Uxor, mulier etiam Aquilana cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria pro æternis, felici commercio commutare, condens de bonis ſuis in ejus ultima voluntate teſtamentum, dimidiam partem omnium & ſingulorum fructuum, reddituum & proventuum cujuſdam ejus Molendini tunc expreſſi, ad quantitatem XXV. ſalmarum frumenti, menſuræ illarum partium, vel circa, annis ſingulis aſcendentium, Fratribus & Sororibus Aquilan. Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia nuncupatis, ea lege ſive conditione, quod dicti Fratres & Sorores de Pœnitentia de dictis fructibus, redditibus & proventibus, quatuor ſalmas frumenti pro eorum uſu retinere, reſiduum vero vobis & Domui veſtræ annis ſingulis prædictis dare & tradere poſſent & deberent; voſque, & qui erunt pro tempore Guardianus & Fratres dictæ Domus, certas ſingulis hebdomadis, & quaſdam alias ſolemnes Miſſas infra annum celebrare ſive cantare, pro ipſius Melchiorræ, ſuorumque Parentum defunctorum animarum ſalute, perpetuis futuris temporibus, teneamini, inter alia in eleemoſynam pie legaverit, prout in eodem teſtamento dicitur plenius contineri, ac vos dictum legatum pro illius ſubſiſtentia firmiori, ac conſcientiæ veſtræ ſtatu tutiori, Apoſtolico munimine roborari cupiatis.

§. II. Nos piæ voluntatis dictæ Teſtatricis annuentes, teſtamentique hujuſmodi tenorem præſentibus pro ſufficienter expreſſo habentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut legatum hujuſmodi vobis in eleemoſynam pie legatum ſive erogatum, ut præfertur, abſque aliquo conſcientiæ ſcrupulo capere & habere, & in veſtros uſus convertere libere & licite poſſitis & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus, & ita per quoſcumque Judices, ſublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ſtatutiſque & conſuetudinibus & ..... confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque & indultis, ac literis Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die III. Maii MDXLIV. Pontificatus noſtri anno X.

XXXIV.

XXXIV.

Clementis Papæ VII. Privilegium confirmat, ut Provinciæ Bosnæ Argentinæ Fratres Ordines sacros suscipere possint unica solemni die, aliisque præterea beneficiis ornat. Ex Regesto Cismontano fol. 105.

Dilectis filiis Ministro, & Fratribus nunc & pro tempore existentibus Ordinis Minorum de Observantia nuncupatis Provinciæ Bosnæ Argentinæ.

§. I. DUdum felicis recordationis Clemens Papa VII. prædecessor noster attendens, quod Domus Minorum Regularis Observantiæ Provinciæ Bosnæ Argentinæ, secundum morem dicti Ordinis, sub dominio Turcarum consistebant, nullusque Catholicus Episcopus in dicta Provincia habitabat, & inibi Sacerdotum Catholicorum penuria urgebat, motu proprio, & ex certa scientia sua, quod Fratres dictarum Domorum tunc & pro tempore existentes, adinstar Fratrum Domus Hierosolimitanæ dicti Ordinis, a quocumque maluerint Catholico Antistite, gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente, omnes etiam sacros & Presbyteratus Ordines, etiam extra tempora ad id a jure statuta, suscipere, & illis ipse Antistes dictos Ordines conferre, quodque pro Domibus præfatis, & eorum, ac Domorum & Locorum sub Dominio Turcarum hujusmodi consistentium usu, quæcumque necessaria & opportuna ab eisdem Turcis, vel aliis sub Christianorum dominio consistentium emere, necnon quicumque defectum natalium quomodolibet patientes, qui in Domibus præfatis, vel earum aliqua habitum dicti Ordinis susceperint, & professionem emiserint regularem, quæcumque officia & dignitates Provinciæ & Ordinis prædictorum, ad quæ, juxta constitutiones dicti Ordinis, illegitimi incapaces existebant, habere & exercere, ac ad illa eligi & assumi libere & licite valerent, habilesque & capaces existerent, per quasdam suas in forma Brevis literas concessit, prout in illis plenius continetur.

§. II. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi feciſtis, non sine maximo incommodo & periculo ad dictos Catholicos Episcopos pro eisdem Ordinibus suscipiendis accedere valeatis, & si, quod vobis omnes dicti Ordines una eademque die conferri possent, concederetur, ex hoc profecto commoditati & incolumitati vestræ plurimum consuleretur, pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut literas Prædecessoris hujusmodi, omniaque in eis contenta pro illorum subsistentia firmiori approbare & confirmare, aliasque in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ovium Christi quarumlibet curam gerimus, & piis omnium petitionibus, quantum cum Deo possumus, libenter annuimus; eos tamen, qui inter lupos, ac infideles Nationes sub regulari ac religioso habitu commorari cernimus, gratiis præcipuis & favoribus prosequi desideramus, vestris hujusmodi supplicationibus inclinati, dictas literas Prædecessoris, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus & approbamus, ac insuper, quod vos hujusmodi sacros Ordines Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus, simul unica die Dominica vel solemni suscipere, dictusque Antistes illos vobis conferre, necnon omnibus & singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus facultatibus, exemptionibus, concessionibus, indultis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alii dicti Ordinis Fratres, in quibusvis Domibus, tam in Re-

Regno Bonſnen. ſeu illius Provincia, quam in toto Turcarum, & aliorum Infidelium dominio commorantes utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, pariformiter abſque ulla differentia, ubique ſub Turcarum & aliorum Infidelium dominio uti, potiri & gaudere: ac etiam pro Domibus præfatis, ac eorum, ac Domorum & locorum ſub dominio hujuſmodi conſiſtentium neceſſario uſu, quæcumque inſtrumenta ferrea, a quibuſcumque ſub Chriſtianorum dominio conſiſtentibus emere libere & licite valeatis, concedimus & indulgemus; mandantes omnibus & ſingulis Epiſcopis, ac eorum in ſpiritualibus vices gerentibus, ut vobis in præmiſſis efficacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, faciant præſentibus vos gratiis & privilegiis pacifice & quiete frui & gaudere, non permittentes vos deſuper quomodolibet indebite moleſtari: Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſorum Fratrum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ac omnibus illis, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxx. Maii MDXLIV. Pontificatus noſtri anno x.

XXXV.

Frater Blaſius Fabritius de Creſeno Ordinis Minorum de Obſervantia, Samandrienſi Eccleſiæ præficitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

PAULUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Blaſio Fabricio de Creſeno Electo Samandrien. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Apoſtolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, Divina diſpoſitione præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias velint & valeant, auctore Domino, in ſpiritualibus & temporalibus ſalubriter regere & feliciter gubernare.

§. II. Sane Eccleſia Samandrien. in partibus Infidelium conſiſtente, ad præſens certo modo Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos verum & ultimum dictæ Eccleſiæ vacationis modum, etiam ſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſis habentes, & ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem & felicem, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, & attendentes in Provincia Boſnen. juxta morem Ordinis Fratrum Minorum, quæ per Tyramnum Turcarum occupatur, quamplures Domos Fratrum dicti Ordinis exiſtere, & illarum Fratres ceteris Catholicis in dicta Provincia exiſtentibus Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & Sedi Apoſtolicæ obedientiam præſtare, debere cum magno Fidei Catholicæ favore prædicare, & exinde non mediocre odium tam eorumdem Turcarum, quam etiam aliorum Hæreticorum illarum partium in ſe provocare, & exin-

& exinde non ſine vitæ periculo, ſacris Ordinibus in Terris Chriſtianorum initiari poſſe, & propterea expedire, ut alicui ex Eccleſiæ earumdem partium de aliqua perſona Provinciæ hujuſmodi ſcientia & moribus prædita, quæ in illis partibus reſidendo, eoſdem Fratres & Catholicos ad dictos Ordines promovere, & in ſemitis juſtitiæ continere poſſit, provideatur, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Samandrien. perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad Te Ordinem prædictum expreſſe profeſſum, & in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui apud Nos de literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicum virtutum donis fide digna teſtimonia prohibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, teque a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, de perſona tua Nobis & eiſdem Fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Samandrien. de ipſorum Fratrum conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, Teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam, regimen & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Samandrien. Tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, firma ſpe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos, prædicta Eccleſia ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

§. III. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas, ſollicite, fideliter & prudenter, quod Eccleſia ipſa Gubernatori provido & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, Tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi mereariſ. Et inſuper ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi ut a quocumque malueris Catholico Antiſtite, gratiam & communionem ejuſdem Sedis habente, accitis & in hoc ſibi aſſiſtentibus duabus vel tribus perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum a te, noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolito juramento, juxta formam præſentibus annotatam, munus prædictum, auctoritate noſtra impendere tibi poſſit, plenam & liberam, earumdem tenore præſentium, concedimus facultatem.

§. IV. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Antiſtitem præfato juramento, idem Antiſtes munus prædictum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſerit, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe, quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo: præterea volumus, quod formam hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti, Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo munitas per proprium Nuncium quantocitius deſtinare procures, quodque per hoc Archiepiſcopo, cui dicta Eccleſia Samandrien. Metropolitico jure ſubeſt, nullum impoſterum præjudicium generetur.

§. V. Præterea volentes te præmiſſorum meritorum tuorum intuitu, favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod poſtquam munus conſecrationis hujuſmodi ſuſceperis, in quibuſcumque

que dictæ Provinciæ Civitatibus, Diœceſibus vel Locis Pontificalia officia exercere libere & licite valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VI. Forma autem juramenti, quod præſtabis hæc eſt. *Ego Blaſius Fabricius de Creſeno Electus Samandrien. ab hac hora inantea fidelis & obediens ero beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, ac Domino noſtro Domino Paulo Papæ III. ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus: Non ero in conſilio aut conſenſu vel facto ut vitam perdant aut membrum, ſeu capiantur, aut in eos manus violenter quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæſito colore; conſilium vero quod mihi credituri ſunt per ſe, aut per Nuntios ſeu literas ad eorum damnum, me ſciente, nemini pandam: Papatum Romanum, & regalia ſancti Petri adjutor eis ero, ad retinendum & defendendum contra omnem hominem, Legatum ejuſdem Sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo, jura, honores & privilegia, ac auctoritatem Romanæ Eccleſiæ, Domini noſtri Papæ, & Succeſſorum prædictorum conſervare, defendere, augere & promovere curabo; nec ero in conſilio, facto vel tractatu in quibus contra ipſum Dominum noſtrum, vel eamdem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra vel præjudicialia perſonarum, juris, honoris, ſtatus & poteſtatis eorum machinetur, & ſi talia u quibuſcumque tractari vel procurari novero, impediam, hoc propoſſe, & quamcitius potero commode, ſignificabo eidem Domino noſtro Papæ, vel alteri per quem ad ipſius notitiam pervenire poſſit: Regulas ſanctorum Patrum, decreta, ordinationes, proviſiones & mandata Apoſtolica totis viribus obſervabo, & faciam ab aliis obſervari: Hæreticos, Schiſmaticos & rebelles Domino noſtro & Succeſſoribus prædictis pro poſſe perſequar & impugnabo; vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuera canonica præpeditione, Apoſtolorum limina, Romana Curia exiſtente citra, ſingulis annis, ultra vero montes ſingulis bienniis viſitabo aut per me aut per meum Nuncium, niſi Apoſtolica abſolvar licentia. Poſſeſſiones vero ad menſam meam pertinentes non vendam nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice: ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.*

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLIV. IV. pridie nonas Junii Pontificatus noſtri anno X.

XXXVI.

Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia ad Maronitas delegat, qui ipſos in latinis literis erudiant, eorumque regimen Guardiano Montis Syon demandat. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 107.

PAULUS EPICOPUS

Servus Seevorum Dei

Dilecto filio Georgio Boſnenſi Guardiano Montis Syon Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, noſtro & Sedis Apoſtolicæ Commiſſario, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. SUis Nobis literis venerabilis frater noſter Petrus Patriarcha Maronitarum alias ſignificavit, quod licet ipſe, qui cum ſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Clero & Populo Maronitarum in Monte Syriæ Liba-

Libano inter Infideles degit, cum eiſdem ſuis graves ab eiſdem Infidelibus contumelias & preſſuras ob Fidem Chriſtianam quotidie ſuſtineat, tamen ipſi eamdem Fidem Chriſtianam numquam deſerere, ſed in ea uſque ad ultimum ſub obedientia hujus ſanctæ Sedis ac Noſtra, & Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium perſeverare firmo & conſtanti propoſito devereruntur, petens humiliter a Nobis, ut cum ab eadem Sede viſitari conſueverint, & a tempore felicis recordationis Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri, qui eos ultimo loco per Commiſſarium ad hoc miſſum viſitavit, & trinas literas piæ memoriæ Eugenii IV. etiam prædeceſſoris noſtri, ſacro approbante Concilio Florentino, editas ſuper doctrina Fidei Chriſtianæ, quam ſequi deberent, ad eos miſit, numquam poſtea viſitati fuerunt, aliquem ad eos Commiſſarium & Viſitatorem deſtinare vellemus, ut & ipſi tantis terrarum & maris ſpatiis a Nobis avulſi, ſpirituali conſolatione afficiantur, & ſi qua in re a dogmate ac ritu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tamquam longe ab ea remoti aberrent, eodem Commiſſario viam monſtrante, corrigantur, & in rectum tramitem, ſicut ſummopere deſiderant, reducantur, utque facilius id aſſequi poſſint, idem Petrus Patriarcha humili Nobis ſupplicatione ſubjunxit, vellemus Miniſtro Generali tui Ordinis præcipere, ut is ſex Fratres dicti Ordinis in ſacris literis eruditos, qui tibi, & pro tempore exiſtenti Guardiano Montis Syon ſubjiciendi, & ab ipſis Patriarcha, ac Clero & Populo in victu & neceſſariis benigne tractandi, eoſdem Maronitas, qui lingua tantum chaldea utuntur, ad faciliorem Fidei noſtræ perceptionem latine legere & ſcribere doceant, & in puritate ejuſdem Fidei conſervare, ſuoque exemplo ac præſentia confirmare, pleniuſque inſtruere ſtudeant, mittat.

§. II. Nos igitur ex hac illorum fortitudine in preſſuris, deſiderio in addiſcendo, propoſito in perſeverando, plurimum in Domino lætati, ut & conſuetudinem hujus ſanctæ Sedis laudabilem in illis viſitandis proſequamur, & amantibus ac piis Filiis a Patre opem poſcentibus manum porrigamus, Commiſſarium ad eos, ſicut poſtulant, mittere decrevimus; ſed cogitantibus Nobis quem potiſſimum mitteremus, nemo ob doctrinam & mores magis idoneus Nobis occurrit, quam tu, qui præclaram pietatis doctrinæ & prudentiæ laudem in conſpectu noſtro & hujus ſanctæ Sedis meruiſti, & a tuis Superioribus in Guardianum Domus Montis Syon electus, ad illas partes de proximo iturus es. Quamobrem te noſtrum & dictæ Sedis Commiſſarium in hoc deputantes, te fili hortamur, tibi nihilominus in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipientes, ut hunc pium laborem, Dei ac noſtra cauſa devote ſuſcipiens, ad eoſdem Maronitas quamprimum eum tuo commodo peteris, te conferas, & poſtquam illos ex parte noſtra & hujus ſanctæ Sedis pia ac paterna ſalute, & Apoſtolica benedictione noſtra conſolatus fueris, te de univerſo ſtatu ſuarum rerum, præcipueque de obſervantia Catholicæ Fidei, ac de Sacramentis & eorum uſu diligenter informare, & ſi qua in re, ac præcipue in his, quæ in noſtris ad ipſum Patriarcham literis continentur, aberrare eos cognoveris, auctoritate noſtra reformare, corrigere, & ad rectum tramitem reducere cures, ſuper quo tibi etiam ipſos aberrantes, prævia Canonica monitione, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, a quibus, præterquam in mortis articulo, nonniſi a te & eodem Patriarcha in forma Eccleſiæ conſueta, abſolvi poſſint, niſi reſipuerint, cohercendi, auxiliumque Domini temporalis invocandi, tenore præſentium concedimus facultatem.

§. III. Hortamur igitur tam Patriarcham, Archiepiſcopos & Epiſcopos, quam ipſum Dominum temporalem, univerſumque Clerum & Popu-

lum Maronitarum, eis nihilominus in ſimili virtute ſanctæ Obedientiæ præcipientes, ut te tamquam Commiſſarium noſtrum & hujus ſanctæ Sedis, pro eorum conſolatione & animarum ſuarum ſalute a Nobis miſſum, debita reverentia & honore ſuſcipientes, tibi tamquam noſtro Commiſſario in omnibus & ſingulis, quæ eis pro reformatione, correctione & ſalute eorum ordinanda duxeris, laudabiliter pareant & obediant, tuaque juſſa exequantur, ac tibi ſedulo faveant & aſſiſtant, tamquam ſi Nos ipſi præſentes ea omnia ordinaremus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLIV. VII. Idus Junii Pontificatus noſtri anno X.

XXXVII.

Committit Miniſtro Generali, ut diſcordantes Fratres Provinciæ Terræ Laboris componat, Provinciamque, ſi opus fuerit, dividat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Joanni Calvo Ordinis Fratrum Minorum Generali Miniſtro.

§. I. Accepimus quod inter Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Terræ Laboris, juxta morem dicti Ordinis, nonnullæ controverſiæ & diſcordiæ exortæ ſint, quibus quamplurimi Nobiles ſe immiſcent; itaut veriſimile dubitari poſſit, ne ob id aliqua ſcandala ſuboriantur, ex quibus tranquillus Regni Siciliæ citra Pharum, in quo dicta Provincia ſita eſt, ſtatus perturbetur ſive alteretur.

§. II. Nos igitur, qui inter Chriſtifideles mutuam concordiam, votivamque pacem conſoveri paternis deſideriis exoptamus, ſcandalis hujuſmodi occurrere volentes, tibi per præſentes committimus & mandamus, quatenus diſcordantes Fratres hujuſmodi, vel amicabili compoſitione, vel poteſtate & auctoritate tua ad concordiam trahas; & ſi ad evitanda hujuſmodi pericula, & pro ipſorum Fratrum, Provinciæ & Regni quiete & tranquillitate, neceſſarium ſeu opportunum tibi viſum fuerit, ejuſdem Provinciæ diviſioni intendas, necnon limites & confines ipſius Provinciæ deputes & deſignes, faciaſque auctoritate noſtra quæcumque ſuper his per te deciſa & determinata fuerint, firmiter & inviolabiliter obſervari. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XXII. Junii MDXLIV. Pontificatus noſtri anno X.

XXXVIII.

Valentinenſe Cœnobium reformandi, Fratreſque Conventuales ejiciendi, ac de Obſervantia Profeſſoribus tribuendi Segobien. Epiſcopo facultatem elargitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Venerabili fratri Epiſcopo Segobien.

§. I. Exponi Nobis nuper fecit cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, qui etiam Hiſpaniarum Rex exiſtit, quod licet Domus ſancti Franciſci Valentinen. Ordinis Fra-

Fratrum Minorum ſit admodum notabilis & inſignis, ac in medio Civitatis Valentinen. conſiſtat, & propterea Fratres in ea pro tempore reſidentes, cum ſe in medio Civitatis conſtitutos eſſe, & exinde eorum mores ac vitam omnibus ejuſdem Civitatis incolis patere videant, ſe exemplar honeſtatis & Religionis & virtutum omnibus præbere deberent, nihilominus a quampluribus annis citra Fratres prædicti, qui ex clauſtralibus exiſtunt, eam, quam religioſos Viros decet, vitam non ducunt, nec exemplum religionis aut honeſtatis ſeu virtutum præbent, ſed potius impudicam ac inhoneſtam vitam degentes, omnibus incolis hujuſmodi ſcandalo ſunt. Quare idem Calus Imperator & Rex Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut Domum prædictam reformari mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Fideles quoslibet, nedum Religioſos reformari cupimus, intendentes præmiſſa ex ipſorum Fratrum Superiorum negligentia proceſſiſſe, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus per te ipſum procedendo, Domum & Fratres præfatos omni diligentia viſitare, & tam in capite, quam in membris reformare cures, & ſi præmiſſa vera, & pro reformatione hujuſmodi, & regulari obſervantia neceſſarium ſeu opportunum eſſe tibi conſtiterit, eamdem Domum ad manus reducas, ac expulſis inde Fratribus clauſtralibus prædictis, Fratres de Obſervantia nuncupatos, Provinciæ Aragoniæ, juxta morem ipſius Ordinis, qui Domui hujuſmodi in divinis laudabiliter deſerviant, & religioſe vivendo Civibus & aliis incolis ipſius Civitatis exemplum honeſtatis & ſanctitatis præſtent, optatoſque fructus in Eccleſia Dei afferant; ſeu, ſi illis introductis, ex rei experientia ſeu alias cognoveris, domum prædictam juxta regularia Fratrum dicti Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum Inſtituta regi & gubernari, ac in ea Inſtituta hujuſmodi plene obſervari non poſſe, dictam Domum Fratribus Ordinis ſancti Hieronymi, ſub Regula ſancti Auguſtini degentibus, qui in eiſdem Regnis, ut accepimus, exemplarem vitam ducunt, per eos juxta eorum ritus & mores ac regularia Inſtituta, reformandam, regendam & gubernandam auctoritate noſtra concedas & aſſignes, in eamdem Domum introducas, aliaque facias & exequaris, quæ ad reformationem Domus, & ædificationem Populi dictæ Civitatis noveris eſſe, ut præfertur, neceſſaria ſeu alias opportuna: Eoſdem Fratres clauſtrales, ſi inobedientes fuerint, ac alios contradictores & rebelles, ac qui in præmiſſis non obtemperaverint, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper iis habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas hujuſmodi, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis & Provinciæ, necnon tam Clauſtralium, quam de Obſervantia nuncupatorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ac concordia inter eoſdem Clauſtrales, & de Obſervantia nuncupatos Fratres Ordinis hujuſmodi, ſuper eorum Domibus diviſim retinendis, dudum inita, & forſan Apoſtolica auctoritate confirmata, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, etiam Bulla Aurea & Mare Magnum nuncupatis, per felicis recordationis Leonem Papam X. & quoſcumque alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros & Sedem Apoſtolicam, etiam ſuper concordia hujuſmodi, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis etiam vim

contractus inducentibus decretis, etiam ad inſtantiam ſeu conſiderationem Imperatoris, Regum aut aliorum Principum, ſeu motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam ex quibuſvis urgentiſſimis cauſis, etiam conſiſtorialiter, & iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non niſi modis & formis ac cum expreſſionibus in eis contentis derogari poſſit, & ſi aliter derogari contingat, derogationes hujuſmodi nemini ſuffragentur. Quibus omnibus, etiamſi pro eorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi eiſdem Fratribus clauſtralibus vel quibuſvis aliis communiter aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die x. Auguſti MDXLIV. Pontificatus noſtri anno x.

XXXIX.

Fratres de Obſervantia Saonenſi Cœnobio ſpoliari probibet, ipſiſque pro tuitione Conſervatores deſtinat. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Domus ſancti Franciſci Saonen. Ordinis Fratrum Minorum.

§. I. Dudum pro parte dilectorum filiorum nobilium Virorum Ducis & Gubernatorum Reipublicæ Januen. Nobis expoſito, quod ipſi pro fortificatione & præſidio Civitatis Saonen. adverſus exercitus in finitimis Regionibus tunc degentes, ac illam occupare anhelantes, unam arcem in clivo, in quo Eccleſia Saonen. & Domus Ordinis Fratrum Prædicatorum conſiſtebant, a fundamentis erexerant & conſtruxerant, & propterea venerabilis frater Epiſcopus & dilecti Filii Capitulum Saonen. ac Prior & Fratres Domus hujuſmodi Eccleſiam & Domum prædictas deſerere coacti fuerant, non ſine magno eorum incommodo, ac Divini cultus præjudicio & jactura, & quod exinde inter Epiſcopum & Capitulum, ac Priorem & Fratres ex una, necnon Ducem & Gubernatorem prædictos ex altera partibus lis & controverſia ſuper præmiſſis oriri formibabatur, Nos ad obviandum ſcandalis, quæ exinde naſci poterant, & ne incommodum & præjudicium hujuſmodi longo tempore progrederetur, ſed quo melius fieri poterat, eiſdem Epiſcopo & Capitulo, ac Priori & Fratribus conſuleretur, præfatorum Ducis & Gubernatorum ſupplicationibus inclinati, Archiepiſcopo Januen. & præfato Epiſcopo Saonen. ac utrique eorum per alias noſtras in forma Brevis literas commiſimus & mandavimus, quatenus vocatis vocandis, Capitulo & Priori ac Fratribus prædictis aliquas alias Eccleſias dictæ Civitatis, in quibus cultum Divinum, prout antea in eorum Eccleſiis exercere poſſent, & ſi magis placeret Capitulo, Eccleſiam ſeu Domum ſancti Franciſci dictæ Civitatis Ordinis Fratrum Minorum, in qua pauci admodum Fratres degebant, ac Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum hujuſmodi

modi Eccleſiam ſancti Juliani, & aliam ſeu alias Eccleſiam ſeu Eccleſias, de quibus eis beneviſum foret, ſine tamen præjudicio fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum & emolumentorum ſuorum, necnon aliam Domum vobis in eadem Civitate eorum arbitrio deputarent & aſſignarent, aliaque facerent, gererent & exequerentur, quæ in præmiſſis, & circa ea neceſſaria forent quomodolibet & opportuna, cum poteſtate citandi, & etiam ſub quibuſvis cenſuris & pœnis etiam pecuniariis, eorum arbitrio moderandis, inhibendi, ac quoſcumque in præmiſſis contumaces & rebelles ſub ſimilibus pœnis compeſcendi, necnon oratores a quibuſvis cenſuris & pœnis, præmiſſorum occaſione, forſan quomodolibet incurſis, ſimpliciter vel ad cautelam abſolvendi, ac quidquid per eos ſententiatum & ordinatum foret, inviolabiliter obſervari mandandi, prout in eiſdem literis plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, dicta Domus ſancti Franciſci a Perſonis ejuſdem Ordinis devotis fundata & conſtructa, ac ſucceſſive a felicis recordationis Sixto Papa IV. qui antea in minoribus agens, ipſius Ordinis Minorum Generalis Miniſter fuerat, & poſtremo a piæ memoriæ Julio Papa II. ipſius Sixti nepote, & ex dicta Civitate oriundo, reparata & reſtaurata fuerit, ſitque inter alias Domos Ordinum Mendicantium dictæ Civitatis admodum notabilis & inſignis, ac in ea non pauci, prout tunc Nobis ſuggeſtum fuit, ſed viginti aut circa Fratres dicti Ordinis Minorum degant, & inibi ſingulis diebus horas canonicas & Miſſam conventualem decantent, cum ſpirituali Populi dictæ Civitatis conſolatione, nec conveniat, quod ſub prætextu aſſignationis alterius Eccleſiæ vobis faciendæ, in Domo prædicta, quam tanto tempore poſſediſtis, dictus Ordo ſupprimatur, ſed potius Vos in Domo veſtra pacifice dimittendi, & Eccleſia, quæ vobis, prætextu dictarum litterarum, aſſignanda eſſet, eiſdem Capitulo aſſignari debeat, ne pro commodo unius Eccleſiæ alia affligatur, aut pro ornando uno Altari aliud ſpolietur, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis, quod prætextu prædictarum, aut quarumcumque aliarum literarum a Nobis vel Sede Apoſtolica pro tempore emanatarum Domo ſancti Franciſci hujuſmodi privari aut ſpoliari nequeatis, indulgere, aliaſque vobis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, quorum intentionis ſemper fuit nemini jus quæſitum tollere, aut præjudicium in jure quæſito afferre, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, quod prætextu prædictarum aut quarumcumque aliarum noſtrarum vel dictæ Sedis litterarum pro tempore quomodolibet emanatarum, Domo veſtra ſancti Franciſci de facto ſpoliari, aut ab ea, abſque rationabili cauſa ejici nequeatis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus, diſtrictius inhibentes præfatis Archiepiſcopo ac Epiſcopo, aut quibuſvis aliis tam delegatis, quam ſubdelegatis Judicibus & Commiſſariis, quavis etiam ſeculari auctoritate fungentibus, ne vos Domo prædicta de facto & cauſa non cognita ſpoliare, aut ab illa abſque rationabili cauſa hujuſmodi ejicere, ſeu alias quomodolibet indebite moleſtare præſumant, mandantes venerabilibus Fratribus Chien. in Civitate Genuen. commoranti, ac Cæſanaten. & Britonorien. Epiſcopis, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios, præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte veſtra deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac vobis, & pro tempore exiſtentibus Guardiano & Fratribus dictæ Domus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciciant vos indulto

dulto & inhibitione, ac aliis præmiſſis, necnon præſentibus literis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas & pœnas pecuniarias eorum arbitrio moderandas & applicandas, aliaque juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, ac legitimis ſuper his babendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas hujuſmodi, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, liberam facultatem concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac recolendæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. ſimiliter prædeceſſoris noſtri, de una & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Perufiæ ſub annulo Piſcatoris die VIII. Septembris MDXLIV. Pontificatus noſtri anno X.

XL.

Dimidiam partem eorum, quæ ſtudio pietatis Chriſtianæ populus Cœnobii S. Mariæ de Portiuncula, alias Angelorum templo conferret, ædificando valetudinario infirmi poſſe concedit. Ex Reg. Ciſinont. pag. 108. a tergo.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus Domus ſanctæ Mariæ de Portiuncula, alias Angelorum Aſſiſien. Diœceſis.

§. I. CUm nos his proximis diebus, dum in veſtro Conventu eſſemus, ædificium Infirmariæ a vobis in dicto veſtro Conventu incœptum, nondum tamen conſummatum reperimus, cupiamuſque pro publica veſtra commoditate illud perfici, & vobis in eo opere de aliquo ſubſidio ſubvenire, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, vobis & pro tempore exiſtentibus iſtius Domus Guardiano & Fratribus, medietatem omnium oblationum pecuniarum, quæ Cappellæ veſtræ Eccleſiæ, in qua Feſtum Portiunculæ nuncupatum celebrari conſuevit, fient, in conſummationem & perfectionem dicti ædificii, & non alios uſus convertendam ad quinque annos a data præſentium computandos, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Mandantes Civitatis noſtræ Aſſiſii Gubernatori, vel ejus Locumtenenti, ut dictam medietatem oblationum pecuniarum hujuſmodi per vos, ad quos ſpectat, vobis, ſeu Procuratoribus veſtris, juxta tenorem præſentium conſignari faciant & curent. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. II. Volumus autem, quod durante quinquennio hujuſmodi, in eodem Feſto, unus ex Fratribus Domus ſancti Franciſci Aſſiſii per Guardianum ejuſdem Domus pro tempore exiſtentem deputandus, in eadem Cappella, ut ratam eleemoſinarum hujuſmodi eos tangentem ſine aliqua fraude vel deceptione percipere poſſint, aſſiſtere omnino valeat & debeat.

Datum Perufii ſub annulo Piſcatoris die XV. Septembris MDXLIV. Pontificatus noſtri anno X.

Eodem tempore, & in eodem loco fuit expeditum Breve aliud pro loco noſtro Lacus Perufini, quod continebat, quod Fratres noſtri poſſint piſcari in eodem ac accipere tot piſces, quot ſufficiunt, & ſunt neceſſarii Fratribus inibi habitantibus.

Præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore

re permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie, ſpecialiter & expreſſe derogamus. Ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Peruſii ſub annulo Piſcatoris die XII. Septembris MDXLIV. Pontificatus noſtri anno X. *Ex Reg. Ciſmont. pag.* 109.

XLI.

Ne Fratres, aut Moniales quartam vel quintam legatorum ſolvere teneantur. Ex Reg. Ciſmont. pag. 109. a tergo.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. HOneſtis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Generalis & Provinciales, & Provinciales Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, necnon dilectæ in Chriſto filiæ Abbatiſſæ & Prioriſſæ, ac Moniales & Sorores ſanctæ Claræ, & Tertii Ordinis ſancti Franciſci, quod licet Domus & Loca Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, eorumque Abbatiſſæ & Prioriſſæ, ac Moniales & Sorores eiſdem Fratribus de Obſervantia ſubjecta, ex Privilegiis Apoſtolicis eorum Ordinibus conceſſis, fuerint & ſint exempta a ſolutione ſeu præſtatione cujuſvis quartæ ſeu quintæ legatorum eis pro tempore factorum, Ordinario Loci, vel quibuſvis aliis quomodolibet facienda, ac in pacifica poſſeſſione, ſeu quaſi exemptione hujuſmodi. Nihilominus tamen diverſi Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, & Domus ſancti Ptholomei Nepeſini Ordinis Fratrum Prædicatorum, ac S. Feliciani, necnon Hoſpitalis S. Spiritus in Saxia etiam de Urbe, & alii quæſtores ſeu Commiſſarii, prætextu diverſorum Privilegiorum eis deſuper conceſſorum, prætendant quartas vel quintas legatorum hujuſmodi ſibi deberi.

§. II. Generalis & Miniſtri Provinciales, necnon Abbatiſſæ & Prioriſſæ, ac Moniales & Sorores præfati dubitant ſuperinde ab eis vexari ſeu moleſtari, aut alias diverſimode perturbari poſſe, tempore procedente. Quare pro parte eorumdem Generalis & Miniſtrorum, ac Abbatiſſarum & Prioriſſarum, ac Monialium & Sororum hujuſmodi nobis fuit generaliter ſupplicatum, quatenus tranquillitati eorum conſulere, ac alias ipſis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur eoſdem Generalem & Miniſtros, ac Abbatiſſas & Prioriſſas, necnon Moniales & Sorores ſpiritualibus favoribus & gratiis proſequi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem omnibus, quod ipſi de cetero de & ſuper legatis & aliis relictis eis per quoſcumque quomodolibet pro tempore factis prætextu quartarum, ſeu quintarum hujuſmodi, ab eiſdem, ſeu quibuſvis aliis quæſtoribus ſeu Commiſſariis, etiam pro ſancta Cruciata, aut alias quomodolibet deputatis vexari ſeu moleſtari, aut alias quovis modo perturbari non poſſint, nec quidquam ab ipſis peti valeat, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium perpetuo concedimus, ac eiſdem & quibuſvis aliis quæſtoribus & Commiſſariis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant, & quacumque juriſdictione & facultate fungantur, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, ne Generalem & Miniſtros, ac Abbatiſſas & Prioriſſas, ac Moniales & Sorores præfatos, occaſione quartarum ſeu quintarum legatorum ſeu relictorum hujuſmodi, directe vel indirecte, aut alias quomodolibet vexare ſeu moleſtare, perturbare, ſeu quidquam ab ipſis peteri poſſint, ſub excommunicationis, & aliis ſententiis & pœnis Eccleſiaſticis, di-

diſtrictius inhibemus: Decernentes ex nunc irritum & inane quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. IV. Quo circa univerſis & ſingulis Patriarchis & Archiepiſcopis, ac Epiſcopis & aliis locorum Ordinariis, per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte Generalis & Miniſtrorum, ac Abbatiſſarum & Prioriſſarum, ac Monialium & Sororum hujuſmodi, ſeu alicujus eorum fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſdem in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, præfatos Generalem & Miniſtros, ac Abbatiſſas & Prioriſſas, ac Moniales & Sorores, & eorum quemlibet conceſſione & indulto, ac omnibus præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes eos vel eorum aliquem deſuper quomodolibet indebite moleſtari. Contradictores, moleſtatores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac etiam pecuniarias pœnas eorum arbitrio imponendas, moderandas & applicandas, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus ſel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, & aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis ac Baſilicæ & Ordinis Fratrum Prædicatorum, necnon ſancti Feliciani & S. Spiritus, ac quorumvis aliorum Hoſpitalium, & Monaſteriorum aliorumque Regularium locorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque indultis & literis Apoſtolicis, necnon facultatibus & auctoritatibus etiam quæſtoribus & Commiſſariis prædictis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac eum quibuſvis clauſulis & decretis & alias quomodolibet conceſſis, confirmatis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus &c.

Anno Christi 1545. Pauli III. anno 11.

XLII.

Minoritæ Conventuales in Monaſterio ſancti Franciſci Valentin. inhoneſte viventes reformari ab eoque amoveri quatenus opus ſit, Fratribuſque de Obſervantia Provinciæ Aragoniæ aſſignari jubet. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Venerabili Fratri Epiſcopo Segobien. Valentiæ commoranti.

§. I. EXponi Nobis fecit cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, qui etiam Hiſpaniarum Rex exiſtit, quod licet Domus ſancti Franciſci Valentinen. Ordinis Fratrum Minorum ſit admodum notabilis & inſignis, ac in medio Civitatis Va-

Valentinen. conſiſtat, & propterea Fratres in ea pro tempore reſidentes, cum ſe in medio Civitatis conſtitutos eſſe, & exinde eorum mores ac vitam omnibus ejuſdem Civitatis incolis patere videant, ſe exemplar honeſtatis & religionis, ac virtutum omnibus præbere debeant, nihilominus a quampluribus annis citra Fratres prædicti, qui ex Clauſtralibus exiſtunt, eam, quam religioſos Viros decet vitam, non ducunt, nec exemplum religionis, aut honeſtatis ſeu virtutum præbent, ſed potius impudicam ac inhoneſtam vitam degentes, omnibus incolis hujuſmodi ſcandalo ſunt.

§. II. Quare idem Carolus Imperator & Rex Nobis humiliter ſupplicari fecit, ut Domum prædictam reformari mandare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui fideles quoslibet, ne dum Religioſos reformari cupimus, attendentes præmiſſa ex ipſorum Fratrum Superiorum negligentia proceſſiſſe, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præſentes committimus & mandamus, quatenus per te ipſum Domum & Fratres prædictos omni diligentia viſitare, & tam in capite, quam in membris reformare cures, etſi præmiſſa vera, & pro reformatione hujuſmodi, & Regulari Obſervantia neceſſarium ſeu opportunum eſſe tibi conſtiterit, eamdem Domum ad manus tuas reducas, ac expulſis inde Fratribus Clauſtralibus prædictis, Fratres de Obſervantia nuncupatos Provinciæ Aragonum, juxta morem ipſius Ordinis, qui Domui hujuſmodi in Divinis laudabiliter deſerviant, & religioſe vivendo Civibus & aliis incolis ipſius Civitatis exemplum honeſtatis & ſanctitatis præſtent, optatoſque fructus in Eccleſia Dei afferant, in eamdem domum introducas, ipſamque illis per eos, juxta eorum ritus & mores ac regularia inſtituta reformandam, regendam & gubernandam, auctoritate noſtra concedas & aſſignes, aliaque facias & exequaris, quæ tibi ad reformationem Domus, & ædificationem populi dictæ Civitatis novoris eſſe, ut præfertur, neceſſaria ſeu alias opportuna; eoſdem Fratres Clauſtrales, ſi inobedientes fuerint, ac alios contradictores & rebelles, ac qui tibi in præmiſſis non obtemperaverint, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas hujuſmodi etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, ac Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis, vigore præſentium, ad judicium non trahatur, & aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis & Provinciæ, necnon tam Clauſtralium, quam de Obſervantia nuncupatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ac concordia inter eoſdem Clauſtrales, & de Obſervantia nuncupatos Fratres Ordinis hujuſmodi ſuper eorum Domibus diviſim retinendis, dudum inita & forſan Apoſtolica auctoritate confirmata, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, etiam Bulla aurea aut mare magnum nuncupatis, per piæ memoriæ Leonem Papam X. & quoſcumque alios Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros & Sedem Apoſtolicam, etiam ſuper concordia hujuſmodi, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritantibuſque, & aliis etiam vim contractus inducentibus decretis, etiam ad inſtantiam ſeu conſiderationem Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum, ſeu motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam ex quibuſvis urgentiſſimis cauſis, etiam conſiſtorialiter,

& iteratis vicibus conceſſis, approbatis & innovatis, etiam ſi in eis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut nonniſi modis & formis, ac cum expreſſionibus in eis contentis derogari poſſit, & ſi aliter derogari contingat, derogationes hujuſmodi nemini ſuffragentur. Quibus omnibus, etiamſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi eiſdem Fratribus Clauſtralibus, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die III. Martii MDXLV. Pontificatus noſtri anno XI.

XLIII.

Privilegia, exemptiones, immunitates, prærogativas, & gratias Fratribus de Obſervantia provinciæ Portugalliæ in partibus Indiarum degentibus conceſſa enumerat, & firmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Cuſtadibus, Guardianis & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatoram provinciæ Portugalliæ, juxta morem dicti Ordinis in partibus Indiarum degentibus.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod licet in privilegiis, indultis & aliis gratiis Apoſtolicis Ordini Fratrum Minorum, & illorum Domibus per felicis recordationis Sixtum IV. & nonnullos alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſis, & demum per Nos confirmatis & innovatis, uſu receptis, inter alia caveatur expreſſe, quod dicti Ordinis Fratres & illorum Domus ab omni prorſus Ordinariorum poteſtate, necnon ſolutione & præſtatione quartæ partis funeralium ac legatorum ſibi pie relictorum, ſint & eſſe debeant exempti & immunes, quodque corpora Defunctorum, qui in eorum Eccleſiis ſuam elegiſſent ſepulturam, quoties proprius Rector ad levandum hujuſmodi corpora requiſitus, id facere diſtuliſſet, alienas Parochias etiam cum Cruce ingrediendo, tollere ſeu levare poſſent, & ſimiliter corpora illorum, qui in mortis articulo in habitu Fratrum dicti Ordinis ſepelliri ellegiſſent, apud ſe omnino ſepelliri deberent, prout in eorumdem Prædeceſſorum literis plenius contineri dicitur, nihilque Canonicum obſtare noſcatur, quominus etiam vos, quamdiu in iſtis partibus, in veſtris domibus manendum duxeritis, privilegiis & indultis prædictis dicto Ordini hactenus, ut præfertur, conceſſis & impoſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſitis & valeatis.

§. II. Nihilominus a certo tempore citra nonnulli iniquitatis filii nomen Domini in vanum recipientes, nec attendentes, quod vos alias ardore caritatis exuſti, abnegata propria voluntate, Patriæ, Parentum & amicorum ſolatio deſtituti, tamquam in exilium damnati, atque corporalis ſalutis immemores, per intervalla dierum navigando, ad partes ipſas, non abſque vitæ periculo tum ob repentinam aeris mutationem, tum etiam ciborum varia-

riationem, aliaque ingentia pericula tranſeuntes, vos contuliſtis, ubi Altiſſimo ſedulo famulantes, tam pro ſpirituali Chriſtifidelium inhibi commorantium conſolatione, quam Infidelium, cum quibus aſſiduo converſari oportet, converſione & inſtructione hactenus laboratis, & in dies pro viribus labnrare non ceſſatis, quamplura gravamina, injurias, moleſtias, jacturas & damna, aliaque onera vobis imponere multipliciterque irrogare contra privilegia, exemptiones, immunitates & indulta, aliaſque gratias dicto Ordini, & uſu recepta, illiuſque Domibus & Fratribus, ut præfertur, vel alias conceſſa, ſub quibus vos & veſtras domos minime comprehendi falſo contendunt, temere, & de facto veniendo, ac cenſuras & pœnas in illis contentas damnabiliter incurrendo, in animarum ſuarum periculum, ac privilegiorum & indultorum prædictorum contemptum, quietiſque veſtræ perturbationem non verentur. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur quieti & tranquillitati Religioſorum quorumcumque, præſertim illorum, qui ad fidei Orthodoxæ propagationem verbum Dei in partibus ipſis prædicare, ac Infedeles, Divina cooperante gratia, ad agnitionem veritatis illuminare procurant, conſulere intenſis deſideriis exoptamus, vos & veſtrum ſingulos ab iniquorum moleſtiis & vexationibus prædictis tueri & defendere volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſententiis & cenſuris ad effectum præſentium conſequendum abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vos & veſtrum ſingulos in partibus hujuſmodi, de licentia tamen Prælatorum veſtrorum permanentes, ac Domos veſtras omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, conceſſionibus & aliis gratiis prædictis tam hactenus conceſſis, quam impoſterum concedendis, uti, potiri & gaudere volumus, decernimus & declaramus. Et inſuper quod omnibus & ſingulis utriuſque ſexus perſonis, quæ mediantibus prædicationibus, ſalubribuſque monitis & adhortationibus veſtris, de Infidelitatis cæcitate ad Orthodoxæ fidei veritatem converſi fuerint, pro ipſorum converſorum id petentium devotione, Baptiſmi Sacramentum miniſtrare, eoſque ſanctæ Matris Eccleſiæ gremio aggregare, quodque vos Cuſtodes & Guardiani, nunc & pro tempore exiſtentes, quoſcumque Fratres veſtros, qui ante vel poſt dicti veſtri Ordinis ingreſſum, contra Infideles Chriſtiani nominis inimicos dimicando, quempiam ipſorum Infidelium etiam voluntarie interfecerint, ab hujuſmodi homicidii reatu plenarie abſolvere, ſecumque ſuper irregularitate, inde forſan contracta, quodque in ſuſceptis per vos Ordinibus, & quatenus promoti non exiſtant, ad omnes ſacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri, in illiſque etiam in Altaris miniſterio miniſtrare valeant, diſpenſare, omnemque ab eis inhabilitatis & infamiæ maculam penitus & omnino abolere.

§. IV. Et ne forte ob inſolentium & Pſeudoreligioſorum, qui ſub ovina pelle lupinam voracitatem ſe gerere oſtendunt, ſcandaloſam prophanamque vitam, Neophitos, & ad lumen fidei noviter converſos ſcandalizari, & a novo fidei tenore concepto tepeſcere contingat, ut omnes & ſingulos veſtri Ordinis Apoſtatas, ac etiam omnes, qui in dicti veſtri Ordinis habitu, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia eo convenerint, & extra Regulares Domos vagantes inter ſeculares minus Religioſe commorari repereritis, ad Domos veſtras hujuſmodi reducere, ac pro eorum demeritis juſte punire, & ſi opus fuerit, inde expellere, & ad partes fidelium remittere libere & licite valeatis, tenore præſentium concedimus & indulgemus.

§. V. Quocirca venerabilibus Fratribus Ulixbonen. & Funcalen. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Senen. eorumque & cuilibet ipſorum Vicariis generalibus in ſpiritualibus per præſentes committimus atque mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant omnia & ſingula præmiſſa firmiter & inviolabiliter obſervari, non permittentes quidquam contra præſentium tenorem, per quoſcumque quomodolibet attentari, contradictores quoslibet & rebelles, quacumque etiam Archiepiſcopali aut Epiſcopali dignitate & auctoritate fungentes, per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, quatenus opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis, vigore præſentium, ad judicium non trahatur, aliiſque Apoſtolicis Conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VI. Ceterum quia difficile foret præſentes literas ad ſingula Indiarum loca, quæ latiſſima ſunt, deferri, volumus, quod præſentium tranſumptis manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, eadem prorſus fides adhibeatur in judicio & extra, quæ originalibus ipſis adhiberetur, ſi exhibitæ forent vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die x. Aprilis MDXLV. Pontificatus noſtri anno XI.

XLIV.

Januenſibus præcipit, ut Fratres Conventuales e Domo ſancti Franciſci Saonen. amotos ad eamdem redire ſinant. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilectis filiis nobilibus viris Duci & Gubernatoribus Reipublicæ Genuen.

§. I. DUdum poſtquam pro parte veſtra Nobis expoſito, quod vos pro fortificatione & præſidio Civitatis Saonen. adverſus exercitus in finitimis regionibus tunc degentes, ac illam occupare anhelantes, unam arcem in clivo, in quo Eccleſia Saonen. & domus Ordinis Fratrum Prædicatorum conſiſtebant, a fundamentis erexeratis & conſtruxeratis, & propterea tunc Epiſcopus, & dilecti filii Capitulum Saonen. ac Prior & Fratres Domus hujuſmodi Eccleſiam & Domum prædictas deſerere coacti fuerant, & quod exinde inter Epiſcopum & Capitulum, ac Priorem & Fratres ex una, necnon vos ex altera partibus, lis & controverſia ſuper præmiſſis oriri formidabatur, Nos veſtris in ea parte ſupplicationibus inclinati, Archiepiſcopo Januen. & præfato Epiſcopo Saonen. ac utrique eorum per quaſdam commiſeramus & mandaveramus, quatenus vocatis Capitulo & Priore ac Fratribus prædictis, aliquas alias Eccleſias dictæ Civitatis, in quibus cultum Divinum, prout antea in eorum Eccleſiis, exercere poſſent, & ſi magis placeret Capitulo, Eccleſiam ſeu Domum ſancti Franciſci dictæ Civitatis, Ordinis Fratrum Minorum, in qua pauci admodum Fratres degebant, ac Priori & Fratribus Ordinis Prædicatorum hujuſmodi ſancti Juliani, ſeu aliam vel alias Eccleſias, de quibus eis beneviſum foret, ſine tamen præjudicio fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum & emolumentorum ſuorum, necnon aliam Domum Guardiano & Fratribus dictæ Domus ſancti Franciſci in eadem Civitate eorum arbitrio deputarent & aſſi-

& assignarent, aliaque facerent, gererent & exequerentur, quæ in præmissis & circa ea necessaria forent quomodolibet & opportuna; pro parte eorumdem Guardiani & Fratrum Nobis exposito, quod dicta Domus sancti Francisci a Personis ejusdem Ordinis devotis fundata & constructa, ac successive a felicis recordationis Sixto Papa IV. qui antea in minoribus existens, ipsius Ordinis Minorum Minister Generalis fuerat, & postremo a piæ memoriæ Julio Papa II. ipsius Sixti nepote, & ex dicta Civitate oriundo, reparata & restaurata fuerat, & inter alias Ordinis Mendicantium dictæ Civitatis Domos admodum notabilis & insignis erat, quodque in ea non pauci, prout antea Nobis suggestum fuerat, sed viginti aut circa Fratres dicti Ordinis Minorum degebant, & inibi singulis diebus horas canonicas & Missam Conventualem decantabant, cum spirituali Populi dictæ Civitatis consolatione, & quod non conveniebat, quod sub prætextu assignationis alterius Ecclesiæ eisdem Guardiano & Fratribus faciendæ, dictus Ordo in eadem Domo, quam tanto tempore possederant, supprimeretur, sed potius ipsi in eorum Domo pacifice dimitterentur, & Ecclesia, quæ eis prætextu dictarum literarum, assignanda fuisset, eisdem Capitulo assignaretur, ne pro commodo unius Ecclesiæ altera affligeretur, aut pro ornando uno Altari aliud spoliaretur.

§. II. Nos eorumdem Guardiani & Fratrum supplicationibus inclinati, eisdem Guardiano & Fratribus, quod prætextu prædictarum, aut quarumcumque aliarum nostrarum seu dictæ Sedis literarum pro tempore quomodolibet emanatarum, eorum Domo de facto spoliari, aut ab ea absque rationabili causa ejici nequirent, per alias nostras in forma Brevis literas indulsimus, districtius inhibentes præfatis Archiepiscopo & Episcopo, aut quibusvis aliis tam delegatis, quam subdelegatis Judicibus & Commissariis, quavis etiam seculari auctoritate fungentibus, ne eosdem Guardianum & Fratres Domo præfata de facto & causa non cognita spoliare, aut ab illa absque rationabili causa hujusmodi ejicere, seu alias quomodolibet indebite molestare præsumerent, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.

§. III. Cum autem, sicut iidem Guardianus & Fratres Nobis nuper exponi fecerunt, licet posteriores literæ nostræ prædictæ ad notitiam vestram deductæ fuerint, & propterea ipsi Guardianus & Fratres contra earumdem literarum tenorem super dicta Domo & illius regimine molestari non debuerint, nihilominus dilectus filius Antonius Sauli pro Prætore dictæ Civitatis se gerens, prætextu nonnullarum literarum vestrarum ei, ut asserebat, transmissarum, Guardianum & Fratres Domus sancti Francisci hujusmodi, uno dumtaxat Fratre in ea pro illius custodia dimisso, non solum ex dicta Domo recedere, verum etiam ipsam Civitatem exire, & alio migrare de facto coegerit, in dicti Ordinis opprobrium, & Ecclesiasticæ libertatis oppressionem, ac Christifidelium illarum partium scandalum, iidem Guardianus & Fratres nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eos ad dictam eorum Domum restitui mandare, aliasque eis in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur factum hujusmodi probare nequeuntes, hujusmodi supplicationibus inclinati, has nostras ad vos dandas censuimus, vos hortantes, ac vobis in virtute sanctæ Obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus statim receptis præsentibus, omnia & singula mandata, præcepta, prohibitiones & literas per vos, necnon præfatum Prætorem dictæ Civitatis, aut alios quoscumque in præjudicium Guardiani & Fratrum prædictorum contra tenorem posteriorum literarum nostrarum hujusmodi quomodolibet emanata, ac facta & gesta, seu potius attentata revocetis & irri-

irritetis, ac Guardianum & Fratres prædictos ad eorum Domum prædictam libere redire permittatis, nec eos deſuper quoquomodo de facto moleſtare, & cauſa non cognita, de dicta Domo ejicere aut moleſtare, vel ejici facere, ſeu quod moleſtentur vel ejiciantur pati permittatis; Nos enim, ſi, quod non credimus, ſecus fiat, juſtitiæ eorumdem Fratrum aſſiſtere, & contra vos ſuper præmiſſis procedere & procedi facere cogemur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVI. Junii MDXLV. Pontificatus noſtri anno XI.

XLV.

Confirmatio Conventionis initæ inter Rectorem, & Fratres Taurinen. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 114.

BEATISSIME PATER.

§. I. EXponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius Oratorum, Matthæi Buſchetti Rectoris Parochialis Eccleſiæ ſancti Thomæ Taurinen, & Angeli de Cherio Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum Guardiani, quod, cum Domus ſive Monaſterium beatæ Mariæ de Angelis prope & extra muros dictæ Civitatis tunc fundatum, ejuſdem Ordinis, una cum illius Eccleſia, & certis ædificiis, cauſantibus bellis, quibus Patria illa hactenus miſerrime oppreſſa extitit, demolitum & ſolo æquatum foret, & illius Fratres, ne per ſeculum vagarentur, & Divinis deſtituerentur officiis, in dictam Parochialem Eccleſiam, pro horis canonicis diurnis & nocturnis, aliiſque Divinis officiis celebrandis, de tunc illius Rectoris, ſed forſan ipſius Matthæi conſenſu ſe reduxiſſent, & propterea Divinus inhibi cultus, & ipſius Parochialis Eccleſiæ, Parochianorum, & aliorum hominum & Civium ejuſdem Civitatis devotio non parum propagarentur & excreſcerent, Matthæus ex una & Angelus præfati ex altera partibus, ad devotorum veſtrorum ipſius Civitatis Syndicorum inſtantiam & requiſitionem, ad certam conventionem, ſub tamen S. V. & Sedis Apoſtolicæ beneplacito, devenerunt in hunc, qui ſequitur, modum, videlicet, quod ipſi Fratres dictam parochialem Eccleſiam cum illius domo & ædificiis, horto & omnibus ſediminibus, pro eorum perpetuis uſu & habitatione & ſervitute, ac unius Domus conſtructione haberent & ipſi degerent.

§. II. Exiſtentium vero curæ animarum Parochianorum, ac fructus, redditus & proventus, ac bona immobilia, & jura ad dictam parochialem Eccleſiam & capellas in ea conſtructas ſpectantia & pertinentia, necnon oblationes pecuniariæ, quæ in Divinis & aliis ſolemnitatibus, ac in comunione Paſchatis, necnon in die ſancti Thomæ fierent, ac ſolidi, ſeu pecuniæ, candelæ, quando Crux ejuſdem parochialis Eccleſiæ extra ejus Parochiam defertur, necnon dimidia, cum aliquis Parochianorum eorumdem in Cathedrali Eccleſia beati Joannis dictæ Civitatis, & quarta portionibus, dum in Conventibus Religioſorum, vel aliis Eccleſiis, necnon ſolidi ſeu pecuniæ & candelæ pro elevatione corporum, quæ in ipſa parochiali Eccleſia ſepelirentur, ex quibus ipſe Rector quartam Canonicam nuncupatam pro ſepulturis tantum haberet, & farina pro comunione dicti Paſchatis die, necnon oblationes, quæ pro delatione aquæ benedictæ ad domos Parochianorum eorumdem in hebdomada ſancta, ac pro deſponſationibus, & benedictione ſponſalitia, publicationeque monitorialium & cenſurarum, ac aliarum in dicta Eccleſia literarum, necnon delatione Viatici, & a mulieribus, quæ

quæ a partu levabantur, dari conſueverant, ad Rectorem dictæ parochialis Eccleſiæ pro tempore exiſtentem, prout antea.

§. III. Omnes vero aliæ oblationes, funeralia & eleemoſynæ tam in pecuniis, quam cera, grano, farina, pane, vino, oleo, pannis laneis & lineis, & tam pro ſepultura in dicta parochiali Eccleſia, & illius cœmeterio, etiam in die ſepulturæ, quam ſeptimis, trigeſimis, annualibus, etiam in celebritate omnium Sanctorum, & quovis alio anni tempore, & generaliter omnia emolumenta, antedictis eidem Rectori reſervatis & exceptis, etiam ex Altari, & ſervitute dictæ parochialis Eccleſiæ, & aliunde, undecumque & quomodocumque obvenientia, ad ipſos Fratres ſpectarent & pertinerent. Et ne ex legatis eidem parochiali Eccleſiæ impoſterum faciendis inter eoſdem Rectorem & Fratres diſſentio ſeu quæſtio oriri poſſit; ea, quæ Rectori vel ejus Vicario, aut fabricæ dictæ parochialis Eccleſiæ, vel Fratribus hujuſmodi clare, expreſſe & ſpecifice legarentur, ad eos ſpectarent, quibus fierent. Si autem Eccleſiæ ſancti Thomæ vel ſancto Thomæ ſimpliciter relictum vel legatum foret, ſive pro fabrica, ſeu alias diceretur, pro fabrica dictæ Eccleſiæ & domus conſtruendæ hujuſmodi intelligi deberet, ipſique Fratres eamdem fabricam diſtribuerent, & ad illum effectum legata exigerent, præmiſſa tamen quoad futura legata & inſtrumenta intelligi deberent, præteritis in ſuo ſtatu, prout ſunt & erant, remanentibus, ac quod dicti Fratres Eccleſiam, necnon ejus ædificia & ſedimina hujuſmodi pro debito ſuo reparare, reſtaurare & meliorare, non tamen deteriorare poſſent. Et ſi aliquando inde diſcederent, & locum deſerere, & alibi ſe transferre vellent, ex eiſdem ædificiis, reparationibus & meliorationibus ſtabilibus, ſeu affixis rebus, nihil amovere, aſportare ſeu dirimere poſſent, nec pro illis Rector dictæ parochialis Eccleſiæ aliquid reſarcire deberet, ipſe vero Rector ſive ejus Vicarius trigeſimum acceptare, & alia honeſta emolumenta procurare, ac ſi Fratres in dicta Eccleſia non eſſent, necnon alibi, & ſi vellet in Eccleſia ſancti Thomæ temporibus congruis celebrare, & exercitium curæ dictæ parochialis Eccleſiæ facere, debitis tamen moderatione & diſcretione adhibitis, ut eiſdem Fratribus in Divinorum celebratione non obeſſet, & qualibet vigilia & feſtivitate ſancti Thomæ ſingulis annis, ipſi Fratres eumdem Rectorem ſeu ejus Vicarium, quominus in ipſa parochiali Eccleſia per ſe vel alios, more ſolito, prout eatenus obſervatum fuerat, in Divinis deſervire poſſit, nullatenus impedirent.

§. IV. Illi vero in ea verbum Dei prædicare & prædicari facere, confeſſiones audire, ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum, non tamen in die ramis palmarum, nec per totum Paſcha uſque ad illius octavam miniſtrare poſſent, ac literas deſuper neceſſarias eorum ſumptibus expediri facerent, illique, ut præfatus Matthæus mandatum ad præmiſſa conſentiendum conficere deberent, necnon conceſſiones, conventiones, capitula, ac omnia & ſingula alia in inſtrumento deſuper confecto contenta obſervare & adimplere promiſerunt, prout in eodem inſtrumento, cujus tenorem &c. plenius contineri dicitur.

§. V. Cum autem, Pater Sancte, præfati Oratores cupiant conventionem, & alia præmiſſa pro ſubſiſtentia firmiori S. V. patrocinio & munimine roborari, ſupplicant humiliter eidem S. V. iidem Oratores, quatenus Divini cultus propagationi conſulendo, ipſoſque Oratores ſpecialibus favoribus & gratiis proſequendo, conventiones & conceſſiones & capitula prædicta, ac omnia & ſingula in dicto inſtrumento contenta, licita & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, & inde ſequuta quæcumque, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine confirmare & approbare, ac illis per-

perpetuæ & inconcuſſæ firmitatis robur adjicere, illamque per utrumque partium prædictarum, prout unamquamque illarum concernit, obſervari & adimpleri, & ad illarum obſervationem hujuſmodi cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac aliis opportunis juris & facti remediis cogi & compelli, nec eos ab illis quoquomodo recedere poſſe aut debere, necnon deſuper conficiendas literas de ſubreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, ſeu intentionis, vel alio quocumque defectu notari vel impugnari non poſſe, ſed validas & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios effectus conſequi debere, ſicque per quoſcumque Judices &c. ſublata &c. irritum quoque &c. decernere & declarare, omneſque & ſingulos juris & facti ſolemnitatum omiſſarum, & alios quoſcumque defectus tam ſubſtantiales, quam accidentales, ſi qui intervenerint in eiſdem, ſupplere dignemini de gratia ſpeciali. Non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus vel ordinationibus, ſtatutis &c. etiam juramento &c. roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque cum titulis opportunis & conſuetis.

Fiat ut petitur A.

§. VI. Et cum abnegatione a Cen. ad effectum pro omnibus, & de confirmatione, approbatione, innovatione, additione, decreto, & ſuppletione de hac pro omnibus prædictis latiſſime extendenda, perpetuo in forma gratioſa, attento quod ambæ partes ſupplicant, & cum derogatione quorumcumque ſtatutorum &c. & privilegiorum & judicii Apoſtolicorum, ac eidem Ordini quomodolibet conceſſorum, in quorum omnium tenores latiſſime exprimi poſſunt, & per Breve S. V. aut officium contradictarum vitam omnium Fratrum Mendicantium paupertate, cum opportuna executorum deputatione, qui aſſiſtant etiam ſub cenſuris &c. cum poteſtate aggrediendi &c. invocato &c. Cumque præmiſſorum omnium & ſingulorum etiam qualitate invocari, denominari nomen, cognomen ac tenorem dicti inſtrumenti majori & veriori expreſſione, ſeu ſi videbitur, ipſius inſtrumenti omiſſis ſignis & characteribus, totali inſertione expediri poſſint, & ſine alicujus præjudicio.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum VI. Idus Julii anno XI.

XLVI.

Nicienſe Cœnobium noviſſime excitatum Fratribus de Obſervantia incolendum indulget. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Provinciæ Januen. Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. CUm, ſicut dilectus filius nobilis vir Carolus Dux Sabaudiæ Nobis nuper exponi fecit, ipſe attendens, quod in obſidione Civitatis ſuæ Niciæ ſuperiori anno a Piratis Turcis facta, inter alia damna per ipſos Eccleſiis ac Religioſis Domibus, aliiſque Piis Locis illarum partium illata, quædam Domus ſub invocatione ſanctæ Crucis, extra & prope muros dictæ Civitatis, tui Ordinis, Provinciæ tamen ſancti Ludovici, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, fuit totaliter diruta, cupiat ob ſingularem devotionis affectum, quem gerit ad dicti Ordinis Fratres, qui ſaluti animarum Chriſtifidelium ſubditorum ſuorum aſſidue incumbentes, uberrimos in illis partibus fructus producere conſueverunt, ſimilem Domum ſub eadem aut alia in-

invocatione, ſubjectam tuæ Provinciæ Januen. pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, intra vel extra muros dictæ Civitatis in condecentibus ſitu & loco ſuis propriis expenſis conſtrui & fabricari facere, pro parte ejuſdem Caroli Ducis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuis deſideriis hujuſmodi favorabiliter annuere, ac licentiam & facultatem deſuper concedere, ac Domui conſtructæ & fabricatæ ſitum & prædia, necnon paramenta, libros, vaſa ſacra, aliaque ornamenta Eccleſiaſtica dictæ Domus dirutæ applicare, aliaſque in hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Carolo Duci ſimilem Domum ſub eadem ſeu alia invocatione cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, aliiſque officinis intra vel extra muros dictæ Civitatis, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum libere conſtruendi & fabricandi, ſeu conſtrui & fabricari faciendi licentiam & facultatem concedimus, ac Domui ſic conſtruendæ & fabricandæ, poſtquam conſtructa & fabricata fuerit, ſitum, prædia, vaſa, libros, ceteraque ornamenta dictæ Domus dirutæ perpetuo applicamus & appropriamus, Domumque conſtruendam hujuſmodi, & illius pro tempore Fratres cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, dummodo ad id dilecti filii moderni Miniſtri Generalis dicti Ordinis expreſſus accedat aſſenſus, a dicta Provincia S. Ludovici prorſus eximimus & liberamus, eamque tuæ Provinciæ Januen. perpetuo ſubjicimus & incorporamus, decernentes, quod Domus conſtruenda & fabricanda hujuſmodi, quamprimum conſtructa & fabricata fuerit, ut præfertur, ac inibi pro tempore degentes Fratres omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, indultis, favoribus, & aliis gratiis quibuſcumque aliis Ordinis, & Provinciæ Januen. prædictorum Domibus, illarumque Fratribus per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, & Nos, ac Sedem Apoſtolicam hactenus conceſſis & impoſterum concedendis, uti frui, & gaudere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi illa ſibi a principio ſpecialiter & expreſſe conceſſa forent, poſſint & valeant. Non obſtantibus felic. record. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, qua inter alia cavetur expreſſe, quod Religioſi aut quicumque alii, domos, ſeu alia loca de novo acquirere non poſſint, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, aliiſque Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus, ſtatutis & conſuetudinibus Ordinis & Provinciarum hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. III. Volumus autem, quod Eccleſia dirutæ Domus hujuſmodi nullo unquam tempore prophanetur, ſed tamquam ſacer & religioſus locus ab omnibus jugiter veneretur, quodque conſenſus dicti Miniſtri Generalis hujuſmodi in proximo veſtro Generali Capitulo celebrando ratus & gratus habeatur, ac per idem Generale Capitulum expreſſe approbetur, alias præſentes quoad exemptionem & liberationem, necnon ſubjectionem & incorporationem prædictas nullius ſint roboris vel momenti.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xt. Julii MDXLV. Pontificatus noſtri anno XI.

XLVII.

Committit Archiepiſcopo Rheginenſi controverſiam ortam inter Fratres Minores Cœnobii Nicoterenſis, & Epiſcopum Civitatis ſuper ſepultura. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 112.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Rheginen. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Querelam dilectorum filiorum Provincialis Miniſtri Provinciæ Calabriæ, ac Guardiani & Fratrum Domus beatæ Mariæ Gratiarum prope & extra muros Nicoteren. Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum accepimus continentem, quod licet juxta cannnicas ſanctiones cuilibet decedentium Chriſtifidelium ſibi ſepulturam eligere conveniat, ipſique querelantes Chriſtifidelium hujuſmodi tam Civitatis Nicoterenſis, & illius Diœceſis, quam aliorum locorum etiam circumvicinorum in Eccleſia dictæ Domus ſepulturam eligentium cadavera, ad ſepulturam ſic electam recipere, & illorum funeralia celebrare conſueverint, & ſuper iis hac quoque ſoluta quarta Canonica portione Rectoribus ſive Curatis Parochialium Eccleſiarum, infra quarum Parochias dicti Chriſtifideles pro tempore decedunt, moleſtari, ſeu alias impediri non debuerint neque debeant; tamen venerabilis frater noſter modernus Epiſcopus & Clerus Nicoterenſis, ultra dictam quartam Canonicam portionem Rectoribus Eccleſiarum, in quarum Parochiis Chriſtifideles hujuſmodi pro tempore decedunt, ſolutam, non ſolum ratione Chriſtifidelium infra Civitatem & Diœceſim Nicoterenſem prædictas, ſed etiam extra illas in aliis Civitatibus & Diœceſibus etiam circumvicinis decedentium, certum aſſertum pedagium, ſive novam & inſolitam, ac de jure prohibitam impoſitionem ab eiſdem querelantibus extorquere præſumſerunt, in animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum.

§. II. Quare pro parte ipſorum querelantium aſſerentium ſuper his cum eiſdem moleſtantibus judicialiter experiri ſe velle, potentiamque dictorum Cleri, & moleſtantium merito perhorreſcentes, ipſos infra Civitatem & Diœceſim Nicoterenſem ſecure convenire nequire, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi ſuper his opportune providere paterna diligentia curaremus.

§. III. Quocirca fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris ab eodem Epiſcopo auctoritate noſtra, ab aliis vero per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLV. IV. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno XI.

XLVIII.

Declarat licentiam antea conceſſam pro applicatione eleemoſynarum ad valetudinarium Conventus Portiunculæ extruendum, intelligi debere de oblatis per totum annum. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 113. a tergo.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. MEnſibus præteritis emanarunt a Nobis literæ tenoris ſubſequentis; a tergo videlicet: *Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Domus ſanctæ Mariæ de Portiuncula, alias Angelorum, Aſſiſien. Diœceſis.*

Intus vero: *Paulus Papa III. Dilecti filii ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum Nos his proximis diebus, dum in veſtro Conventu eſſemus, ædificium Infirmariæ a vobis in dicto veſtro Conventu inceptum, nondum tamen conſummatum reperimus, cupiamuſque pro publica veſtra commoditate illud perfici, & vobis in eo opere de aliquo ſubſidio ſubvenire: Motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, vobis, & pro tempore exiſtentibus iſtius Domus Guardiono & Fratribus medietatem omnium oblationum pecuniariarum, quæ capellæ veſtræ Eccleſiæ, in qua feſtum Portiunculæ nuncupatum celebrari conſuevit, fient, in conſummationem & perfectionem dicti ædificii, & non alios uſus convertendam, ad quinque annos a data præſentium computandos, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Mandantes Civitatis noſtræ Aſſiſii Gubernatori, vel ejus Locumtenenti, ut dictam medietatem oblationum pecuniarum hujuſmodi per eos, ad quos ſpectat, vobis, ſeu Procuratoribus veſtris, juxta tenorem præſentium conſignari faciat & curet. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod durante quinquennio hujuſmodi, in eodem feſto unus ex Fratribus Domus ſancti Franciſci Aſiſii per Guardianum ejuſdem Domus pro tempore exiſtentem deputandus, in eadem capella, ut ratam eleemoſynarum hujuſmodi eos tangentem ſine aliqua fraude vel deceptione percipere poſſint, aſſiſtere omnino valeat & debeat. Datum Peruſiæ ſub annulo Piſcatoris die* XV. *Septembris* MDXLIV. *Pontificatus noſtri anno* X.

§. II. Cum autem intellexerimus a nonnullis nimium ſcrupuloſis aſſeri Nos ſolummodo de oblationibus, quæ in die dicti feſti fient, intellexiſſe, Nos ad hujuſmodi dubietatem tollendam, & ut Fratres dictæ Domus de Portiuncula gratia noſtra plene gaudeant, & dictum ædificium, quod magna impenſa indiget, conſummare poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium declaramus Nos non ſolum de oblationibus, quæ in die ejuſdem feſti fient, ſed etiam de omnibus aliis, quas in toto anno fieri continget, intellexiſſe: ſicque ab omnibus, ſublata aliter judicandi facultate, judicari debere, ac irritum & inane quidquid ſecus attentari contigerit. Mandantes eidem Gubernatori ſeu Locumtenenti, ut prædictas & præſentes literas juxta earum tenorem omnino exequatur: præmiſſis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XXV. Julii MDXLV. Pontificatus noſtri anno XI.

XLIX.

Accurrit reparationi Conventus ſancti Pauli extra muros Spoleti. Ex Reg. Ciſmont. fol. 114.

Dilectis filiis Prioribus Civitatis noſtræ Spoleti.

§. I. CUm Nos nuper in noſtro per Spoletum tranſitu, Eccleſiam Domus ſeu Conventus ſancti Pauli prope & extra muros Spoletin. Ordinis Minorum de Obſervantia non pauca reparatione indigere repererimus, cupiamuſque Guardiano & Fratribus dictæ Domus, ut ipſam Eccleſiam reparare poſſint, de aliquo ſubſidio providere, vobis, quod unum ex comitativis dictæ Civitatis Spoleti per eoſdem Guardianum & Fratres vobis nominandum, in Civem Spoletinum, ita quod una cum ſua familia omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus & gratiis, quibus ceteri Cives Spoletin. quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt in futurum, uti, potiri & gaudere poſſit & valeat, creare poſſitis & valeatis, facultatem concedimus per præſentes.

§. II. Volentes ac vobis injungentes, ut pecuniæ, quæ ex hac creatione provenient, penes Ædem Sacram, aut perſonam fide & facultatibus idonesm per eoſdem Guardianum & Fratres, ac iſtius Civitatis Locumtenentem, deputandam, deponantur, & in reparationem dictæ Eccleſiæ fideliter convertantur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ejuſdem Civitatis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum &c.

L.

Fratribus ac Monialibus Ordinis Minorum Provinciarum Hiſpaniæ eligere ſibi Confeſſarios abſque Prælatorum licentia prohibet. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciarum Caſtellæ & Aragoniæ & Portugalliæ ſecundum morem ejuſdem Ordinis.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod a certo tempore citra nonnulli tam ex Guardianis vel Præſidentibus, aliiſque Fratribus Ordinis Minorum & Provinciarum Hiſpaniæ ſecundum morem ejuſdem Ordinis, quam ſub eorum cura & inſtitutis degentibus Ordinis ſanctæ Claræ, ac etiam Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus Monaſteriorum dictarum Provinciarum, propriis eorum Confeſſoribus per illorum Superiores deputari ſolitis, dimiſſis, in illorum forſan contemptum, occaſione nonnullorum Apoſtolicorum privilegiorum & indultorum, aliarumque literarum, etiam Confeſſionalium nuncupatarum, ſibi conceſſorum, Confeſſores pro ſuo libito voluntatis, nonnumquam Clericos ſeculares, quandoque vero etiam aliorum Ordinum Fratres eligere, illiſque peccata ſua confiteri, & ab eis abſolutionem petere & recipere, ipſique Confeſſores ſic electi confeſſiones hujuſmodi audire, & pœnitentiam ſalutarem deſuper injungere, ac abſolutionis beneficium etiam de caſibus illorum Prælatis & Superioribus ſpecialiter reſervatis, forſan indiſtincte impertiri ſoliti ſunt, ſtatutis & conſuetudinibus dictorum Ordinum de facto contraveniendo, for-

forſan in animarum ſuarum periculum, pernicioſum quoque exemplum & ſcandalum plurimorum.

§. II. Quare pro parte veſtra Nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero nullus ex Guardianis vel Præſidentibus, aut Fratribus, vel aliis Religioſis Domorum Fratrum Minorum, & Provinciarum hujuſmodi, ac Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus dictorum Monaſteriorum, ſi & poſtquam de præſentibus literis notitiam habuerint, prætextu cujuſvis privilegii aut indulti Apoſtolici vel Confeſſionalis, ſeu aliarum literarum & indulgentiarum, etiam motu proprio ab Apoſtolica Sede hactenus emanatarum vel imposterum emanandarum, niſi de ſpeciali licentia petita & obtenta ſuorum Superiorum, Confeſſorem ſibi eligere, & ab eo abſolutionem recipere poſſit, & tam ipſis Guardianis vel Præſidentibus, aliiſque Fratribus, Religioſis, necnon Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus & eorum ſingulis in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis ſententia, & officiorum per ipſos obtentorum privationis ac inhabilitatis ad illa, & alia etiam impoſterum obtinenda pœnis eo ipſo incurrendis, ut privilegiis, indultis, Confeſſionalibus, & aliis literis prædictis & gratiis quomodolibet uti, illorumque prætextu Confeſſorem ſibi eligere, & ab eo abſolutionem recipere, quam Confeſſoribus ſic electis præfatis ſub ſimilibus cenſuris, ac ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſuorum Ordinum pœnis eo ipſo ſimiliter incurrendis, præterquam de ſpeciali licentia petita & obtenta dictorum Superiorum, ut confeſſiones hujuſmodi audire, ac pœnitentiam ſalutarem injungere, & abſolutionis munus impertiri nullatenus audeant vel præſumant, diſtrictius inhibendo mandamus.

§. III. Et inſuper de cetero quaſcumque confeſſiones aliter faciendas, inde obtentas abſolutiones, & pœnitentiarum impoſitiones ipſis confitentibus minime ſuffragari; quodque in quibuſcumque privilegiis & indultis, aut literis Apoſtolicis, etiam Confeſſionalibus nuncupatis, aliiſque conceſſionibus & gratiis prædictis ad hujuſmodi effectum ab eadem Sede hactenus emanatis vel impoſterum emanandis, Guardiani vel Præſidentes, aliique Fratres vel Religioſi, ac Abbatiſſæ, Moniales & Sorores Ordinum, ac Tertiæ Regulæ Provinciarum hujuſmodi omnino excepti cenſeantur; irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate & tenore prædictis decernimus & declaramus. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis ſupradictis, & aliis nunc & pro tempore per Sedem eamdem conceſſis, ſub quacumque verborum forma, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacibus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis per Sedem eamdem, ex quibuſcumque cauſis etiam urgentiſſimis & onerolis, ad quorumcumque cujuſcumque dignitatis & ſtatus preces hactenus conceſſis & impoſterum concedendis, quibus, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus, aut non alias, quam ſub certis modo & forma tunc expreſſis derogari poſſit, illorum omnium tenores & formas, perinde ac ſi de verbo ad verbum, & non per clauſulas generales idem importantes expreſſa mentio facta, aut aliqua alia exquiſita forma ad id requiſita ſervari, nihil pœnitus omiſſo, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris,

hac

hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe, harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. IV. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, ſigillo alicujus perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſignatis, & manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, eadem fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die III. Octobris MDXLV. Pontificatus noſtri anno XI.

LI.

Guardiana & Fratribus de Obſervantia, e Cœnobio Florentino omnium Sanctorum, a qua Fratres humiliati ejecti fuerant, e veſtigio diſcedere jubet. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia, in Domo ſeu Monaſterio omnium Sanctorum Florentin. Ordinis Humiliatorum exiſtentibus.

§. I. CUm vos, ſicut Nobis innotuit, nuper præter juris diſpoſitionem, veſtraque, & omnium Religioſorum Ordinum ſtatuta & conſuetudines, iſtam Domum ſeu Monaſterium omnium Sanctorum Florentin. Ordinis Humiliatorum, unde Fratres ejuſdem Ordinis Humiliatorum de facto ejecti fuerunt, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, quam requirere debebatis, intraveritis & occupaveritis, ſicut de præſenti occupatis & indebite detinetis.

§. II. Nos volentes ex noſtro officio hujuſcemodi temerariis auſibus obviare, eoſque reprimere. Vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ, necnon excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ac privationis omnium & ſingulorum officiorum, dignitatum, præſidentiarum, ac privilegiorum, indultorum, & quarumvis gratiarum vobis in genere vel in ſpecie conceſſarum, ac etiam vocis activæ & paſſivæ ipſo facto & abſque aliqua alia declaratione, niſi parueritis, per vos incurrenda pœna, præcipimus & mandamus, ut infra biduum a præſentium vobis facienda præſentatione ſive intimatione, dictam Domum ſeu Monaſterium exiiſſe, eamque liberam & vacuam, & in ea omnia res & bona inibi per vos inventa ſub inventario, per Notarium publicum conficiendo, dimiſiſſe, & cum effectu reliquiſſe debeatis: particulariter vero tibi fili Guardiane ſub eiſdem pœnis mandamus, ut intra decem dies ab eadem intimatione vel præſentatione computandos, coram Nobis perſonaliter te præſentes, eo vero termino reſpective elapſo, & vobis non parentibus, venerabili fratri Philippo Epiſcopo Burgi ſancti Sepulcri in alma Urbe noſtra Vicario noſtro committimus, ut vobis aliter non citatis, ſervatis quatuor terminis juxta ſtylum ſuæ curiæ in ſimilibus ſervari ſolitis, contra vos ad dictarum pœnarum aggravationem & reagravationem, ac interdicti Eccleſiaſtici appoſitionem, invocationemque brachii ſecularis, ad ulteriora procedat, ſicut veſtra inobedientia & contumacia exegerit: volentes ac decernentes, quod affixio præſentium in valvis Eccleſiæ Domus veſtri Ordinis beatæ Mariæ de Ara-cœli de Urbe, ac præſentatio earum Procuratori Generali e juſdem veſtri Ordinis in Romana Curia facta, dimiſſo illarum exemplo, perinde vos arctet, ac ſi vobis perſonaliter præſentatæ & intimatæ fuiſſent. Non obſtantibus quibuſvis conceſſionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate

tate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis vobis & veſtro Ordini, ſeu quibuſvis aliis quomodolibet conceſſis, quibus, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ad effectum præſentium derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die VII. Novembris MDXLV. Pontificatus noſtri anno XII.

LII.

Fratri Antonio de la Cruz Ordinis Minorum Canarienſis Eccleſiæ poſſeſſionem capeſſendam indulget. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Antonio della Cruz Ordinis Minorum ſancti Franciſci Electo Canarien.

§. I. CUm Nos nuper Eccleſiæ Canarien. quæ de jurepatronatus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti & Hiſpaniarum Regis Catholici, ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, fore dignoſcitur, tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de perſona tua, quem idem Carolus Imperator & Rex Nobis ad hoc per ſuas literas præſentavit, de Fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica auctoritate providerimus, teque illi in Epiſcopum præfecerimus & Paſtorem, curam, regimen & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in literis ſub plumbo propediem expediendis latius explicabitur.

§. II. Nos, ne interim dicta Eccleſia in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus detrimenta ſuſtineat, providere, teque ſpecialis gratiæ favore proſequi volentes, tibi, ut poſſeſſionem ſeu quaſi regiminis, & adminiſtrationis ac bonorum dictæ Eccleſiæ per te vel alium ſeu alios libere apprehendere, ac illius menſæ Epiſcopalis fructus, redditus & proventus, vigore præſentium percipere valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus; mandantes dilectis filiis Capitulo & Clero Civitatis & Diœceſis Canarien. ut tibi tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, tibi reverentiam & obedientiam debitas & devotas, ac tua ſalubria monita & mandata ſuſcipere, & efficaciter adimplere; Vaſſalli vero conſueta ſervitia & jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

§. III. Non obſtantibus felicis recordationis Boniſacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri quæ incipit: *Injunctæ*: & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus & ordinationibus, ac dictæ Eccleſiæ, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod infra ſex menſea a data præſentium computandos, literas prædictas ſub plumbo in totum expedire, ac jura Cameræ Apoſtolicæ, & aliis propterea debita perſolvere omnino tenearis, aliter præſentes nullæ ſint.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die VII. Decembris MDXLV. Pontificatus noſtri anno XII.

LIII. *Sa-*

LIII.

Sacras Aracœlitanas ædes in titulum obtinere cunctis interdicit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. Dudum a felicis recordationis Clemente Papa VII. prædeceſſore noſtro emanarunt literæ in forma Brevis tenoris ſubſequentis. *Clemens Papa VII. ad perpetuam rei memoriam. Olim felicis recordationis Leo Papa X. prædeceſſor, & ſecundum carnem frater patruelis noſter, tunc in humanis agens, cum nonnullos Archiepiſcopos & Epiſcopos, ac Notarios Sedis Apoſtolicæ, ac Ordinum Mendicantium Generales numero triginta & unum, ad Cardinalatus honorem promoviſſet, & tunc non eſſent tot tituli Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium pro Cardinalibus promotis, nonnullas Eccleſias Urbis & extra eam in titulum Presbyterorum Cardinalium erexiſſet, illas aliquibus ex Cardinalibus promotis, pro eorum titulis aſſignavit, inter quos Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Aracœli in titulum Presbyteri Cardinalis erexit, & illam dilecto filio noſtro, tunc ſuo Chriſtophoro, tunc Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Miniſtro Generali aſſignavit.*

§. II. *Cum autem, ſicut accepimus, Fratres dicti Ordinis de Obſervantia nuncupati dubitent Domum ſeu Eccleſiam hujuſmodi, quæ dicti Ordinis exiſtit, & titulus Cardinalatus antea non fuerat, poſt dicti Chriſtophori Cardinalis ceſſum vel deceſſum, etiam aliis Cardinalibus loco tituli ſui aſſignari, quod in non modicum eorumdem Fratrum in dicta Domo degentium cederet præjudicium, ſi Cardinalis ipſe titularis in ipſa Domo reſidere vellet, prout contingere poſſet.*

§. III. *Nos igitur Fratres a tali timore & incommodo liberare, & ut Divinis laudibus quietiori animo inſiſtere valeant, ac eorum tranquillitati providere volentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, cum primum dictus Chriſtophorus Cardinalis fuerit vita functus, aut unam ex ſex Eccleſiis Epiſcopalibus, Cardinalibus dumtaxat aſſignari ſolitis, ſeu alium titulum Presbyteri Cardinalis aſſecutus fuerit, titulum de Aracœli hujuſmodi ſupprimimus & extinguimus, ac ſuppreſſum & extinctum fore decernimus, ſtatuentes quod de cetero Eccleſia ipſa de Aracœli in titulum Presbyteri aut Diaconi Cardinalis erigi non poſſit; decernentes & declarantes quaſcumque erectiones & alias quaſvis diſpoſitiones de dicta Eccleſia de Aracœli & illius Domo in titulum Cardinalatus, vel alias pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe, eſſe & eenſeri, ſicque per quoſcumque Judices & perſonas, quavis auctoritate & poteſtate fungentes, etiam ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales in quavis inſtantia ſententiari, judicari & definiri debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & decidendi facultate, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter fieri ſeu attentari contigerit. Non obſtantibus erectione prædicta ac aliis præmiſſis, necnon Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & quibuſvis aliis in favorem dictæ erectionis per eumdem Leonem prædeceſſorem forſan factis & conceſſis ac confirmatis, approbatis & iteratis vicibus innovatis, quibus, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, ad effectum præmiſſorum, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe, pelniſſime derogamus & derogatum eſſe volumus atque*

decer-

decernimus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVII. *Aprilis* MDXXVII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

§. IV. Licet autem, ipſo adhuc vivente prædeceſſore noſtro Clemente prædicto, per obitum dicti Chriſtophori Cardinalis, ſuppreſſioni & extinctioni dicti tituli, & aliis in præinſertis literis contentis locus ſuerit, nihilominus Nos uberiori dictorum Fratrum cautelæ & ſecuritati conſulere volentes, motu etiam proprio, & ex certa ſcientia, noſtris ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine titulum de Aracœli hujuſmodi ſuppreſſum & extinctum fuiſſe & eſſe, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium decernimus & declaramus, ac quatenus opus ſit, denuo ſupprimimus & extinguimus, denuo etiam eadem auctoritate ſtatuentes, quod de cetero Eccleſia ipſa de Aracœli in titulum Presbyteri aut Diaconi Cardinalis erigi non poſſit, ac decernentes & declarantes quaſcumque erectiones & alias quaſvis diſpoſitiones de dicta Eccleſia de Aracœli, & illius Domo in titulum Cardinalatus, vel alias forſan hactenus & pro tempore factas, nullas & invalidas, nulliuſque roboris vel momenti ſuiſſe & eſſe & cenſeri, ſicque per quoſcumque Judices & perſonas quavis auctoritate & poteſtate ſangentes, etiam ejuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales in quavis inſtantia ſententiari, judicari & deffiniri debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & decidendi facultate, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter fieri ſeu attentari contigerit.

§. V. Et inſuper cum Nos, qui ſingulis fere noſtri Pontificatus annis, præcipueque per eſtatem, ob ſalubriorem aerem Palatium ſancti Marci de Urbe, cujus Eccleſia etiam titulus Cardinalis exiſtit, inhabitare conſuevimus, aliud Palatium eidem Palatio ſancti Marci fere contiguum, in horto dictæ Eccleſiæ de Aracœli, magna cum impenſa noſtra & Cameræ Apoſtolicæ, tum ob eamdem aeris ſalubritatem, tum cauſa dictæ Eccleſiæ de Aracœli commodius viſitandæ ædificaverimus, & utrumque Palatium ad commodiorem tranſmeationem Ponte junxerimus, ne propter hæc aut a Titulari ſancti Marci, aut a Fratribus ſanctæ Mariæ Eccleſiarum hujuſmodi aliquid juris ſuper dicto Palatio per Nos ædificato prætendi poſſit, etiamſi ipſo facto voluntas noſtra ſatis demonſtrata fuerit, ad majorem tamen cautelam, auctoritate ac tenore prædictis, etiam decernimus & declaramus, noſtræ intentionis ſemper fuiſſe & eſſe, Palatium hujuſmodi pro noſtra & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum commoditate & uſu, non autem animo donandi, ſeu quod ædificium hujuſmodi ſolo cederet, vel ex conjunctione prædicta aut deſtinatione noſtra ad uſum Palatii ſancti Marci hujuſmodi conſtrui feciſſe, ac propterea dictum Palatium in horto ipſorum Fratrum per Nos edificatum, tamquam noſtra pecunia conſtructum, ad Nos & ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices pro tempore exiſtentes, non autem ad modernum aut pro tempore exiſtentem Cardinalem dictæ Eccleſiæ ſancti Marci titularem, nec ad dictos Fratres ſpectaviſſe aut ſpectare, ſicque per quoſvis Judices etiam dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis aliter judicandi facultate, judicari debere, ac irritum & inane quidquid ſecus a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, & quatenus opus ſit, motu ſimili, ac ex ſcientia & poteſtatis plenitudine prædictis perpetuum ſilentium præſenti & futuris ſancti Marci titularibus Cardinalibus, ac Fratribus ſanctæ Mariæ de Aracœli prædictis ſuper dicto Palatio ac illius ſolo imponimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis, indultis & literis Apoſtolicis

tam ſancti Marci pro tempore exiſtentibus titularibus Cardinalibus, quam Fratribus ſanctæ Mariæ de Aracœli prædictis, & eorum Ordini conceſſis, confirmatis & innovatis, etiam mare magnum & Bulla Aurea nuncupatis, quibus illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ad effectum præſentium derogamus, ac omnibus illis, quæ dictus Clemens prædeceſſor in ſuis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVIII. Februarii MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LIV.

Contra quoſdam Fratres abſque Superiorum facultate vagantes. Ex Regeſto Ciſinontano fol. 117. ad 119.

Venerabilibus Fratribus, univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Locorum Ordinariis, & cujuslibet eorum in ſpiritualibus Vicariis generalibus.

§. I. DUdum poſtquam fel. recordationis Pius II. & Paulus etiam II. ac Sixtus IV. & Innocentius VIII. Romani Pontifices prædeceſſores noſtri inter alia ſtatuerant & ordinaverant, quod ex tunc de cetero quicumque recepiſſet aliquem ex Minorum Ordinis Fratribus a ſuorum Prælatorum obedientia quomodolibet ſe ſubtrahentem, tam recipientes ipſi, quam ſic receptus, eo ipſo excommunicationis, aliaſque Eccleſiaſticas ſententias, cenſuras & pœnas in ipſorum Prædeceſſorum reſpective literis contentas incurrerent, certis ad id per eos exequtoribus deputatis. Et deinde per piæ memoriæ Leonem Papam X. etiam Prædeceſſorem noſtrum, accepto, quod nonnulli ex dicti Ordinis Fratribus quaſcumque ægritudines, ac corporum animorumque ſuorum paſſiones ſimulantes, alii ſubveniendi parentum inopiæ quæſito colore, alii vero ad ſtudiorum Univerſitates, abſque ſuorum Prælatorum licentia, ſeu illa revocata, accedere, ac inibi morari, ac quod deterius erat, privilegiis univerſitatibus hujuſmodi illarumque ſcholaribus conceſſis, ut inibi liberius permanere poſſent, ſe tueri: alii vero propriæ ſalutis obliti, Apoſtolicas, in quibus ſe profeſſionem, aut numquam, aut infra pubertatis annos, ſeu per vim & metum, vel alias, nulliter emiſiſſe aſſerentes, literas impetrare, abjectoque habitu per habitacula ſecularium Perſonarum, & quæcumque loca inhoneſta diſcurrendo, cum laicis converſari non verebantur: alii vero ſub prætextu habilitatis ſeu diſpenſationis ad obtinendum Eccleſiaſtica beneficia per Clericos ſeculares obtineri ſolita, per literas Apoſtolicas ſibi conceſſas; nonnulli quippe alicujus ex S. R. E. Cardinalibus, aliorumque Prælatorum Eccleſiaſticorum familiaritatis literas exhibebant, & extra Ordinem & obedientiam ſuorum Superiorum, in parentum & conſanguineorum, aliiſque privatis domibus & locis, retento etiam dicto habitu, morari & permanere, ac beneficiis Eccleſiaſticis in Divinis inſervire, aliaſque libere per ſeculum vagari præſumebant.

§. II. Idem Leo ad ſupplicationem tunc Generalis, ac univerſorum Provincialium Miniſtrorum, Cuſtodum & Guardianorum Ordinis hujuſmodi de Obſervantia nuncupatorum, ſimiliter ſtatuerat & ordinaverat, quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus Fratres prædicti, ægritudinis, ſeu ſubveniendi parentum inopiæ, ſeu quavis alia occaſione vel cauſa, etiam reſpectu ſtudii, aut diſpenſationis ad obtinenda beneficia hujuſmodi, Apoſtolica, ſeu quavis alia auctoritate ſibi conceſſa, niſi beneficia ipſa actu obtinuiſſent, ſeu familiaritatis alicujus ex dictis Cardinalibus vel aliis Prælatis, præ-

præterquam ſi actu ejuſdem Leonis continui commenſales forent, extra prædictum Ordinem, præterquam vel abſque ipſorum licentia & mandato, & eo durante, etiam de licentia Sedis Apoſtolicæ, etiam prætextu quarumcumque facultatum, indultorum & aliarum litterarum Apoſtolicarum quibuſvis Univerſitatibus conceſſarum, ſine ipſorum conſenſu commotari non poſſent. Quodque unuſquiſque ipſorum in ſua Provincia, dum & quoties opus foret, quoſcumque Fratres extra Ordinem prædictum, quavis occaſione alioque modo vagantes, ad dictum Ordinem invitus recludendos cogere & compellere deberent: in aliis quippe aſſerentibus ſe profeſſionem numquam, aut infra pubertatis annos, vel per vim & metum, aliaſque nulliter & de facto emiſiſſe, quod literæ ab eis deſuper obtentæ, quantumcumque rite & recte impetratæ forent, in foro conſcientiæ dumtaxat, & non in foro contentioſo, nec contra Religionis jura, conſuetudinem ac voluntatem valerent, eiſdem Miniſtris, Cuſtodibus, Vicariis ac Guardianis in virtute ſanctæ obedientiæ mandando, ut Fratres ſuos fugitivos, cujuſcumcumque eſſent conditionis, qui ab obedientia hujuſmodi, dimiſſo vel retento dicto habitu, receſſerant, niſi ad arctiorem Regulam, ubi actu obſervanter viverent, tranſiiſſent, diligenter requirerent, eoſque ad Ordinem, ac Ordinis loca hujuſmodi revocarent, & ſuarum exemptionum Bullas ab eis auferrent, habitumque ſacrilege derelictum reaſſumere, ac Divino cultui, & propriæ ſaluti perpetuo vacare cogerent, invocato etiam ad hoc, ſi opus foret, auxilio brachii ſecularis: Decernentes motu proprio, & ex certa ſcientia, ut Fratres Apoſtatæ hujuſmodi, niſi poſt monitionem ac requiſitionem ſibi factas, infra dies octo immediate ſequentes, ad ſuorum Prælatorum obedientiam rediiſſent, habitumque perpetuo geſtantes reaſſumpſiſſent, excommunicationem latæ ſententiæ eo ipſo incurrerent. Quodque in quibuſcumque impetrationibus tam ſupplicationum, quam literarum, ſive ſub annulo Piſcatoris, aut ſub plumbo, vel per Pœnitentiariam ſimpliciter & abſolute, ad ipſorum Fratrum inſtantiam, vel motu ſimili conceſſis, aut impoſterum concedendis, ſemper & indifferenter ſubintelligeretur hujuſmodi clauſula; videlicet de licentia Superioris, & ea durante, atque literas prædictas hujuſmodi clauſula carentes, nullas nulliuſque roboris vel momenti fore, in illiſque indifferenter, etiamſi non fuiſſet appoſita, eam ſemper tacite ſubintelligi debere.

§. III. Cum pro parte dilecti filii Vincentii Lunelli, tunc Miniſtri Generalis Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, fuiſſet Nobis expoſitum, quod nonnulli Fratres Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, ſub prætextu diverſarum literarum, per eos a Nobis, ſeu Majori Pœnitentiario noſtro ſubreptitie & obreptitie extortarum, ab obedientia ſuorum Superiorum ſe ſubtrahebant, & habitu dicti Ordinis dimiſſo, ſeu & quocumque retento, per Provincias, in quibus ſub antiqua obedientia viſi & verſati fuerant, ſoli vagabantur, aliaque eorum profeſſioni minime convenientia faciebant: Nos ad ſupplicationem ipſius Miniſtri Generalis, vobis per alias noſtras literas commiſimus & mandavimus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum per vos vel alium ſeu alios, vocatis ſua intereſſe putantibus, ſingulas literas hujuſmodi ſuper earum ſubreptione vel obreptione, aut intentionis defectu cognoſcentes, diligenter examinaretis, & quoties illas ex ſubreptione vel obreptione, aut intentionis defectu hujuſmodi nullitatis vitio reperiretis, eoſdem Fratres inobedientes & contumaces, ad obedientiam antiquam, auctoritate noſtra revocare & reducere curaretis, non permittentes aliquos ex ipſis Fratribus, qui prætextu literarum a Nobis, etiam in forma Brevis, aut Pœnitentiario noſtro præfato pro tempore extortarum, ab obedientia

Superiorum ſuorum ſe ſubtraxerant, ſi habitum Ordinis prædicti dimiſerunt, in locis, in quibus ſub hujuſmodi habitu viſi fuerant, reſidere, & ſi habitum ipſum geſtarent, ubicumque fuiſſent, aliquod ſignum, per quod ab aliis Fratribus ſub hujuſmodi obedientia manentibus, dignoſcerentur, deferre cogeretis: necnon Generali & Provincialibus Magiſtris pro tempore exiſtentibus, & aliis dicti Ordinis Fratribus Conventualibus nuncupatis, ne aliquos Fratres regularis Obſervantiæ hujuſmodi, abſque Prælatorum ſuorum ſpeciali licentia in ſcriptis habita, in eorum domibus & locis reciperent vel retinerent, diſtrictius inhibendo mandaretis, eoſque, ut ſi aliquos jam recepiſſent, illos infra aliquem comptentem terminum remittere deberent, moneretis & requireretis, aliaque tunc expreſſa faceretis & adimpleretis, prout in eiſdem noſtris & ſingulis aliis ipſorum Prædeceſſorum reſpective literis plenius continetur.

§. IV. Cum autem, ſicut nuper accepimus, a certo tempore citra nonnulli ex Fratribus dicti Ordinis, aſſerentes ſe ex certis legitimis cauſis forſan tunc expreſſis, non poſſe cum aliorum ſuorum quiete in dicto Ordine ulterius permanere, eorum aliqui ad Fratres Hoſpitalis noſtri ſancti Spiritus in Saxia de Urbe, alii vero ad Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini, ſeu alios etiam laxioris vitæ Ordines, Apoſtolica auctoritate translati, ſuorum Prælatorum licentias ad vivendum & permanendum extra clauſtra, libere ubilibet, quibuſcumque precibus ac muneribus & donis redimentes, ac proprium habitum latenter ſub indumentis ſecularibus deferentes, per ſeculum, quibuſcumque in Provinciis & locis, ubi ſub obedientia Superiorum dicti Ordinis viſi & verſati fuerant, publice vagari, & quod deterius eſt, etiam nonnullæ Moniales & Sorores, olim ſub eorumdem Fratrum reſpective obedientia degentes, ſub prætextu ſimilium vel diſſimilium privilegiorum, exemptionum & indultorum, ab obedientia ſuorum Superiorum ſe ſubtrahendo, extra clauſtra in parentum vel conſanguineorum, aut aliis privatis domibus, liberam & quamcumque inhoneſtam vitam ducere non erubeſcant, in animarum ſuarum perniciem, Religionis opprobrium, ac Dei contemptum, ac ſcandalum plurimorum,

§. V. Nos, qui Paſtoris æterni vices, licet immeriti, in terris gerimus, cupientes gregem Nobis Divina diſpoſitione creditum, ſecundum propriam cujuſque vocationem, ad ſuum ovile reduci facere, ſingularum literarum prædictarum tenores, perinde ac ſi de verbo ad verbum, nil penitus omiſſo, præſentibus inſerti & adnotati forent, pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vobis & veſtrum ſingulis per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos & quilibet veſtrum, quoties pro parte alicujus ex Domorum ſeu Provinciarum hujuſmodi Cuſtodibus, Guardianis & eorum pro tempore Vicariis ac Præſidentibus fueritis requiſiti, ſi aliquæ literæ Apoſtolicæ, ſive ſub annulo Piſcatoris aut ſub plumbo, vel per Pœnitentiariam aut alias, ſuper præmiſſorum aliquo, tam ad ipſorum Fratrum, quam ad Monialium vel Sororum, ſeu aliorum pro eis inſtantiam, ſingula præmiſſa concernentes, aut aliqua alia dicti Ordinis Regularibus Inſtitutis quomodolibet derogantia ſeu repugnantia in ſe continentes, etiamſi illis clauſula, videlicet de licentia Superiorum petita & obtenta, appoſita non reperiatur, a Nobis vel Prædeceſſoribus noſtris ſeu Sede prædicta, aut illius pro tempore Pœnitentiario, etiam motu ſimili, & cujuſvis etiam Imperatoris, Regum, Ducum, Marchionum & Comitum, ſeu aliarum utriuſque ſexus Perſonarum intuitu vel contemplatione, ſub

qua-

quacumque verborum formula, etiam ſuper quibuſcumque ſupplicationibus, quomodocumque pro tempore emanatæ ſeu impetratæ fuerint, ipſas ac in eis contenta quæcumque, vocatis quorum intereſt, ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ac ſola facti veritate inſpecta, diligenter examinetis, & illis minus veris aut inſufficientibus compertis, literas prædictas tamquam ſubreptitias & obreptitias, ac intentionis defectui ſubjacentes, eum omnibus inde ſequutis, nullas & invalidas fuiſſe & eſſe, illaſque eiſdem impetrantibus minime ſuffragari debere, auctoritate & tenore prædictis, declaretis; ipſoſque Fratres, Moniales vel Sorores, quos falſo impetraſſe, aut literis ſibi, ut præfertur, conceſſis, non juxta illarum tenorem, nec ut decet, uti reperiretis, ablatis ab eis dictis literis, capi, & ad eorum reſpective domos & Monaſteria propria omnino redire manu exequtiva cogatis.

§. VI. Alioquin cauſis hujuſmodi veris & per vos comprobatis, quatenus ipſi Fratres, Moniales vel Sorores, retento eorum habitu, extra obedientiam vivere maluerint, Fratres videlicet, ut alium prorſus diſtinctum habitum diverſorum ſciſſuræ, longitudinis & latitudinis ac caputii deferre, Moniales autem vel Sorores, velum in ſua Profeſſione aſſumptum & tunicam ac cingulum, aliaſque arbitrio veſtro, ſub excommunicationis majoris latæ ſententiæ, quas Nos ex nunc prout ex tunc, & e contra in eos & eorum ſingulos, tamquam in Apoſtatas, ſi contraſecerint, auctoritate & tenore præmiſſis, ferimus & promulgamus, tam extra, quam intus Domum & publice dimittere teneantur, eadem auctoritate noſtra ſtatuatis & ordinetis.

§. VII. Et inſuper univerſis & ſingulis utriuſque ſexus tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus Perſonis, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentibus, ne abſque conſenſu Miniſtrorum Provincialium aut Guardianorum Domorum prædictarum, in eorum Eccleſiis ſeu Domibus, dictos Fratres, Moniales vel Sorores extra Ordinem & Prælatorum ſuorum obedientiam viventes, habitum Ordinis hujuſmodi geſtantes retinere præſumant, prætexu aliquarum literarum Apoſtolicarum, ſub excommunicationis aliiſque ſententiis, cenſuris & pœnis arbitrio veſtro imponendis, quas contrafacientes, eo ipſo, non expectata alia declaratione aut conſultatione noſtris, incurrere volumus, dictrictius inhibendo mandetis: Contradictores quoslibet & rebelles per eaſdem cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, decernentes præſentes literas, ſub quibuſcumque revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, reſtrictionibus & modificationibus nullatenus comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, ac quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas & plenarie reintegratas fuiſſe & eſſe, Sicque per quoſcumque Judices, etiam Palatii noſtri Apoſtolici cauſarum Auditores judicari, definiri & interpretari debere, ſublata eis & eorum cuilibet aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate: irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper his, a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, etiam ſub plumbo aut in forma Brevis, vel per Pœnitentiariam aut alias, tam prædictis Fratribus, aut Monialibus vel Sororibus reſpective, quam etiam ſcholarium & oppidorum Univerſitatibus, hoſpitalibus, capitulis, collegiis, etiam Regum, Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, aliorumque tempora-

ralium Dominorum, necnon Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, aliorumque inferiorum Prælatorum Eccleſiaſticorum intuitu ac contemplatione, etiam libertates, immunitates, exemptiones ipſorum utriuſque ſexus Religioſorum, quomodolibet concernentibus, cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus & efficacioribus ac inſolitis clauſulis irritantibus, & aliis decretis ſub quacumque verborum forma, etiam motu & ſcientia ſimilibus pro tempore conceſſis, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint: Quibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus & datis, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, & non per clauſulas generales idem importantes, mentio fieri deberet; illorum tenores & formas præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, motu & ſcientia ſimilibus, hac vice dumtaxat, ſpecialiter & expreſſe harum ſerie derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VIII. Harum autem literarum tranſumptis, manu Notarii publici & alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo munitis, non minorem fidem adhiberi volumus, quam ſi præſentes eſſent originaliter exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Aprilis MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LV.

Decernit Fratres Conventus Mutinenſis pro quadam ſolutione facienda non amplius moleſtari. Ex Regeſto Ciſmontano pag. 116.

BEATISSIME PATER.

§. I. CUm alias ex certis cauſis tunc expreſſis, in domibus & horto parochialis Eccleſiæ ſanctæ Margaritæ Mutinen. una domus Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Bononiæ, juxta morem dicti Ordinis, ſub invocatione ſanctarum Cæciliæ & Margaritæ, cum clauſtro, refectorio & dormitorio, horto, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione nonnullorum ipſius Ordinis Profeſſorum, qui ſub regularibus inſtitutis Altiſſimo exhiberent famulatum, dummodo ſolum ſeu fundum, in quo altera dictorum Fratrum Domus demolita extra muros Mutinen. conſiſtebat, ac illius hortum ſeu hortos, aut eorum loca, localia, bona ſtabilia valoris mille ſcutorum, ex pretio ipſius ſoli ſeu fundi, ac hortorum, aut alias habendorum emenda & requirenda, Eccleſiæ ſeu Oratorio ſancti Joannis Baptiſtæ de Corceo, territorii campi, Mutinen. diœceſis, perpetuo applicarentur & appropriarentur, auctoritate Apoſtolica erecta fuerit & inſtituta, ſeu conceſſa & aſſignata, prout in literis deſuper confectis plenius continetur.

§. II. Cum autem tunc temporis non invenirentur aliqua bona ſtabilia, ſaltem quoad utilitatem dictæ Eccleſiæ ſeu Oratorii commodum, cum nec Miniſter & Fratres pecuniam penes ſe aliquam retinere poſſent, donec emptionis hujuſmodi caſus eveniret, Miniſter & Fratres prædicti, ad inſtantiam cujuſdam Joannis Antonii Bonini, tunc dictæ Eccleſiæ ſeu Oratorii Rectoris exiſtentis, certam hujuſmodi mille ſcutorum partem, videlicet trecentos & triginta tres ſcutos cum dimidio vel circa, penes quamdam Perſonam per ipſum Rectorem electam, tunc temporis, ut ab omnibus dicebatur, fide & facultatibus idoneam, depoſuerunt, ſeu deponi fecerunt, qui quidem Depoſitarius ſe dicto Rectori ad omnem ſuam ſimplicem requiſitionem, ad

eſſe-

effectum emptionis hujuſmodi ſeu translationis depoſiti in aliam Perſonam, tamquam ab ipſo Rectore, nomine Eccleſiæ ſuæ receptos, bene & fideliter reſtituere & conſignare obligavit; dictus vero Joannes Antonius tunc Rector exiſtens, prædictum Miniſtrum & Fratres ſuo, Eccleſiæ ſuæ, & Succeſſorum ſuorum nomine quietavit & liberavit, aſſerens ſe ſuo & prædictorum nomine de dicta ſumma contentum & ſatisfactum fore & eſſe, obligans ſe & ſucceſſores præfatos, & Eccleſiam prædictam amplius dictam pecuniam non petituros, volens dicto nomine in eventum contraventionis, ad damna & intereſſe dictis Miniſtris & Fratribus teneri, prout in inſtrumento deſuper confecto plenius continetur.

§. III. Cum autem, Pater Sancte, ex dd. trecentis & triginta tribus ſcutis cum dimidio nulla unquam bona ſtabilia per d. Rectorem fuerint empta ſeu comparata, imo quod deterius eſt, dicti depoſitarii hac vita jam defuncti, adeo iniqua & deterior fuerit effecta conditio, ut ex ejus hæreditate, ut aſſeritur, prædicta ſumma recuperari non poſſe credatur. Et licet a prædicto Miniſtro & Fratribus de dicta ſumma ad præſens nil petatur, quia Rector dictæ Eccleſiæ ſeu Oratorii S. Joannis Baptiſtæ nunc exiſtens filius d. depoſitarii, ut aſſeritur, exiſtit & hæres: tamen quia a nonnullis aſſeritur, d. Fratres adhue ad dictam ſummam teneri, ne ab aliis Rectoribus, qui poſtea in dicta Eccleſia ſeu Oratorio pro tempore ſucceſſerint, dicti Fratres moleſtari poterunt; & ne Monaſterium prædictum hujuſmodi onere ſemper gravatum exiſtat, ad omne igitur dubium tollendum dignetur S. V. Epiſcopo Mutin. vel ejus in ſpiritualibus Vicario ſeu officiali, quatenus conſulto ſibi de præmiſſis, & quod per præfatos Miniſtrum & Fratres non ſtetiſſe, quominus bona illa ſtabilia emerentur, perſonamque depoſitarii tunc temporis fide & facultatibus idoneam fuiſſe, omneſque diligentias prædictos Fratres adhibuiſſe, ut omnia ſupradicta adimplerentur, attenta dictorum Fratrum paupertate, & quod vix ex eleemoſynis quotidianis ſuſtentari valeant, eoſdem & Monaſterium præfatum ad dictam ſummam ulterius non teneri nec obligatos fore, nec deſuper ullo unquam tempore, ad Rectoris nunc & pro tempore ejuſdem Eccleſiæ ſeu Oratorii ſancti Joannis Baptiſtæ exiſtentis, aut cujuſvis alterius inſtantiam moleſtari vel impediri aut perturbari poſſe ſeu debere, auctoritate Apoſtolica declaret; vel ſaltem prædictum Joannem Antonium Boninum, tunc ipſius dicti Oratorii Rectorem, ad cujus inſtantiam depoſitum factum fuerit, juxta formam inſtrumenti vel obligationis deſuper confectæ, prout juris fuerit, condemnet, condemnatumque per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, ad ſolutionem dictorum trecentorum & triginta trium ſcutorum cum dimidio, prout juris, compellat & conſtringat, committere & mandare, cum omnibus & ſingulis inciden. dependen. emergen. annexis & connexis, audien. cognoſcen. fineque debito terminandi, etiam ſimpliciter & de plano, cum poteſtate citandi Joannem Antonium, omneſque alios & ſingulos, ſua communiter vel diviſim intereſſe putantes, tam in decreto, quam exequtione & citatione, præſentium vigore decernentes: nominandi etiam per edictum publicum, conſtito ſummarie & extrajudicialiter de non tuto acceſſu, aliaque in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna facien. geren. & exequen. ſub cenſuris prædictis, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, dummodo non ultra tres, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque quibuſcumque quomodolibet in con-

contrarium facien. cum clauſulis opportunis & conſuetis.

Conceſſum, ut petitur.

In præſentia Domini noſtri Papæ..... *B.Cardin. Guidicionus*. Hac ſupplicatione introcluſa, & de commiſſione conceſſa. *B.Cardinalis Guidicionus*.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum IV. Idus Aprilis MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LVI.

Generali Capitulo præſidere, ac vota juxta facultatem ſupplere Generalem Magiſtrum decernit. Ex Vaticano ſecretiori Tabulario.

Dilecto filio Bonaventuræ Pio Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Profeſſori, & totius ipſius Ordinis Generali Magiſtro.

§. I. CUm, ſicut dilectus filius noſter Rodulphus tituli ſanctæ Mariæ Tranſtiberim Presbyter Cardinalis de Carpo nuncupatus, & tui Ordinis apud Nos Protector Nobis nuper expoſuit, Capitulum Generale dicti tui Ordinis hoc anno Venetiis in feſto Pentecoſtes celebrandum ſit; Nos cupientes ſingulas electiones in eo faciendas, ac omnia & ſingula alia in eo ſtatuenda & decernenda rite & recte fieri, ſtatui & decerni, ac cujuſvis nullitatis prætextu impugnari non poſſe, ipſius Rodulphi Cardinalis & Protectoris ſupplicationibus inclinati, tibi, quod eidem Capitulo, auctoritate noſtra præeſſe, ac omnia & ſingula vota, quæ in eodem Capitulo forſan deerunt, juxta facultates tuis in dicto Magiſteriatus officio Prædeceſſoribus in Capitulis, primo eorum Magiſteriatus triennio pro tempore celebratis, concedi ſolitas, ſupplere, ac cetera, quæ Præſidentes Capitulis hujuſmodi facere & exequi poſſunt & debent, facere & exequi libere & licite valeas, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, de ſpeciali gratia concedimus & indulgemus, ac pro potiori cautela te ejuſdem Capituli nomine noſtro Præſidentem, auctoritate & tenore prædictis facimus, conſtituimus & deputamus, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XI. Aprilis MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LVII.

Inquiſitoribus prohibet ne contra Fratres de Obſervantia procedant, ſed eos ad Prælatorum Ordinis judicium remittant. Ex Vat. Secr. Tabul.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. ROmani Pontificis providentia circumſpecta, ea quæ per Sedem Apoſtolicam, pro Religioſarum perſonarum tranquillitate & quiete provide ſtatuta & ordinata noſcuntur, ut illibata perſiſtant, Apoſtolico conſuevit munimine roborare, ac alias deſuper providere, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire.

§. II. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius frater Antonius de ſancto Michaele Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ in noſtra Curia ejuſdem Ordinis Commiſſarius, quod licet per felicis recordationis Cle-

Clementem IV. Sixtum etiam IV. Innocentium VIII. ac Leonem X. Romanns Pontifices prædeceſſores noſtros Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, tam Apoſtolica, quam Ordinaria auctoritatibus, in quibuſvis mundi partibus, præſertim Hiſpaniarum Regnis & dominiis deputatis, ſub certis Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis expreſſe inhibitum fuerit, ne prætextu quarumcumque facultatum, & literarum Apoſtolicarum ipſis, ac officio eorum, cum quibuſvis clauſulis quantumcumque fortiſſimis, efficaciſſimis & inſolitis conceſſarum, contra Fratres dicti Ordinis quomodolibet procedere, vel de illis directe vel indirecte quovis quæſito colore ſe intromittere auderent. Præfatus Leo Papa prædeceſſor eiſdem Inquiſitoribus, ne contra dictos Fratres, ſe, ut præfertur, intromitterent, ſed ſi forſan aliquid eatenus contra eos egiſſent, eos capiendo, vel alia faciendo, Fratres ſic captos, ac quoſcumque proceſſus habitos, & ſcripturas deſuper confectas eorumdem Fratrum Superioribus, ut per eos caſtigari deberent, traderent, etiam mandavit, prout in eorumdem Prædeceſſorum deſuper confectis literis, quarum tenores præſentibus pro inſertis ac ſufficienter expreſſis haberi volumus, plenius continetur.

§. III. Nihilominus nonnulli ex dictis Inquiſitoribus in Regno Hiſpaniæ conſtituti, literis & mandatis Apoſtolicis hujuſmodi contemptis, in magnam dicti Ordinis turbationem & ſcandalum plurimorum, contra eoſdem Fratres procedere, eoſque carceribus mancipare non verentur.

§. IV. Quare pro parte ipſius Antonii de ſancto Michaele Commiſſarii, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Nos igitur qui Ordinem præfatum propter uberes fructus, quos in agro militantis Eccleſiæ hactenus attulit, & in dies afferre non ceſſat, ſpeciali dilectione proſequimur, illius privilegiorum conſervationi conſulere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas Prædeceſſorum hujuſmodi, ac prout illas concernunt, omnia & ſingula in eis contenta auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia, tenore præſentium confirmantes & approbantes, ac perpetuæ firmitatis robur habere decernentes, univerſis & ſingulis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis hujuſmodi per Sedem præfatam, vel alias quomodolibet deputatis, ſeu impoſterum deputandis, in præfato Regno Hiſpaniæ, vel alibi per univerſum Orbem conſiſten. cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtant & fuerint, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub excommunicationis & ſingulorum beneficiorum, quæ obtinent, & inhabilitatis ad illa, & alia impoſterum obtinenda, aliiſque cenſuris & pœnis in hujuſmodi Prædeceſſorum literis contentis, quas contrafacientes eo ipſo incurrere volumus, auctoritate & tenore ſimilibus diſtricte præcipimus & mandamus, ne de cetero contra quempiam dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſorem, quovis modo directe vel indirecte, contra dictarum literarum tenorem procedere vel ſe intromittere, aut hujuſmodi Inquiſitionis officium exercere præſumant.

§. VI. Et ſi quos forſan ejuſdem Ordinis profeſſores capere, ſeu carceribus mancipare hucuſque præſumpſerint, Fratres ipſos ſic captos, juxta tenorem prædictum remittant, & nihilominus univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, & dilectis filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis Generalibus, ceteriſque perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, ſimiliter committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel eorum aliqui per ſe, vel alium ſeu alios, qui deſuper pro parte alicujus profeſſoris dicti Ordinis pro tempore fuerint requiſiti, eiſdem requirentibus in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, literas Prædeceſſorum hujuſ-

modi & noſtras ſolemniter publicari, necnon omnia & ſingula in eis contenta ab omnibus & ſingulis firmiter & inviolabiliter obſervari faciant, non permittentes aliquid per quoſcumque, quacumque dignitate, præeminentia & auctoritate fungentes, contra eorumdem Prædeceſſornm, & noſtrarum literarum hujuſmodi tenorem quomodolibet attentari.

§. VII. Et ſi quos ex his eas cenſuras & pœnas hujuſmodi Prædeceſſorum, & noſtris literis & mandatis prædictis non parendo, incurrere conſtiterit, excommunicatos & privatos publice nuntient, ſeu enunciari, & ab omnibus evitari, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras ipſas, iteratis vicibus aggravare faciant. Contradictores quoslibet & rebelles per eaſdem cenſuras Eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac ſanctæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & in Concilio Generali de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas, quis vigore præſentium ad judicium non trahatur, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus his, quæ Prædeceſſores præfati in ſingulis literis prædictis voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis, ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſignatis, & manu alicujus publici Notarii ſubſcriptis, eadem prorſus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ originalibus ipſis adhiberetur, ſi ſorent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xv. Aprilis mdxlvi. Pontificatus noſtri anno xii.

LVIII.

Frater Octavianus Præconius Monopolitanus Epiſcopus renunciatur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

PAULUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Octaviano Præconio Electo Monopolitan. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Apoſtolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, Divina diſpoſitione præſidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales ipſis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias velint & valeant, auctore Domino, in ſpiritualibus & temporalibus ſalubriter regere, & feliciter gubernare.

§. II. Sane Eccleſia Monopolitan. quæ Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta, & de jurepatronatus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, qui etiam utriuſque Siciliæ Rex exiſtit, ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliqoo derogatum, fore dignoſcitur, & cui bonæ memoriæ Theodorus Epiſcopus Monopolitan. dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Theodori Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta; Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, & ad proviſionem ejuſ-

ejuſdem Eccleſiæ celerem & felicem, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, ac etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Minorum & Theologiæ profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, vitæ munditia, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicum virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum, quem dictus Carolus Imperator Nobis ad hoc per ſuas literas præſentavit, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ, ſuper cujus menſæ Epiſcopalis fructibus, redditibus & proventibus penſio annua trecentorum ducatorum auri de Camera venerabili fratri noſtro Joanni Riccio Epiſcopo Cluſin. illam ex diſpenſatione Apoſtolica annuatim percipienti, dicta auctoritate reſervata exiſtit, quam ſalvam eſſe volumus, tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

§. III. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLVI. XVI. Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno XII.

LIX.

Raguſinæ Provinciæ Ordinis Minorum de Obſervantia viſitationem & correctionem Generali Miniſtro injungit. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio Joanni Calvo Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum Miniſtro Generali.

SUpplicarunt Nobis inſtanter dilecti filii Communitas Raguſin. ut te ad viſitandum Provinciam Raguſin. tui Ordinis de Obſervantia pro Dei, & beati Franciſci honore, ac tui Ordinis prædicti ſalubri directione, & ipſius Communitatis ſpirituali conſolatione mittere vellemus, in quo, licet ex cauſis prædictis cupiamus illis complacere, tamen te a Concilio Tridentino, in quo permanes, ob hoc amovere nolentes, precibus dictæ Communitatis, quam Sedis Apoſtolicæ devotam paterne diligimus, inclinati, tibi in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut interim unum vel duos ex tuis Fratribus ad hoc idoneos Raguſiam deſtines, hoc munus viſitationis tuo nomine executuros, poſt finitum autem Tridentinum Concilium, tu ipſe perſonaliter id onus navigationis ad illos, & viſitationis tuæ Provinciæ ſuſcipias & exequaris, quod erit tuo officio dignum, & Nobis gratum.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XVI. Julii MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LX.

Electionem fratris Benaventuræ Coſtacciarii Ordinis Minorum Conventualium in Generalem Magiſtrum renunciati approbat & confirmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Bonaventuræ Coſtacciario Ordinis Fratrum Minorum Conventualium profeſſori, & ipſius Ordinis Generali Magiſtro.

§. I. CUm, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, tu, qui triennio proxime præterito Ordini Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, ut Generalis illius Magiſter præfuiſti, in Capitulo Generali dicti Ordinis, quod hoc anno de conſenſu noſtro in Civitate Venetiarum celebratum extitit, poſtquam officio Generalis Miniſtri hujuſmodi ſponte & libere ceſſeras, communi omnium in eo vocem habentium conſenſu, in Generalem Magiſtrum ipſius Ordinis ad triennium proxime futurum de novo electus fueris, Nos electionem hujuſmodi, quam præfato Ordini proficuam & utilem fore ſperamus, ratam & gratam habentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, electionem eamdem, ac prout illam concernunt, omnia & ſingula in ſcripturis deſuper confectis contenta, & inde ſecuta quæcumque Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac plena roboris firmitate ſubſiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, & ab omnibus inviolabiliter obſervari debere, ac te tamquam dicti Ordinis Magiſtrum Generalem omnes & ſingulas ad officium Magiſtri hujuſmodi de jure vel de conſuetudine, aut alias quomodolibet ſpectantes & pertinentes, & per alios, qui hactenus dicti Ordinis Magiſtri Generales fuerunt, exerceri ſolitas facultates, auctoritates & poteſtates habere & exercere poſſe decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, necnon literis felicis recordationis Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri unionis & concordiæ Fratrum Ordinis hujuſmodi nuncupatis, quibus caveri dicitur expreſſe, quod Generalis & Provinciales Magiſtri dicti Ordinis confirmationem, electionum ſuarum a Miniſtris Fratrum dicti Ordinis de Obſervantia nuncupatorum, prout antea Generalis & Provinciales Vicarii prædicti Ordinis a Miniſtris Fratrum ejuſdem Ordinis Conventualium nuncupatorum petere tenebantur, quibus illarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, ad effectum præſentium dumtaxat, hac vice tantum derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. II. Quocirca univerſis & ſingulis dicti Ordinis Conventualium profeſſoribus, quacumque auctoritate & præeminentia fungantur, quatenus tibi tamquam vero & indubitato eorum Magiſtro Generali obedientiam & reverentiam debitas & conſuetas exhibeant, tibique in omnibus pareant & intendant, tibi vero per præſentes mandamus, quatenus officium hujuſmodi tibi de novo commiſſum ita continues, quod Ordo ipſe & illius perſonæ, ac loca ſub tuo felici regimine in ſpiritualibus & temporalibus vitiva in dies ſuſcipiant incrementa, tuque exinde apud Nos & Sedem Apoſtolicam valeas non immerito commendari.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XXVIII. Julii MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LXI.

LXI.

Salandrienſis Cœnobii Ordinis Minorum de Obſervantia fundandi facultas.
Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Baſilicatæ juxta morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod dilecti filii Franciſcus Revertera Dominus Terræ Salandriæ, Tricaricenſis Diœceſis, & ejuſdem Terræ Communitas & habitatores, ob ſingularem devotionis affectum, quem ad Ordinem veſtrum Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ gerunt, & uberes animarum fructus, quos ex veſtra exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, Domum extra & prope dictam Terram, ſub invocatione ſancti Franciſci, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, aliiſque neceſſariis officinis, necnon hortis & hortalitiis pro perpetuia uſu & habitatione eorumdem Fratrum veſtræ Regularis Obſervantiæ conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere intendunt. Proinde Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis Domum prædictam recipiendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſimum temporibus ubique propagari deſideramus, & votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus promfectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo confovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut Domum præfatam, poſtquam, ut præfertur, conſtructa & ædificata fuerit, recipere ac retinere & inhabitare, quodque Domus prædictæ Guardiani & Fratres in ea exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus & immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus Ordini & Obſervantiæ prædictæ ejuſdem Domibus & Conventibus hactenus conceſſis & impoſterum concedendis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure Parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus.

§. III. Felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & ordinationibus, ac dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, etiamſi de illis hic habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die xv. Auguſti MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LXII.

Moniales Tertii Ordinis ſancti Franciſci a decimarum & primitiarum præſtatione immunes reddit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Ad futuram rei memoriam,

§. I. SOlet Romanus Pontifex, exemptionum, immunitatum aliarumque gratiarum largus diſpenſator, per ejus providam circumſpectionem hujuſmodi largitates, ac privilegia & indulta a ſe & Prædeceſſoribus ſuis emanata, quoties in alicujus præjudicium redundaſſe comperitur, illa plerumque tollendo aut revocando, quandoque vero moderando, reſtringendo & reformando, ſuæ declarationis oraculo interpretari, prout negotiorum qualitate, & temporum conditione inſpectis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

§. II. Dudum poſtquam olim felicis recordationis Sixtus Papa IV. prædeceſſor noſter inter alia ſtatuerat & ordinaverat, quod Abbatiſſæ & Moniales ſancti Damiani & Minoriſſæ ſanctæ Claræ Ordinis ejuſdem Sanctæ, Monaſteriorum ſub cura Generalis Miniſtri, aliorumque Officialium Ordinis Fratrum Minorum ubilibet conſtitutorum, de quibuſvis Terris & poſſeſſionibus ad eas pertinentibus & ſpectantibus, quas etiam per alios, quam per Monaſteriorum eorumdem ſervitores & ſubditos tunc excoli faciebant & pro tempore facerent, decimas, primitias aut cenſus, non tamen Apoſtolica auctoritate impoſitos, quibuſvis perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis forent, ſolvere minime tenerentur, neque ipſæ aut Terrarum vel poſſeſſionum earumdem coloni ſeu cultores ad ſolutionem decimarum, primitiarum aut cenſuum hujuſmodi per quoſcumque moleſtari, vel propterea contra eos procedi, vel pœnæ aliquæ promulgari poſſent.

§. III. Et piæ memoriæ Leo Papa X. prædeceſſor noſter, omnia & ſingula privilegia, gratias, prærogativas, exemptiones & indulta eiſdem Monialibus S. Damiani & Minoriſſis Monaſteriorum ſanctæ Claræ hujuſmodi ubilibet conſtitutorum per quoſcumque Romanos Pontifices, præſertim piæ memoriæ Eugenium IV. Nicolaum etiam IV. Bonifacium VIII. Joannem XXII. Clementem VII. Alexandrum V. & Benedictum XI. ſimiliter Prædeceſſores noſtros, reſpective ſub quibuſvis verborum formis conceſſas, & conceſſa, ad Abbatiſſas ſeu Matres, Moniales vel Sorores Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci de Pœnitentia nuncupatarum in communi viventes, etiamſi tunc inter dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam & Matrem, & Moniales Monaſteriorum S. Michaelis alias Matris Dei oppidi de Talavera, Toletanen. Diœceſis, exadverſo tunc Epiſcopum ac dilectos filios Capitulum Giennen. ſuper ſolutione decimarum & primitiarum prædictarum, coram aliquo ex Palatii Apoſtolici cauſarum Auditoribus aut illorum Locatenentibus penderet tunc lis, illius ſtatum, ac nomen & cognomen dicti Auditoris ſeu Locumtenentis pro expreſſis habentes, primo extendi & ampliari voluerat, illaque omnia & quæ, ut præfertur, per præfatum Sixtum prædeceſſorem conceſſa fuerant, eiſdem Abbatiſſis ſeu Monialibus, Matribus vel Sororibus Tertiæ Regulæ hujuſmodi ſpecialiter & expreſſe conceſſerat, ac eiſdem, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, prærogativis, exemptionibus & indulgentiis ſub quibuſvis verborum formis, Abbatiſſis & Monialibus ſancti Damiani, ac Minoriſſis ſanctæ Claræ Ordinis ejuſdem Sanctæ prædictis per Sedem Apoſtolicam impoſterum concedendis, uti, potiri & gaudere, libere & licite valerent, indulſerat.

§. IV. Et

§. IV. Et ſucceſſive ad preces tunc Abbatiſſarum & Monialium dicti Ordinis S. Claræ, ſub cura Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ degentium, præfati Sixti prædeceſſoris ſtatutum & ordinationem ſuper eo, quod ipſe de quibuſcumque Terris & Poſſeſſionibus ad eas legitime pertinentibus, quas etiam per alios, quam per eorumdem Monaſteriorum ſervitores & ſubjectos coli & coltivari faciebant & pro tempore facerent, decimas, primitias aut cenſus, non tamen, ut præfertur, Apoſtolica auctoritate impoſitos, quibuſvis perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis forent, ſolvere minime tenerentur, neque ipſæ, aut Terrarum vel poſſeſſionum earumdem coloni ſeu cultores ob non ſolutionem decimarum, primitiarum aut cenſuum hujuſmodi per quempiam moleſtari, nec contra eos propterea procedi, aut pœnæ aliquæ promulgari poſſent, cum appoſitione irritantis decreti, & aliis tunc expreſſis clauſulis conceſſis, innovaverat, confirmaverat & approbaverat, ac potiori pro cautela omnia & ſingula præmiſſa eiſdem Abbatiſſis & Monialibus de novo conceſſerat.

§. V. Ac deinde cum idem Leo prædeceſſor ad ſupplicationem tunc Abulen. & Segobien. aliorumque Cathedralium & Metropolitanarum ac Collegiatarum Capitulorum, necnon Rectorum ceterarumque perſonarum parochialium, & aliarum Eccleſiarum, Caſtellæ & Legionis Regnorum nominibus, jus in dictis decimis & primitiis vel ad illas ſehabere prætendentium, ex certis tunc expreſſis cauſis, conceſſiones & indulta hujuſmodi quoad ea, per quæ ſuper decimis & primitiis hujuſmodi Archiepiſcopis, Epiſcopis, Capitulis, Rectoribus & perſonis præfatis, Eccleſiarumque earumdem fabricis jus quæſitum tolleretur, aut alias præjudicium generaretur, & ſi quæ illorum prætextu, ſuper iis lites, coram aliquo ſeu aliquibus ex eiſdem Auditoribus ſeu Locatenentibus, aut quibuſvis aliis Judicibus inter Archiepiſcopos, Epiſcopos, Capitula, Rectores & perſonas, ac exadverſo Abbatiſſas ſeu Matres, & Moniales vel Sorores præfatas, aut eorum aliquos, in quibuſvis inſtantiis penderent indeciſæ, earum ſtatus pro expreſſis habentes cum inde ſecutis quibuſcumque, ad viam & diſpoſitionem juris communis reduxiſſet ſeu reduci mandaſſet, certis ad id executoribus deputatis: pro parte tunc Miniſtri Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ſanctæ memoriæ Clementi Papæ VII. etiam Prædeceſſori noſtro expoſito, quod nonnullæ Abbatiſſæ & Moniales Monaſteriorum ſanctæ Claræ Annunciationis & Conceptionis Ordinum, ac in communi viventes, Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci hujuſmodi, ſub ſua & pro tempore exiſtentis Miniſtri Generalis, ac aliorum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum Fratrum cura & obedientia, ubique locorum exiſtentes, adeo erant pauperes, quod de redditibus & proventibus ipſorum Monaſteriorum & Locorum nullo modo ſe ſubſtentare poterant, unde frequenter contingebat, ipſas vitæ neceſſaria induſtria & labore manuum ſuarum quærendo, ab ſpiritualium contemplatione & Divinorum obſequiorum miniſterio retrahi & impediri, idem Clemens VII. ad ſupplicationem præfati Miniſtri Generalis, dicti Leonis prædeceſſoris voluntatem, conceſſionem & indultum priora hujuſmodi, ac prout illa reſpective concernebant, in eis conteuta quæcumque expreſſe approbando & innovando, illaque potiori pro cautela de novo concedendo, ſupplendoque omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerant in eiſdem, ſtatuerat & ordinaverat, quod perpetuis futuris temporibus Abbatiſſæ, Moniales & Sorores, ac Monaſteria & Loca hujuſmodi, Terras & poſſeſſiones tam per alienos, quam per proprios colonos ordinatos, ac familiares Monaſteriorum ſuorum excoli & coltivari facieutes, ſi exinde pro earum ſuſtentatioue ſufficientes redditus non habe-

haberent, pro fructibus ex illis excreſcentibus, Rectoribus parochialium Eccleſiarum, infra quarum limites poſſeſſiones ipſæ conſiſtebant, aut quibuſvis aliis perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis, etiamſi ipſius Clementis prædeceſſoris commiſſarii forent, decimas aut primitias, taxas vel collectas ſeu exactiones, etiam per ipſum Clementem prædeceſſorem & Sedem prædictam, vel ejus Legatos & Nuncios, aut quoſcumque alios, quavis occaſione vel cauſa, etiam pro fidei Catholicæ tuitione ſeu expeditione contra Turcas, aut recuperatione Terræ Sanctæ, vel alia quavis urgentiſſima cauſa impoſitas vel imponendas, etiam prætextu quarumvis cenſurarum & pœnarum Eccleſiaſticarum in litteris exactionis hujuſmodi contentarum, ſolvere minime tenerentur, neque ad id per Executores vel Commiſſarios inibi deputatos, quavis auctoritate cogi vel compelli poſſint, decreverat, prout in diverſis Sixti, Leonis & Clementis prædeceſſorum hujuſmodi deſuper confectis literis latius continetur.

§. VI. Nos, cum ad noſtram deveniſſet notitiam, quod præfati Archiepiſcopi, Epiſcopi, Capitula, Rectores, Beneficiati & aliæ perſonæ, necnon Eccleſiarum earumdem fabricæ, ac pro illis Agentes, literis Clementis prædeceſſoris hujuſmodi parere recuſabant, ipſaſque Abbatiſſas, Matres, Moniales & Sorores, earumdemque Monaſteria & Loca indifferenter ſuper ſolutione decimarum & primitiarum prædictarum multipliciter vexare, moleſtare & perturbare non deſinebant, contra privilegia & indulta, ac literas hujuſmodi, quamvis uſu recepta & obſervata, temere & de facto veniendo, cupientes vexationibus, moleſtiis & perturbationibus prædictis obviare, ac ex certis aliis rationabilibus cauſis animum noſtrum moventibus, ejuſdem Clementis prædeceſſoris literas prædictas, tamquam juri & equitati conſonas, ac in eis contenta quæcumque, motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ac ex certa noſtra ſcientia, per quaſdam innovavimus & confirmavimus ac approbavimus, illaque de novo conceſſimus; ſucceſſive vero Nobis ſuggeſto pro parte tunc Epiſcopi, & dilectorum filiorum Capituli Salamantin. aſſerentium, ſibi per literas Clementis prædeceſſoris, aliaque privilegia & indulta eiſdem Abbatiſſis, Matribus, Monialibus & Sororibus, eorumque Monaſteriis & locis conceſſa, hujuſmodi jus quæſitum tolli, quodque Abbatiſſæ, Matres, Moniales & Sorores prædictæ, licet adeo divitiis abundarent, quod decimas & primitias prædictas ſolvere commode valerent, nihilominus ab illarum ſolutione, occaſione confictæ ac ſimulatæ paupertatis, indebite ſe ſubtrahebant; Nos nulla prorſus de innovatione, confirmatione, approbatione noſtris prædictis mentione habita, præfati Leonis prædeceſſoris poſteriores literas, prædicta privilegia & indulta hujuſmodi ad jus commune, ut præfertur, reducentes, & in illis contenta quæcumque, juxta illorum continentiam & tenorem, per alias noſtras in forma Brevis literas obſervari mandavimus, perinde ac ſi literæ Clementis prædeceſſoris hujuſmodi non emanaſſent, certis etiam ad id inhibi per Nos executoribus deputatis, prout in ſingulis noſtris literis prædictis etiam plenius continetur.

§. VII. Cum autem, ſicut accepimus, licet poſteriores literæ noſtræ prædictæ, occaſione divitiarum, quibus nonnullas Abbatiſſas & Moniales præfatas abundare aſſerebant, ut præfertur, obtentæ, ad illas, quæ congruam ex earum redditibus non habent ſubſtentationem, extendi non debeant, a nonnullis tamen aſſeratur per eaſdem literas, quæ ſimpliciter & indiſtincte innovationem, confirmationem & approbationem poſteriorum

lite-

literarum Leonis, perinde ac ſi Clementis prædeceſſorum prædictorum literæ hujuſmodi non emanaſſent, continent, fuiſſe & eſſe ipſius Clementis prædeceſſoris literis hujuſmodi ſufficienter derogatum.

§. VIII. Nos ad tollendum omne dubium, quod de cetero inter Abbatiſſas & Moniales, ac Epiſcopos, Capitula, Rectores, fabricas & perſonas hujuſmodi oriri contingat, ſingularum dictarum literarum, necnon litium & cauſarum, ſi quæ ſuper dictis decimis & primitiis inter Archiepiſcopos, Epiſcopos, Capitula, Rectores ſua intereſſe putantes, necnon Abbatiſſas, Moniales & Sorores hujuſmodi, vel ipſorum aliquos in Romana Curia, vel extra eam coram quibuſvis Judicibus, etiam dicti Palatii Auditoribus ſeu Locatenentibus, ac aliis perſonis in quibuſvis inſtantiis pendeant, ſtatus nominaque & cognomina Judicum & collitigantium, aliorumque neceſſariorum exprimendorum qualitates & circumſtantias, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, motu ſimili, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præſentium tenore volumus, ſtatuimus & ordinamus, quod Abbatiſſæ, Moniales, Matres & Sorores Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia nuncupatæ in communi viventes prædictæ, in eiſdem Regnis exiſtentes, necnon Domus, Monaſteria, Loca, poſſeſſiones & alia quæcumque bona mobilia & immobilia, ſi ex earum redditibus congruam non habeant ſubſtentationem, taxandam videlicet pro unaquaque Moniali ad ſexdecim ducatos auri de Camera, a ſolutione & præſtatione decimarum & primitiarum prædictarum, juxta ejuſdem Clementis prædeceſſoris literarum prædictarum tenorem, ſint & eſſe debeant prorſus & omnino exemptæ & immunes, neque deſuper a quoquam moleſtari, vexari vel perturbari poſſint, quodque poſteriores noſtræ literæ prædictæ Abbatiſſas, Moniales, Matres & Sorores ex ſuorum Monaſteriorum redditibus congruam ſubſtentationem, ultra ſummam dictorum ſexdecim ducatorum, pro earum qualibet habentes, dumtaxat comprehendant, ſicque per Auditores præfatos, aut alios Judices quoſcumque tam in dicta Curia, quam extra illam in quibuſvis inſtantiis judicari, definiri & interpretari debere, ſublata quavis aliter judicandi, definiendi & interpretandi facultate & auctoritate, irritum quoque & inane quidquid ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. IX. Et nihilominus omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Vicariis, ac quibuſvis aliis ad decimarum & primitiarum hujuſmodi deputatis & pro tempore deputandis exactionem, in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictius inhibemus, ne Abbatiſſas, Moniales & Sorores, Domos & Monaſteria ac Loca præfata, vigore quarumcumque literarum a Nobis vel a Sede præfata pro tempore emanandarum, etiamſi in eis caveatur expreſſe, quod ad quævis exempta vel non exempta Loca & Monaſteria ſe extendant, vel aliqua ſibi cujuſcumque tenoris exiſtat, ipſius Sedis facultate conceſſa, niſi de indulto hujuſmodi ejuſque toto tenore, ac de dictis Ordinibus & nomine Cardinalis, cui dictorum Ordinum cura, gubernatio & protectio pro tempore conceſſa fuerint, plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes fecerint mentionem, ad ſolvendum decimas & primitias hujuſmodi contra præſentium tenorem, quovis modo cogere aut compellere, ſeu alias moleſtare ſeu inquietare præſumant.

§. X. Quocirca univerſis & ſingulis venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis & aliis perſonis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis,

ac Metropolitanarum & aliarum Cathedralium Eccleſiarum Canonicis, necnon eorumdem Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Officialibus, ubilibet conſtitutis, per eaſdem præſentes, motu ſimili mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios eiſdem Abbatiſſis, Monialibus, Matribus & Sororibus in præmiſſis efficacis deſenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, quoties deſuper fuerint requiſiti, inviolabiliter obſervari, non permittentes eaſdem Abbatiſſas, Matres, Moniales & Sorores in communi viventes, contra eumdem tenorem quomodolibet moleſtari, vexari vel perturbari; contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas & alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis deſuper habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras prædictas contra inobedientes quoslibet & rebelles declarando, ac iteratis vicibus aggravando, interdictumque Eccleſiaſticum apponendo, invocato etiam deſuper, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis quæ idem Clemens prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque, ſeu ſi Archiepiſcopis, Epiſcopis, Capitulis, Rectoribus, Beneficiatis & aliis ſua intereſſe putantibus præfatis, ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

§. XI. Volumus autem, quod præſentium literarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Judicis Ordinarii munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus literis adhiberetur, ſi originaliter oſtenſæ & exhibitæ fuiſſent.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XIX. Auguſti MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LXIII.

Cœnobium in Triventina diœceſi noviſſime fundandum Provinciæ ſancti Angeli de Obſervantia concedit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Provinciæ ſancti Angeli, ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. Exponi Nobis nuper feciſtis, quod dilectus filius Donatus de Varcharo, Frater Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia nuncupati, Civis & habitator terræ Captæcoctæ, Triventin. diœceſis, fervore devotionis accenſus, quam ad veſtrum Ordinem gerit, ob uberes animarum fructus, quos ex Fratrum veſtri præfati Ordinis exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperat, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagens, quamdam capellam ſeu oratorium in ſuo fundo ædificatum extra & prope dictam terram Capramcoctam, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Gratia vobis dare, ibique pro perpetuis veſtræ Provinciæ, & aliarum Provinciarum ejuſdem veſtri Ordinis Fratrum uſu & habitatione, hoſpitium cum officinis neceſſariis, hortis & hortalitiis, adinſtar aliorum hoſpitiorum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum ædificare intendit; proinde Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis dictam capellam & hoſpitium prædictum recipiendi &c. aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritua-

ritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus Populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo confovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Donato hoſpitium pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum veſtri Ordinis regularis Obſervantiæ hujuſmodi conſtruendi, ſeu cum omnibus ſupradictis conſtrui faciendi; vobiſque illud, poſtquam conſtructum & ædificatum fuerit, recipiendi, & perpetuo inhabitandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus; Nos enim, ut capella & hoſpitium prædicta, ac illius Guardiani ſeu Prælati & Fratres in eo pro tempore degentes, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus Ordini & Obſervantiæ prædictis, ejuſque domibus & Conventibus hactenus conceſſis & impoſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuſcumque alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate & tenore præmiſſis concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cavetur expreſſe, ne prædicti, ac aliorum Mendicantium Ordinum Profeſſores ad inhabitandum nova loca recipere præſumant, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, etiamſi de illis hic habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die xx. Octobris MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LXIV.

Priorem & Fratres ſancti Salvatoris Monaſterii ſanctæ Catarinæ de Florentia a prædicto Monaſterio Minoritis reſtituendo expellit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Priori & Fratribus Congregationis ſancti Salvatoris Canonicorum Regularium, Ordinis ſancti Auguſtini, in Domo ſeu Monaſterio ſanctæ Catarinæ Florentin. Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ exiſtentibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. CUm vos, ſicut Nobis innotuit, nuper præter juris diſpoſitionem, & omnium Religioſorum Ordinum ſtatuta & conſuetudines, iſtam Domum ſeu Monaſterium ſanctæ Catarinæ Senenſis Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ, unde Fratres ejuſdem Ordinis Minorum ejecti fuerunt, ſine Sedis Apoſtolicæ licentia, quam requirere debebatis, intraveritis & occupaveritis, ſicut de præſenti occupatis & indebite detinetis.

§. II. Nos volentes ex noſtro officio hujuſmodi temerariis auſibus obviare, eoſque reprimere, vobis in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, necnon excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ac privationis omnium & ſingulorum officiorum, dignitatum, præſidentiarum, ac privilegiorum, indultorum, & quarumvis gratiarum, vobis in genere vel in ſpecie conceſſarum, ac etiam vocis activæ & paſſivæ, ipſo facto, & abſque alia declaratione, niſi pareveritis, per vos incurrendis pœnis præcipimus & mandamus, ut infra ſex dies a præſentium vobis facienda præſenta-

tione ſive intimatione, dictam domum ſeu Monaſterium exiiſſe, eamque liberam & vacuam, & in ea omnia, res & bona inibi per vos inventa ſub inventario per Notarium publicum conficiendo, dimiſiſſe, & cum effectu reliquiſſe debeatis.

§. III. Particulariter vero tibi, fili Prior, ſub eiſdem pœnis, niſi interim præſentibus ſit paritum, mandamus, ut infra viginti dies ab eadem intimatione vel præſentatione computandos, coram Nobis perſonaliter te præſentes; eo vero termino reſpective elapſo, & vobis non parentibus, venerabili fratri Philippo Epiſcopo Burgi Sancti Sepulcri, in Alma Urbe noſtra Vicario noſtro committimus, ut vobis aliter non citatis, ſervatis quatuor terminis, juxta ſtylum ſuæ Curiæ in ſimilibus ſervari ſolitis, contra vos ad dictarum pœnarum aggravationem & reaggravationem, ac interdicti Eccleſiaſtici appoſitionem, invocationemque brachii ſecularis ad ulteriora procedat, ſicut veſtra inobedientia & contumacia exegerit.

§. IV. Volentes ac decernentes, quod affixio præſentium in valvis Eccleſiæ Domus veſtræ Congregationis ſancti Petri ad Vincula de Urbe, ac præſentatio earum Procuratori Generali ejuſdem veſtræ Congregationis in Romana Curia facta, dimiſſo illarum exemplo, perinde vos arctet, ac ſi vobis perſonaliter præſentatæ & intimatæ fuiſſent. Non obſtantibus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die ultima Octobris MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XII.

LXV.

Permittit Pontifex Obſervantibus Picenæ Provinciæ, ut Cœnobium Rocchæ Contradæ in diœceſi Senogallienſi conſtrui cœptum inhabitent. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 124.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ, Provinciæ Marchiæ, juxta morem dicti Ordinis.

§. I. CUm, ſicut accepimus, dilecti filii Communitas & Homines Terræ Rocchæ Contradæ, diœceſis Senogallien. ob ſingularem, quem au Ordinem veſtrum devotionis gerunt affectum, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, ſuis expenſis in aliquo loco congruo & eo convenienti, prope aut intra dictam terram Rocchæ Contradæ ſub invocatione S. Antonii de Padua unam Domum, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum d. Ordinis regularis Obſervantiæ, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſive conſtrui & ædificari facere ſummopere cupiant; propterea pro parte dictorum Communitatis & Hominum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tam honeſtæ & religioſæ petitioni benevolentia paterna, de benignitate Apoſtolica annuere dignaremur.

§. II. Nos itaque, qui Divini cultus augmentum ubique & præſertim noſtris temporibus, internis deſideriis peroptamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Communitati & Hominibus in loco congruo, & ſub invocatione ut ſupra, unam Domum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum Fratrum dicti Ordinis, Provinciæ Marchiæ, erigendi, ædificandi, conſtruen-

ſtruendi, ſeu erigi, ædificari & conſtrui faciendi, & vobis illam recipiendi & habitandi, ac Fratribus pro tempore in ea morantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, favoribus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis & indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliis Domibus & Fratribus dicti Ordinis in genere per Sedem Apoſtolicam hactenus conceſſis & imposterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, licentiam concedimus & indulgemus, felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri conſtitutione, qua expreſſe cavetur, ne prædicti, ac aliorum Mendicantium Ordinum Profeſſores, ad inhabitandum nova loca recipere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, necnon dicti Ordinis ſtatutis & conſtitutionibus, etiamſi de illis hic habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum die xx. Novembris MDXLVI. Pontificatus noſtri anno XIII.

LXVI.

Annuit, ut poſſint in privatis cellulis dormire. Ex Regeſto Ciſmontano fol. 125.

Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii Monialium de Jeſu nuncupatarum ſancti Marci Aſten. Ordinis ſanctæ Claræ.

§. I. Devotionis veſtræ ſinceritas, quam ad Nos & Romanam Eccleſiam geritis, necnon Religionis zelus, & bonæ famæ odor, quibus apud Nos fide dignorum teſtimoniis commendamini, merito Nos inducunt, ut, quæ ad veſtram commoditatem cedere dignoſcuntur, affectu vobis benevolo concedamus.

§. II. Exponi ſiquidem Nobis nuper feciſti, quod quamvis in veſtri Ordinis, etiam forſan juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, inter alia caveatur expreſſe, quod Moniales & Conventus ejuſdem Ordinis, unum commune, & ad hoſpitalium inſtar dormitorium habere, ibique in communi dormire debeant, nihilominus vos Abbatiſſa & Conventus Monaſterii Monialium de Jeſu nuncupatarum ſancti Marci Aſten. Ordinis ſanctæ Claræ, quod diebus præteritis, poſtquam antiquum veſtrum Monaſterium, ob majorem Civitatis Aſten. ſecuritatem, dirutum, vobiſque loco diruti Monaſterii hujuſmodi, una vel plures domunculæ in eadem Civitate ad habitandum aſſignatæ fuerunt, ob veſtram paupertatem unum commune dormitorium in novo Monaſterio hujuſmodi conſtruere commode poſſe non ſperatis; & ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ſi vobis, quæ aliquot diſtinctas in dicto Monaſterio noviter conſtructo cellulas, pro oratorio vobis utcumque ædificaſtis, in eiſdem veſtris privatis cellulis, quemadmodum Fratres ac omnes fere aliorum Ordinum, & etiam nonnullæ veſtri Ordinis hujuſmodi, indulto forſan ſibi ad id ſuffragante Apoſtolico, Moniales conſueverunt, dormire liceret, profecto ex hoc veſtrarum, quæ viis publicis undique circumdatæ exiſtitis, tum paupertati, tum etiam veſtri novi Monaſterii angustiis opportune conſuleretur.

§. III. Quare Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis in præmiſ-

ſis

ſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur vos ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis pro tempore exiſtentibus, ipſius Monaſterii veſtri Abbatiſſæ & Conventui, & deinceps perpetuis futuris temporibus, ut in veſtris privatis cellulis hujuſmodi dormire & pernoctare libere & licite poſſitis & valeatis, de Superioris veſtri licentia, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum.

Anno Christi 1547. Pauli III. anno 13.

LXVII.

Contra Fratres Conventuales extra Ordinem abſque Sedis Apoſtolicæ licentia vagantes procedendi facultas Prælatis eorum tribuitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Modernis Magiſtro Generali & Provincialibus Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci Conventualium nuncupatorum.

§. I. Meditatio cordis noſtri aſſidua hoc inter cetera concernit ſpecialiter, ut Perſonæ religioſæ, quæ ceteris modeſtiæ & ſanctitatis exemplo eſſe debent, a rectitudinis tramite deviantes, in ſemitis juſtitiæ & veritatis dirigantur, & ad debitam vivendi normam reducantur.

§. II. Cum itaque, ſicut accepimus, complures Ordinis veſtri Fratrum Minorum ſancti Franciſci Conventualium nuncupatorum Profeſſores, ad vetita profiliant, & exceſſibus ſe immergere, eaque deteſtabiliter committere non contremiſcant, quorum nonnulli ad prædicationem Apoſtolicam, etiam pro miniſterio prædicandi indulgentias Cruciatæ contra Infideles in ſubſidium Terræ Sanctæ electi, alii vero ad quærendum ſubſidia pro fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe conſtituti, ac complures ad alicujus ex venerabilibus Fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſeu Principis, vel alterius domini temporalis, ſive etiam unius Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel alterius inferioris Prælati familiaritate recepti & admiſſi, quarum prætextu, tamquam Religionis laxatis habenis, ab obedientia & juriſdictione ſuorum Prælatorum, & dicti Ordinis Superiorum ſe exemptos fore, & ita ab illis, ſi quæ commiſerint, minime puniri poſſe prætendunt, in animarum ſuarum perniciem, & Religionis opprobrium, perniciosumque exemplum & ſcandalum plurimorum.

§. III. Nos, qui, ut excuſſis his, quæ Religioſorum hujuſmodi debitam offuſcant decentiam, ſalutares fructus & exemplares mores ſuperinducantur, providere, prout noſtro paſtorali incumbit officio, exoptamus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vobis, ut omnes & ſingulos prædictæ conditionis & qualitatis Fratres veſtri Ordinis hujuſmodi, in Domibus ſeu Conventibus permanentes & in communi viventes, ſeu extra Domos & Conventus hujuſmodi, abſque noſtra & Sedis Apoſtolicæ licentia vagantes, qui nefaria committere non verentur, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus & conditionis fuerint, quomodolibet culpabiles, & qualitercumque privilegiatos ac exemptos, auctoritate noſtra viſitare, & contra illos etiam per viam Inquiſitionis vel inveſtigationis, vel alias ex officio, aut per viam ap-

appellationis procedere, eoſque debita animadverſione punire, & ad obſervationem regularium Inſtitutorum, ac veſtrarum conſtitutionum in viridi Obſervantia exiſtentium, per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, necnon privationis ab officiis ab eis pro tempore obtentis, cogere & compellere, ac in præmiſſis, noſtra & dictæ Sedis auctoritate procedere & judicare, ac omnia alia & ſingula neceſſaria, ſeu quomodolibet deſuper opportuna, facere & exequi; necnon contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per eaſdem ſententias, cenſuras & pœnas, ſublato appellationis ſeu alterius diffugii obſtaculo, appellatione remota, compeſcendo, & ſi opus fuerit, auxilium brachii ſecularis invocare libere & licite valeatis, plenam, liberam & omnimodam facultatem, licentiam & poteſtatem, auctoritate prædicta, tenore præſentium concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon quibuſcumque privilegiis, indultis & literis Apoſtolicis dictis Fratribus tam ſub plumbo, quam ſub annulo Piſcatoris, aut etiam per Pœnitentiariam noſtram, ſeu alias quomodolibet hactenus in contrarium, per quoſcumque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, aut etiam per Nos, ut præfertur, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac etiam ſub irritativis, annullativis, exceptivis, præſervativis, reſtitutivis, declarativis, ac derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis conceſſis, ac ſæpius innovatis & confirmatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac nemini adverſus præmiſſa ſuffragari poſſe volumus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. IV. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die VII. Januarii MDXLVII. Pontificatus noſtri anno XIII.

LXVIII.

Clementem de Monelia Ordinis Minorum de Obſervantia Vicarium Generalem confirmat, prærogativiſque & facultatibus circa regimen Religioſorum ornat. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio Clementi de Monelia Ordinis Minorum de Obſervantia Vicario Generali.

§. I. CUm, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, defuncto Miniſtro Generali tui Ordinis, tu in Congregatione ipſius Ordinis proxime elapſis diebus in Domo ſanctæ Mariæ Angelorum apud Aſſiſium celebrata per eos, ad quos id ſpectabat, in ipſius Ordinis Superiorem Generalem canonice, & juxta dicti Ordinis morem & ſtatuta electus fueris, ibique per te & dictos Fratres nonnulla ejuſdem Ordinis quietem, tranquillitatem & augmentum concernentia ſtatuta & ordinata fuerint, Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut

ut tam dictæ electioni, quam per te & Fratres præfatos in dicta Congregatione geſtis robur noſtræ confirmationis adjicere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur ipſius Ordinis proſperum & tranquillum ſtatum paterno zelantes affectu, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dictam electionem, & per te ac eoſdem Fratres in eadem Congregatione ſtatuta & ordinata, quatenus tamen licita & honeſta ſint, & ſacris Canonibus non contraria, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac perpetua roboris firmitate ſubſiſtere & firmiter obſervari debere decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & inſuper tibi eamdem facultatem & auctoritatem tam in obtinendo totius Ordinis regimine, quam in faciendo electorum ſupplemento, concedimus, quam felicis recordationis Clemens Papa VII. prædeceſſor noſter, & Nos dicti Ordinis Vicario & Miniſtro Generalibus in dicti Ordinis Capitulis Generalibus Niciæ, Aſſiſii & Mantuæ celebratis conceſſimus, tibique ut eos, qui has noſtræ confirmationis literas infringere, ſeu illis contradicere & contraire, ac Generale Capitulum in eadem Domo ſanctæ Mariæ Angelorum proxime celebrandum, aut electiones & alia inibi ordinanda perturbare, aut quomodolibet impedire præſumpſerint, ab ipſo Generali Capitulo ejicias & expellas, mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Ordinis & Obſervantiæ prædictis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis Apoſtolicis dicto Ordini conceſſis, confirmatis, & iteratis vicibus innovatis, quibus illorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis & inſertis habentes, ad effectum præſentium, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVIII. Aprilis MDXLVII. Pontificatus noſtri anno XIII.

LXIX.

Generali Miniſtro Ordinis Minorum reformationem & correctionem Monaſteriorum Monialium Ordinis Minorum de Obſervantia, quatenus non ſint exempta, injungit. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum nuncupatorum.

§. I. CUm, ſicut accepimus, diverſa Monaſteria Monialium ſub cura Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum exiſtentia, ob ſuorum Prælatorum ſeu Superiorum negligentiam ſeu alias, regularia Inſtituta dicti Ordinis non obſervent, Nos cupientes Monaſteria prædicta ſub regularibus diſciplinis & dicti Ordinis inſtitutis, & ad eam ad quam tenentur, obedientiam & diſciplinam reduci, tibi per te vel alium ſeu alios, quos ad id duxeris deputandos, Monaſteria prædicta, illorumque membra, ac Abbatiſſas, Prioriſſas, Moniales & alias quaſcumque perſonas, cujuſcumque dignitatis, nobilitatis exiſtentes, dummodo a tua juriſdictione exempta non exiſtant, nec alios niſi ejuſdem Ordinis Superiores habeant, tam in capite, quam in membris, ac ſpiritualibus & temporalibus viſitandi, & in his, quæ reformatione noveris indigere, juxta Canonicas ſanctiones, & dicti Ordinis regularia inſtituta reformandi, & in eis errata corrigendi & emendandi, illaque ſub cura, regimine & adminiſtratione Miniſtri Provincialis dicti Or-

Ordinis, ad inſtar aliorum Monaſteriorum, & juxta morem dicti Ordinis ſubmittendi & ſubjiciendi, ac ad regularem obſervantiam, & Regulam, quam ipſæ Moniales profeſſæ ſunt, reducendi, & ad illam inviolabiliter obſervandum cogendi & compellendi, ipſaque Monaſteria debita clauſura muniendi, omniaque & ſingula alia in præmiſſis neceſſaria ſeu alias opportuna, etiam ſi illa ſpecialem notam requirerent, faciendi & exequendi, ac contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, per excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliaſque ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione remota, compeſcendi, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas ipſas etiam iteratis vicibus aggravandi, auxiliumque brachii ſecularis ad hoc, ſi opus fuerit, invocandi plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus facultatem, decernentes quidquid per te ſuper præmiſſis fieri contigerit, ac omnia & ſingula, quæ inde ſequentur, valida & efficacia exiſtere, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, ſicque per quoſcumque quavis auctoritate fungentes Judices & perſonas, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſteriorum & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac aliis literis Apoſtolicis Monaſteriis & Monialibus præfatis, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac ex quibuſvis cauſis conceſſis, approbatis & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, illaque adverſus præmiſſa nullatenus ſuffragari poſſe ſeu debere decernimus & declaramus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVII. Maii MDXLVII. Pontificatus noſtri anno XIII.

LXX.

Confirmat electionem fratris Andreæ Inſulani in Miniſtrum Generalem totius Ordinis, quæque in Comitiis Generalibus ad Portiunculam conſtituta fuerant, rata habet. Ex Reg. Vat. fol. 120.

Dilecto filio fratri Andreæ Inſulano Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum nuncupatorum.

§. I. Religionis zelus, vita exemplaris, aliaque virtutum dona, quibus perſonam tuam decoratam novimus, promerentur, ut illa tibi favorabiliter concedamus, quæ ad tui Ordinis conſervationem & fructuoſam gubernationem fore conſpicimus opportuna.

§. II. Intelleximus ſiquidem, quod univerſi Fratres Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ in Domo ſeu Conventu S. Mariæ Angelorum tui Ordinis prope Aſſiſium, pro electione Miniſtri Generalis dicti Ordinis celebranda.... in unum congregati, habitis prius & ſervatis feſtivitatibus & ſolemnitatibus in ſimilibus obſervari ſolitis, te in Generalem Miniſtrum totius Ordinis Minorum juxta inſtitutiones regulares, & privilegia Apoſtolica dicto Ordini conceſſa unanimiter elegerunt, tuque decreto

electionis hujuſmodi tibi præſentato, dictæ electioni conſenſiſti, ac in dicto Capitulo nonnulla quietem & augmentum dicti Ordinis concernentia, matura & diligenti deliberatione præhabita, per te, ac dictum Capitulum ſtatuta & ordinata fuerunt.

§. III. Nos igitur, qui erga Ordinem ipſum & Fratres hujuſmodi ſingularem gerimus devotionis affectum, ſperantes, quod per tuæ ſollicitudinis ſtudium, Ordo & Fratres hujuſmodi, eorumque Domus & loca feliciter regentur & gubernabuntur, electionem de te factam hujuſmodi, necnon ſtatuta & ordinationes prædictas, quatenus licita ſint & honeſta, ac ſacris Canonibus non contraria, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robore communimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, tibique, quod officium tibi commiſſum hujuſmodi tam tua ordinaria, quam noſtra Apoſtolica auctoritatibus, exercere poſſis & valeas, auctoritate & tenore præmiſſis, concedimus & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XIV. Junii MDXLVII. Pontificatus noſtri anno XIII.

LXXI.

Cœnobium in Alerienſi Diœc. Fratribus de Obſervantia Provinciæ Corſicæ noviſſime conſtruendum impertitur. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilectis filiis Miniſtris & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Corſicæ juxta morem dicti Ordinis.

§. I. CUm, ſicut accepimus, dilecti filii Communitas & homines Terræ Zuani, & ceteri populi Plebis Serræ, Diœceſis Alerien. ob ſingularem, quem ad Ordinem veſtrum devotionis gerunt affectum, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia ſelici commercio commutare ſatagentes, ſuis expenſis in loco congruo, prope & extra dictam Terram Zuani, ſub invocatione ſancti Franciſci, unam domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſive conſtrui & ædificari cœperint, & ſummopere perficere cupiant, proinde Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis Domum prædictam recipiendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſimum temporibus ubique propagari deſideramus, & votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo confovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut Domum præfatam tam conſtrui incœptam, & nondum perfectam recipere, perficere ſeu perfici facere, ac retinere & inhabitare, quodque Domus præfatæ Guardiani & Fratres in ea exiſtentes omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus & immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus, & indultis ſpiritualibus & temporalibus Ordini prædicto,

dicto, ejuſque Domibus & Conventibus hactenus in genere conceſſis, & impoſterum concedendis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus: ſelicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua expreſſe cavetur, ne prædicti, & aliorum Mendicantium Ordinum profeſſores ad inhabitandum nova loca recipere præſumant, abſque Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & ordinationibus, ac dicti Ordinis ſtatutis, conſtitutionibus & conſuetudinibus, etiamſi de illis hic habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVII. Junii MDXLVII. Pontificatus noſtri anno XIII.

LXXII.

Tertii Ordinis Leges in Hiſpaniæ, Indiæque Regnis alumnis ejuſdem propoſitas Apoſtolica auctoritate confirmat. Ex Bordono fol. 481. in Bullario Tertii Ordinis.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. AD fructus uberes, quos Tertius Ordo ſancti Franciſci de pœnitentia in agro Militantis Eccleſiæ hactenus produxit, & in dies producere non ceſſat, noſtræ dirigentes conſiderationis intuitum, & intra mentis noſtræ arcana revolventes, quod ipſe Ordo, nedum Fratribus & Monialibus in communi viventibus, ac tria vota ſubſtantialia ſolemniter emittentibus, verum etiam viris & mulieribus conjugatis jamdudum floret, merito inducimur, ut quæ pro ſalubri perſonarum ipſius Ordinis directione ſtatuta & ordinata eſſe dignoſcuntur, noſtræ approbationis munimine roboremus, aliaque deſuper diſponamus, prout in Domino conſpicimus, ſalubriter expedire.

§. II. Sane pro parte dilectorum filiorum moderni Miniſtri Generalis, & Fratrum Collegialium, ac Monialium, necnon aliorum Fratrum & Sororum dicti Ordinis Regnorum Hiſpaniarum & Portugalliæ, ac Inſularum & terræ firmæ Indiarum Nobis nuper exhibita petitio continet, quod licet alias ſel. record. Clemens Papa VII. prædeceſſor noſter, poſtquam piæ memoriæ Nicolaus IV. necnon Julius II. & Leo X. Romani Pontifices, etiam prædeceſſores noſtri Regulam ejuſdem Ordinis approbaverant, & diverſis privilegiis, indultis & gratiis decoraverant, ſingulas litteras Nicolai, Eugenii, Sixti, Julii, & Leonis prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones & Regulam Ordinis hujuſmodi, ac prout illa concernebant, omnia & ſingula in ſingulis literis Nicolai, Eugenii, Sixti, Julii, & Leonis prædeceſſorum hujuſmodi, ac aliis ſuper conſtitutionibus, ordinationibus, ſtatutis, conſuetudinibus, & Regula prædictis, confectis ſcripturis contenta per ſuas literas ipſas innovaverint, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan in eiſdem conſtitutionibus, ordinationibus, ſtatutis, conſuetudinibus, & Regula intervenerant, ac diverſa alia ſalubrem ipſius Ordinis directionem concernentia ſtatuerint ac ordinaverint, & conſtitutiones, ordinationes, ſtatuta, conſuetudines, & Regulam hujuſmodi,

quæ poſtmodum in tres partes, prout tres ſtatus dicti Ordinis Fratrum Collegialium videlicet, & Monialium ſub clauſura degentium, ac Fratrum & Sororum in privatis domibus habitantium, concernebant, per dictum Miniſtrum, & tunc Præſidentem, ac quatuor Definitores Capituli Generalis dicti Ordinis in Domo ſanctæ Mariæ de Valle ejuſdem Ordinis, Aſtoricenſis Diœceſis celebrati, cum conſenſu tunc Miniſtrorum, ac Procuratorum, & dilectorum filiorum totius Congregationis Generalis Ordinis hujuſmodi, diſtincta fuerunt, prout in eadem diſtinctione, quam in Cancellaria Apoſtolica inſpici, & diligenter examinari, & cujus tenorem de verbo ad verbum, ſignis & caracteribus omiſſis, inſeri fecimus, plenius continetur, ut a tribus ſtatibus Ordinis hujuſmodi, prout eos & eorum quemlibet tangit, pacifice & quiete ſerventur; nihilominus Miniſter & Fratres Collegiales, & Moniales, necnon alii Fratres & Sorores Ordinis, Regnorum & Inſularum & terræ firmæ hujuſmodi, pro ſinceriori eorum conſcientiarum tranquillitate & quiete, cupiunt ea omnia, prout diſtincta fuerunt, approbationis noſtræ robore communiri.

§. III. Quare pro parte Miniſtri & Fratrum Collegialium & Monialium, necnon aliorum Fratrum & Sororum Ordinis & Regnorum, & Inſularum & terræ firmæ hujuſmodi, aſſerentium partes conſtitutionum, ordinationum, ſtatutorum, conſuetudinum, & Regulas hujuſmodi, ſicut præfertur, diſtinctas, unicuique dictorum ſtatuum, prout eis & eorum perſonis congruere videbantur, per eos inviolabiliter obſervandas aſſignatas fuiſſe. Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conſtitutionibus, ordinationibus, ſtatutis, conſuetudinibus, & Regulæ hujuſmodi, ſicut præfertur, diſtinctis, pro illorum ſubliſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum Chriſtifidelium præſertim ſub ſuavi Religionis jugo, piæ vitæ ſtudio vacantium, ſalubrem directionem ſinceris deſideramus affectibus, Miniſtrum & Fratres Collegiales, ac Moniales, necnon alios Fratres & Sorores Ordinis & Regnorum, ac Inſularum & terræ firmæ hujuſmodi, & eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Conſtitutiones, ordinationes, conſuetudines, ſtatuta & Regulam, ſicut præfertur, diſtincta, & unicuique dictorum ſtatuum aſſignata, ac prout illa concernunt, omnia & ſingula in illis contenta, & inde ſecuta quæcumque, ex certa ſcientia, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, & eis perpetuum firmitatis robur adjicimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, omnia valida & efficacia fore, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, ac ab omnibus inviolabiliter obſervari debere, ſicque ab omnibus cenſeri, & per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate fungentes, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate ac auctoritate, judicari & definiri debere, ac ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & aliis dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis vel conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque,

§. IV. Te-

§. IV. Tenores vero conſtitutionum, ordinationum, ſtatutorum, conſuetudinum, & Regulæ hujuſmodi ſequuntur, & ſunt tales.

Regula Primi Status.

In nomine Domini: incipit Regula, & vita Fratrum Primi Status ſacri Ordinis de Pœnitentia Regularis Obſervantiæ Seraphici Patris noſtri Franciſci collegialiter in Monaſteriis viventium. Habet decem Capita, quia in decem præceptis continetur Lex Divina.

CAPUT PRIMUM.

De his, quæ debent promittere volentes hunc Ordinem intrare.

Pœnitentiam agite, ait Dominus, appropinquavit enim Regnum Cœlorum. Vera pœnitentia eſt auro rutilantior, Sole ſplendidior, cunctis theſauris melior, nam omnia obligata peccata ſolvit, & Paradiſum aperit, idcirco hujus ſacri Ordinis de Pœnitentia univerſi Fratres, ſalutis æternæ viam, regulam & vitam imitantes, ac decem mandata Divina, & Eccleſiæ præcepta ſalubriter obſervantes, & ad ſacra Concilia ſcandere contendentes, ſanctiſſimo D.N. Papæ Paulo III. & ejus Succeſſoribus canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ fideliter obediant, ac ſub votis obedientiæ, caſtitatis & paupertatis perſeveranter vivere promittant; de quibus votis dicit Dominus in ſancto Evangelio. De Obedientia: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. De Caſtitate: Sunt Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Cœlorum. De Paupertate: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo, & veni, ſequere me. Inſuper Miniſtro Generali, qui eſt & pro tempore ſucceſſenti humiliter pareant, & a Regula & vita numquam recedant, memores, quod ſruſtra bonum inchoatur, ſi ante vitæ terminum deſeratur, ſoliſque perſeverantibus corona datur. Nam qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

CAPUT SECUNDUM.

De Novitiorum ingreſſu, & Magiſtris ipſorum.

Dicit Dominus, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Ideo ad hunc Ordinem, vitæ zelo, & majoris pœnitentiæ intuitu migrare cupiens, per ejuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem, vel per habentem ejus auctoritatem vel facultatem recipiendi Fratres ad Ordinem, ſolummodo recipiatur, & non per alios, & veniens ad Ordinem diligenter examinetur de Fide Catholica, & de Eccleſiaſticis Sacramentis. Dicit Dominus cœco a nativitate: Tu credis in Filium Dei? Ita quod ſit fidelis & Catholicus, de nullo errore ſuſpectus, matrimonio non ligatus per culpam carnalem, corpore ſanus, animo promptus, legitime natus, debitis expeditus, conditione liber, nulla vulgari infamia fratribus maculatus, competenter literatus, vel ad alios labores honeſtos & utiles aptus, aut talis conditionis exiſtens, quod ejus receptio Clero & populo non modicam ædificationem afferat. Nullus recipiatur ad Ordinem pro Fratre Clerico, nec etiam pro Laico aut Oblato, niſi annum decimum quar-

quartum cumpleverit. Nullus profeſſus in Ordine Mendicantium, aut alterius Ordinis recipiatur ſine licentia Papæ. Propterea, ſi quis aliter receptus fuerit, non admittatur ad profeſſionem, admiſſus expellatur. In quolibet Conventu aſſignetur Magiſter Novitiorum, vir maturus, diſcretus, devotus, qui ſuper ipſorum cura invigilet diligenter. Hujuſmodi autem Novitii ſuæ probationis tempore ſtudio Scholaſtico non intendant, ſed Divinum addiſcentes officium, ſtudio devotionis & orationis vigilanter inſiſtant. Ad tractatus quoque Capituli infra annum nullatenus admittantur nec Ordines ſacros ſuſcipiant, nec Confeſſiones audiant, ſi fuerint Sacerdotes, nec porta Conventus exeant, niſi cauſa generalis Proceſſionis, vel emergentis neceſſitatis, vel alia juſta & rationabili cauſa, quæ per Miniſtrum extiterit judicata, nec literas mittant vel recipiant ſine ſui Magiſtri licentia ſpeciali, nec loquantur cum aliqua ſeculari perſona, niſi ſuo præſente Magiſtro, aut alio per Miniſtrum ad hoc ſpecialiter deputato, nec redire volentes ad ſeculum importune impediantur, quia novit Dominus, qui ſunt ejus. Præterea elapſu continuæ probationis anno, & etiam antea, ſi a Fratribus profeſſis, & potiſſimum ab Informatore ſuo, ſcilicet a Magiſtro Novitiorum bonum teſtimonium habuerit, ad profeſſionem recipi poterit; ipſe vero taliter receptus in ſtatu profeſſionis ſuæ perpetuo remaneat, memor, quod dicit Dominus in ſacro Evangelio: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & aſpiciens retro aptus eſt Regno Dei.

CAPUT TERTIUM.

De forma Habitus & qualitate indumentorum Profeſſorum & Novitiorum, & de Tonſura.

Dicit Dominus in ſancto Evangelio: Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Quapropter omnium Fratrum Clericorum & Laicorum habitus ſit talaris & honeſtus de panno abjecto, & lana naturaliter nigra, & ſine tinctura contexto, illorum etiam caputium ejuſdem coloris exiſtat, retro & ante acutum, in modum crucis, a parte poſteriori cingulum non excedat, in anteriori parte uſque ad os ſtomachi tranſeat. Pro cingulo autem cordam habeant minime curioſam; clamis ſit coloris habitus ex panno vili & humili, quam Fratres habeant non rugatam circa collum, vel criſpatam, nec uſque ad terram per integrum ſaltem dimidium palmum protenſam, & in forma ſervetur honeſtus modus, omni curioſitate penitus abdicata: habeant calceamenta de coreo nigro, & qui voluerint, poſſint deferre ſandalia. Similiter indumentis utantur cuncti Fratres Novitii, Clerici & Laici, niſi quod Novitii pro caputio portent caparonem. Poterunt autem ſinguli, prout exegerit neceſſitas loci aut perſonæ aut temporis, ſub habitu ſuo portare tunicas albas, & tunicellas ex humili panno, & ſimiliter fœmoralia, & caligas a genu uſque ad talas. Tonſuras deſuper aures tam Clerici, quam Laici ſibi fieri procurent, ad quindenam autem ſemper radantur omnes, & ſit tonſura Clericorum non modica, ut decet Religioſos ſcilicet, & inter ipſam & aures non ſint pluſquam tres digiti. Cum Fratres hujus ſacri Ordinis dicantur de Pœnitentia, oportet eos ab omni curioſitate tam in veſtibus, quam in quibuſcumque aliis abſtinere, & juxta Apoſtolorum Principis beati Petri ſalubre conſilium, depoſitis ceteris vanis hujus ſeculi ornamentis, nullum ornamentum corporale portare debent, niſi ſolum humile & neceſſarium tegumentum corporis ſui. De Joanne Baptiſta igitur in ſancto Evangelio: ipſe Joannes habebat veſtimentum de pilis camelorum,

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Officio Divino, Oratione, Confeſſione & Silentio.

TUrbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in Altiſſimis. Itaque laudibus Divinis Fratres hujus ſacri Ordinis de Pœnitentia in Clericos aſſumpti, reverenter & cæremonialiter perſolvant Divinum Officium juxta Romanæ Eccleſiæ ritum. Capitulum Generale habet facultatem declarandi dubia, quæ occurrerint circa Divinum Officium, ordinandi, addendi & mutandi quidquid videbitur pro Fratribus expedire tam in Regulis, quam in Calendario. Miniſter Generalis de conſilio Præſidentis & Definitorum nominet unum Fratrem vel duos, qui poſſint ordinare unum Calendarium Sanctorum & Sanctarum, Feriarum & Dominicarum pro uno anno vel multis annis, cum regulis neceſſariis, ita quod ſemper Fratres reſpective idem Officium, & de eodem Sancto, Sancta, Feſtivitate vel Feria faciant, ne varietati & diſcordiæ locus detur. Miniſter Generalis habet facultatem diſponendi circa anticipationem & poſtpoſitionem horarum. Dicit Dominus in Evangelio: Cum oratis, dicite Pater noſter; Laici dicant viginti quatuor Pater noſter pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta & Nona pro qualibet horarum ſeptem, pro Veſperis duodecim, pro Completorio ſeptem, & quoties dicunt Orationem Dominicam, & toties dicant Salutationem Angelicam Ave Maria, cum Verſiculis Gloria Patri &c. Sicut erat &c. Singulis ultimis cujuslibet Horæ Salutationibus additis; qui modus in Officio B. M. V. per omnia obſervetur. Pro Defunctorum Officio dicant in Veſperis ſeptem Pater noſter, & toties Ave Maria cum Requiem æternam: tempore, quo Fratres Clerici faciunt Officium Mortuorum, ad illud autem Altiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum diligenter ſe præparent omnes Fratres, & ut hoc melius fiat, Fratres Clerici, & Laici Confeſſoribus Ordinis deputatis confiteantur, Sacerdotes bis ad minus in qualibet ſeptimana, Fratres vero non Sacerdotes confiteantur in diebus ac feſtis Natalis Domini, Feria quarta Cinerum, Cœnæ ipſius Domini, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis Mariæ, & Seraphici Franciſci, & omnium Sanctorum ſolemnitate, & de quindena in quindena ſemper communicent in Miſſa Conventus, niſi remanſerint de licentia Miniſtri, & de hoc ſint ſolliciti Prælati, ut per utriuſque Sacramenti frequentiam, ſanctæ converſationis in utroque homine puritas ſervetur. Contriti & confeſſi ſumant Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti cum magna humilitate & veneratione, attendentes, quod ipſe Dominus dicit: Qui manducam meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & hoc facite in meam commemorationem. Quolibet autem die Fratres Laici audiant Miſſam, ſinguli tam Sacerdotes, quam reliqui orationis ſanctæ ſtudium non prætermittant, memores, quod puræ & aſſiduæ orationis juſtorum magna ſit virtus, ac velut fidelis nuntius mandatum peragit & penetrat quo caro non pervenit. Ut autem omnibus potior detur orandi occaſio, ita quod in Eccleſia, clauſtro & dormitorio omni tempore, in refectorio vero in prima menſa & ſecunda moneantur ſinguli, quatenus ſollicite dent operam Evangelico ſilentio, & a Completorio uſque ad Primam ſilentium ſervare ſtudeant, alias ſubmiſſe & religioſe loqui ſtudentes, niſi eis tamen ſi quid in ipſius temporibus & locis ſilentio dedicatis neceſſario loquendum contigerit,

rit, verbis paucis & demiſſis, quæ dicenda fuerint, breviter concludantur. Omnes Fratres excluſo ntin animæ inimico, ſtudeant ſemper orationi, vel alicui bonæ operationi intiſtere, ut illos occupatos Diabolus inveniat, & ſic recedat. Nihil eſt in ſancto propoſito deterius otio, unde Dominus ait: Quid hic ſtatis tota die otioſi?

CAPUT QUINTUM.

De Jejunio, Abſtinentia, Diſciplina & Capitulo Culparum.

CUm jejunatis, dicit Dominus: Nolite fieri ſicut hipocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam, tu autem cum jejunas, ung e caput, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, & Pater tuus, qui eſt in abſcondito, reddet tibi. Jejunium corporale mentem purgat, ſenſum ſublevat, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiſcentiæ pabula diſpergit, atque libidinis ardores extinguit, & caſtitatis lumen accendit. Eapropter ſinguli Fratres Clerici & Laici membra ſua cum vitiis & concupiſcentiis crucifigentes, uniformiter a prima Dominica Adventus uſque ad Nativitatem Domini jejunent quotidie, diebus Dominicis exceptis; in ſancta Quadrageſima univerſalis Eccleſiæ uſque ad Reſurrectionem Domini, quam tamen a Quinquageſima incipere debent, & a Feſto Omnium Sanctorum uſque ad Reſurrectionem Domini, omni Feria quarta jejunare teneantur, ac ſimiliter qualibet Feria ſexta totius anni, & omnibus diebus, in quibus ab Eccleſia indictum eſt jejunium, vigilia Seraphici Patris Franciſci jejunetur, tempore vero manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Fratres jejunio corporali. Cuncti Fratres Clerici & Laici perpetuis temporibus, Feria quarta & ſexta, & Sabbato, excepto Dominicæ Nativitatis feſto, carnes non comedant. Cum infirmis & debilibus, & itinerantibus poterit Miniſter diſpenſare, ſecundum quod neceſſitati viderit expedire. Diebus vero, quibus non jejunatur, bis in die duntaxat comedant, & ſemper in menſa Conventus lectio habeatur. In tempore Adventus, in Feria quarta & ſexta, & in majori Quadrageſima Feriis ſecunda, quarta & ſexta cuncti Fratres Clerici & Laici faciant diſciplinam, niſi Feſtum duplex occurrat. Infirmi & debiles a diſciplina excludantur. Semel in hebdomada, in Feriis ſextis ad minus, Miniſter Fratres ſuos pro ipſorum monitione, ordinatione & reformatione, teneantur ad Capitulum convocare, in quo quotidianæ culpæ & negligentiæ plene & ſigillatim recognoſcantur, & recognitæ debite puniantur. Si quis Fratrum, inſtigante Inimico, mortaliter peccaverit, cum miſericordia injungant illi pœnitentiam, & cavere debent Prælati, ne iraſcantur & conturbentur propter peccatum alterius, quia ira & conturbatio in ſe & in aliis impediunt caritatem, irati Judæi voluerunt præcipitare Dominum.

CAPUT SEXTUM.

De Prædicatoribus, Confeſſoribus, Ordinandis, Hoſpitibus, de eleemoſynis, & quomodo Fratres debeant ire per Mundum.

SI cœcus cœco ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt, ea propter nullus Frater populo penitus audeat prædicare, niſi a Miniſtro Generali hujus fraternitatis ſuerit examinatus & approbatus, & ab eo officium prædica-

dicationis ſibi fuerit conceſſum. Prædicatores in prædicatione, quam faciunt, examinata, & caſta eorum ſint eloquia ad utilitatem & ædificationem Populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate ſermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus ſuper Terram. Quicumque Fratres Divina inſpiratione voluerint ire inter Saracenos & alios Infideles, petant licentiam a Miniſtro Generali, qui nullis eundi licentiam tribuat, niſi eis, quos viderit idoneos ad mittendum. Priuſquam Fratres ad Confeſſionum audiendarum officia promoveantur, examinentur a Miniſtro Generali, & aſſumatur teſtimonium de eorum vita & ſufficientia ab aliis Fratribus fide dignis, & notitiam eorum habentibus, & de ipſorum conſilio deputentur. Fratres ſacros Ordines non recipiant ſine Miniſtri Generalis vel gerentis ejus vices licentia, & quicumque contrafecerit a ſuſcepto ordine ſuſpendatur, nec promoveatur ad Sacerdotium, niſi ætatis ſuæ attigerit annum vigeſimum quintum, & prius ſteterit per duos annos in Religione, & ſit competenter literatus. Profeſſus pro Laico non promoveatur ad Clericatum ſine Miniſtri Generalis licentia. Fratres omnes hoſpites recipiantur in viſceribus cariratis, maxime venientes de extraneis partibus, memores quod dicit Dominus: hoſpes eram & collegiſtis me. Fratres tamquam peregrini, & advenæ in hoc ſeculo in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemoſynis confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Deus ſe pro nobis fecit pauperem in hoc Mundo. Ad evitandum diſcurſus, & tollendam materiam evagationis, nullus Miniſter poſſit licentiare Fratres ad peregrinationes, abſque Miniſtri Generalis aſſenſu. Nullus Frater exeat extra ſuum Conventum, vel Provinciam etiam prætextu recurſus ad Prælatum Superiorem; ſine licentia Miniſtri, quando exit locum, vel Miniſtri Generalis, quando exit Provinciam. Fratres quando vadunt per Mundum, non litigent, nec contendant verbis, neque alios judicent, ſed ſint mites, pacifici & modeſti, manſueti & humiles, honeſte loquentes omnibus, ſicut decet, vadantque bini ſicut dicitur in Evangelio: & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem Civitatem & locum, quo erat ipſe venturus. In quamcumque Domum intraverint, dicant: Pax huic Domui, & ſecundum ſanctum Evangelium de omnibus cibis, qui apponuntur eis, liceat manducare, dicit enim Dominus, manducate quæ apponuntur vobis.

CAPUT SEPTIMUM.

De cura Infirmorum, & Officio Mortuorum.

DIcit Dominus in ſancto Evangelio: mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem, in hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinvicem. Itaque caritatis opera ſuper omnia Dominus noſter commendavit nobis, ubi caritas & amor, ibi Deus eſt, qui non habet caritatem, nihil habet. Eapropter habeatur ægritudinarium in ſaniori loco totius Domus, ubi infirmi curentur, & viſitentur a Medico ad hoc deputato, & habeant infirmarium. Alii Fratres debent ſervire infirmis, ſicut vellent ſibi ſerviri: ſi quis Frater, Clericus vel Laicus in infirmitatem ceciderit, Miniſter Domus per ſe quotidie vel per aliam perſonam eum viſitare teneatur, & de bonis communibus omnia neceſſaria diligenter faciat illi miniſtrari, teneaturque infirmum monere ad pœnitentiam acceptandam, veramque converſionem ad Deum faciendam, mortis propinquitatem, & judicii Divini diſtrictionem, ſimulque Divinam miſericordiam proponendo. Circa Divi-

num Officium diſpenſet Miniſter cum infirmis. Infirmus referat de omnibus gratias Creatori, & qualem vult Deus eum eſſe, talem ſe deſideret, ſive ſanum ſive infirmum, quia omnes, quos Deus præordinavit ad vitam æternam, flagellorum atque infirmitatum ſtimulis, & compunctionis ſpiritu erudit, ſicut dicitur in Apocalypſi, ego quos amo, arguo & caſtigo, ſi autem turbabitur aut iraſcetur contra Deum, ſive contra Fratres, vel ſi forte ſollicite poſtulaverit medicinas, nimis deſiderans liberare carnem cito moriturum, quæ eſt inimica animæ, a malo quod ſibi evenit, & carnalis eſt, & non videtur eſſe de Fratribus, quia plus diligit corpus, quam animam. Poſtquam aliquis Frater ab hac luce migraverit, curabit Miniſter, quod ejus exequiæ ſolemniter celebrentur, quibus omnes Fratres illius Domus, ubi ipſum mori contigerit, perſonaliter intereſſe debent, nec recedere donec corpus traditum ſit ſepulturæ, & pro anima cujuslibet Defuncti infra decem dies quilibet Sacerdos unam Miſſam, ſcientes autem Pſalterium quinquaginta Pſalmos, neſcientes vero, quinquaginta Pater noſter, & in fine cujuslibet Requiem æternam &c. dicere teneantur; in fine autem cujuslibet anni, quilibet Sacerdos tres Miſſas pro Defunctis; ſcientes Pſalterium, unum Pſalterium, neſcientes vero, centum Pater noſter cum Requiem æternam &c. in fine cujuslibet dicere debeant. Et circa iſta Officia pro Defunctis, & alia Officia Divina in præſenti ſerie annexa, cura imponitur Miniſtris, ut fideliter perſolvantur, memores, quod dicit Dominus: quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.

CAPUT OCTAVUM.

De electione Miniſtri Generalis, & temporis duratione, ac Capitulo Generali.

OMnes vos Fratres eſtis, unus eſt Pater veſter, qui in Cœlis eſt, & ſic totius ovilis ſuit unus Paſtor. Itaque univerſi Fratres iſtius Religionis teneantur ſemper habere Miniſtrum Generalem Sacerdotem Profeſſum ejuſdem Ordinis, & ſervum totius Fraternitatis, & ei teneantur omnes fideliter obedire. Electio Miniſtri Generalis fiat de triennio in triennium, in Capitulo Generali celebrando Dominica proxima poſt feſtum S. Joannis ante Portam Latinam, in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Valle, Diœceſis Aſtoricenſis, vel in alio Monaſterio Ordinis, ubi & quando Capitulum Generale fuerit aſſignatum; conveniant Miniſtri pariter & Diſcreti Procuratores ſuorum Monaſteriorum ad celebrationem Capituli Generalis, exceptis impeditis per ægritudinem aut ſenectutem, aut aliam juſtam cauſam; cum contigerit ex prædictis aliquem vel aliquos ad Capitulum Generale non venire, nihil eorum, quæ expedienda ſunt, per Capitulum omittatur. Monaſteria habeant duo vota, videlicet votum Miniſtri & votum Diſcreti in nomine Communitatis. Diſcretus ferat poteſtatem Conventus in ſcriptis ſubſcriptam a Religioſis ſui Conventus, & pro die deſignato celebrationi Capituli Generalis, congregatis prædictis Miniſtris & Diſcretis Procuratoribus, cantata Miſſa de Spiritu Sancto, fiat ſermo Fratribus in communi, deinde ingreſſi Capitulum, ante omnia eligant per vota unum Præſidentem & quatuor Definitores, unum ſcribam, bonos viros, ſapientes & Deum timentes; ſcriba cum ſocio ad Præſidentis, & Definitorum electionem accipiat vota jurata, & ſint electi per majorem partem votorum, ſi fuerit paritas in votis, præferatur electio, in qua Miniſter Generalis voverit, quibus electis, Miniſter Generalis coram omnibus ſe accuſet, & re-

renunciet officium in manibus Præſidentis, & exhibeat illi ſigillum, egrediatur; Præſidens præſideat, & habeat Capitulum Generale ut Prælatus, & audiat querelas omnium, faciens & adminiſtrans juſtitiam, ut viderit expedire ſecundum ſtatuta Religionis.

Literæ teſtimoniales Diſcretorum Procuratorum, Præſidenti & Definitoribus præſententur, coram omnibus legendæ, Præſidens & Definitores provideant, quod pro abſentibus & voce privatis, alii Fratres non votent. Electores electionem Miniſtri Generalis faciant per ſcrutinium, accipiendo vota jurata, & vota ſint æqualia in qualitate: Præſidens & Definitores & Scriba voveant primum, & deinde Miniſtri, poſt autem Diſcreti Procuratores. Electus per majorem partem votorum, quæ ſit major medietate, ſit Miniſter Generalis, & ſi ſorte fuerit paritas in votis vovendo in Religioſis, præferatur electio majoris partis Miniſtrorum, & ſi occurrerit ut in æquali gradu, Miniſtri præferantur electioni, ubi fuerit major pars Definitorum, & ſi fuerit in votis Definitorum, præferatur electio, in qua Præſidens Capituli Generalis voverit. In receptione votorum non ſit Præſidens præſens. Occupetur tamen, ut celebretur Capitulum Generale breviter & pacifice & quietius, quam fieri poterit, donec Miniſter Generalis ſit electus, & ponat ſuper hoc ſententias & cenſuras excommunicationis, & in omnibus obediatur Præſidenti ſicut Prælato, & publicata electione Miniſtri Generalis, poteſtas Præſidentis expiret & ceſſet. Et impoſterum Miniſtro Generali ſicut Prælato immediato, & mandatis ſuis in ſpiritualibus & temporalibus Præſidens & Definitores & Capitulum & totus ordo obediant; officium Miniſtri Generalis durabit per triennium, qui electus auctoritate Apoſtolica confirmatus habeatur, & ſit tantum ſubjectus Sedi Apoſtolicæ ſanctæ ipſum cum univerſali Ordine protegenti. Nullus Frater in dicta electione Miniſtri Generalis faciat colligationes, vel inductiones comminando, promittendo, laudando vel mendaciter detrahendo. Et qui ſcienter iſta fecerit, ab omni actu legitimo per decennium ſuſpendatur. Nullus alterius Religionis aut Profeſſionis, nulluſque ſecularis cujuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtat, tractatibus Capituli admittatur. Miniſtri & Procuratores Diſcreti referant ad Capitulum numerum defunctorum Fratrum & Monialium a tempore Capituli Generalis proxime præcedentis.

Numerus autem Defunctorum ibi recitatus, ad ſingulos Conventus, una cum ordinationibus & Conſtitutionibus Capituli Generalis deportetur, ut faciant pro Defunctis, quod eſt conſuetum, & in fine aſſignetur locus & tempus Capituli Generalis ſequentis. Tamdem fiat confeſſio & abſolutio in communi, perſeverantibus benedictio detur, & Apoſtatæ anatematizentur. Deinde cantetur Te Deum laudamus. Verſiculus: Confirma. Oratio: Actiones. Miniſter Generalis ſuo triennio nominet & eligat unum Commiſſarium Generalem & Commiſſarios Provinciales, qui ſint Sacerdotes profeſſi hujus ſacri Ordinis de Pœnitentia, ut ſecum ſublevent onera Religionis. Miniſter Generalis in Curia Romana vel Regia occupatus, aut ægritudine præpeditus, & tempore triennii finito, poteſt Capitulum prorogare, quod hoc modo fieri debet: ſi pro negotio Ordinis detineatur in Curia Romana, per ſpatium anni valeat Capitulum prorogare; quod ſi in Curia Regia per dimidium annum impediatur, aut alia juxta cauſa, Capitulum differatur a finito triennio per tres menſes, & hoc tempore prorogato reſpective utetur ſuo officio, & habeat eamdem poteſtatem & facultatem, quam in duratione ſui triennii, ſine aliqua limitatione aut diminutione. Quando vero Miniſtrum Generalem intra triennium mori contigerit, qui fuerit Commiſſarius Generalis ſuccedat in officio, & hanc eamdem facultatem

tem & poteſtatem habeat, quam Miniſter Generalis tenebat, ſine aliqua limitatione aut diminutione, & hoc intelligitur uſque ad Capitulum Generale, in quo finitur triennium Miniſtri Generalis defuncti. Hujus etiam Ordinis Miniſtrum Generalem & Commiſſarios ab eo deputatos, & Miniſtros cum ad Fratres diverterint, humiliter & reverenter ſuſcipiant, & illis debitum honorem impendant. Si vero Miniſter Generalis durante triennio, aut tempore prorogationis non innitatur juſtitiæ, injuſte gubernans ſuum officium, & contra Deum & Ordinem, & Ordinis bona commiſerit delictum, Præſidens & Definitores Capituli proximi Generalis puniant & caſtigent Miniſtrum Generalem, prout ſua delicta exegerint. Si vero exceſſus fuerint adeo enormes & exorbitantes, poſſint Præſidens & Definitores convocare Capitulum Generale, in quo attentis dictis exceſſibus, a majori parte Capituli poſſit privari & amoveri, & valeant eligere alium in ſuo loco, ut ſolet eligi. Dicit Dominus de illo ſervo malo & pigro: tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem. Item malos male perdet, & vineam ſuam aliis agricolis locabit, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.

CAPUT NONUM.

De Electione Miniſtri Conventualis, & de Viſitatione Miniſtri Generalis.

DOminus dicit, quod non venit miniſtrari ſed miniſtrare, & ſic Miniſter non in Dominum, ſed in ſubditorum ſervum eligitur. Quælibet Domus habeat Superiorem ipſius Fraternitatis, qui Miniſter appelletur, & ſit Sacerdos profeſſus hujus ſacri Ordinis de Pœnitentia, electus a Monaſterio cui præficiendus eſt, niſi quando idoneam perſonam non haberet, quo caſu de alio Monaſterio eligi poteſt. Miniſter Generalis aut ejus Vicesgerens faciat electionem per ſcrutinium, accipiendo vota jurata, & electus per majorem partem votorum, quæ ſit major medietate, ſit Miniſter Conventualis. Si fortaſſis fuerit paritas in votis Religioſorum, præferatur electio majoris partis antiquiorum & ſeniorum. Si autem ſeniores occurrerint in æquali gradu, præferatur electio magis neceſſaria & utilis obſequio Dei & bono regimini talis Conventus, & electus a Miniſtro Generali vel ejus vicesgerente confirmetur. Officium Miniſtri durabit per triennium; ſi finito tempore triennii, Miniſter Generalis non potuerit venire ad Monaſterium, pro electione Miniſtri, liceat ei illum prorogare ad tempus idoneum, & toto tempore prorogationis utatur ſuo officio, miniſtret & gubernet, ut ante conſueverat. Nullus Frater in aliqua electione ſeu viſitatione aut promotione alicujus ad aliquod officium Ordinis, faciat colligationes vel inductiones, comminando, promittendo, laudando vel mendaciter detrahendo, & qui ſcienter contrafecerit, ab omni actu legitimo ſuſpendatur per decennium. Miniſtri obediant per omnia, quæ ad præſentem Regulam ſpectant, Miniſtro Generali & Commiſſariis viſitatoribus ab eo deputatis, quamdiu in ipſis officiis extiterint, quoad vero ad alia officia intra Domum, ſervabunt ſtatuta ſua. Miniſter cujuslibet Domus ſuo triennio nominet Vicarium Conventus, qui adjuvet illum ad ſuſtentandum onus officii, Miniſter Generalis acceptet & recipiat talem nominationem, niſi aliqua rationabilis cauſa aliud perſuadeat, quod ſi in tali caſu ei utile & expediens videatur, poteſt eligere alium Vicarium de conſilio & aſſenſu Conventus vel majoris partis ipſius. Vicarius Chori, Magiſter Novitiorum, Sacriſta,

Pro-

Procurator, Depoſitarius, Oſtiarius, & alia officia Conventus ponantur in conformitate Miniſtri Generalis, & Miniſtri Conventualis cum conſilio Diſcretorum Conventus, & in hoc provideat Prælatus habito reſpectu ad obſequium Dei & commoditatem ſuorum ſubditorum, ut dicat illi Dominus: quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Miniſter Generalis viſitabit in triennio ſemel tantum quamlibet Domum Fratrum, vel viſitet, prout ordinatum fuerit in Capitulo Generali. Si in viſitatione mutaverit aliquem Miniſtrum minus ſapientem, aut minus commode adminiſtrantem, hoc amoto, alium magis idoneum inſtituat, & faciat electionem, ut dictum eſt. Transferat & commutet Fratres ab uno Monaſterio ad aliud, prout intellexerit expedire animarum ſaluti & Ordinis conſervationi. Non præcipiat aliquid contra animam ſuam & Regulam ipſam. Debent autem Miniſtri dicere Miniſtro Generali defectus, qui correctione indigent, ſimiliter & alii Fratres. Miniſter Generalis viſitet, corrigat & hortetur Fratres humiliter & caritative, recolens quod dicit Dominus: Si peccaverit in te Frater tuus, vade & corrige eum inter te & ipſum ſolum. Si aliqui fuerint incorrigibiles, pertinaces & ſcandaloſi, judicio Miniſtri Generalis & Conventualium Domus, tamquam morbida pecus, remoto habitu, ejiciantur de Congregatione, dicit Dominus. Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus & demergatur in profundum Maris.

CAPUT DECIMUM.

De admonitione Fratrum, & de facultate Miniſtri Generalis, & de obligatione Contentorum in Regula.

Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, ait Dominus, jam mœchatus eſt in corde ſuo. Idcirco univerſi Fratres non habeant ſuſpecta conſortia mulierum, nec ingrediantur Monaſteria Monialium, præter illos, quibus a Miniſtro Generali conceſſa eſt licentia ſpecialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur, Vhe homini illi, per quem ſcandalum venit. Quod prohibetur ne Fratres fiant Compatres, intelligendum eſt quo ad elevationem a Fonte baptiſmatis, non quoad baptizationem. Debent etiam ab acceſſu Curiarum Principum, Dominorum ſeu Dominarum ubi mollia hujus Mundi, Domino teſtante, habentur, omnino cavere, nec ullo umquam tempore, choreis, ludis, jocis & aliis hiſtriorum vanitatibus intereſſe. Caveant Fratres in quibuſcumque feſtis, veſtes extraneas religioſas ſeu ſeculares aut Clericales ſeu mulieбres, etiam ſub ſpecie devotionis induere, nec habitus aut veſtes Ordinis ſecularibus pro ludis faciendis, aut ſimilibus ullo modo accommodentur, ſub pœna amotionis confuſibilis de Conventu.

Numquam Fratres revelent ſecreta Ordinis. Debent quoque eſſe parci in verbis & locutionibus, quæ raro ſine peccato multiplicantur, & ſuper omnia ab omni mendacio & juramento quocumque, juxta mandatum Chriſti: Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non, niſi pro pace, fide, calumnia & teſtimonio perhibendo cavere debent. Fratres qui ſunt ſubditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates, obediant ſuis Prælatis in omnibus, quæ promiſerunt Deo obſervare, & non ſunt contraria animæ & Regulæ, & ubicumque ſunt Fratres, qui ſcirent & cognoſcerent, ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſervare, ad Miniſtrum Ge-

Generalem debeant & poſſint recurrere. Miniſter Generalis caritative & benigne eos recipiat, & tantam familiaritatem habeat circa eos, ut dicere poſſint ei, & facere ſicut Domini ſervo ſuo, nam ita debet eſſe, quod Miniſter Generalis ſit ſervus omnium Fratrum, ait enim Dominus. Qui major eſt inter vos, erit veſter ſervus. Miniſter Generalis habet omnes facultates conceſſas Miniſtris & Magiſtris Generalibus Ordinum Mendicantium de Obſervantia & Clauſura, & conceditur Miniſtro Generali & non alii, ut valeat interpretari & exponere quidquid dubitationis occurrerit & contigerit in Conſtitutionibus, ſtatutis & moribus hujus ſacri Ordinis de Pœnitentia, cujus interpretatio, expoſitio, deciſio atque judicium teneatur & cuſtodiatur a Fratribus. Et poteſt diſpenſare in jejuniis, aſperitatibus, indumentis & ceteris omnibus, dummodo id conſentaneum ſit Religioni.

Miniſter Generalis alteri facultate non commiſſa, poteſt diſpenſare ſuper votum paupertatis tam communiter, quam particulariter, ut omnes Fratres & Moniales valeant aut per totum vitæ ſpatium, aut ad præſcriptum tempus privatim poſſidere quidquid ejus permiſſu fuerit eis conceſſum. Qua facultate ſeu licentia ceſſante, omnia, quæ ſuperfuerint, redeant ad Conventum ubi fecerunt Profeſſionem, qua in re Miniſtri Generalis conſcientia diſcutienda eſt, ut modeſte & convenienter utatur hac auctoritate, ut omnia fiant ad utilitatem animarum ſine reſpectu alicujus gratiæ privatæ, vel amoris, ſed id tantum fiat cauſa ſubveniendi neceſſitati, quam videat habere Fratrem aut Monialem aut Monaſterium, cui facultas fuerit permiſſa. Fratres beneficia quæcumque per Clericos ſeculares teneri ſolita, non tamen Capitularia tenere libere & licite poſſint, ſolum Generalis Miniſter & Commiſſarius Generalis poſſint benedicere Corporalia, & iidem Miniſtri Conventuales omnia & ſingula Ordinis Pœnitentiæ Eccleſias, Cœmeteria, Capitula & Oratoria ubicumque exiſtentia tam recepta, quam recipienda, ac paramenta & ornamenta Eccleſiaſtica, & alia quæcumque ad Divinum cultum & uſum Fratrum & Monialium neceſſaria, in quibus Criſma non intervenit, pro eorumdem Fratrum & Monialium uſu tantum, ſolemni benedictione valeant benedicere, & ſimiliter poſſint reconcialiare Eccleſias, quæ quomodolibet ſanguinis vel feminis effuſione pollutæ fuerint, & hoc cum aqua per prædictos Prælatos benedicta.

Omnia & ſingula in præſenti Regula contenta ſunt conſilia ad facilius ſalvandas animas viatorum, & nulla ſunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, niſi humano vel Divino jure aliquis alias eſſet obligatus. Obligantur tamen Fratres facere pœnitentias ſibi a Superioribus impoſitas, quando ſuper hoc requiraotur, obligantur etiam ad tria vota eſſentialia, ſcilicet obedientiam, caſtitatem & paupertatem, nihil habendo in ſpeciali ſine licentia Prælati. Ut autem vos in hac Regula, tamquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, ſemel vobis in qualibet feria ſexta legatur, & ubi vos inveneritis ea, quæ ſcripta ſunt, facere, facite, agite gratias Deo, bonorum omnium largitori, ubi autem ſibi quicumque videt aliquid deeſſe, doleat de præterito, & caveat de futuro, orans ut ei debitum dimittatur, & in tentationem ne deinceps inducatur. Recordentur ſemper, quod ait Dominus: ibunt mali in ignem æternum, juſti autem ad vitam æternam. Quicumque hanc Regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illis & miſericordia. Gloria Patri &c.

Finis Regulæ Fratrum primi Status.

Re-

Regula ſecundi Status.

In Nomine Domini. Incipit Regula, & vita Monialium ſecundi ſtatus ſacri Ordinis de Pœnitentia regularis Obſervantiæ Seraphici Patris noſtri Franciſci collegialiter in Monaſteriis viventium, habet decem Capita.

CAPUT PRIMUM.

De his, quæ debent promittere, volentes hunc Ordinem introire.

SI pœnitentiam non habueritis, dicit Dominus, omnes ſimul peribitis, facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, quia arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, & Regnum Dei dabitur genti facienti fructum; ideo quæcumque a Deo illuſtratæ & vocatæ ſeculi vanitatem deſerere elegerint, & hujus Regulæ habitum aſſumentes, Jeſu Chriſto Redemptori noſtro deſponſari voluerint, Sanctiſſimo Domino noſtro Paulo Papæ III. & ejus Succeſſoribus canonice intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ fideliter obediant, ac in Profeſſione promittant ſervare mandata Dei, & ſatisfacere tranſgreſſionibus, quas fecerint, ubi a Prælatis requiſitæ fuerint, voveant ſemper vivere in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate, ſi aliquod Monaſterium Monialium decreverint votum promittere clauſuræ, cum conſenſu Miniſtri Generalis ſit licitum id facere. Inſuper Miniſtro Generali, qui eſt, & illi pro tempore ſuccedenti humiliter pareant, & ab hac regulari vita numquam diſcedant, ſimiles illi, qui ædificavit domum ſuam ſuper petram.

CAPUT SECUNDUM.

De Monialibus recipiendis, & de Magiſtra Novitiarum & de earum Profeſſione.

EGo ſum oſtium, dicit Dominus, per me ſi quis introierit, ſalvabitur. Igitur cum ingreſſus in hunc Ordinem ſit quædam ſingularis oblatio, quæ Redemptori noſtro, ejuſque glorioſæ Genitrici offertur, exhibendo ſe ei hoſtiam vivam, mente & corpore, idcirco expedit ut hunc Ordinem aſſumere volentes, diligentius examinentur, ſi ſint Catholicæ & fideles, Chriſtianæ, nullius erroris ſuſpectæ, corpore & intellectu incolumes, voluntate promptæ, quæ doceantur & informentur in omnibus, quæ obſervare tenentur, ut matura deliberatione probent, ſi hanc vitam & Regulam ſibi expediat aſſumere, ne poſtmodum conquerantur propter aſperitates & difficultates, quas in hoc Divino itinere aliquando repererint, quæ autem notata fuerit, vel longiori ætate vel infirmitate aliqua, ſeu fatua ſimplicitate, ad hujuſmodi vitæ obſervantiam non recipiatur, & inſufficiens & non idonea cenſeatur, niſi forte cum aliqua interdum ob arduam rationabilemque cauſam a Miniſtro Generali aliquando fuerit diſpenſatum, per tales enim ſtatus & vigor Religionis diſſolvitur & turbatur; unde in perſonis recipiendis, diligenti ſtudio & cautela debet hujuſmodi occaſio devitari. Non recipiat Abbatiſſa auctoritate propria aliquam Novitiam abſque conſenſu omnium Monialium, vel ſaltem majoris partis ex illis, & cum licentia Miniſtri Generalis. Omnes vero ex more intra clauſtrum receptæ, tonſis crinibus, cito de-

deponant habitum ſecularem, quibus deputetur Magiſtra, quæ eas informet regularibus diſciplinis. Ad tractatus quoque Capituli infra annum nullatenus admittatur, finito probationis anno, ſi majori parti Monialium viſum fuerit converſationem ejus eſſe laudabilem, & eam aptam eſſe Religioni, & ætatis legitimæ, recipiatur ad Profeſſionem, promittendo in manibus Miniſtri Generalis vel gerentis ejus vices vitam iſtam ſemper & Regulam obſervare, dicendo hoc modo: Ego Soror N. voveo & promitto Deo, & beatæ Mariæ Virgini, & beato Franciſco, & omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ ſervare Regulam Monialium ſecundi ſtatus ſacri Ordinis de Pœnitentia, per Dominum Papam Paulum III. confirmatam & approbatam, vivendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate; in Monaſterio, ubi promittunt votum clauſuræ, addant Moniales in Profeſſione: & ſub clauſura, & illico qui eam recipit, eidem reſpondeat: Ego ex parte Dei & ipſius forma ordinationis, ſi hæc obſervaveris, promitto tibi vitam æternam, juxta illud, quod dicit Dominus in ſancto Evangelio, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis.

CAPUT TERTIUM.

De habitu Monialium Profeſſarum & Novitiarum.

Dicit Dominus: qui in veſte pretioſa ſunt & delitiis, in Domibus Regum ſunt, unde pauperculas veſtes Moniales non contemnant, quibus propter Chriſtum libenter ac ſponte ſua indutæ, ſpirituales in Cœlo divitias invenient, & illa Sponſo ſuo Chriſto carior erit, quæ viliori habitu fuerit contenta, & etiam rebus corpori neceſſariis parcioris pretii. Habitus & chlamys Monialium Profeſſarum & Novitiarum hujus ſacri Ordinis de Pœnitentia ſit de panno Religioſo tam in pretio, quam in colore, qui erit ſimilis ei, quem habent Fratres primi ſtatus, juxta conſuetudinem diverſorum Regnorum, nimia brevitate vel longitudine non notanda, ut in operiendis pedibus debita ſervetur honeſtas, & curioſæ longitudinis ſuperfluitas penitus evitetur. Tunica ſuperior manicata ſit amplitudinis & altitudinis congruentis, ut per habitus exterioris honeſtatem honeſtas intrinſeca cognoſcatur. Chlamys ſit coloris habitus, & ex panno humili, & in forma ſervetur modus honeſtus, omni curioſitate penitus abdicata. Unaquæque Monialis, præter interulam lineam, duas tunicas panni albas vel etiam plures, ſecundum quod viſum fuerit Abbatiſſæ, habere valeat, pro cingulo autem chordam habeant minime curioſam. Capitis autem amictus vilis; aut velis de tela communi omnino albis, non tamen pretioſis aut curioſis capita ſua cooperiant uniformiter & honeſte, ita ut frons, genæ & collum & gula ſint, ut earum honeſtati & religioni convenit, cooperta, nec aliter coram extraneis perſonis comparere audeant. Portent Profeſſæ etiam velum album non pretioſum nec curioſum ſuper capnt omni loco & tempore, propter miſticam ſignificationem Reſurrectionis Domini, atque etiam puritatis Dominæ Noſtræ. Omnes Moniales communiter capillos ſuos uſque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Calceamenta vero ſint ſculporreici vel corii, ſoleæ vel calcei, vel ſimplicis corii ſandalia. Mater Abbatiſſa poterit diſpenſare in neceſſitatibus, ut poſſint portare calceamenta, ſecundum neceſſitates locorum & perſonarum. Humilitatem & paupertatem Chriſti, ejuſdemque benedictæ Genitricis ſtudeant imitari, amantes prædictam paupertatem tam in vilitate veſtimentorum, quam in calceamentis & ceteris omnibus, procurando conſervare veſtem nuptialem caritatis.

Re-

Recordentur, quod intravit Rex, ut videret diſcumbentes, & vidit hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? at ille obmutuit, tunc dixit Rex Miniſtris: ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fictus & ſtridor dentium.

CAPUT QUARTUM.

De Divino Officio, Oratione, Confeſſione, Communione & de Silentio.

VIgilate & orate, ait Dominus, ut non intretis in tentationem, oportet ſemper orare, & numquam deficere. Hoc Moniales attente conſiderent, & ſuper omnia debent deſiderare, habere ſpiritum Domini & ſanctam ejus operationem, & cum puritate cordis & devota oratione a terrenis deſideriis, & ſeculi vanitatibus mundare conſcientiam, & unus ſpiritus effici cum Chriſto Sponſo ſuo per amorem, per quem acquirent perpetuam erga vitia, quæ nos a Deo ſeparant, inimicitiam, Oratio autem eſt illa, quæ nos inimicos diligere facit; orate, ait Dominus, pro perſequentibus & calumniantibus vos; hæc enim eſt, quæ clauſuram & ceteros Religionis labores in dulcedinem convertit. Ut ergo hoc opus tam neceſſarium ſaluti in hoc ſacro Ordine melius exerceatur, Moniales quæ recipientur ad chorum, teneantur dicere Officium tam in die, quam in nocte, ſecundum Breviarium Romanum, prout Fratres primi ſtatus hujus ſacri Ordinis de Pœnitentia recitare debent. Miniſter Generalis habet facultatem diſpenſandi circa anticipationem & poſtpoſitionem horarum. Moniales vero laicæ dicant viginti quatuor Pater noſter & Ave Maria pro Matutinis, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta & Nona pro qualibet iſtarum ſeptem, pro Veſperis autem duodecim, pro Completorio ſeptem, & quoties dicunt Orationem Dominicam, & toties Orationem Angelicam cum verſiculis Gloria Patri &c. ſingulis ultimis cujuslibet horæ ſalutationibus additis, qui modus in Officio beatæ Mariæ Virginis per omnia obſervetur. Pro Defunctis dicant in Veſperis ſeptem Pater noſter & toties Ave Maria cum verſiculo requiem. Pro Matutinis & Laudibus duodecies Pater noſter & toties Ave Maria cum requiem, tempore quo Moniales literatæ faciunt officium Defunctorum. Quæ vero occaſione rationabili non poſſent aliquando legendo dicere horas ſuas, liceat eis, ſicut illiteratis dicere Pater noſter. Et ut hic ſacer Ordo in virtute & Religione, mediantibus Sacramentis, continue creſcat, ſtudeant diligenter Moniales confiteri, & Euchariſtiam ſuſcipere in diebus & feſtis Nativitatis Domini, feria quarta Cinerum, Cœna ipſius Domini, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis Mariæ, & Seraphici Patris Franciſci, & Omnium Sanctorum ſolemnitate. Moneantur invicem, ut orationis ſanctæ ſtudium non prætermittant, ut ſic illis omnibus potior orandi detur occaſio, diligant ſilentium, nam in multiloquio non deeſt peccatum, & quæ lingua non offendit, magnæ perfectionis eſt, & Religioſæ non refrænantis linguam ſuam eſt vana Religio. Proinde poſt Completorium uſque ad primam pulſationem Primæ ſequentis diei, & tempore, quo poſt prandium dormitur, ſcilicet a feſto Reſurrectionis Domini uſque ad Exaltationem ſanctæ Crucis, Moniales ſilentium teneant, exceptis ſervientibus, fileant etiam continue, ſed præcipue in choro, clauſtro, dormitorio, & in refectorio dum comedunt, præterquam in infirmaria, in qua pro recreatione & ſervitio Infirmarum loqui diſcrete ſemper Mnnialibus liceat. Poſſunt etiam ſemper & ubique breviter ſubmiſſa voce & honeſte,

quod neceſſe fuerit, infinuare. Non loquantur cum aliquibus, qui non ſunt de Monaſterio abſque Abbatiſſæ licentia, & cum auſcultatricibus, fugiant autem moroſas confabulationes, ſermo Virginis debet eſſe rarus & pudicus, oſtendant ſe veras imitatrices humilitatis, manſuetudinis, & honeſtatis Redemptoris noſtri, ejuſque dulciſſimæ Matris, verbo, geſtu & inceſſu; de Virgine legitur in ſancto Evangelio: Surgens Maria abiit in montana cum feſtinatione.

CAPUT QUINTUM.

De Jejuniis, Abſtinentia, & de modo laborandi & dormiendi.

HOc genus Dæmoniorum, ait Dominus, ejicitur in jejunio, Jejunium corporale vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur & præmia. Eapropter Moniales omnes literatæ & laicæ a prima Dominica Adventus uſque ad Nativitatem Domini, diebus Dominicis exceptis, jejunent quotidie, juncta Quadrageſima univerſalis Eccleſiæ uſque ad Reſurrectionem Domini, quam tamem a quinquageſima incipere debent, a feſto Omnium Sanctorum omni feria jejunare tenentur, ac ſimiliter qualibet feria ſexta totius anni, & omnibus diebus, in quibus ab Eccleſia eſt indictum jejunium, vigilia Seraphici Patris Franciſci jejunetur. Tempore vero manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Moniales jejunio corporali. Cunctæ Moniales literatæ & laicæ, perpetuis futuris temporibus, feria quarta, ſexta & ſabatho, excepto Dominicæ Nativitatis feſto, carnes non comedant. Cum infirmis & debilibus poterit Abbatiſſa diſpenſare, ſecundum quod neceſſitati viderit expedire. Diebus vero, quibus non jejunatur, bis in die dumtaxat comedant, & ſemper in menſa Conventus lectio habeatur. Tempore Adventus in feria quarta & ſexta, & in majori Quadrageſima feria ſecunda, quarta & ſexta, cunctæ Moniales literatæ & laicæ faciant diſciplinam, niſi feſtum duplex occurrat. Infirmæ & debiles a diſciplina excuſentur. Moniales omnes præter infirmas laborent fideliter & devote temporibus ad hoc aſſignatis, expellendo otium animæ inimicum, quod via & porta eſt, per quam vitia & peccata ingrediuntur, & ducunt animam in perditionem. Nec laborum pretium aliqua ſibi appropriet ſine Miniſtri Generalis licentia, & prout expedit famulabus, & imitatricibus Dei, & ſanctæ paupertatis Genitricis ejus, omnia ſint communia: ſi aliquæ juveniles & grandiores capacis ingenii fuerint, eas inſtrui faciat, ſi videbitur ſibi, Abbatiſſa, eis Magiſtram deputans idoneam & diſcretam, per quam tam in cantu, quam in Divinis officiis inſtruantur; omnes Moniales ſanæ tam Abbatiſſa, quam aliæ dormiant in loco communi, & quælibet per ſe lectum habeat ab invicem ſeparatum, lectus tamen Abbatiſſæ in tali loco dormitorii diſponatur, quod inde ceteros lectos ſine obſtaculo, ſi commode fieri poſſit, valeat intueri, ſint lecti Monialium pauperculi, & paupertati quam Domino Deo voverunt, conformes. Lampas inſuper de nocte accenſa ſemper in medio dormitorii habeatur. Moniales infirmæ dormiant in ægritudinario. A feſto Reſurrectionis Dominicæ uſque ad feſtum beatæ Mariæ Virginis Moniales dormient poſt prandium uſque ad Nonam, quæ voluerint, quæ vero noluerint, oratione ſeu meditatione Divina, ſive aliis piis & quietis laboribus occupentur, ait Dominus: Vigilate, quia neſcitis diem neque horam.

CA-

CAPUT SEXTUM.

De Clauſura & de Oſtiaria, & quibus & qualiter liceat ingredi Monaſterium.

Dominus Jeſus, januis clauſis, ſtetit in medio Diſcipulorum ſuorum, eapropter, ut melius & perfectius Moniales clauſuram cuſtodiant, habeant in patenti & manifeſto loco unam rotam fortem, cujus altitudo talis ſit & longitudo, quod nulla perſona ætatis adultæ per eam ingredi valeat vel exire, per quam ea, quæ intromitti poterunt, inferantur, habeant etiam circa præfatam rotam interius exteriuſque oſtiolum, quod nocturno tempore & diurno vel æſtivo, quando Moniales poſt prandium dormiunt, clauſum ſemper maneat. Habeant etiam aliam portam, per quam inferantur neceſſaria, & quæ per rotam intromitti non poſſunt. Locutorium habeant in loco honeſto, cratibus ferreis interius exteriuſque munitum, in quo nigrum linteum ſuſpendatur, ne Religioſæ indiſcriminatim alios poſſint videre, aut ab eis videri, nec deceat loqui Moniales aliquo tempore in præfato locutorio a Completorio uſque ad Primam ſequentis diei, nec tempore prandii, nec cum dormiunt Moniales æſtatis tempore, niſi manifeſta neceſſitate cogantur. Aliis vero temporibus cum licentia Abbatiſſæ, præſentibus arbitris, quas auſcultatrices vocant, ad prædictum locutorium accedere valeant: in Monaſterio, ubi multæ Moniales habitaverint, duo locutoria habere poſſint; in muro vero, qui Moniales dividit a capella, duæ magnæ feneſtræ vel una, ſecundum diſpoſitionem chori conſtruantur, quæ ferreis cratibus interius exteriuſque muniantur, quibus lintea nigra apponantur, ne exiſtentes in Eccleſia Moniales poſſint videre, in quibus etiam ligneæ portæ erunt ab intra cum ſeris & clavibus, quæ quidem non aperiantur, niſi cum Officium Divinum recitatur, lintea vero ſolum deponantur ad elevationem Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & cum verbum Dei proponitur. Sit etiam in Eccleſia in loco competenti feneſtra cum janua lignea parvula ad percipiendum Dominici Corporis Sacramentum, quæ non majoris quantitatis, quam ut Calix poſſit inferri, quæ ſemper manebit clauſa, nec aperietur, niſi cum Moniales Euchariſtiam percipiunt; hoc autem ſic fiet, quod quando Moniales Dominicum Corpus recipient, a ſecularibus videri non poſſint. Oſtiaria ſit matura moribus, & diſcreta, ſitque convenientis ætatis, eique aliqua ſocia adjungatur, quæ, cum neceſſe fuerit, vices ejus in omnibus exequatur; ſine Miniſtri Generalis ſpeciali licentia nulla perſona ſive Eccleſiaſtica, vel ſecularis Monaſterii clauſtrum ingrediatur, præterquam Confeſſarius ad miniſtrandum Eccleſiaſtica Sacramenta, & Medicus ad viſitandas Infirmas, & Miniſter venarum, cum neceſſitas exegerit, & Artifices, cum opus fuerit ad præparationem Domus. Et quando aliqui ex prædictis ingrediuntur, vadant cum Abbatiſſa & Vicaria & Oſtiaria, quarum una præcedat pulſans parvum tintinnabulum, quatenus Moniales audientes recolligantur, quia non debent deſiderare ab aliquo videri, niſi a Sponſo earum Domino Jeſu Chriſto, ut ſint de numero prudentum Virginum, quæ intrarunt cum Sponſo ad Nuptias, & clauſa eſt janua.

CAPUT SEPTIMUM.

De cura Infirmarum, & de officiis mortuorum.

Dicit Dominus in ſancto Evangelio: Infirmus fui, & viſitaſtis me, quia quod uni ex his minimis feciſtis, mihi feciſtis, ubi caritatis opera ſuper omnia commendavit nobis; eapropter habeat Abbatiſſa curam de Monialibus infirmis, ſicut de ſe ipſa, nam ſi mater diligit & conſolatur filiam ſuam carnalem, quanto diligentius debet Abbatiſſa, quæ eſt mater ſpiritualis, nutrire, ſubvenire & conſolari filias ſuas ſpirituales, tempore neceſſitatis & infirmitatis. Habeatur ergo ægritudinarium in ſaniori loco totius Domus, ubi Infirmæ curentur & viſitentur a Medico ad id deputato, & habeant infirmariam. Sanæ Moniales debent ſervire Infirmis, ſicut vellent ſibi ſerviri. Abbatiſſa curam habeat viſitandi ſemel in die ægritudinarium, niſi legitime fuerit impedita, vel Vicaria loco ejus, ut videant neceſſitates Infirmarum, & de bonis communibus omnia neceſſaria diligenter illis faciant miniſtrari, teneanturque Infirmam monere ad pœnitentiam acceptandam, veramque confeſſionem ad Deum faciendam, propinquantem mortem, & Judicii Divini diſtrictionem, ſimulque Divinam miſericordiam proponendo. Circa Divinum Officium diſpenſet Abbatiſſa cum Infirmis. Pro confitendis & communicandis infirmis Monialibus, Capellanis intus liceat intrare & celebrare. Poſtquam aliqua Monialis ab hac luce migraverit, curabit Abbatiſſa, quod ejus exequiæ ſolemniter celebrentur, quibus omnes Moniales illius Domus, ubi ipſa mori contigerit, perſonaliter intereſſe debent, nec recedere, donec corpus traditum ſit ſepulturæ. Morientes vero tam Moniales, quam ſervitiales intra clauſtrum, prout convenit, tumulentur & ſepeliantur in habitu ſuæ profeſſionis, ſi autem neceſſe fuerit, ut ingrediantur aliqui ad ſepulturam aperiendam, ſeu poſtmodum coaptandam, & Abbatiſſæ & Conventui viſum fuerit hoc expediens, propter imbecillitatem Monialium, ſit Sacerdoti, vel alicui alii ad hoc idoneo & honeſto cum ſocio vel duobus licitum introire. Et pro anima cujuslibet Deſunctæ infra novem dies Moniales ſcientes Pſalterium, quinquaginta Pſalmos, neſcientes vero, quinquaginta Pater noſter, & in fine cujuslibet requiem æternam dicere teneantur. In fine autem cujuslibet anni, ſeu infra quemlibet annum pro omnibus deſunctis Monialibus, ſcientes Pſalterium, unum Pſalterium, neſcientes vero, centum Pater noſter cum requiem in fine cujuslibet dicere debeant. Et circa iſta Officia pro Deſunctis, & alia Officia Divina, in præſenti ſerie annexa, cura imponitur Abbatiſſis, ut fideliter faciant perſolvi, memores, quod dicit Dominus: In qua menſura menſi fueritis, remetietur & vobis.

CAPUT OCTAVUM.

De electione Abbatiſſæ & ejus officio, & de Capitulo culparum.

Qui major eſt inter vos, erit veſter ſervus, proinde ſic Abbatiſſa non in dominam, ſed in ſubditarum ancillam eligatur. Abbatiſſæ electio libere Conventui concedatur, quatenus voluntarie illam eligant, cui tamen amore obediant poſtmodum; Abbatiſſa ſit profeſſa ſacri Ordinis de Pœnitentia. Miniſter Generalis aut ejus vices gerens per ſcrutinium accipiat vota jurata, & electa canonice a toto Conventu, vel a majori parte illius

illius ſit Abbatiſſa, ſi forte fuerit paritas in votis vovendo, in Religioſa præferatur electio majoris partis antiquarum & ſeniorum. Electa a Miniſtro Generali vel ejus vices gerente confirmetur. Studeant autem Moniales omni diligentia talem eligere Abbatiſſam, quæ virtutibus polleat, & ſanctis moribus aliis profit, potius quam officio, & quæ Communitatem ſervet in omnibus, ut in moribus vel ejus exemplo provocatæ Moniales, ea amore magis obediant ei, quam timore, quæ ſingularibus amicitiis careat, ne, dum in parte plus diligit, in toto ſcandalum generet. Conſoletur afflictas, ſit refugium tribulatis, ne ſi apud eam remedia defuerint ſanitatum, deſperationis morbus prævaleat Infirmis; quæ humiliter & caritative viſitet & corrigat Moniales ſuas, non præcipiendo eis aliquid, quod ſit contra animam ſuam, & veræ profeſſionis formam, non ſit præceps in præcipiendo, ne ex indiſcretione præcepti, ponat peccati laqueum animabus; numquam hilareſcat inaniter propter privatum, ſed animo potius lugeat conſiderans, quam ſit difficile de animabus aliarum rationem reddere, cum de propriis pauci inveniantur, qui bonam rationem exhibeant, cui poſtquam confirmationem receperit, quamdiu in officio permanſerit, quod durabit per triennium, Moniales univerſæ, necnon & familia exterior Monaſterii pareant & obediant diligenter.

Si, finito tempore officii Abbatiſſæ, Miniſter Generalis non potuerit accedere ad Monaſterium, ut eligatur Abbatiſſa, licet eam prorogare ad tempus licitum, atque per totum tempus prorogationis fruatur ſuo officio & gubernet, ut antea conſueverat. Teneantur Abbatiſſa & ſubditæ obedire Miniſtro Generali in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſervare, & recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Feria ſexta cujuslibet hebdomadæ ad minus Abbatiſſa Moniales ſuas pro ipſarum monitione, ordinatione & reformatione teneatur ad Capitulum convocare, ubi ſecundum expreſſionem publicarum & communium negligentiarum atque culparum pœnæ miſericorditer imponantur. Conferat etiam cum Monialibus ſuis de iis, quæ occurrunt pro ſui Monaſterii utilitate & honeſtate tractanda, ſæpe enim Dominus, quod melius eſt, minori revelat. Nullum oneroſum aut grave debitum contrahat, niſi per Procuratorem de communi Monialium conſenſu, & cum manifeſta neceſſitas hoc requirit. Reddat etiam de receptis & expenſis ſemel ad minus ſingulis tribus menſibus, coram Conventu, vel ſaltem quatuor Monialibus ab eodem ad hoc ſpecialiter deputatis, debitam rationem. Sigillum vero Conventus cuſtodiri faciat & ſervari, ſecundum ordinationem Conventus, & omnem literam dirigendam ex parte ejuſdem Conventus, prius coram Conventu in Capitulo lectam & approbatam a majori parte Monialium, ibidem coram omnibus ſigillari faciat. Nulla etiam Monialis aliquas litteras dirigat ſeu recipiat, niſi prius eas Abbatiſſa legat, vel ab alia ad hoc conſtituta legantur.

Moniales poſſunt habere ſacros pannos, & Corporalia & Purificatoria tangere poſſunt, dummodo lota fuerint a Fratribus. Abbatiſſa cujuslibet Domus ſuo triennio nominet Vicariam, quæ illam adjuvet ad ſuſtentandum onus officii. Miniſter Generalis acceptet & recipiat talem nominationem, niſi aliqua rationabilis cauſa obſtaret, quia in tali caſu, ſi ei expediens & utile videbitur, poteſt eligere aliam Vicariam de conſilio & aſſenſu Conventus vel majoris partis. Vicaria Chori, Proviſora, Magiſtra Novitiarum, Sacriſta, Depoſitaris, Oſtiaria & alia officia Conventus ponantur in conformitate Miniſtri Generalis, & Abbatiſſæ Conventualis cum conſilio diſcretarum Conventus, & in hoc provideat Prælatus, habito reſpectu ad obſequium Dei & commoditatem ſuarum ſubditarum. Studeat inſuper Abbatiſſa

tiſſa Moniales reconciliare, ſi aliquas adinvicem ex aliqua cauſa vel occaſione contigerit conturbari, Monialis vero illa, quæ verbo vel ſigno occaſionem turbationis vel ſcandali alteri dederit, ſtatim antequam offerat munus orationis ſuæ Deo, veniam petens a Moniali, quam offendit, coram ea humiliter ſe proſternat, rogans, ut intercedat pro ſe ad Dominum, quatenus ſibi culpam indulgeat, quam in ipſam commiſit; illa vero injuriam liberaliter remittat Moniali veniam poſtulanti, memor verbi Domini. Niſi dimiſeritis ex cordibus veſtris, nec Pater veſter Cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra.

CAPUT NONUM.

De Viſitatione Miniſtri Generalis, & de Procuratore Monaſterii.

Dicit Dominus: Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Idcirco ut Divinum Officium ſemper creſcat, & ſit ſtabile ad providam, religioſamque gubernationem bonorum Paſtorum, & Paſtor cognoſcat oves, & oves Paſtorem, Miniſter Generalis hujus ſacri Ordinis de Pœnitentia ſit Viſitator hujus Secundi Status, & curam habeat bis triennio, vel ſecundum quod ſtatutum fuerit in Capitulo Generali, per ſuam perſonam, vel per ſuos Commiſſarios viſitandi Moniales, & cum ad hoc Monaſterium ingreſſus fuerit, honeſta ſocietate ſit aſſociatus, ſtudioſe teneatur inquirere circa ſtatum Abbatiſſæ & Subditarum, interrogando generaliter & ſpecialiter de converſatione, de vita Monialium, & de hujus Regulæ obſervatione, & ſi aliquid correctione dignum invenerit, caſtiget, reformet caritatis zelo & amore, juſtitia & pia diſcretione tam in capite, quam in membris, quidquid contra Deum eſt. Et ſi Abbatiſſa defectuoſa, vel non idonea officio fuerit inventa, ab eodem Miniſtro Generali, vel ab ejus Commiſſario Viſitatore ab officio abſolvatur, & ſi fuerit inventa idonea, ſuum impleat triennium; viſitet etiam eos, qui ſunt de familia Monaſterii, ut interius exteriuſque ad gloriam Dei ſacer hic Status ordinetur. Ut autem Miniſter Generalis omnem notam cujuſcumque ſuſpicionis evitet, quanto rarius abſque ſui officii diſpendio poterit Monaſterii clauſuram intret, & ut non graventur Monaſteria in expenſis de viſitationis officio, quam citius commode poterit, ſe ſtudeat expedire. Habet Miniſter Generalis auctoritatem mittendi aliquam, vel aliquas Monialium ad conſtruendum vel reformandum ſeu regendum aliquod Monaſterium hujus Ordinis, vel gratia correctionis aut infirmitatis, vel ob aliam manifeſtam neceſſitatem, & tunc diſpenſet in voto clauſuræ. Egredientibus vero aſſignetur certus terminus redeundi, & ſollicite caveant, ne ad loca ſuſpecta divertant, vel cum perſonis malæ famæ familiaritatem habeant, nec in ſuo reditu ſecularia vel inutilia Monialibus referant, per quæ diſſolvi valeant vel turbari, & quamdiu extra fuerint, taliter ſtudeant ſe habere, quod de converſatione honeſta ipſarum ædificare valeant intuentes. Poſſeſſionibus & redditibus Monaſterii modo debito pertractandis, Procurator unus prudens pariter & fidelis pro ſingulis Monaſteriis Monialium habeatur, qui per Abbatiſſam & Conventum cum licentia Miniſtri Generalis conſtitui & amoveri debeat, ſicut videbitur expedire: hic vero taliter inſtitutus, de omnibus ſibi commiſſis, receptis pariter & expenſis, Abbatiſſæ & tribus Monialibus ad hoc ſpecialiter per Conventum aſſignatis, & Miniſtro Generali, cum voluerit, rationem reddere teneatur, & nihil omnino de rebus Monaſterii vendere, commutare, obligare vel alienare quoquomodo va-

valeat, nisi de licentia Abbatissæ pariter & Conventus, & quid quid contra per ipsum attentatum fuerit, irritum decernimus & inane; possit tamen de muneribus parum valentibus aliqua parva ex causa licita, de Abbatissæ licentia, interdum aliis elargiri. Idem possit etiam per Ministrum Generalem cum expedire videbitur, amoveri, villico enim diffamato apud Dominum, quasi dissipasset bona ipsius, ait Dominus: Quid hoc audio de te, redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.

CAPUT DECIMUM.

De obligatione contentorum in Regula, & admonitione Monialium.

VEnite ad me, dicit Dominus, omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, tollite jugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris, jugum enim meum suave est, & onus meum leve, & sic omnia & singula in præsenti Regula contenta, sunt consilia ad sublevandas animas viatorum, & nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale vel veniale, nisi humano vel Divino jure aliqua alias esset obligata. Debent tamen Moniales facere pœnitentias impositas sibi a Superioribus, quando super hoc requiruntur. Obligantur etiam ad tria vota essentialia & solemnia, obedientiam, castitatem & paupertatem, nihil habendo in speciali sine licentia Ministri Generalis. Tenentur ad clausuram servandam, quam servare voverunt. Non revelent secreta Ordinis. Muniales possunt licite & libere sumere velum & scapularium nigrum, quandocumque Ministro Generali & Capitulo Generali placuerit. Abbatissa in qualibet Feria sexta, in refectorio faciat legere Regulam. Monemus Moniales omnes & hortamur in Domino nostro Jesu Christo, ut hanc Regulam, vivendique formam studeant perfecte servare, semper in Fide Catholica stabiles, vota, quæ Domino promiserunt, usque ad finem vitæ observent; caveant ab omni superbia, vanagloria, invidia, avaritia, cura & sollicitudine hujus seculi, detractione & murmuratione, dissensione & divisione, & ab omni vitio, pro quo possint displicere in oculis veri Sponsi, sed magis sollicitæ sint coram Deo servare interiorem & exteriorem in omnibus puritatem, & semper invicem habere mutuæ dilectionis unitatem, quæ est vinculum perfectionis, ut in ea radicatæ & fundatæ, possint ad Agni Domini nostri Jesu Christi nuptias cum prudentibus Virginibus introire. Gloria Patri &c.

Finis Regulæ Monialium Secundi Status.

Regula Tertii Status.

In nomine Domini: Incipit Regula & vita Fratrum & Sororum Tertii Status sacri Ordinis de Pœnitentia Seraphici Patris Francisci, qui sexum capit utrumque. Habet decem Capita.

CAPUT PRIMUM.

De Fratrum & Sororum ingressu.

FRatres & Sorores, Eremitæ, Virgines, Continentes & Conjugati, ad hunc Tertium Statum sacri Ordinis de pœnitentia recipiendi, debent esse fideles, Catholici, de hæresi non suspecti, in obedientia Romanæ Ecclesiæ

cleſiæ firmi, debitis expediti, corpore ſani, animo prompti, nulla vulgari infamia maculati, cum proximis reconciliati, & de his omnibus antequam recipiantur, abeo, qui recipiendi habet facultatem, ſunt diligenter examinandi.

CAPUT SECUNDUM.

De his, quæ habent promittere volentes hunc Tertium Statum intrare.

FRatres & Sorores, poſtquam per unum integrum annum habitum probationis detulerint, ſi converſatio laudabilis fuerit, per habentem facultatem Miniſtri Generalis recipiendi ad hunc Tertium Statum ſolummodo, & non per alios ad profeſſionem recipiantur, in qua profeſſione promittant obedientiam & caſtitatem, & ſervare mandata Dei, atque ſatisfacturos de tranſgreſſionibus, quas facere poſſunt in futurum contra hanc Regulam, quando a Prælatis requiruntur. Conjugati promittant caſtitatem conjugalem, & hujuſmodi ab eis facta promiſſio per manum publicam in ſcriptis inibi redigatur. Nullus poſt ipſius fraternitatis ingreſſum eamdem egredi valeat, ad ſeculum reverſurus, poſſit tamen tranſitum habere licitum ad Religionem aliam approbatam. Mulieribus vero viros habentibus, niſi de ipſorum licentia & conſenſu non pateat aditus ad conſortium dictæ Fraternitatis. Omnes præterea, quibus de jure facultas affuerit, condant ſeu faciant teſtamentum, & de bonis ſuis intra tres menſes poſt eorum ingreſſum immediate ſequentes ordinent & diſponant, ne quemquam illorum decedere contingat inteſtatum.

CAPUT TERTIUM.

De forma Habitus & qualitate indumentorum.

FRatres & Sorores hujus Tertii Status Ordinis de Pœnitentia, de humili panno, abjecto tam in pretio, quam in colore, qui erit ſimilis ei, quem habent Fratres Primi Status, veſtiantur, niſi fuerit ad tempus in pretio per Miniſtrum Generalem aut ejus vicem gerentem, ob cauſam legitimam & aptam cum aliquo diſpenſatum. Fratrum habitus ſit ſine caputio, quorum manicæ breves ſint, & ſtrictæ tantummodo circa manus; longitudo autem habitus ſit talis, quod cavilla pedum diſtet ſpatio quatuor digitorum, pro cingulo vero cordam habeant. Cappa ſit honeſta, portent pileum cum aletis, calceamenta de corio nigro, alta & ampla, & ante fixa cum caligis habeant, & fœmoralia portent: capillos ſuos uſque ad aures certis temporibus tondeant in rotundum. Eremitæ portent indumenta, ut Fratres Primi Status, niſi quod portent caputium rotundum ante & retro. Sororum habitus ſit manicatus, altitudinis & amplitudinis congruentis, ut per habitus exterioris honeſtatem, honeſtas intrinſeca cognoſcatur. Chlamys ſit coloris habitus, & in forma ſervetur modus honeſtus, omni curioſitate penitus abjecta: pro cingulo autem cordam habeant minus curioſam. Capitis autem amictus vilis; aut velis de tela communi, omnino alba, non tamen pretioſis aut curioſis capita ſua cooperiant uniformiter & honeſte. Omnes Sorores capillos ſuos uſque ad aures, certis temporibus tondeant in rotundum. Calceamenta ſint ſculponeæ ſoleæ vel calcei, vel ſimplicis corii ſandalia. Sericis non utantur tam Fratres, quam Sorores, juxta beati Petri Apoſtolorum Principis ſalubre conſilium, hujus ſeculi vana ornamenta deponant.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Horis Canonicis dicendis, & quoties debeant confiteri per annum & ſumere Corpus Chriſti.

FRatres & Sorores dicant quotidie ſeptem Horas Canonicas. Pro Matutino duodecies Pater noſter & Ave Maria, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta & Nona pro qualibet iſtarum ſeptem, pro Veſperis autem duodecim, pro Completorio ſeptem cum Gloria Patri &c. In Prima & Completorio Symbolum minorem, & Pſalmum *Miſerere mei Deus*, adjiciant qui noverint. Qui modus in Officio B. M. V. per omnia obſervetur. Pro Defunctis dicant in Veſperis ſeptem Pater noſter cum Requiem, pro Matutinis & Laudibus duodecim cum Requiem, tempore, quo ſolent facere Officium Mortuorum. Sed ſi his Horis conſtitutis non dixerint, dicant tribus vicibus Pater noſter. Infirmi autem hujuſmodi Horas non teneantur dicere, niſi velint; Fratres literati, ſeu Beatæ literatæ ſi voluerint, perſolvant Divinum Officium, ut Fratres Primi Status hujus ſacri Ordinis de Pœnitentia. Singuli autem Fratrum & Sororum quater in anno, videlicet Natalis Domini, in Reſurrectione ipſius, & Pentecoſtes Feſtivitatibus, & Seraphici Patris noſtri Franciſci ſolemnitate, deputatis Confeſſoribus confiteri, & Euchariſtiam devote ſumere non poſtponant, reconciliando ſe proximis, & reſtituendo etiam aliena.

CAPUT QUINTUM.

De audienda Miſſa, & Congregatione facienda.

FRatres & Sorores cujuſcumque Civitatis aut loci, diebus ſingulis, ſi commode poterunt, Miſſæ officium audiant, & procurare debent, quod habeant unum Religioſum, qui illis verbum Dei certis diebus proponat, qui eos ad pœnitentiæ & miſericordiæ opera exercenda & virtutes hortetur, ſollicite moneat & inducat; ſtudeat quilibet, dum Miſſæ officium celebratur & prædicationis verbum proponitur, ſervare ſilentium, Orationi & Officio ſit intentus, niſi communis utilitas Fraternitatis impediat. Debent etiam quolibet die in ſero, inter ſe & Deum cogitare, quid fecerint & dixerint vel cogitaverint, & menſe quolibet in prima ſexta Feria ad Eccleſiam ſive loca, ad quam vel ad quæ Miniſtri curaverint intimare, conveniant Miſſarum ſolemnia inibi anditurі, poſtea legatur Regula, & Miniſter teneat Capitulum culparum, ubi ſecundum expreſſionem publicarum & communium negligentiarum & culparum pœna miſericorditer imponatur.

CAPUT SEXTUM.

De Jejunio & Abſtinentia.

FRatres & Sorores a prima Dominica Adventus uſque ad Nativitatem Domini, diebus Dominicis exceptis, jejunent quotidie, juncta Quadrageſima univerſalis Eccleſiæ uſque ad Reſurrectionem Domini, quam tamen a Quinquageſima incipere debent, & etiam jejunare tenentur in qualibet ſexta Feria totius anni, & omnibus diebus, in quibus ab Eccleſia eſt indictum jejunium, perpetuis temporibus Feria quarta, ſexta & Sabba-

to, excepto Dominicæ Nativitatis Feſto, carnes non comedant, diebus vero, quibus non jejunatur, bis in die comedant, laborantes ter in die refici poterunt, jejuniorum ſemper diebus exceptis. Poterunt autem itinerantes, infirmi & debiles, tempore neceſſitatis jejunium ſolvere, prandium autem vel cœna, niſi præmiſſa ſemel Dominica Oratione, non ſumatur, poſt ſumptionem quilibet Deo gratias iteranda, quod ſi omitti contigerit, dicatur tribus vicibus Pater noſter.

CAPUT SEPTIMUM.

De Fratribus & Sororibus Infirmis & Defunctis.

FRatres & Sorores, ſi in infirmitatem ceciderint, ſemel & quotidie per ſe vel per aliam perſonam Adminiſtrator viſitet Fratres, & Mater Sorores ſeu Beatas; habeant curam de infirmis, ſicut de ſe ipſis, teneanturque infirmum vel infirmam monere ad pœnitentiam acceptandam, veramque converſionem ad Deum faciendam, mortis propinquitatem, & Judicii Divini diſtrictionem, ſimulque Divinam miſericordiam proponendo. Poſtquam aliquis Frater vel Soror ab hac luce migraverit, curabit Adminiſtrator ſeu Mater, quod ejus exequiæ ſolemniter celebrentur, quibus exequiis omnes Fratres & Sorores illius Civitatis aut loci perſonaliter intereſſe debent, nec recedere, donec corpus traditum ſit ſepulturæ, & pro anima cujuslibet defuncti vel defunctæ infra octo dies ſcientes Pſalterium, quinquaginta Pſalmos, neſcientes vero, quinquaginta Pater noſter, & in fine cujuslibet Requiem dicere teneantur. In fine autem cujuslibet anni, ſeu infra quemlibet annum, ſcientes Pſalterium, unum Pſalterium, neſcientes vero, centum Pater noſter cum Requiem in fine cujuslibet dicere debeant.

CAPUT OCTAVUM.

De electione Adminiſtratoris & Matris, & de Viſitatione, Correctione & Capitulo.

QUolibet anno Fratres eligant Adminiſtratorem, & Sorores Matris electionem faciant, Miniſtro Generali vel ejus vices gerente per ſcrutinium accipiente vota jurata, & electus per majorem partem votorum Fratrum, quæ ſit major mediate, ſit Adminiſtrator, & electa per majorem partem votorum Sororum, quæ ſit major medietate, ſit Mater, & ſi forte fuerit paritas in votis, præferatur electio judicio Miniſtri Generalis, vel accipientis vota, ut eligant magis neceſſarium vel neceſſariam officio ad obſequium Dei, & electus Adminiſtrator, & electa Mater confirmabitur per Miniſtrum Generalem, vel per ejus vices gerentem, ad talem electionem; officia Adminiſtratoris & Matris unius anni tempus comprehendant: impoſita ſibi officia devote ſuſcipiant, curentque fideliter exercere. Fratres Adminiſtratori, & Sorores Matri obediant. Adminiſtrator & Mater, Fratres & Sorores Civitatis vel loci cujuslibet ad viſitationem communem, in aliquo loco religioſo vel Eccleſia, ubi locum hujuſmodi contigerit deeſſe, conveniant, & Miniſter Generalis quem vel quam deputaverit, teneat Capitulum, & Fratres viſitet & Sorores hujus Tertii Status. Hujuſmodi autem viſitationis officium ſemel exerceatur in anno, niſi neceſſitate aliqua ſuadente, fuerit pluries facienda. Adminiſtrator & Mater manifeſtas Fratrum & Sororum culpas Viſitatori denuntient puniendas, & defectus,

qui

qui correctione indiguerint, & ſimiliter alii Fratres & Sorores. Viſitator viſitet, corrigat & hortetur humiliter & caritative, & illis omnibus de exceſſibus commiſſis injungat pœnitentiam ſalutarem. Incorrigibiles poſt trinæ admonitionis inſtantiam, ſi ſe corrigere non curaverint, tamquam morbida pecora ejiciantur de Congregatione. Poſt viſitationem faciat electionem Adminiſtratoris & Matris, ut dictum eſt, ſi ſuorum officiorum tempus fuerit finitum.

CAPUT NONUM.

De Adminiſtratione Fratrum & Sororum.

FRatres & Sorores a juramentis ſolemnibus abſtineant, niſi neceſſitate cogente, in caſibus per indulgentiam Sedis Apoſtolicæ exceptis, vel pro pace, Fide, calumnia, & teſtimonio perhibendo, etiam in contractu emptionis, venditionis & donationis, ubi videbitur expedire. In communi quoque loquela vitent, prout poterunt, juramenta, & qui die aliquo minus caute juraverit lapſu linguæ, prout contingere in multiloquo conſuevit, de ipſo in ſero, cum debet, recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus Orationem Dominicam, propter incaute facta juramenta. Memor autem ſit quilibet, ut ad Divina obſequia familiam propriam exhortetur. Sit eis ad inhoneſta convivia vel ſpectacula, ſive curias ſive choreas acceſſus penitus interdictus. Hiſtrionibus, ſeu vanitatis intuitu, nil donent, & ne quidquam eis donetur a propria familia procurent. Impugnationis arma ſecum Fratres non deferant, niſi pro defenſione Romanæ Eccleſiæ, Chriſtianæ Fidei, vel etiam terræ ipſorum, aut de ſui Viſitatoris licentia. Si vero Fratres & Sorores contra jus, & eorum privilegia per juſtitiæ Rectores locorum, ubi domicilium habent, vexationibus impetantur, Adminiſtrator & Mater loci ad miniſtros, ſub cujus obedientia fuerint, ſtudeant habere recurſum, juxta conſilium & ordinationem ipſorum in talibus proceſſuri. Vitent inſuper Fratres & Sorores juxta poſſe litigia, & inter ſe ſollicite dirimant. Non revelent ſecreta Ordinis.

CAPUT DECIMUM.

De declaratione Regulæ in dubiis, & qualiter nemo obligatur ad culpam.

FRatres & Sorores in dubiis conſcientiæ, & in omnibus aliis recurrant ad Miniſtrum Generalem, vel ejus vices gerentes, qui declaret & diſpenſet cum illis, prout viderit expedire ſaluti animarum. Ceterum in præmiſſis omnibus, ad quæ Fratres vel Sorores, non ex Divinis præceptis, vel ſtatutis tenentur Eccleſiæ, nullum ipſorum ad mortalem culpam volumus obligari, ſed impoſitam ſibi pœnitentiam pro tranſgreſſionis exceſſu prompta humilitate recipiant, & efficaciter ſtudeant adimplere; hanc Regulam vivendique formam perfecte obſervent, memores, quod dicit Dominus in ſancto Evangelio: qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Gloria Patri &c.

Finis Regulæ Fratrum & Sororum Tertii Status.

Ego Fr. Joannes de Xodar ſacræ Theologiæ Profeſſor, in Concilio Tridentino, & in Curia Romana ſupradicti Ordinis Generalis Procurator, Scriba

ba & Secretarius Capituli Generalis ultimo celebrati in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Valle, Diœceſis Aſtoricenſis, facio fidem, quod in dicto Capitulo per modernum Miniſtrum Generalem & Præſidentem, & quatuor Definitores cum conſenſu Miniſtrorum, & Procuratorum, ac totius Congregationis, ſupradicta Regula Tertii ſacri Ordinis de Pœnitentia Regularis Obſervantiæ Seraphici Patris Franciſci, fuit in tres Status diſtincta, prout continetur, & ſic pacifice & quiete obſervatur. Et quia huic diviſioni interfui, ideo hic me ſubſcripſi, & meo Sigillo corroboravi in teſtimonium veritatis. Ita eſt Fr. Joannes de Xodar.

§. V. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, approbationis, confirmationis, adjectionis, ſuppletionis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLVII. v. Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno XIII.

Fides ſupradictæ Bullæ fideliter extractæ ex ſuo originali.

In Domini Nomine Amen. Cunctis ubique pateat, & evidenter ſit notum hoc præſens tranſumpti Inſtrumentum viſuris atque lecturis, qualiter anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti MDCXXXVI. *die vero* III. *menſis Octobris ejuſdem anni, Indictione* IV. *Pontificatus autem ſanctiſſimi Domini Noſtri D. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. Anno ejus* XIV. *Ulyſſipone in mei Notarii & Teſtium infraſcriptorum præſentia comparuit perſonaliter conſtitutus admodum R. P. Fr. Emanuel de Angelis profeſſus Tertii Ordinis de Pœnitentia Regularis Obſervantiæ Seraphici Patris Franciſci, in Provincia Luſitaniæ Procurator Generalis, pro parte & ad inſtantiam admodum R. P. Miniſtri Provincialis ejuſdem Ordinis, & literas ſanctiſſimi in Chriſto Patris Pauli III. fol. rec. tenoris infraſcripti, ſanas, integras, omnique vitio & ſuſpicione carentes, datas Romæ ſub plumbo præſentavit; videlicet:* Paulus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad fructus uberes &c.

Et quia pro parte & ad inſtantiam ejuſdem admodum R. P. Miniſtri Provincialis, Ego Joannes de Morales Presbyter Ulyſſiponen. Publ. Notarius Apoſtolicus approbatus, & Secretarius Rev. Cam. Apoſt. de tranſumptandis prædictis literis de mandato Illmi & Rmi Domini D. Alexandri Caſtracanei, prædicti Sanctiſſimi Domini in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis Collectoris generalis Apoſtolici, fui rogatus, ideo hoc Inſtrumentum ex proprio originali extrahere feci, citato Patre Provinciali de Obſervantia adverſario ad collationandum cum Notario infraſcripto, collationem, meiſque publico & conſueto Signo corroboravi rogatus & requiſitus. Loco ✠ Sigilli. Joannes de Morales mecum No. Apoſt. collationatum. Philippus Carpinus.

Præſens copia extracta fuit ex ſuo proprio originali per R. P. Fr. Cyrillum Divionenſem Procuratorem Generalem Tertii Ordinis S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ Congregationis Gallicanæ, exhibito, & eiſdem Exhibenti reſtituto, & in fidem hic me ſubſcripſi, ſignumque meum appoſui requiſitus, Romæ hac die II. *Auguſti* MDCXXXVIII. *Ita eſt Petrus Carpentarius Apoſtolica auctoritate Notarius, in utroque Archivio Rom. Curiæ deſcriptus.*

Conſervatur ſupradicta Bulla Cordubæ, prout expreſſum id habetur, cum eadem Bulla in Bullario proprio noſtræ Congregationis Reformatæ in partibus Franciæ fol. 55.

LXXIII.

LXXIII.

Eccleſiam quamdam Fratribus Civitatis Sequienſis, Provinciæ Croatiæ a Rege conceſſam, approbat & confirmat. Ex Regeſto Ciſinont. fol. 136.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. INter multiplices curas, quibus rerum occurrentium varietate diſtrahimur, illam libenter amplectimur, per quam religioſa loca conſtrui, & perſonarum in illis pro tempore degentium ſtatus confoveri, ipſæque perſonæ, Deo duce, quietius & commodius Divinis vacare poſſint; tiſque, quæ propterea proceſſiſſe dicuntur, ut firma perpetuo & illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem.

§. II. Sanè pro parte dilectorum filiorum moderni Miniſtri & Fratrum Domus Segnien. Regni Croatiæ, Ordinis Fratrum Minorum Nobis nuper exhibita petitio continebat: quod alias, cum alia eorum Domus, quam tunc prope & extra muros Segnien. ſitam habebant, per tunc in Civitate Segnien. pro cariſſimo in Chriſto filio noſtro Ferdinando Romanorum & Croatiæ Rege Illuſtri, exiſtentem Capitaneum, de ipſius Regis juſſu, funditus diruta & ſolo æquata fuiſſet; ne ſi eamdem Civitatem ab immaniſſimo Chriſtiani nominis inimico Turca, aliquando, quod Deus avertat, obſideri contigiſſet, ut jam erat tunc illius finibus contermina, in ipſa Domo hoſtis diverticulum, indeque expugnandæ Civitatis commoditatem facultatemque, cum maximo Regnorum & dominiorum ejuſdem Ferdinandi Regis, ac totius Reipublicæ Chriſtianæ damno & jactura, haberet: & deinde idem Capitaneus in recompenſam prædictæ Domus dirutæ, præfatis Miniſtro & Fratribus quamdam Eccleſiam, Capellam ſancti Spiritus nuncupatam, intra muros ejuſdem Civitatis conſiſtentem, veluti ad ipſum Ferdinandum Regem, ac illius diſpoſitionem plene ſpectantem conceſſiſſet & aſſignaſſet; præfati Miniſter & Fratres ad dicti Ferdinandi Regis clementiam ſupplices accedentes, ab eodem Ferdinando Rege petierunt, ut cum ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, aliam Domum intra eamdem Civitatem conſtruere & ædificare intenderent, conceſſionem & aſſignationem ſibi, ut præmittitur, factas gratioſe approbare & confirmare, ſeu etiam ſi opus eſſet, Eccleſiam ipſam eis de novo concedere & aſſignare dignaretur; quorum tam juſtis precibus, devotiſque petitionibus præfatus Ferdinandus Rex benigne annuens, conceſſionem & aſſignationem de eadem Capella, per dictum Capitaneum, ut præfertur, factas hujuſmodi, ex certa ejus ſcientia, & de Regiæ poteſtatis plenitudine approbavit & confirmavit, ſuo tamen & alieno jure in omnibus ſemper ſalvo, ac tam tunc, quam pro tempore exiſtenti Capitaneo præfatæ Civitatis ſub ſuæ indignationis pœna, quatenus contra dictam confirmationem & approbationem, præfatam Domum, aut illius Miniſtrum & Fratres pro tempore exiſtentes ſuper dicta Eccleſia, & illius poſſeſſione nullatenus impedire aut moleſtare auderet, neque ab aliis id fieri permitteret, & alias ſub certis modo & forma mandavit, prout in ejuſdem Ferdinandi Regis deſuper confectis patentibus literis dicitur plenius contineri.

§. III. Quare pro parte moderni Miniſtri & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni & aſſignationi, ac confirmationi

ni & approbationi hujuſmodi pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui perſonis univerſis, præſertim Religioſis, per quas Divini nominis, & Fidei Catholicæ cultus protenditur, opportunæ commoditatis auxilia libenter impendimus, literarum prædictarum veriorem tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, ac modernum Miniſtrum & Fratres hujuſmodi, ac eorum ſingulos a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem & aſſignationem, ac confirmationem & approbationem, necnon literas Ferdinandi Regis hujuſmodi, atque prout illas concernunt, omnia & ſingula in dictis literis contenta, licita tamen & honeſta, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus; necnon omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerunt in eiſdem, ſupplemus, ac illa ſuos plenarios effectus ſortiri, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios, quavis auctoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & definiendi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; necnon quidquid ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. V. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, confirmationis, approbationis, adjectionis, ſuppletionis & decreti, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDXLVII. IV. Non. Julii, Pontificatus noſtri anno XIII.

LXXIV.

Eamdem conceſſionem & approbationem Apoſtolica auctoritate iterum firmat. Ex Reg. Ciſmont. fol. 137.

Venerabili fratri Epiſcopo Cæſenat, ac dilectis filiis Archidiacono Eccleſiæ Segnien. & Vicario venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Segnienſis in ſpiritualibus generali.

§. I. HOdie certas conceſſionem & aſſignationem de quadam Eccleſia, Cappella S. Spiritus nuncupata, intra muros Civitatis Segnienſis conſiſtente, alias per tunc Capitaneum in dicta Civitate pro cariſſimo filio noſtro Ferdinando Romanorum & Croatiæ Rege illuſtri, exiſtentem, dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Domus Segnienſis Regni Croatiæ, Ordinis Fratrum Minorum, & deinde per eumdem Ferdinandum Regem factas per alias noſtras literas perpetuo approbavimus & confirmavimus, prout in eiſdem literis plenius continetur.

§. II. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, qua-

quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum, poſtquam dictæ literæ vobis præſentatæ fuerint, per vos vel alium ſeu alios faciatis, auctoritate noſtra conceſſionem & aſſignationem prædictas inviolabiliter obſervari, non permittentes eoſdem Miniſtrum & Fratres per quoſcumque contra conceſſionis & aſſignationis, ac approbationis prædictarum tenorem quomodolibet moleſtari. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas prædictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus omnibus, quæ in dictis literis voluimus non obſtare, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incaroationis MDXLVII. IV. nonas Julii Pontificatus noſtri anno XIII.

LXXV.

Ferdinando Cano Ordinis Minorum profeſſorem, ac natarum Caroli V. Confeſſarium Monialium Monaſteria quorumvis Ordinum, pro ipſarum reformatione ingrediendi licentiam concedit. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio Ferdinando Cano Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

VOlentes votis tuis, præſertim quæ ex caritatis fervore provenire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuere, teque qui, ut aſſeris, in quinquageſimo quinto vel circa tuæ ætatis anno conſtitutus, & Infantarum Hiſpaniæ cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti natarum Confeſſor exiſtis, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ut quoties ab aliquibus Abbatiſſis & Conventibus Monialium pro ipſarum reformatione, ſeu ſpirituali conſolatione, de ipſorum tamen Conventuum Superiorum & Prælatorum conſenſu vel licentia fueris requiſitus, ſolus, aut una cum uno honeſto ſocio Ordinis Fratrum Minorum, quem tu profeſſus exiſtis, per te pro tempore eligendo, quæcumque Monaſteria Monialium cujuſvis etiam ſanctæ Claræ, etiam Primæ Regulæ, Ordinis etiam incluſarum, necnon quoties tibi videbitur una cum dictis Infantibus, dummodo ipſis id etiam Apoſtolica auctoritate indultum fuerit, de licentia tamen eorumdem Monaſteriorum Prælatorum ingredi, ac cum eiſdem Monialibus colloqui, & inibi Divinis officiis intereſſe, ac portionem pro tui & dicti ſocii, etiam dicti Ordinis profeſſoris quotidiano victu & ſubſtentatione, per ipſas Infantes ſingulis diebus, ſeu alias aſſignandam percipere, ac illam in victum & ſubſtentationem hujuſmodi convertere libere & licite valeas, ac portionem hujuſmodi, ut præfertur, percipiendo & convertendo, tam tu, quam ſocius tuus præfatus Regularibus Inſtitutis ipſius Ordinis ſuper præmiſſis ſatisfeciſſe cenſeamini, Apoſtolica auctoritate prædicta, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus, ac Monaſteriorum & Ordinum hujuſmodi, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis eiſdem Ordinibus ac Monaſteriis, illorumque Superioribus ſub quibuſcumque

que tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & Decretis, etiam quod ipſius Ordinis tui profeſſores ex labore manuum ſuarum, aut oſtiatim mendicando victum quærere, & niſi illud quod eis gratis offertur, percipere debeant, quodque privilegiis, indultis & literis hujuſmodi nullatenus, aut nonniſi ſub certis inibi expreſſis modo & forma derogari poſſit, ac alias quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Spoleti ſub annulo Piſcatoris die 11t. Septembris MDXLVII. Pontificatus noſtri anno XIII.

LXXVI.

Diviſionem Aragoniæ & aliarum Provinciarum, dummodo in Generali Capitulo Ordinis Minorum de Obſervantia rata habeantur, Generali Miniſtro peragendam committit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Andreæ Inſulano Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Generali.

§. I. CUm, ſicut accepimus, ſub Provincia Aragoniæ Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum juxta ipſius Ordinis morem, diverſa Regna, & diverſarum linguarum Nationes exiſtant, ut ob ipſorum Regnorum diſtantiam, perſonarumque diverſitatem & multitudinem, unus Miniſter totam Provinciam, prout dicti Ordinis ſtatuta & inſtituta exigunt, per ſe ipſum commode viſitare non poſſit, & ob id ſæpe ſæpius inter Religioſos dictæ Provinciæ diſſentiones & controverſiæ exoriantur, in Religionis dedecus & opprobrium, ac ſcandalum plurimorum.

§. II. Nos ordinem ipſum non ſolum ubique florere, ſed etiam felicibus incrementis proficere deſiderantes, ac præmiſſis ne deteriora parturiant, quantum cum Deo poſſumus, occurrere volentes, per præſentes tibi committimus & mandamus, quatenus illam necnon omnes alias, ſi & prout id in Religionis augmentum, ac illius Religioſorum ſalubrem ſtatum & quietem cedere judicaveris, dicti Ordinis Provincias cum illius Fratribus & Sororibus præſentibus & futuris, in tot, quot tibi videbitur Provincias, quæ illiſmet quibus antea utebantur privilegiis, exemptionibus & gratiis uti, potiri & gaudere valeant, in Capitulis Provincialibus, de ipſorum Capitulorum reſpective conſenſu, & ante novi Provincialis Miniſtri electionem, ſepares & ſegreges, ac illarum cuilibet Provincialem Miniſtrum, qui in ſibi commiſſa Provincia eamdem poteſtatem, dominium & auctoritatem, quam ante diviſionem eamdem illius Miniſter Provincialis habebat, habeat & exercere poſſit, & cui Provincia, illiuſque Fratres & Sorores hujuſmodi pleno jure immediate ſubſint in omnibus & per omnia, perinde ac ſi diviſio Provinciarum, & deputatio Miniſtri hujuſmodi in Capitulo Generali dicti Ordinis facta fuiſſet, dummodo in proximo futuro Generali Capitulo diviſio Provinciarum hujuſmodi omnino probetur, ac rata & grata habeatur, juxta morem dicti Ordinis depures & conſtituas, ſuper quibus omnibus & ſingulis plenam & liberam poteſtatem & auctoritatem tibi per eaſdem præſentes concedimus, omneſque & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan in diviſione, ſeparatione & ſegregatione hujuſmodi intervenerint, ſupplemus: in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VIII. Novembris MDXLVII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXVII.

LXXVII.

Ordinationes circa regimen Monaſterii Monialium Conceptionis beatæ Mariæ Virginis del Roſal oppidi del Priego, Conchen. diœceſis editas firmat, ipſumque Obſervantibus ſubjicit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Priori, ac Martino de Guelamo Canonico Eccleſiæ Conchen. & Officiali Conchen., ac eorum cuilibet.

§. I. DUdum felicis recordationis Clementi Papæ VII. prædeceſſori noſtro pro parte quondam Hurtadi de Mendoca, Rectoris parochialis Eccleſiæ loci de Zahoreſas, Conchen. diœceſis, in humanis agentis, expoſito, quod alias, poſtquam ipſe zelo devotionis & religionis accenſus, condito per eum teſtamento, inter alia voluerat, ut quoddam Monaſterium Monialium Ordinis Conceptionis beatæ Mariæ, ſub cura Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia degentium in Eremitorio beatæ Mariæ del Roſal, extra muros oppidi del Priego, Conchen. diœceſis conſtrui cœptum, ex bonis per ipſum Hurtadum, tam ex ſua induſtria, quam hæreditaria ſucceſſione acquiſitis & relictis perficeretur, & in eo tot Moniales dicti Ordinis Conceptionis reciperentur, quot ex dote per eum relicta ſuſtentari poſſent, ac Monaſterium ipſum illiuſque Abbatiſſa & Moniales Generali & Provinciali Miniſtris, juxta morem ejuſdem Ordinis Minorum illius Provinciæ, ubi idem Monaſterium conſiſteret, ſubjicerentur, ac per ipſum Generalem vel Provincialem Miniſtrum ſemel quolibet anno viſitari & reformari, ipſeque Miniſter duos exemplaris vitæ famæque laudabilis Religioſos de conſanguinitate dicti Hurtadi, ſi reperirentur, alioquin ex aliis dicti Ordinis Minorum Religioſis inibi de licentia Abbatiſſæ dicti Monaſterii deputari, ac ipſi ſic deputati Miſſas & alia Divina officia in Eccleſia dicti Monaſterii celebrare, confeſſiones audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & eadem Abbatiſſa ſic deputatis de neceſſariis ad eorum victum & veſtitum providere deberet, necnon quod Comes del Priego pro tempore exiſtens Patronus dicti Monaſterii eſſet, curaretque, ut in ipſo Monaſterio Divinum vigeret obſequium, illiuſque Moniales & in Eccleſia Monaſterii hujuſmodi deſervientes Religioſi commendabilem vitam ducerent, idem Prædeceſſor per ejus in forma Brevis literas præmiſſa confirmavit & approbavit, ac Nobis deinde pro parte ejuſdem Hurtadi ſubjuncto, quod ipſe Hurtadus animadverterat protectionem & adminiſtrationem dicti Monaſterii per quondam Ferdinandum tunc Comitem del Priego, & dilectum filium nobilem virum Ludovicum ejus natum, non ſic utiliter exerceri poſſe, ac cupiebat ejuſdem Monaſterii proſpero regimini, & ſucceſſui attentius conſulere.

§. II. Nos ejuſdem Hurtadi in ea parte ſupplicationibus inclinati, per alias noſtras in forma Brevis literas eidem Hurtado, ut ex tunc alium ſeu alios, de quibus ſibi videretur, in dicti Monaſterii Patronos & Protectores ſemel vel pluries nominare & deputare valeret, indulſimus, nominatione exinde ſeu nominationibus per eum faciendis ex tunc, prout cum facta foreat, & e contra cum omnium juris & facti defectuum ſuppletione per Nos approbatis & confirmatis, diſtrictius inhibentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna Ferdinando & Ludovico præfatis, ne ex tunc poſt nominationem Hurtadi hujuſmodi in dicti Monaſterii adminiſtratione vel protectione ſe quomodolibet intromitterent, ac decernentes ex tunc irritum & inane quidquid ſecus ſuper his attentari contingeret: volentes inſuper, quod

dictis Ferdinando & Ludovico decedentibus, nominatio ſeu nominationes, vigore earumdem noſtrarum literarum, per ipſum Hurtadum faciendæ, eo ipſo extinctæ eſſent, ac juſpatronatus & protectio dicti Monaſterii ad perſonam ſeu perſonas, quæ poſt ipſos Ferdinandum & Ludovicum in Domo del Priego hujuſmodi ſucceſſiſſent, alias juxta ipſius Prædeceſſoris literarum tenorem eo ipſo devolverentur.

§. III. Cum poſtmodum præfatus Hurtadus dilectus filios nobilem virum Joannem Hurtadum, Dominum in temporalibus loci ſeu oppidi della Ventoſa dictæ diœceſis, & Alphonſum Carillo Albernoz Canonicum Eccleſiæ, ac Alphonſum Alvarez Prætorem Civitatis Conchen. in Patronos & Protectores dicti Monaſterii, earumdem poſteriorum literarum vigore nominaſſet & deputaſſet, ac in ejus ultima voluntate decreviſſet, quod illius Abbatiſſa & Moniales Miniſtro Provinciali Provinciæ Toletan. & non Carthaginen. in qua Monaſterium ipſum conſiſtebat, juxta morem Ordinis Minorum hujuſmodi ſubjicerentur, quodque per eum in dicta ultima voluntate expreſſa & ordinata aliquo modo immutari non poſſent, niſi tunc hujuſmodi voluntas totaliter inſereretur, Nos Joannis & Alphonſi Carillo, ac Alphonſi Alvarez prædictorum aſſerentium præfatum Hurtadum in conſtructione & dotatione dicti Monaſterii, ultra ſummam decem millium ducatorum auri, ex ejus propriis patrimonialibus bonis expoſuiſſe, in ea parte ſupplicationibus inclinati, nominationem & deputationem, ac ultimam voluntatem Hurtadi hujuſmodi, Apoſtolica auctoritate, per reliquas noſtras literas, cum pari defectuum ſuppletione approbavimus & confirmavimus, illaque inconcuſſæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obſervari, ſicque per quoſcumque Judices judicari debere, & ſi ſecus deſuper attentari contingeret, irritum & inane fore decrevimus, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur.

§. IV. Et ſicut nuper dilecta in Chriſto filia moderna Abbatiſſa & Conventus dicti Monaſterii, & præfatus Alphonſus Alvarez Nobis exponi fecerunt, aliqua, dictarum poſteriorum literarum vigore geſta & diſpoſita erant, quæ ſummopere cuperent pro illorum ſubſiſtentia firmiori noſtro munimine roborari, & ne totius Ordinis Minorum Generalis ſeu Toleti Provincialis Miniſtri, adverſus dicti Monaſterii & illius perſonarum curam, ſibi per Nos commiſſam, aliquam excuſationem prætendant, deſuper opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Nos igitur omnia & ſingula dictarum poſteriorum literarum vigore, per eos, quos illa concernerent, hactenus geſta & diſpoſita cum omnium juris & facti defectuum, ac ſolemnitatis ſuppletione, dummodo juxta illarum formam & tenorem facta fuerint, dicta Apoſtolica auctoritate approbantes & confirmantes, perpetuumque firmitatis robur obtinere & inviolabiliter obſervari debere decernentes, eorumdem Abbatiſſæ & Alphonſi in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel alium, ſeu alios modernos, & pro tempore exiſtentes ipſius Ordinis Minorum Generalem & Toleti Provincialem Miniſtros, ſe deſuper quoquomodo excuſan. quatenus Monaſterium prædictum, illiuſque pro tempore exiſtentem Abbatiſſam & Conventum ac alias perſonas, juxta præſentium & poſteriorum literarum hujuſmodi continentiam, ſub eorum cura, regimine, adminiſtratione, ſuperioritate & dominio devote ſuſcipiant, ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ex parte noſtra moneatis & requiratis. Contradictores & rebelles, ac eis auxilium & favorem præſtantes, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis & præeminentiæ exi-

exiſtentes tam clericos quam laicos, per ſimiles cenſuras & pœnas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Nos enim vobis & cuilibet veſtrum ad ulteriorem & totalem earumdem præſentium & poſteriorum literarum, ac ultimæ voluntatis Furchati hujuſmodi executionem procedendi licentiam & facultatem elargimur. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, de aliqun ultra unam, & Concilii Generalis, de ultra duas dietas a fine ſuæ Diœceſis ad judicium non vocando, dummodo non ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium trahatur, aliiſque Apoſtolicis, ac Provincialibus & Synodalibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac Ordinis Minorum hujuſmodi juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis etiam in forma Brevis dicto Ordini Minorum, & illius Superioribus, per Nos & Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſis, & pluries confirmatis, ac concedendis & confirmandis, & in Mare Magno & Bulla Aurea contentis & continendis, quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, quoad præmiſſa dumtaxat prorſus derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xviii. Novembris mdxlvii. Pontificatus noſtri anno xiv.

Anno Christi 1548. Pauli III. anno 14.

LXXVIII.

Caprularum Epiſcopo mandat, ut contra Zachariam de Crema fratrem Conventualem homicidam procedat, degradatumque Curiæ ſeculari tradat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Venerabili fratri Ægidio Epiſcopo Caprularum venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Papien. in ſpiritualibus Vicario Generali ac Suffraganeo.

§. I. Cum, ſicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Bonaventura Pius de Coſtacciaro, Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum, quidam Zacharias de Crema ejuſdem Ordinis Profeſſor apud graves & probos Viros plurimum diffamatus exiſtat, quod profeſſionis & votorum per eum emiſſorum immemor, ac Dei timore poſtpoſito, quondam Joannem de Papia etiam dicti Ordinis Profeſſorem, tunc in humanis agentem, in Domo ſancti Franciſci Papien. ejuſdem Ordinis animo deliberato inhumaniter interfecerit & ſpoliaverit, non ſine maximo Populi Civitatis Papien. ſcandalo, & propterea credatur eumdem Zachariam, qui ad præſens in dicta Domo detinetur, velut in profundum malorum immerſum degradandum, & Curiæ ſeculari relinquendum eſſe.

§. II. Nos honori præfati Ordinis, quantum cum Deo poſſumus, conſulere cupientes, tibi per præſentes committimus & mandamus, quatenus te vel alium ad id a te deputandum, de præmiſſis omnibus & ſingulis, etiam contra eumdem Zachariam criminaliter procedendo, dum tamen ſententiam, per quam ultimi ſupplicii pœna imponatur, per te non feras, te diligenter informes, & ſi per informationem eamdem ita eſſe, & præfatum

Zachariam ob præmiſſa de jure degradandum, & Curiæ ſeculari relinquendum eſſe conſtiterit, accitis, & in hoc tibi aſſiſtentibus duobus Abbatibus uſum mitræ & baculi ex Privilegio Apoſtolico habentibus, & ſi tales Abbates hujuſmodi non reperiantur, aliis Abbatibus, ſeu loco Abbatum duobus in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, in aliquo ſecreto loco ad degradationem realem & actualem ipſius Zachariæ, illiuſque curiæ ſeculari dimiſſionem, itaut etiam per Curiam ſecularem hujuſmodi pœnæ etiam, ut præfertur, ultimi ſupplicii exequtio facienda occulta, ne in publicum veniat, omnino ſit, aliss, prout juris fuerit, procedas etiam in omnibus & per omnia, perinde ac ſi Epiſcopi in numero a Canonibus definito præſentes forent, & in hoc tibi aſſiſterent, ſuper quibus omnibus tibi, & eidem a te deputando reſpective plenam & liberam, Apoſtolica auctoritate, per præſentes impertimur facultatem & auctoritatem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini, & illius Profeſſoribus, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis quomodolibet conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de eis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ad hoc ſervsnda ſoret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti ſorent præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo rnbore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceterisque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Aprilis MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXIX.

Pariſienſis Provinciæ in Galliis Fratribus regularis Obſervantiæ Domum in Inſula Conſtantienſi recipiendi facultatem elargitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ, Provinciæ Franciæ Pariſien. juxta morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi Nobis feciſtis, quod paucis ante annis, ob maximam, quæ inter Anglos & Gallos fuerunt bellnrum molem, dirutus fuit ſunditus ab ipſis Anglis quidam veſtri Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ, veſtræque Provinciæ locus ſive quædam Domus, quæ in inſula Chauſerum nuncupata, Conſtantien. diœceſis, Provinciæ Rothomagen. ſita erat, & ab ea Fratres, qui inibi Deo vacabant, cum non modica periculorum corporum & animarum ſuarum jactura, expulſi & ejecti fuerunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, nonnulli Chriſtifideles veſtræ Religionis & Obſervantiæ prædictæ, ac dictorum Fratrum expulſorum amici & beneſactores, ob ſingularem, quem ad præfatum Ordinem veſtrum devotionis gerunt affectum, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, de Regis tamen

men & Diœceſani conſenſu, qui etiam, ut aſſeritis, jam acceſſit, ſuis impenſis alio in loco congruo & honeſto ejuſdem Inſulæ, ſub invocatione ejuſdem ſancti Franciſci, ſive alterius vocabuli, unam Domum, pro perpetuis uſu & habitatione dictorum expulſorum, aliorumque pro tempore Fratrum prædicti veſtri Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari facere, illamque ſic conſtructam & ædificatam, quamvis non in totum perfectam, ſed animo eam etiam perficiendi, vobis dare & concedere cupiant & intendant, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis Domum prædictam recipiendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſimum temporibus ubique propagari deſideramus, & votis Fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus Populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo confovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis & prædictæ veſtræ regularis Obſervantiæ pro tempore exiſtentibus Fratribus, ut Domum præfatam per ſupradictos amicos & benefactores conſtructam ſeu conſtruendam recipere ac retinere & perpetuo inhabitare, quodque hujuſmodi Domus Guardiani & Fratres in ea pro tempore exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus Ordini & Obſervantiæ prædictæ, ejuſque Domibus & Conventibus, etiam dirutæ Domui hujuſmodi prædictæ hactenus in genere conceſſis & impoſterum concedendis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus: felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. qua expreſſe cavetur, ne prædicti & aliorum Mendicantium Ordinum Profeſſores ad inhabitandum nova loca recipere præſumant, abſque Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & ordinationibus, ac dicti Ordinis ſtatutis, conſtitutionibus & ordinationibus, ac conſuetudinibus, etiamſi de illis hic habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 1. Maii MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXX.

Gallarum Provinciæ Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ ex decreto Capituli Generalis unitas confirmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Generali, & aliis Prælatis ac Fratribus Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ nuncupatorum, Provinciarum Franciæ, ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. Exponi Nobis nuper feciſtis, quod alias, poſtquam inter vos ſuper Franciæ Turroniæ ſancti Bonaventuræ Reformatorum, Franciæ Pariſienſis, Turonen. Pictaven., Aquitaniæ ſancti Ludovici, & Britaniæ Provinciarum Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ nuncupatorum, unione coram tunc dicti Ordinis Miniſtro Generali, materia quæ-

quæſtionis orta fuerat, dictus Miniſter Generalis in Capitulo Generali ipſius Ordinis in Domo beatæ Mariæ de Angelis prope Aſſiſium ejuſdem Ordinis nuper celebrato, de illius Definitorum conſenſu, inter alia declaravit præfatas Provincias in ſuis ſtatu, juribus & privilegiis, quibus alias a felicis recordationis Leone Papa X. prædeceſſore noſtro munitæ fuerant, & prout alias in Capitulo Generaliſſimo dicti Ordinis in Civitate Lugdunen. celebrato decretum extiterat, impoſterum remanere debere, & quod in ipſis Provinciis præficerentur Miniſtri eiſdem nominibus, locis & Conventibus, prout, & quatenus obſervatum fuerat, prout in ipſius Generalis Miniſtri deſuper confectis patentibus literis plenius contineri dicitur. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut declarationi prædictæ pro illius ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur earumdem Provinciarum proſperam & ſalubrem directionem ac quietem paterno zelantes affectu, ac literarum patentium prædictarum tenorem, ac ſi de verbo ad verbum inſertus foret, pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, declarationem prædictam, ac prout illam concernunt, omnia & ſingula in eiſdem literis contenta, & inde ſequta quæcumque auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac illis perpetuæ firmitatis robur adjicimus, eaque a vobis & ſucceſſoribus veſtris, ac quibuſvis aliis, ad quos ſpectat, firmiter & inviolabiliter obſervari debere decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, mandantes venerabilibus fratribus Malleacen. Briocen. & Abrincen. Epiſcopis, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios præſentes ac dictas patentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, & quoties pro parte veſtra fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, ac vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra vos & quemlibet veſtrum declaratione, confirmatione & approbatione, ac aliis præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die 1. Maii MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXXI.

Literæ Pauli III. Pont. Max. ad Andream Inſulanum Miniſtrum Generalem, non ad Joannem Paſchalem, ut per errorem eſt dictum pag. 17. hujus voluminis, quibus literis eidem Paſchali abrogatur facultas aggregandi ad Sodalitium, qui miſſione præfectorum Ordinis non impetrata, ad ipſum accederet. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Generali Miniſtro Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſti, quod, cum dudum dilecto filio Joanni Paſquali Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, Congregationis Vitæ Reformatæ nuncupatorum, cum aliis pro tempore Commiſſa-

riis

riis ac Guardianis dictæ Congregationis, ut quoſcunique Fratres etiam Minores de Obſervantia nuncupatos, & alios Religioſos quorumcumque aliorum laxiorum Ordinum ad Congregationem hujuſmodi ſe transferre volentes, petita prius per eos licentia ab eorum Superioribus, licet non obtenta, in ipſa Congregatione recipere, illiſque habitum per Fratres Congregationis hujuſmodi deferri ſolitum exhibere poſſent, necnon eiſdem Fratribus ad dictam Congregationem ſe transferre volentibus, ad illam, ut præfertur, ſe transferendi licentiam per alias noſtras in forma Brevis literas ſub data die XIII. menſis Maii Pontificatus noſtri anno VII. conceſſerimus, prout in illis plenius continetur; nonnulli ex Fratribus tui Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, qui plurima crimina & delicta, quæ plerumque oculos Divinæ Majeſtatis offendunt, perpetrare non erubeſcentes, quoties ad pœnam & correctionem delictorum ipſorum per eorum Superiores proceditur, ut pœnam criminum & delictorum hujuſmodi ſubterfugiant, prætextu literarum prædictarum, ſuorum Superiorum petita licet non obtenta licentia, a dicto Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia recedunt, & criminibus ac delictis hujuſmodi impunitis remanentibus, ad dictam Congregationem ſe transferunt, in animarum ſuarum periculum, & dicti Ordinis opprobrium ac ſcandalum plurimorum. Quare Nobis humillime ſupplicari feciſti, ut in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, ad quos ſpectare dignoſcitur privilegia & indulta, quæ occaſionem tribuunt delinquendi, ad jus commune reducere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas prædictas, quarum veriores tenores, acſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, haberi volumus pro expreſſis, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, ad hoc ut de cetero illarum prætextu, nullus ex dicti Ordinis Minorum de Obſervantia Fratribus, niſi prius illorum Superioribus petita & obtenta, aut de ſpeciali eis a Sede Apoſtolica concedenda licentia, ab ipſo Ordine Fratrum Minorum de Obſervantia recedere poſſit, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, illis alias in ſuo robore permanſuris, revocamus, caſſamus & annullamus, ac nullius roboris vel momenti fore, ac pro nullis & infectis haberi debere decernimus, abdicantes ab eiſdem Joanne, & aliis Guardianis & Commiſſariis omnem eis per eaſdem literas, quoad id attributam facultatem & auctoritatem; diſtrictius inhibentes eiſdem, ne literarum prædictarum prætextu, aliquos ex Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia hujuſmodi in vim dictarum literarum aſſumere præſumant, ac decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus prædictis, & aliis quibuſcumque literis & indultis Apoſtolicis illis conceſſis & concedendis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod præſentium literarum tranſumptis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, vel Judicis Ordinarii munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus literis adhiberetur, ſi originaliter oſtenſæ & exhibitæ fuiſſent.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die IX. Maii MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXXII.

Statuta & ordinationes Ordinis ſanctæ Mariæ Provinciarum Franciæ Pariſien. Turonen. Pictaven. & Flandriæ, fratri Germano Auberet examinanda & reformanda permittit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Germano Auberet Ordinis Fratrum Minorum profeſſori.

§. I. EXponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto filiæ Moniales Monaſteriorum Monialium Ordinis ſanctæ Mariæ, Franciæ Pariſien. Turonen. Pictaven. & Flandriæ Provinciarum, quod licet eorum Regula a felicis recordationis Alexandro VI. inſtituta, & a Leone X. ac Adriano etiam VI. & Clemente VII. prædeceſſoribus noſtris approbata fuerit, cum tamen in illa diverſa ſtatuta & ordinationes ob temporum varietates & mutationes, quæ in dictis Provinciis ſucceſſerunt, non modo non proficua exiſtant, verum etiam diverſa eiſdem Monaſteriis pariant diſpendia, & occaſionem præbeant, itaut in ipſis Monaſteriis devotio frigeſcere incipiat.

§. II. Nos, qui gregis Dominici univerſalem curam ſubſtinentes, fideles quoslibet, & in primis Deo dicatas Virgines, ut Sponſo ſuo, qui ſpecioſus eſt præ filiis hominum, debite occurrere poſſint, reformari cupimus, earumdem Monialium in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, de cujus ingenti dexteritate, probitate & multiplici rerum experientia ſingularem in Domino fiduciam obtinemus, per præſentes committimus & mandamus, quatenus, ſi Monaſteria ipſa alium, quam Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum Superiorem non habeant, ad ea te perſonaliter conferas, illorumque ſtatuta & ordinationes hujuſmodi diligenter examines, & ea quæ non ſubſtantialia Ordini & Regulæ hujuſmodi, ac nociva, aut alias ſuperflua eſſe cognoveris, reſeces, ſeu in totum vel in partem tollas, caſſes & annulles, ac eorum loco alia etiam ſuper cultu & officio Divino, ac cœremoniis, aliiſque ad ſalubrem iſtorum Monaſteriorum in ſpiritualibus & temporalibus directionem pertinentia, Regulæ tamen & Ordini hujuſmodi non repugnantia, ſub ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis per te ad id ſtatuendis, obſervanda condas & edas, quæ, poſtquam condita & edita fuerint, dummodo licita & honeſta ſint, & puritati Regulæ conſona, ac juri canonico non contraria, eo ipſo Apoſtolica auctoritate confirmata ſint & eſſe cenſeantur. Et inſuper ut prædictarum Monialium indemnitatibus, ac earum Regulæ per amplius conſulatur, illas, earumque Monaſteria præfata curæ & protectioni moderni, & pro tempore exiſtentis Protectoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum ſubjicimus, & in illius curam ac protectionem juxta earum Regulæ tenorem, ut Monaſteria cetera ſub cura Fratrum Minorum exiſtentia, tradimus, necnon omnia & ſingula illarum privilegia & indulta, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, haberi volumus pro expreſſis, quatenus ſint in uſu, auctoritate Apoſtolica præfata per præſentes confirmamus & approbamus, illaque firmiter & inviolabiliter obſervari debere decernimus: Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon Monaſteriorum & Ordinis præfatorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die IX. Maii MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXXIII.

LXXXIII.

Molianenſis Cœnobii in Marchiæ Provincia Obſervantibus oblati fundationem firmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Marchiæ juxta morem dicti Ordinis.

§. I. CUm, ſicut accepimus, dilecti filii Communitas & homines caſtri Moliani, Firman. Diœc. ob ſingularem, quem ad Ordinem veſtrum devotionis gerunt affectum, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, ſuis expenſis in loco congruo, extra & prope dictum caſtrum Moliani, ſub invocatione ſanctæ Columbæ Virginis & Martyris, unam Domum pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum dicti veſtri Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſive conſtrui & ædificari cœperint, & ſummopere perficere & conſumare cupiant & intendant, proinde Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis Domum præfatam recipiendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſimum temporibus ubique propagari deſideramus, & votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo confovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut Domum prædictam, tam conſtrui incœptam, & nondum perfectam recipere, perficere, ſeu perfici facere, & retinere ac inhabitare, quodque Domus præfatæ Guardiani & Fratres in ea pro tempore exiſtentes omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus & immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus, Ordinis & obſervantiæ præfatæ Domibus & Conventibus in genere hactenus conceſſis, & impoſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure Parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus.

§. III. Felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. qua expreſſe cavetur, ne dicti & aliorum Mendicantium Ordinum profeſſores ad inhabitandum nova loca recipere præſumant, abſque Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & ordinationibus, ac dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, etiamſi de illis hic habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XIII. Junii MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXXIV.

Quæ pro bono regimine & adminiſtratione Monaſterii Monialium beatæ Mariæ del Roſal Oppidi del Priego Ordinis Minorum de Obſervantia, Generalis Miniſter expedire judicaverit, obſervari ſtatuit atque decernit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Miniſtro Generali Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia.

§. I. DUdum, poſtquam fel. record. Clementi Papæ VII. prædeceſſori noſtro pro parte quondam Hurtadi de Mendoca Rectori Parochialis Eccleſiæ loci de Zahoreſas, Conchen. Diœceſis, tunc in humanis agentis, expoſito, quod antea ipſe zelo devotionis accenſus, in ejus teſtamento inter alia, quod Monaſterium Monialium Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia in Eremitorio beatæ Mariæ del Roſal extra muros oppidi del Priego, Conchen. Diœceſis, ex bonis per ipſum Hurtadum tam ex hæreditaria ſucceſſione, quam ſua induſtria acquiſitis, perficeretur, ac in eo, poſtquam perfectum foret, ejuſdem Ordinis Moniales ex dote per ipſum Hurtadum ad id relicta manutenendæ introducerentur, ac Monaſterium ipſum, & pro tempore exiſtentes illius Abbatiſſa & Moniales, Generali & Provinciali, ac Miniſtris illius Provinciæ, in qua ipſum Monaſterium conſiſteret, juxta morem ejuſdem Ordinis ſubjicerentur, ac per ipſum Generalem vel Provincialem, aut Miniſtrum ſemel quolibet anno viſitarentur & reformarentur, & ſi poſtmodum eumdem Hurtadum ejus vita comite, contra præmiſſa, ac forſan alia in dicto teſtamento contenta aliquid ordinare contingeret, illud nullius momenti exiſteret, niſi in ordinatione ipſa prædictum teſtamentum de verbo ad verbum inſereretur; necnon pro tempore exiſtens Comes del Priego Patronus ejuſdem Monaſterii eſſet, voluerat & ordinaverat, præfatus Prædeceſſor omnia & ſingula præmiſſa per quaſdam ſub plumbo expeditas confirmaverat & approbaverat.

§. II. Ac Nos ad ejuſdem Hurtadi aſſerentis quondam Petrum Ferdinandum tunc Comitem del Priego, & ejus natum circa ejuſdem Monaſterii conſervationem non ſic utiliter vacare poſſe, ſupplicationem, per alias eidem Hurtado, ut ex tunc alium ſeu alios, de quibus ſibi videretur, in ejuſdem Monaſterii Patronos & Protectores ſemel vel pluries nominare vel deputare valeret, eiſdem Petro Ferdinando & Ludovico, ne ex tunc poſt nominationem hujuſmodi, ut præfertur, faciendam, de dicti Monaſterii adminiſtratione ſe intromittere poſſent, inhibendo indulſeramus, ipſeque Hurtadus hujuſmodi indulti vigore, dilectos filios Joannem Hurtadum dominum in temporalibus oppidi ſeu loci de la Ventoſa, dictæ Diœceſis, & Alphonſum Carillo de Albornoz Canonicum Eccleſiæ Conchen. ac Alphonſum Alvarez Rectorem Communitatis Conchen. in Patronos & Protectores dicti Monaſterii nominaverat & deputaverat, idem Hurtadus in alia ejus voluntate per viam codicilli, etiam non inſerto tenore de verbo ad verbum prædicti teſtamenti, ac contra Capituli ejuſdem Ordinis ordinationem, qua cavetur, ne Provinciales Provinciæ Caſtellæ Monaſteria tam virorum, quam mulierum ejuſdem Ordinis in Provincia Carthaginen. recipere & regere poſſent, quod ex tunc de cetero idem Monaſterium pro tempore exiſtenti Miniſtro Provinciali Provinciæ Toletan. non Carthaginen. in qua Monaſterium ipſum conſiſtebat, juxta morem ejuſdem Ordinis ſubjiceretur, declaravit.

§. III. Noſ-

§. III. Noſque ad eorumdem Joannis & Alphonſi Carillo, ac Alphonſi Alvarez ſupplicationem per alias nominationem & deputationem, ac ultimam voluntatem Hurtadi hujuſmodi confirmavimus & approbavimus, illaſque perpetuæ firmitatis robur obtinere decrevimus, & deinde per reliquas noſtras in forma Brevis literas omnia & ſingula poſteriorum confirmationis & approbationis hujuſmodi vigore geſta & facta, auctoritate Apoſtolica etiam approbavimus & confirmavimus, necnon certis executoribus dedimus in mandatis, quatenus modernos & pro tempore exiſtentes Ordinis Minorum Generalem & Toleti Provincialem Miniſtros deſuper ſe quoquo modo excuſantes, ad Monaſterium prædictum, illiuſque pro tempore exiſtentes Abbatiſſam & Conventum ſub eorum cura, regimine & adminiſtratione devote ſuſcipientes, ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis ex parte noſtra monerent & requirerent, prout in ſingulis literis prædictis plenius continetur.

§. IV. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Miniſtri Provincialis dictæ Provinciæ Carthaginen. dicti Ordinis juxta illius morem petitio continebat, licet in ultima voluntate Hurtadi hujuſmodi dictum teſtamentum juxta ejus priorem voluntatem præfatam de verbo ad verbum inſertum, & in literis noſtris præfatis de ordinatione Capituli Ordinis hujuſmodi nulla mentio facta ſuerit, cum tamen exinde diverſæ lites & differentiæ tam ſuper executione literarum, quam aliis præmiſſis inter Caſtellæ & Carthaginen. Provinciarum hujuſmodi Provinciales Miniſtros, & forſan alios exortæ exiſtant, & aliæ veriſimiliter ſuboriri formidetur, pro parte ejuſdem Provincialis Carthaginen. Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Monaſterium ipſum, ejuſque Abbatiſſam, Moniales, & perſonas pro tempore exiſtentes curæ, regimini & adminiſtrationi Miniſtri Provincialis pro tempore exiſtentis dictæ Provinciæ Carthaginen. in qua, ut præfertur, dictum Monaſterium conſiſtit, juxta conventionem & priorem voluntatem teſtatoris hujuſmodi, necnon ordinationes & morem dicti Ordinis ſubmittere, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. V. Nos igitur teſtamenti & codicilli, ac ſingularum literarum prædictarum veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, ejuſdem Provincialis Carthaginen. aſſerentis in univerſali Ordinis veſtri hujuſmodi Religione nullum virorum aut mulierum in una Provincia juxta morem dicti Ordinis conſiſtens Monaſterium Provinciali alterius Provinciæ, in qua dictum Monaſterium non conſiſtit, etiam vigore cujuslibet privilegii Apoſtolici ſubjectum reperiri, ſicque ultimam dicti Hurtadi voluntatem prædictam in maximum ſcandalum, ac Ordinis prædicti perturbationem redundare, ſupplicationibus hujuſmodi inclinati, per præſentes tibi committimus & mandamus, quatenus in præmiſſis, id quod Provinciarum & Monaſterii hujuſmodi quieti, & ſalubriori ſtatui juxta regularia inſtituta ipſius Ordinis prodeſſe judicaveris, ſtatuas & decernas, faciens, quod ſtatueris & decreveris per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias tuo arbitrio moderandas & applicandas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, inviolabiliter obſervari, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, ſuper quibus omnibus & ſingulis plenam & liberam facultatem & auctoritatem per eaſdem præſentes tibi concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis

eiliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus; ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die IX. Julii MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXXV.

Piſtorienſis Hoſpitii Ordinis Minorum de Obſervantia fundandi facultas.
Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Tuſciæ Florentinæ juxta morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod dilecti filii Guardianus & Fratres Domus veſtræ ſancti Franciſci de Monte Cecherino veſtri Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ extra Civitatem Piſtorien. per duo fere milliaria diſtantis, ob maximam aſperi itineris difficultatem & incommoditatem, de Superiorum ſuorum licentia, & totius Civitatis aſſenſu & conſenſu ex eleemoſynis Chriſtifidelium, paucis ante annis intra prædictam Civitatem Piſtorien. in loco congruo, ad ipſorum & aliorum pro tempore veſtræ Provinciæ Fratrum uſum & commoditatem, unum Hoſpitium, ſive unam parvam Domum ad inſtar aliorum Hoſpitiorum & Domorum veſtri Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Immaculate Concepiæ ſeu de Conceptione cum Eccleſia, & ceteris neceſſariis officinis erigi & ædificari facere intendunt, & forſan fecerunt, proinde Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis dictum Hoſpitium ſeu dictam parvam Domum aſſequendi, retinendi, poſſidendi, perficiendi, & pro tempore inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nus igitur, qui votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo confovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis præfatum Hoſpitium ſeu Domum erigendam, ac quatenus ſit erectum, aſſequendi, retinendi, poſſidendi, pro tempore inhabitandi, perficiendi & conſumandi, aut perfici & conſumari faciendi cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus, necnon, ut Domus ſeu Hoſpitium prædictum, ac illius Præſidens & Fratres in eo pro tempore degentes omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus Ordini & Obſervantiæ prædictis, ejuſque Domibus & Conventibus hactenus in genere conceſſis & impoſterum concedendis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate & tenore prædictis concedimus pariter & indulgemus: felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua cavetur expreſſe, ne prædicti, ac aliorum Mendicantium Ordinum profeſſores ad inhabitan-

bitandum nova loca recipere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, & aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum conſtitutionibus & ordinationibus, necnon dicti Ordinis ſtatutis, conſtitutionibus & conſuetudinibus, etiamſi de illis hic habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XVI. Julii MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXXVI.

Fratribus de Obſervantia Provinciæ Bononien. Domum alienandi, ejuſque pretium in ampliando Placentino Cœnobio convertendi licentiam elargitur. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio Miniſtro Provinciali Provinciæ Bononien. Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia juxta morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſti, quod, cum alias quondam Bartholomæus Buttaja, tunc in humanis agens, in illius ultima voluntate quamdam illius Domum in Civitate Placentin. Provinciæ Bononien. juxta illius confines ſitam Fratribus Domus de Nazareth Civitatis & Ordinis prædictorum, ita quod dicta Domus pro habitatione Prædicatoris eorumdem Fratrum perpetuo remaneret, reliquerit, & juxta Eccleſiam ſanctæ Mariæ in campagna ejuſdem Civitatis unum Monaſterium pro Fratrum & Prædicatoris prædictorum perpetuis uſu & habitatione conſtrui incœptum fuerit, ipſique Fratres Domum prædictam, ut ex illius pretio, Monaſterium præfatum perficere poſſint, vendere deſiderent, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi Domum ipſam ad hujuſmodi effectum vendendi & alienandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur Domus confines, ſitus, qualitates & valorem, ac redditum etiam annuum, ac voluntatis hujuſmodi veriorem tenorem præſentibus pro expreſſis habentes, attendentes minus conveniens eſſe Fratrem veſtri Ordinis etiam Prædicatorem in Domo privata extra Monaſterium & Conventum ſeparatim permanere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi Domum prædictam ad effectum prædictum quibuſvis Eccleſiaſticis, vel ſecularibus perſonis, de ipſorum Fratrum conſenſu vendendi & alienandi, ac pretium exinde proveniens ab emptoribus dictæ Domus recipiendi, & in conſtructionem ac perfectionem ipſius Monaſterii, & non alios uſus convertendi, ac inſtrumenta quæcumque deſuper neceſſaria cum quibuſvis pactis, obligationibus & cautelis conficiendi, ceteraque in præmiſſis & circa ea neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna faciendi; necnon perſonis præfatis Domum ipſam pro ſe, ſuiſque ſucceſſoribus & hæredibus emendi, & pretium tibi ſolvendi plenam & liberam licentiam & auctoritatem, ſalva tamen in ceteris omnibus & ſingulis ejuſdem Bartholomæi teſtatoris voluntate & diſpoſitione, tenore præſentium concedimus & elargimur: Decernentes venditionem prædictam, ac deſuper cum omnibus & ſingulis in eis contentis pactis, conditionibus & clauſulis conficienda inſtrumenta & ſcripturas, ac alia documenta ex nunc, prout ex tunc, & e contra, poſtquam facta & celebrata fuerint, Apoſtolica auctoritate confirmata & approbata, ac valida & efficacia exiſtere, ſuoſque plenarios effectus ſortiri, necnon emptoribus, illorumque ſucceſſoribus & hæredibus prædictis omnino ſuffra-

fragari, perpetuoque inviolabiliter obſervari debere, ſupplentes omnes juris & facti defectus, ſi forſan intervenerint in eiſdem; non obſtantibus voluntate & aliis præmiſſis, ac felicis record. Pauli Papæ II. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: *Cum in omnibus judiciis*, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtoliçis, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XIX. Julii MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXXVII.

Camerinenſe Cœnobium Ordinis Minorum de Obſervantia reparandum decernit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Theſaurario Civitatis noſtræ Camerini.

CUm intelleximus Monaſterium ſeu Domum Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia iſtius noſtræ Civitatis Camerini, imminentem ruinam minari, cui niſi obvietur, & in tempore provideatur, magnum illi loco impendere periculum, & nonniſi cum maxima impenſa, ſi ruat, reædificari poſſe, quod non eſt Nobis idcirco longius differre, & propterea impenſam hanc, tamquam magis neceſſariam, ceteris omnibus etiam in Tabula tibi iſtic aſſignata deſcriptis, præferendam eſſe, quamobrem volumus & tibi mandamus, ut ad dictæ ruinæ reparationem uſque ad ſummam ducentorum ſcutorum auri, prout a dilecto filio Durante duodecim Apoſtolorum Presbytero Cardinale Umbriæ Legato noſtro ordinatum fuerit, omnino exponas, Nos enim dictam ſummam ſic expoſitam bonam tibi in tuis cum Camera Apoſtolica computis fieri faciemus, & ex nunc fieri mandamus. Non obſtantibus quibuſvis aliis tibi etiam per Nos factis ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIX. Septembris MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XIV.

LXXXVIII.

Ordinis Minorum Profeſſoribus, ac Monialibus eorum curæ commiſſis ſibi eligendi Confeſſarios, abſque Superiorum permiſſu, indulto quovis non obſtante, facultatem aufert. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Generali Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum ſecundum morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſti, quemadmodum nonnulli tam ex Guardianis vel Præſidentibus, aliiſque Fratribus Ordinis Minorum, & Provinciarum Hiſpaniæ, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, quam ſub eorum cura & inſtitutis degentibus Ordinis ſanctæ Claræ, ac etiam Tertiæ Regulæ ſancti Franciſci Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus Monaſteriorum dictarum Provinciarum, propriis Confeſſoribus per illorum Superiores deputari ſolitis, dimiſſis, in illorum forſan contemptum, vigore Cruciatæ in Hiſpania ab Apoſtolica Sede conceſſæ, & nonnullorum Apoſtolicorum privilegiorum & indultorum, aliarumque literarum, etiam confeſ-

ſeſſionalium nuncupatorum ſibi conceſſorum, Confeſſores pro ſuo libito voluntatis nonnumquam Clericos ſeculares, quandoque vero & aliorum Ordinum Fratres eligere, illiſque peccata ſua confiteri, & ab eis abſolutionem petere & recipere, ipſique Confeſſores ſic electi confeſſiones hujuſmodi audire, & pœnitentiam ſalutarem deſuper injungere, ac abſolutionis beneficium etiam de caſibus illorum Prælatis & ſuperioribus ſpecialiter reſervatis, forſan indiſtincte impertiri ſoliti, ſunt ſtatutis & conſuetudinibus dictorum Ordinum de facto contraveniendo, forſan in animarum ſuarum periculum, pernicioſum quoque exemplum & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, ne Fratres & Moniales hujuſmodi ſub hoc prætextu ad illicita prolabantur, & regularis diſciplinæ inde ſequatur diſſolutio, providere volentes, ſupplicationibus tuis hujuſmodi inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero nullus ex Guardianis vel Præſidentibus aut Fratribus, vel aliis Religioſis Fratrum Minorum, ac Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus tuæ curæ commiſſis, ſi & poſtquam de præſentibus literis notitiam habuerint, prætextu cujuſvis privilegii aut indulti Apoſtolici vel confeſſionalis, aut aliarum literarum & indultorum, etiam motu proprio hactenus conceſſorum vel impoſterum concedendorum, niſi de ſpeciali licentia petita & obtenta ſuorum Superiorum, Confeſſorem ſibi eligere, & ab eo abſolutionem recipere poſſit, mandantes ac diſtrictius inhibentes tam ipſis Guardianis vel Præſidentibus, aliiſque Fratribus religioſis, necnon Abbatiſſis, Monialibus & Sororibus, ac ipſorum ſingulis in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub officiorum per ipſos obtentorum privationis, ac inhabilitatis ad illa & alia impoſterum obtinenda, pœnis eo ipſo incurrendis, ut privilegiis indultis, confeſſionalibus & aliis literis & gratiis prædictis, quomodolibet uti, illorumque prætextu Confeſſorem ſibi eligere, & ab eo abſolutionem recipere, quam Confeſſoribus ſic electis præfatis ſub ſimilibus pœnis, eo ipſo ſimiliter incurrendis, præterquam, ut præfertur, de ſpeciali licentia petita & obtenta dictorum Superiorum, ut confeſſiones hujuſmodi audire, ac pœnitentiam injungere, & abſolutionis munus impertiri nullatenus audeant vel præſumant, irritum quoque & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus, privilegiis quoque, indultis ac literis Apoſtolicis, ſub quacumque verborum forma, & cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, per Sedem eamdem, ex quibuſcumque cauſis etiam urgentiſſimis, & onerosis, ad quorumcumque cujuſcumque dignitatis & ſtatus preces hactenus conceſſis & impoſterum concedendis, quibus, etiamſi in illis caveatur expreſſe, quod illis nullatenus aut non alias, quam ſub certis modo & forma tunc expreſſis derogari poſſit, illorum omnium tenores & formas, perinde ac ſi de verbo ad verbum, & non per clauſulas generales idem importantes expreſſa mentio facta, aut alia exquiſita forma ad id requiſita, ſervanda fuiſſet, nihil penitus omiſſo, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. III. Volumus autem, quod præſentium tranſumptis ſigillo alicujus Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ ſignatis, & manu alicujus Notarii

tarii publici ſubſcriptis eadem fides adhibeatur, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XIV. Novembris MDXLVIII. Pontificatus noſtri anno XV.

Anno Christi 1549. Pauli III. anno 15.

LXXXIX.

Montis Fortini Cœnobium in Diœceſi Firman. Ordinis Minorum de Obſervantia, fundandi facultas. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Marchiæ, juxta morem dicti Ordinis.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod dilecti filii Communitas & homines habitatores terræ ſeu Oppidi Montis fortiui, Firman. Diœceſis, ob ſingularem quem ad Ordinem veſtrum Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, devotionis gerunt affectum, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in Cœleſtia felici commercio commutare ſatagentes, unam Domum intra dictam Terram, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jurone cum campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis atque aliis neceſſariis officinis, adinſtar aliarum Domorum & Eccleſiarum dicti veſtri Ordinis, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum dictæ veſtræ Regularis Obſervantiæ, conſtruere, ædificare & perficere, ſeu conſtrui, ædificari & perfici facere, illamque, & ei contiguam ſine cura Eccleſiam, ab ipſa communitate ex devotione ſub eadem invocatione, annis elapſis conſtructam, vobis pro eiſdem uſu & habitatione concedere intendunt, proinde Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis Domum prædictam cum Eccleſia ipſa, recipiendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur..

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus incrementum noſtris potiſſimum temporibus ubique propagari deſideramus, & votis fidelium omnium, ex quibus præcipue ſpiritualibus profectibus Altiſſimo famulantium, & ſalutaribus fructibus populorum conſulitur, libenter annuimus, eaque quantum cum Deo poſſumus, favore benevolo conſovemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis ut Domum præfatam cum ipſius Eccleſia, quatenus tamen aliquos Eccleſiaſticos redditus non habeat, nec in titulum perpetui beneficii Eccleſiaſtici erecta exiſtat, ac omnibus prædictis, ac ceteris neceſſariis officinis & membris, poſtquam conſtructa & ædificata fuerit, vel per vos conſtruendam & ædificandam placuerit recipere, ac retinere & inhabitare; quodque Domus præfatæ Guardiani & Fratres in ea pro tempore exiſtentes, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus & immunitatibus, exemptionibus, conceſſionibus & indultis ſpiritualibus & temporalibus Ordini & Obſervantiæ prædictis, ac ejuſdem Domibus & Conventibus hactenus per Sedem Apoſtolicam in genere conceſſis & impoſterum concedendis uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus.

§. III. Felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri Conſtitutione, qua cavetur expreſſe, ne prædicti & aliorum Mendicantium Ordi-

Ordinum profeſſores, ad inhabitandum nova loca recipere præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, necnon etiam aliorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus & ordinationibus, ac dicti Ordinis ſtatutis, Conſtitutionibus & conſuetudinibus, etiamſi de illis hic habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Martii MDXLIX. Pontificatus noſtri anno XV.

XC.

Fratrem Joannem Jacobum de Montefalco Ordinis Minorum Conventualium Magiſtrum Generalem electum confirmat. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio Joanni Jacobo de Montefalco Ordinis Fratrum Minorum Conventualium & Theologiæ Profeſſori, ac totius ipſius Ordinis Magiſtro Generali.

CUm, ſicut nuper accepimus, tu in vigilia Pentecoſtes proxime præterita, in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum, in Civitate noſtra Aſſiſiaten. hoc anno celebrato, præſidente inibi dilecto filio noſtro Rodulpho, tituli ſanctæ Mariæ Tranſtiberim Presbytero Cardinali de Carpo nuncupato, dicti Ordinis apud Nos Protectore, in Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis ad triennium, & alias modo & forma ſolitis canonice electus fueris, prout in documento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri, Nos hujuſmodi de te, quem ſalubri ejuſdem Ordinis directioni proficuum fore ſperamus, factam electionem ratam & gratam habentes, illam, ac prout eam concernunt omnia & ſingula in dicto documento, quoad electionem hujuſmodi contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, ex certa ſcientia approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; teque in dicti Ordinis Magiſtrum Generalem ad dictum triennium inſtituimus, & ſolita benedictione noſtra benedicimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XXIX. Julii MDXLSX. Pontificatus noſtri anno XV.

XCI.

Franciſcum de la Torre Minoritam Conventualem Commiſſarium Generalem electum ad reformandum Provinciam Aragoniæ, ejaſque Monaſteria & loca confirmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Franciſco de la Torre Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, & Theologiæ profeſſori.

§. I. CUm, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, inter alia, quæ in Capitulo Generali Fratrum Ordinis Minorum Conventualium in Civitate noſtra Aſſiſii, de menſe Maii proxime præterito celebrato, & in eo dilecto filio noſtro Rodulpho tituli ſanctæ Mariæ Tranſtiberim Presbytero Cardinali de Carpo nuncupato, totius ipſius Ordinis Protectore præſidente, pro felici ejuſdem Ordinis ſucceſſu, ſtatuta & ordina-

dinata fuerunt, tu, qui Provinciæ ſancti Jacobi ejuſdem Ordinis Provincialis exiſtis, ad viſitandum Provinciam Aragoniæ, juxta morem ipſius Ordinis Commiſſarius ad id ſpecialiter deputatus fueris, cum facultate totam illam Provinciam Aragonum, illiuſque Conventus & Monaſteria quæcumque tam in capite, quam in membris viſitandi & reformandi, ac delinquentes debite corrigendi, puniendi, incarcerandi & a carceribus liberandi, removendi ab officiis, & etiam deſtituendi & alios in illis inſtituendi, omniaque alia opportuna gerendi & exequendi, ac in eiſdem Monaſteriis & Conventibus Regularia dicti Ordinis inſtituta obſervari faciendi, prout in patentibus dilecti filii Joannis Jacobi de Monte falcone Ordinis præfati Magiſtri Generalis tibi deſuper conceſſis literis plenius dicitur contineri.

§. II. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, pro faciliori ejuſdem deputationis exercitio, & ut per te geſta majorem obtineant firmitatem, robur confirmationis Apoſtolicæ ſit tibi maxime opportunum, Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut tibi in præmiſſis favorabiliter annuere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Religionis profectum & decorem, ac inter illius profeſſores, ſublatis irregularitatibus & ſcandalis quibuſcumque, obſervantiam & devotionem regulares paſſim vigere ſinceris exoptamus affectibus, & quæ ad id procedere conſpicimus, quibus poſſumus favoribus proſequimur opportunis, literarum hujuſmodi veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, deputationem hujuſmodi auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illique perpetuæ firmitatis robur adjicimus; ac tibi, ut ad Provinciam Aragonum hujuſmodi, ac illius Monaſteria, Conventus & Domos ejuſdem Ordinis quæcumque accedere, illa tam in capite, quam in membris juxta literarum earumdem tenorem viſitare, reformare, ac culpabiles repertos debite corrigere, privare, incarcerare, incarceratos liberare, ab officiis deſtituere & alios in illis inſtituere, ac in eiſdem Monaſteriis, Conventibus & Domibus Regularia dicti Ordinis inſtituta & Conſtitutiones obſervari facere, ac quæcumque ſcandala & gravamina de medio tollere, contradictores, ac tibi in præmiſſis non parentes cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, ac aliis opportunis juris & facti remediis compeſcere & coercere libere & licite poſſis, auctoritate & tenore prædictis licentiam concedimus & facultatem. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ idem Joannes Jacobus Generalis Magiſter in ejus patentibus literis prædictis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die VIII. Auguſti MDXLIX. Pontificatus noſtri anno XV.

XCII.

Ordinationes in Provinciali Capitulo Fratrum Minorum de Obſervantia Provinciæ Burgen. pro concordia & unione habitas firmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EX incumbenti Nobis Apoſtolicæ Sedis ſtudio ad ea libenter intendimus, per quæ inter Regularis Obſervantiæ profeſſores æqualitas & Religionis vinculum, ac concordia ſine invidia ſervetur, ac iis quæ propterea facta fuiſſe dicuntur, ut firma perpetuo & illibata perſiſtant,

ſtant, cum a Nobis petitur, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem.

§. II. Exhibita ſiquidem Nobis, nuper pro parte dilecti filii Miniſtri Provincialis Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Burgen. ſecundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quod nuper in Comitiis Provincialibus Burgis habitis, inter dilectos filios univerſos Patres Definitores & Vocales dicti Ordinis, ad obviandum controverſiis & diſſentionibus, quæ propter diverſas nationes, quibus eadem Provincia conſtat, plerumque oriebantur, ne quis aſſiduo imperio tumeſceret, vel continua ſubjectione dejiceretur, communi omnium conſenſu ſtatutum & ordinatum, ac ſub certis cenſuris & pœnis obſervari mandatum fuit, quod ex tunc deinceps Vizcainis & Alabanis Montagnenſibus nuncupatis, Cantabrico vocabulo comprehenſis, ex Caſtellana, unus Caſtellanus, & ex Cantabrica nationibus, alter Cantaber, qui decurſo peractoque termino pro Caſtellano Cantaber & pro Cantabrico Miniſtris Provincialibus Caſtellanus, Miniſtri Provinciales viciſſim in perpetuum eligerentur, idemque in quatuor Burgen. & Victoriani, ac Locromen. & Bilbanen. ejuſdem Ordinis Conventuum præficiendis Guardianis ſervaretur, ut bini videlicet eſſent Caſtellani & bini Cantabri, idem etiam in Definitoribus eligendis, ut bini ſcilicet ex una, bini vero ex altera parte eſſe deberent, & quod eo triennio, quo Miniſter fuerit ex Caſtellanis, Guardianus Burgen. ex Cantabris eſſet, & e contra, ac ne qui Miniſtri eſſe deſiſſent una cum iis, qui Definitores foret, illa hebdomada Guardiani fierent, prout in ſcripturis publicis deſuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Miniſtri Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatuto, ordinationi & mandato prædictis pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui inter quoſcumque præſertim Religioſos, concordiam & unitatem paſſim vigere ſinceris deſideramus affectibus, ac quæ ad id tendere conſpicimus, favoribus proſequimur opportunis, ſcripturarum hujuſmodi veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatutum, ordinationem & mandatum prædicta, ac prout illa concernunt, omnia & ſingula in eiſdem ſcripturis contenta ac inde ſequuta quæcumque, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ex certa noſtra ſcientia approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ac per dictos Fratres & eorum quemlibet ſub ſententiis, cenſuris & pœnis in ſcripturis hujuſmodi contentis firmiter obſervari debere, ac quidquid ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus: ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Conventuum & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eiſdem Conventibus & Ordini, illorumque Superioribus, Fratribus & perſonis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis irritantibus, & alias quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus illorum veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die xx. Auguſti MDXLIX. Pontificatus noſtri anno XV.

XCIII.

Virorum & Mulierum Monaſteria Ordinis Minorum Conventualium in Portugalliæ & Algarbiorum Regnis conſiſtentia, reformari decernit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis univerſis & ſingulis Provincialibus, ac aliis Fratribus Ordinis Fratrum Conventuallium Portugalliæ & Algarbiorum Regnorum.

§. I. DUdum ex literis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Portugalliæ & Algarbiorum Regis illuſtris, ac aliorum fide dignorum teſtimoniis, non abſque animi noſtri perturbatione accepimus Religioſos veſtri Ordinis vitam adeo licentioſam,& a veſtri Ordinis Regularibus inſtitutis alienam, in animarum ſuarum perniciem, ac Religionis opproprium ac ſcandalum plurimorum ducere, ut Regulam quam profeſſi ſunt, pœnitus negligere videantur, & niſi deſuper opportuno & celeri remedio provideatur, maximum periculum in illis partibus ne dum Ordini veſtro, ſed etiam aliis immineat.

§. II. Nos, quibus univerſalis cura gregis Dominici ſpecialiter commiſſa eſt, ſperantes quod veſtra circumſpectione, ac in Nos & Sedem Apoſtolicam devotione, vos ad Ordinis veſtri Regularia inſtituta, illorumque obſervationem redigetis, vobis & cuilibet veſtrum in virtute ſanctæ obedientiæ injungimus & mandamus, quatenus vos, omniaque & ſingula tam Virorum, quam Mulierum Monaſteria veſtra vobis ſubdita, illorumque perſonas infra duos Menſes poſt notitiam præſentium tam in capite, quam in membris in iis, in quibus reformatione indigebunt, juxta Regularia ipſius Ordinis inſtituta hujuſmodi, & eorum profeſſionem reformetis, & ad rectitudinis tramitem reducatis taliter, & eo modo & forma, in quibus vos cum Dei honore perſeverare ſperetur,quod ſi id,quod minime credimus, facere recuſaveritis ſeu neglexeritis, ad alia opportuna remedia contra vos devenire cogemur.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris die XXIII. Auguſti MDXLIX. Pontificatus noſtri anno XV.

JULIUS III.

Electus IV. *Idus Februarii* MDL. *Coronatus* VIII. *Kal. Martii*.

Anno Christi 1550. Julii III. anno 1.

I.

Hospitale sancti Antonii Bononien. Tertii Ordinis Minorum Conventualium sancti Francisci, Tertiariis amotis, mulieribus tantum assignandum decernit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Venerabili fratri Episcopo Bononien. & dilecto filio Civitatis nostræ Bononiæ Vice-Legato vel eorum alteri.

§. I. CUm, sicut dilectus filius Joannes Jacobus de Montesalco Ordinis Fratrum Minorum & Theologiæ professor, ac totius ipsius Ordinis Magister Generalis Nobis nuper exponi fecit, licet in Domo sive Hospitali sancti Antonii de Padua Bononien. Tertii Ordinis sancti Francisci de Pœnitentia nuncupati, pro usu tam virorum, quam mulierum dicti Tertii Ordinis deputat. seu deputato, non parvus mulierum ejusdem Tertii Ordinis numerus sub cura, regimine & obedientia Fratrum dicti Ordinis Minorum Conventualium nuncupatorum degat, & inibi Altissimo famuletur, nihilominus quatuor aut quinque viri pro Fratribus præfati Tertii Ordinis se gerentes, qui habitum per Fratres ipsius Tertii Ordinis gestari solitum, in dicta Domo seu Hospitali, absque eo quod per illius Superiores, ut etiam tunc moris erat, & nunc est, & Regula dicti Tertii Ordinis requirebat, eis exhiberetur, aut voluntas dictorum Superiorum ad id interveniret, a se ipsis propria auctoritate susceperunt, in Domo seu Hospitali hujusmodi degere, & vitam licentiosam, ac minus quam Regulares personas decet, honestam ducere, ac omnes ipsius Domus seu Hospitalis fructus, redditus & proventus, qui olim pro substentatione pauperum personarum sub Regula Tertii Ordinis hujusmodi viventium deputati seu assignati fuerunt, dissipare, ac in proprios, ac alios damnatos usus convertere præsumunt, in animarum suarum periculum, & mulierum dicti Tertii Ordinis in Domo seu Hospitali hujusmodi degentium detrimentum non modicum, ac Christifidelium scandalum; idem Joannes Jacobus Magister Nobis humiliter supplicari fecit, ut eosdem viros a Domo seu Hospitali hujusmodi amoveri, ac ipsam Domum seu Hospitale ipsis Sororibus seu mulieribus ejusdem Tertii Ordinis, ad hoc, ut ex illius fructibus, redditibus & proventibus præfatis, ac eleemosinis eidem Domui seu Hospitali faciendis commode sustentari possint, assignari, seu pro eis deputari mandare, aliasque in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per præsentes committimus & mandamus, quatenus, vocatis vocandis, te de præmissis diligenter informes, & si ita esse repereris, Viros præfatos ab eadem Domo seu Hospitali auctoritate nostra amoveas, ac Domum seu Hospitale hujusmodi Sororibus seu Mulieribus ejusdem Tertii Ordinis, ad hoc, ut ex illius fructibus, redditibus, proventibus, ac eleemosynis præfatis se commode sustentari possint, sine tamen alicujus præjudicio, assignes seu pro eis deputes: Contradictores quoslibet & rebelles, ac tibi in præmissis non parentes, per sententias, censuras,

ras & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias tuo arbitrio moderandas & applicandas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas præfatas etiam iteratis vicibus aggravando, adhibito etiam ſeu invocato ad id, ſi opus fuerit, auxilio tui vel cujuſvis alterius brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIX. Mariti MDL. Pontificatus noſtri anno I.

II.

Sanctimonialibus ſanctæ Luciæ Fulginaten. Ordinis ſanctæ Claræ perceptionem decem ſalmarum frumenti in Agro Cluſino ad Cameram ſpectan. extendit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginaten. Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia.

§. I. DUdum emanarunt a felicis recordationis Paulo Papa III. immediato prædeceſſore noſtro literæ tenoris ſubſequentis: a tergo videlicet. *Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Monialibus Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginaten. Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia.*

Intus vero. *Paulus Papa III. Dilectæ in Chriſto filiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Paupertati, quam profitemini, paterne providere volentes, inducti præſertim adore bonæ famæ vitæ veſtræ, ut eo ferventius omnipotenti Deo inſervire, & orationibus vacare valeatis, quominus de victui neceſſariis ſollicitæ eritis, vobis decem ſalmas frumenti ad menſuram Peruſin. ex frumenta in Cluſino Peruſin. recollecto & recolligendo ad Cameram Apoſtolicam pertinente, quotannis in feſto Aſſumptionis beatæ Mariæ, incipiendo a proxime futuro feſto, per noſtrum in Civitate Peruſiæ Theſaurarium vel ejus Vicethеſaurarium vobis vel agentibus veſtris in dicta Civitate, donec Nos in humanis erimus, conſignandas ac tradendas gratioſe donamus & liberaliter elargimur, per præſentes mandantes eidem Theſaurario in virtute ſanctæ Obedientiæ, ut dictas decem ſalmas frumenti vobis vel agentibus veſtris prædictis, juxta tenorem præſentium omnino tradat & conſignet, in ipſa autem Civitate Legato noſtro, ut illas vobis tradi & conſignari faciat, juris & facti remediis opportunis, contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem dictas decem ſalmas ſic vobis traditas eidem Theſaurario in Camera Apoſtolica bonas fieri, & in ejus computis admitti. Datum Romæ apud ſanctum Mareum ſub annulo Piſcatoris die* VI. *Auguſti* MDXLVII. *Pontificatus noſtri anno* XIII.

§. II. Volentes autem dictas decem ſalmas frumenti ſingulis annis, etiam vita noſtra durante, vobis, ut præfertur, tradi, literas Pauli prædeceſſoris præinſertas hujuſmodi, & in eis contenta quæcumque, ad vitam noſtram, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & innovamus, eaſque ab omnibus, ad quos ſpectat ſeu in futurum quomodolibet ſpectare poterit, firmiter & inviolabiliter obſervari debere decernimus, mandantes dicto Theſaurario pariter in virtute ſanctæ Obedientiæ, ut eaſdem decem ſalmas frumenti vobis vel agentibus veſtris prædictis, juxta dicta-

ſtarum & præſentium literarum tenorem, tradat & conſignet, & in ipſa Civitate Legato noſtro, ut præfertur, illas vobis tradi cum effectu faciat, contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIX. Martii MDL. Pontificatus noſtri anno I.

III.

Monialeſ ſanctæ Mariæ de las Cordillas, Abulen. diœceſis, Ordinis ſanctæ Claræ a Divinorum recitatione officiorumque exercitio, infirmitate durante eximit, honeſtaſque Puellas pro earum ſervitiis admitti poſſe ſtatuit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monaſterii Monialium beatæ Mariæ de Jeſu de las Cordillas, Abulen. diœceſis, Ordinis ſanctæ Claræ.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod propter aeris intemperiem, ſub quo Monaſterium veſtrum conſiſtit, ſæpe numero diverſis infirmitatibus oppreſſæ exiſtatis, & illarum tempore ad Chorum accedere, & Divina officia ibidem recitare non valeatis, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur commoditatibus & ſanitati veſtræ, quantum cum Deo poſſumus, conſulere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis & cuilibet veſtrum, ut infirmitatibus hujuſmodi durantibus, quæ infirmæ fuerint, in quo ipſarum infirmarum, ac tuam, filia Abbatiſſa, conſcientiam oneramus, ad Chorum accedere, ac Divina officia hujuſmodi, ac alias horas Canonicas diurnas pariter & nocturnas recitare minime teneamini: ac inſuper, ut aliquas Mulieres vel Ancillas honeſtæ & bonæ converſationis ac famæ, quæ vobis intra dictum Monaſterium deſerviant, retinere, & ut veſtris neceſſitatibus commodius ſubvenire, quocumque, non tamen ab Eccleſia prohibito tempore, ciſtellas, pulleas, & alia licita tamen exercitia, prout alias ſolitæ fuiſtis, pro libito voluntatis veſtræ exercere libere & licite valeatis, & bona per quondam Luyſam de Acuna, tunc in humanis agentem, ipſius Monaſterii Abbatiſſam, vobis & dicto Monaſterio relicta, ſeu ejus opera acquiſita, necnon quæcumque alia ejuſdem Monaſterii bona alicui altero Monaſterio, ſeu regulari, aut pio loco, ex qnavis cauſa, abſque veſtro expreſſo conſenſu, applicari aut concedi nullatenus poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpeciali gratia concedimus & indulgemus.

§. III. Quocirca venerabili fratri Epiſcopo Abulen. & dilectis filiis Abbati Collegiatæ Eccleſiæ beatæ Mariæ oppidi Valliſoleti, Palentin. diœceſis, ac Archidiacono de Vabia in Eccleſia Oveten. mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios vobis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra vos & veſtrum quamlibet conceſſione & indulto, ac aliis præmiſſis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos vel veſtrum quamlibet deſuper, per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari: Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatia proceſſibus, cenſuras & pœnas præfatas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtan-

ſtantibus præmiſſis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus dietis, ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii & Ordinis præfatorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis Mnnaſterio & Ordini præfatis, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque verborum formis & tenoribus, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIII. Aprilis MDL. Pontificatus noſtri anno I.

IV.

Perceptionem duodecim ducatorum auri ſingulis menſibus ſuper anchoragiis Civitatis Vetulæ Cœnobio Viterbienſi ſancti Bernardini elargitam firmat.

Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis in Chriſto filiabus Miniſtræ & Monialibus Monaſterii Moniolium ſancti Bernardini Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia nuncupatarum, Civitatis noſtræ Viterbien.

§. I. EXpoſito alias felicis recordationis Paulo Papa III. prædeceſſori noſtro, quod quondam Maria de la Tolfa, unica quondam Rogerii etiam de la Tolfa, olim ejuſdem Loci veri Domini filia legitima & naturalis, tunc in humanis agens, in juvenili ætate conſtituta, & Parentibus orbata exiſtens, ac dominio paterno carens, ad Monaſterium veſtrum ſancti Bernardini Viterbien. adducta fuit, quam tunc dicti Monaſterii Miniſtra & Moniales pietate commotæ, in eodem Monaſterio receperunt, in quo quidem Monaſterio dicta Maria habitum per Moniales ejuſdem Monaſterii geſtari ſolitum ſuſcepit, & Profeſſionem per eaſdem Moniales emitti ſolitam emiſit regularem, ac ibidem diu catholice vixit, & poſtmodum tempore felicis recordationis Julii Papæ II. prædeceſſoris ſui ibidem dies ſuos clauſit extremos. Et quod licet pro parte Miniſtræ & Monialium Monaſterii hujuſmodi, quæ pro tempore fuerunt, diverſis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis pluries humiliter ſupplicatum fuerit, ut dictam Mariam dotare, & ſibi convenientem bonorum paternorum portionem, ſecundum illius gradum pro dote ſua aſſignari ... ipſique Romani Pontifices id facere polliciti fuerunt, nihilominus propter impotentiam & paupertatem ejuſdem Monaſterii, hujuſmodi negotium protractum, & pollicitationes præfatæ numquam executioni demandatæ, nec effectum ſortitæ fuerunt, propter quod Monaſterium prædictum uſque tunc non parum ſuſtulerat detrimentum, Paulus Prædeceſſor noſter ſupplicationibus veſtris inclinatus, in-

indemnitati veſtræ conſulendo, eidem Monaſterio duodecim ducatos auri de Camera ſuper Anchoragiis Civitatis Veteris, per Anchoragiorum hujuſmodi exactores pro tempore deputatos, ſingulis menſibus eidem Monaſterio perſolvendos, ad ejuſdem Prædeceſſoris & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum conceſſit & aſſignavit, ac tunc & pro tempore exiſtentibus Præſidentibus & Clericis Cameræ Apoſtolicæ mandavit, quatenus, exceptione & contradictione quacumque ceſſante, ſummam præfatam ipſi Monaſterio perſolvi facerent & procurarent, prout in ejuſdem Pauli prædeceſſoris noſtri literis, quarum vigore ſummam præfatam ſingulo menſe uſque nunc eidem Monaſterio ſolutam fuiſſe aſſeritis, latius continetur.

§. II. Nos volentes non minoribus, quam dictus Paulus prædeceſſor proſequtus fuerit favoribus, vos proſequi, ac vobis gratiam facere ſpecialem, literas conceſſionis & aſſignationis ejuſdem Pauli prædeceſſoris hujuſmodi, ac omnia & ſingula in illis contenta, quoad præmiſſa auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia confirmamus & approbamus, necnoo durante noſtro & dictæ Sedis Apoſtolicæ beneplacito, effectum ſortiri, ac vobis inviolabiliter obſervari debere decernimus. Mandantes dilectis filiis Præſidentibus, & Clericis dictæ Cameræ Apoſtolicæ nunc & pro tempore exiſtentibus, quatenus, exceptione & contradictione quacumque ceſſante, ſummam prædictam ipſi Mnnaſterio perſolvi faciant & procurent, necnon eiſdem exactoribus Aochoragiorum, quod ſummam eamdem dictorum ducatorum duodecim auri de Camera ſingulis menſibus, juxta dictarum literarum formam & tenorem eidem Monaſterio ſolvant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinatiooibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVI. Aprilis MDL. Pontificatus noſtri aono I.

V.

Simonem de Souſa Minoritam Conventualem in Luſitana Provincia Vicarium & Commiſſarium a Joanne Jacobo de Monteſalcone ejuſdem Ordinis Generali deſtinatum, indeque revocatum confirmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Joanni Jacobo de Monte Falcone totius Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum Generali, & in ſacra Theologia Magiſtro.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſti, quod alias, poſtquam dilectum filium Simonem de Souſa, Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum Profeſſorem, tuum in Provincia Luſitaniæ Vicarium & Commiſſarium cum certis facultatibus ad triennium ex tunc proxime futurum per tuas patentes creaveras, & felicis recordationis Paulus Papa III. prædeceſſor ooſter creationem prædictam per ejus literas confirmaverat, tu de mala & tyrannica adminiſtratione, ac exercitio Vicariatus & Commiſſariatus Simonis hujuſmodi plenius informatus, & Religionis zelo affectus, tantum ſcandalum in Proviocia & Ordine prædictis, prout etiam ab agentibus pro cariſſimo io Chriſto filio noſtro Joanne Portugalliæ & Algarbiorum Rege acceperas eſſe, diutius perferre nolens, auctoritate officii tui Generalatus, dictum Simonem ab omni prorſus officio Commiſſariatus hujuſmodi revocaſti, ac tuas literas prædictas in hoc ei minime ſuffragari debere declaraſti per alias tuas patentes literas, prout in ſingulis literis prædictis plenius dicitur contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, ut revocatio & declaratio per te, ut præfertur, factæ hujuſmodi eidem Provinciæ perutiles exiſtant, tu eas pro illarum ſubſiſtentia firmiori Apoſtolico munimine roborari cupias, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut revocationem & declarationem præfatas confirmare & approbare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur qui in his libenter aſſiſtimus, per quæ ſcandalis occurritur, & omnes præſertim regularis Obſervantiæ Profeſſores ad æquitatis normam reducuntur, ſingularum literarum prædictarum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, revocationem & declarationem, ac cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis poſteriores literas præfatas, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illaſque validas & efficaces exiſtere, ipſumque Simonem Vicariatus & Commiſſariatus hujuſmodi officium nullatenus exercere poſſe ſeu debere, ſicque per quoſcumque quavis auctoritate fungentes Judices & perſonas, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, interpretari & decidi debere, irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VIII. Julii MDL. Pontificatus noſtri anno I.

VI.

Sanctimonialibus ſanctæ Mariæ Magdalenæ de ſancta Anatolia Ordinis ſanctæ Clarę duodecim ſalmas frumenti a Theſauraria Camerini annuatim percipiendas elargitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ & Conventui Monialium ſanctæ Mariæ Magdalenæ de ſancta Anatolia Ordinis ſanctæ Clarę, Camerinen. Diœceſis.

§. I. Cum, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, licet vos jam fere tanto tempore, quod ejus initii hominum memoria non habetur, conſueveritis duodecim ſalmas grani ad menſuram Terræ ſanctæ Anatbliæ, Camerinen. diœceſis, a Principibus, qui Ducatum noſtrum Camerinen. pro tempore poſſederunt, quolibet anno percipere & exigere, nihilominus a quatuor vel quinque annis citra Ducatus præfatus in noſtram & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ditionem venit, in exactione earumdem duodecim ſalmarum grani impediamini, Nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis, quod de cetero perpetuis futuris temporibus quolibet anno duodecim ſalmas grani hujuſmodi a Theſaurariis dicti Ducatus ſeu aliis perſonis emolumenta molendinorum dictæ Terræ pro parte ad Cameram Apoſtolicam ſpectantia percipientibus, exigere & levare poſſitis, concedere & indulgere, aliaſque vobis in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Sanctimonialium quarumlibet Altiſſimo ſub clauſura famulantium votis libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quod de cetero quolibet anno duodecim ſalmas grani hujuſmodi a Theſaurariis & aliis perſonis præfatis exigere & levare libere & lici-

licite valeatis, ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Mandantes eiſdem modernis & pro tempore exiſtentibus Theſaurariis noſtris in eodem Ducatu, ac aliis perſonis emolumenta molendinorum hujuſmodi pro parte ad dictam Cameram ſpectantia, nunc & pro tempore percipientibus, ut durante beneplacito hujuſmodi, vobis ſingulis annis de eiſdem duodecim ſalmis grani tempore debito realiter & cum effectu reſpondeant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xx. Auguſti MDL. Pontificatus noſtri anno I.

VII.

Joannes Macchray Ordinis Minorum de Obſervantia Profeſſor Liſmorenſi Eccleſiæ in Hibernia præficitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

JULIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei

Dilecto filio Joanni Macchray Electo Liſmoren. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. A Poſtolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, Divina diſpoſitione, præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales illis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ commiſſum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant, auctore Domino, ſalubriter regere & feliciter gubernare.

§. II. Dudum ſiquidem felicis recordationis Paulus Papa III. prædeceſſor noſter proviſiones Eccleſiarum omnium tunc vacantium & in antea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni ſuæ reſervavit, decernens ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his, per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari.

§. III. Poſtmodum vero Eccleſia Liſmoren. Provinciæ Caſſelen. in Hibernia, cui bonæ memoriæ Thomas Portial Epiſcopus Liſmoren. dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Thomæ Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam duobus annis jam elapſis debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad ipſius Eccleſiæ celerem & felicem proviſionem, de qua nullus præter Nos, pro eo quod Nos, qui dicto Prædeceſſore per eum de prædicta Eccleſia non diſpoſito, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, Divina favente clementia, ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, cum a nonnullis revocaretur in dubium, an aliquis, præter Romanum Pontificem, de Eccleſiis, tempore obitus Prædeceſſoris hujuſmodi vacantibus, quarum proviſiones diſpoſitioni ſuæ reſervaverat, diſponere potuiſſet ſive poſſet, ad hujuſmodi ambiguitatis tollendum dubium, declaravimus proviſiones Eccleſiarum prædictarum tempore præmiſſo vacantium, propter reſervationem & decretum Prædeceſſoris hujuſmodi remanſiſſe & remanere affectas, nullumque de illis præter eumdem Romanum Pontificem eatenus ſe intro-

mittere potuiſſe ſive poſſe quoquomodo, ac irritum & inane decrevimus, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis; ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Liſmoren. Perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum regularis Obſervantiæ Profeſſorem, in ætate legitima & Presbyteratus ordine conſtitutum, ac verbi Dei Prædicatorem, literarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicum virtutum donis, prout etiam fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & penis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, de perſona tua Nobis & dictis fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipſorum Fratrum conſilio præfatæ Eccleſiæ Liſmoren. ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque Perſona, ſeu per liberam ceſſionem dicti Thomæ Epiſcopi, vel cujuſvis alterius, de illius regimine & adminiſtratione in eadem Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus proviſio, juxta Lateranenſis ſtatuta Concilii, ſeu alias Canonicas ſanctiones, ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta exiſtat, & illa ex quavis cauſa ad Sedem prædictam ſpecialiter vel generaliter pertineat, ac ſuper eiſdem regimine & adminiſtratione inter aliquos lis, aut ſuper illorum poſſeſſorio, ſeu quaſi moleſtia, cujus ſtatum, ac verum & ultimum ejuſdem Eccleſiæ Liſmoren. vacationis modum, etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, pendeat indeciſa, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem Eccleſiæ Liſmoren. prædictæ tibi in ipſis ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias & largitur præmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, dicta Eccleſia Liſmoren. ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

§. IV. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem hujuſmodi ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod ſupradicta Eccleſia Liſmoren. Gubernatori provido & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi mereris.

§. V. Quocirca dilectis filiis Capitulo dictæ Eccleſiæ, ac Clero & Populo Civitatis & diœceſis, necnon Vaſſallis ejuſdem Eccleſiæ Liſmoren. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitulum tibi, tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac Clerus te pro noſtra & Sedis prædictæ reverentia benigne recipientes & honorifice pertractantes, tua ſalubria monita & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent; Populus vero te tamquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, tuis monitis

tis & mandatis ſalubribus humiliter intendant; ita quod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis, Vaſſalli autem præſati te debito honore proſequentes, tibi fidelitatem ſolitam, necnon conſueta ſervitia & jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin ſententiam ſive pœnam, quam reſpective rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

§. VI. Rogamus quoque venerabilem Fratrem noſtrum Archiepiſcopum Caſſelen. per eadem ſibi ſcripta mandantes, quatenus te & præfatam Eccleſiam Liſinoren. ſuffragaueam ſuam habens pro noſtra & præfatæ Eccleſiæ reverentia propenſius commendatos, in ampliandis & conſervandis tuis, ac prædictæ Eccleſiæ Liſmoren. juribus ſic te & illam benigni favoris præſidio proſequatur, quod tu per ſuæ auxilium gratiæ in commiſſo tibi curæ paſtoralis officio poſſis, Deo propitio, proſperari, ipſeque Archiepiſcopus proinde Divinam miſericordiam, & noſtram ac ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam valeat uberius promereri.

Datum Rumæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDL. XII. Kalendas Auguſti Pontificatus noſtri anno 1.

VIII.

Neapolitani Cœnobii de Jeſu Ordinis ſanctæ Claræ directionem in temporalibus aliat Obſervantibus demandatam Nobilibus ſedilis capuani exercendam decernit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis nobilibus viris ſedilis Capuan. Civitatis Neapolitan.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod nuper dilecti filii Miniſter Provincialis Provinciæ Terræ Laboris Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, juxta morem dicti Ordinis, & Patres Provinciæ & Terræ prædictarum provide attendentes, quod ſi cura temporalis Monaſterii Monialium de Jeſu Neapolitan. Ordinis ſanctæ Claræ illis competens vobis concederetur, ipſarum Monialium neceſſitatibus ſalubriter conſuleretur. Et propterea cupientes earumdem Monialium profectui conſulere, de conſenſu tunc Commiſſarii Generalis dicti Ordinis Fratrum Minorum, curam, regimem & adminiſtrationem temporalem Monaſterii hujuſmodi vobis per vos, ſub certis modo & forma habenda conceſſerunt & commiſerunt, prout in eorum deſuper confectis patentibus literis, plenius contineri dicitur. Quare pro parte veſtra, necnon Monialium ejuſdem Monaſterii & dicti Provincialis, Nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut conceſſioni & commiſſioni præfatis pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui ea quæ pro fœminei ſexus proſpero ſtatu & feliciori ſucceſſu, provide facta fuiſſe dicuntur, ut illibata perſiſtant, quantum cum Deo poſſumus, favoribus proſequimur opportunis, patentium literarum hujuſmodi veriores tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem & commiſſionem prædictas, ac prout illas concernunt, omnia & ſingula in dictis literis contenta & inde ſequuta quæcumque, licita tamen & honeſta, & ſacris Canonibus non contraria, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium approbamus & confirmamus, ſupplemuſque omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, illaque valida & efficacia exiſtere, voſque Mo-

Monaſterium & Moniales hujuſmodi, juxta conceſſionem & commiſſionem præfatas regere & gubernare libere & licite poſſe, ipſaſque Moniales ſub veſtris cura & gubernio temporali exiſtere decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, illis eorumque Superioribus & perſonis, & quibuſvis aliis ſub quibuſvis tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis etiam irritantibus, & alias quomodolibet conceſſis, approbatis & innovatis, quibus illorum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xii. Septembris mdl. Pontificatus noſtri anno I.

IX.

Minorum & Prædicatorum Ordinum Provincialibus Brabantiæ ab Anglicana hæreſi in Flandiam refugientes abſolvendi facultatem concedit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Henrico Helſtau Miniſtro Provinciali Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Brabantiæ, ac Richardo Hargrave Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſori in Cœnobio Bruxellenſi Prælectori, & Thomæ Quintancio ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum Fratri, ac Roberto Brecoke presbytero, & eorum cuilibet.

§. I. Apoſtolicæ Sedis copioſa clementia recurrentium ad eam fidelium poſt exceſſum, ſtatui libenter conſulere, illoſque gratioſa caritate complecti conſuevit. Cum itaque, ſicut accepimus, poſtquam in partibus Angliæ ſæviſſima hæreticorum & Schiſmaticorum rabies increbuit, complures Catholicæ fidei ſectatores tam Angli quam Hiberni, & aliarum partium utriuſque ſexus homines, tantam ſcelerum immanitatem, & peccati obſtinationem ferre nequeuntes, licet quandoque vi & metu mortis, ac forſan verberibus circumventi, cum eiſdem Schiſmaticis propter eorum potentiam, adverſus veram Religionem aliqua ſentire, & nonnulla etiam hæreſim ſapientia contra ſuam ipſorum voluntatem, in illorum gratiam committere coacti fuerint: Verumtamen ne cum eiſdem Hæreticis in peccato, & illius pertinacia hujuſmodi uſque ad extremum vitæ finem perſeverare cogerentur, ſuæ ſalutis memores, ex Anglia, & aliis Regionibus hujuſmodi clandeſtine fugientes, in Flandriam & Brabantiam, ac alias eidem Angliæ vicinas, & minime eadem labe infectas Regiones confluxerint, & quotidie magis confluant, cupiantque, ex eo quod propter adhæſionem cum dictis Schiſmaticis & peccati communionem prædictas, licet forſan vi & metu factas, ut præfertur, excommunicationis, & alias in ſimiles tam a jure, quam forſan per Nos ſeu felicis recordationis Clementem VII. & piæ memoriæ Paulum III. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſeu alias promulgatas pœnas forſan incurrerint, ac qui in ſacris etiam Presbyteratus Ordinibus ſunt conſtituti, irregularitatem propterea contraxerint, a dictis cenſuris & pœnis, ac ſuper irregularitate hujuſmodi per Nos & Sedem eamdem miſericorditer abſolvi, & ſecum diſpenſari, ac alias eorum ſta-

ſtatuti & animarum tranquillitati, de opportuno remedio deſuper provideri.

§. II. Nos igitur attendentes, quod dicta Sedes gremium ſuæ pietatis petentibus claudere non conſuevit, diſcretioni veſtræ, quorum integritatem, probitatem & doctrinam ex multorum, ac præſertim dilecti filii noſtri Reginaldi, tituli ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconi Cardinalis Poli nuncupati relatione compertam habemus, ut ad beneplacitum noſtrum omnes & ſingulos utriuſque ſexus homines præfatam hæreſim & perſecutionem fugientes, qui ad Flandriæ, Brabantiæ & alias regiones hujuſmodi hactenus confluxerunt & in futurum confluent, ſi præmiſſa, ut præferiur, vera eſſe repereritis, ab excommunicationis & aliis quibuſcumque ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quas propter præmiſſa, & illorum occaſione quomodolibet incurrerint, ac exceſſibus hujuſmodi, etiam ſi talia forent, propter quæ Sedes prædicta eſſet merito conſulenda, etiam ſi in Bulla in die Cœna Domini legi conſueta comprehenſa ſint, dummodo corde contriti & ore confeſſi fuerint, in foro conſcientiæ dumtaxat, ac injunctis eis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda, Apoſtolica auctoritate abſolvere, ac cum illis, qui Clericali caractere, alias tamen rite inſigniti, ſeu forſan in ſacris etiam Presbyteratus Ordinibus conſtituti fuerint, ſuper irregularitate per eos forſan dicta occaſione contracta, quodque caractere & ordinibus præfatis uti, ſeu ad illos promoveri, ac in illis etiam in Altaris miniſterio miniſtrare poſſint, omnemque inhabilitatis & infamiæ maculam ex præmiſſis quomodolibet inſurgentem contra eos, penitus abolendo dicta auctoritate diſpenſare libere & licite poſſitis & valeatis, tenore præſentium concedimus, ac deſuper dicto beneplacito durante, plenam & liberam facultatem impertimur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVI. Septembris MDL. Pontificatus noſtri anno I.

X.

Mariæ de la Cueva in Cœnobio ſanctæ Annæ Ordinis ſanctæ Claræ oppidi de Oſſuna a ſe excitato cum honeſtis ancillis degendi facultatem largitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectæ filiæ in Chriſto nobili mulieri Mariæ de la Cueva Comitiſſæ de Urvena.

§. I. SInceræ devotionis affectus, quem ad Nos & Romanam geris Eccleſiam, non immerito promeretur, ut te ſpecialibus favoribus & gratiis proſequamur.

§. II. Hinc eſt, quod Nos tibi aſſerenti te dilecti filii noſtri Bartholomæi tituli ſancti Matthæi Presbyteri Cardinalis de la Cueva nuncupati, Sororem germanam, ac Monaſterium Monialium ſanctæ Annæ Ordinis ſanctæ Claræ, ſub Regula ſancti Franciſci extra muros Oppidi de Oſſuna, Iſpalen. Dioœceſis per te fundatum, conſtructum & dotatum exiſtere, ſpecialem gratiam facere volentes, tibi etiam una cum filiabus, ac nuru tuis, necnon quatuor vel ſex aliis honeſtis mulieribus per te eligendis, quoties tibi placuerit, ſimul vel ſeparatim, ac ſingulis filiabus & nurui tuis prædictis, & cuilibet earum etiam una cum tribus vel quatuor honeſtis mulieribus hujuſmodi bis in menſe Monaſterium prædictum ingrediendi & in illo refectionem corporalem ſumendi, & Divinis officiis intereſſendi, inibique tibi, etiam

etiam una cum dictis filiabus & nuru, ac una vel duabus pediſſequis ſeu ancillis tibi inſervientibus, & pro ſingulis filiabus & nuru prædictis una tantum pediſſequa ſeu ancilla, etiam quoties tibi placuerit, pernoctandi, ac per tempus tibi beneviſum permanendi; filiabus vero & nurui præfatis etiam abſque te, & tunc cum una ſeu duabus etiam pediſſequis ſeu ancillis pro earum ſingulis ſemel in menſe, & in majori Hebdomada, ac Paſchatis Reſurrectionis Dominicæ, ac Nativitatis & Aſcenſionis Domini noſtri, ac Pentecoſtes & Corporis Chriſti, ac beatæ Annæ & Conceptionis beatæ Mariæ Virginis feſtivitatibus etiam pernoctandi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus, pariterque indulgemus: diſtrictius inhibentes, auctoritate & tenore præmiſſis dicti Ordinis Generali, Vicariis, Provinclalibus, Superioribus & Fratribus, ac ejuſdem Monaſterii Abbatiſſæ & Monialibus pro tempore exiſtentibus, in virtutæ ſanctæ obedientiæ, ne te & filias, ac nurum & mulieres vos, ut præfertur, aſſociantes prædictas ſuper præmiſſis quoquomodo moleſtare, perturbare ſeu inquietare audeant vel præſumant, quinimo te & illas dictum Monaſterium juxta præſens vobis conceſſum indultum, libere ingredi & in illo, ut præfertur, permanere permittant.

§. III. Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis revocationibus, ſuſpenſionibus & quibuſvis aliis contrariis diſpoſitionibus ſimilium vel diſſimilium gratiarum, comprehendi nullatenus poſſe, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe & cenſeri, ſicque per quoſcumque Judices & Commiſſarios quavis auctoritate ſungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, irritum quoque & inane ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, ac Monaſterii & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, Generali, Vicariis, Provincialibus, Superioribus & Abbatiſſæ, necnon Monaſterio & Ordini prædictis ſub quibuſvis verborum formis in genere vel in ſpecie quomodolibet, etiam pluries conceſſis, confirmatis & etiam iteratis vicibus innovatis, etiam mari magno Bulla aurea, ſeu alias nuncupatis. Quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda foret, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, necnon modos & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxviii. Septembris mdl. Pontificatus noſtri anno 1.

XI.

Raymundus de Burgo Ordinis Minorum de Obſervantia, Imillicenſis Epiſcopus renunciatur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

JULIUS EPICOPUS
SERVUS SEEVORUM DEI

Dilecto filio Raymundo de Burgo Electo Immillicen. alias Imillacen. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. APoſtolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, Divivina diſpoſitione prætidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales illis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui gregem Dominicum ſuæ curæ commiſſum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias velint & valeant duce Domino, ſalubriter regere & feliciter gubernare.

§. II. Dudum ſiquidem felicis recordationis Paulus Papa III. prædeceſſor noſter proviſiones Eccleſiarum omnium tunc vacantium & inantea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni ſuæ reſervavit, decernens ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper iis, per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Imillicen. ſeu alias Imallicen. cui bonæ memoriæ Thomas Currulii Epiſcopus Imillicen. dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Thomæ Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam quatuor annis jam elapſis debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos ad proviſionem dictæ Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter Nos, pro eo quod Nos qui dicto Prædeceſſore per eum de ipſa Eccleſia non diſpoſito, ſicut Domino placuit, ab hac lucæ ſubtracto, Divina favente clementia, ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, cum a nonnullis revocaretur in dubium, an aliquis præter Romanum Pontificem de Eccleſiis tempore obitus Prædeceſſoris hujuſmodi vacantibus, quarum proviſiones diſpoſitioni ſuæ reſervaverat, diſponere potuiſſet ſive poſſet, ad hujuſmodi ambiguitatis tollendum dubium, declaravimus proviſiones Eccleſiarum prædictarum, tempore præmiſſo vacantium, propter reſervationem & decretum Prædeceſſoris hujuſmodi remanſiſſe & remanere affectas, nullumque de illis præter eumdem Romanum Pontificem eatenus ſe intromittere potuiſſe ſive poſſe quoquomodo, ac decrevimus ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper iis per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne præfata Eccleſia longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem ac etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſorem, literarum ſcientia præditum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicum virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, te a quibuſvis excommu-

municationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, de perſona tua Nobis & Fratribus ipſis ob tuorum exigentiam meritorum accepta Eccleſiæ prædictæ, ſive præmiſſo ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcumque perſona, ſeu per liberam ceſſionem dicti Thomæ Epiſcopi, vel cujuſvis alterius de illius regimine & adminiſtratione in eadem Curia vel extra eam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam vacet, etiamſi tanto tempore vacaverit, quod ejus proviſio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii, ſeu alias canonicas ſanctiones ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta exiſtat, & illa ex quavis cauſa ad Sedem ipſam ſpecialiter vel generaliter pertineat, ac ſuper eiſdem regimine & adminiſtratione inter aliquos lis, aut ſuper illorum poſſeſſorio, vel quaſi moleſtia, cujus ſtatum, ac verum & ultimum ejuſdem Eccleſiæ vacationis modum, etiam ſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam io corpore juris clauſa reſultet, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, pendeat indeciſa, de Fratrum eorumdem conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, ſupradicta Eccleſia ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

§. III. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod Eccleſia ipſa Gubernatori provido & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Quocirca dilectis filiis Capitulo & Vaſſallis dictæ Eccleſiæ, ac Clero & Populo Civitatis & Diœceſis Imillicen. alias Imillacen. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitulum tibi tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac Clerus te pro noſtra & præfatæ Sedis reverentia benigne recipientes & honorifice pertractantes, tua ſalubria monita & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent, Populus vero te tamquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, tuis monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendant, ita quod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis, Vaſſalli autem ſupradicti te debito honore proſequentes, tibi fidelitatem ſolitam, necnon conſueta ſervitia & jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

§. IV. Rogamus quoque venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Caſſelen. per eadem ſcripta ſibi mandantes, quatenus te & dictam Eccleſiam ſuffrageneam ſuam habens pro noſtra & prædictæ Sedis reverentia propenſius commendatos, in ampliandis & conſervandis iuis, ac ejusdem Eccleſiæ juribus ſic te & illam ejus benigni favoris præſidio proſequatur, quod per ſuæ auxilium gratiæ tu in commiſſo tibi curæ Paſtoralis officio poſſis, Deo propitio, proſperari, ipſeque Archiepiſcopus proinde Dominum

miſericordiam, & noſtram ac ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam valeat uberius promereri.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDL. die XXX. Octobris Pontificatus noſtri anno I.

XII.

Minoritas Conventuales Cœnobii Rotiglianenſis, Diœceſis Converſanen. ad funera vocatos accedendi, erectamque Crucem deferendi facultatem concedit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Domus S. Franciſci Terræ Rotigliani, Converſan. Diœceſis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod licet juxta privilegia Apoſtolica veſtro Ordini Fratrum Minorum Conventualium conceſſa, & a tanto tempore citra, de cujus contrario hominum memoria non exiſtit, obſervata, Fratres dicti Ordinis ad funeralia cum Cruce erecta, dum vocantur, accedere conſueverint, nihilominus Presbyteri ſeu Clerus Terræ de Rotigliano, Converſan. Diœceſis ſtatuerunt & ordinaverunt, quod vos ad funeralia hujuſmodi cum Cruce erecta nullatenus accedere valeatis, voſque deſuper impedire conantur, in veſtrum & Ordinis prædicti non modicum dedecus & vilipendium. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut quieti veſtræ circa præmiſſa providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui perſonarum præſertim Religioſarum, quas circa ea, quæ Divini cultus ſunt, aſſidue verſari neceſſe eſt, quietem ſummis deſideramus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis ut vocati ad funeralia cum Cruce erecta juxta dicta privilegia & immemorabilem conſuetudinem accedere, & illis intereſſe libere & licite valeatis, nec deſuper a dictis Presbyteris ſeu Clero, aut quibuſvis aliis, ſtatuti & ordinationis hujuſmodi prætextu, ſeu alias moleſtari poſſitis, auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus & indulgemus, & nihilominus venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Baren. & Epiſcopo Monopolitan. vel eorum in ſpiritualibus Vicariis generalibus per præſentes committimus & mandamus, quatenus exhibitis eis dictis privilegiis, etiam uſu, ut præfertur, receptis, ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios vobis, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra, vos juxta dicta privilegia & conſuetudinem ad funeralia hujuſmodi cum Cruce erecta libere accedere, nec deſuper per eoſdem Presbyteros ſeu Clerum, aut quoſcumque alios quomodolibet impediri: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas & applicandas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper iis habendis ſervatis proceſſibus, cenſuras & pœnas prædictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus ſtatuto & ordinatione prædictis, ac ſelicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, ac aliis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes ple-

nam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XI. Decembris MDL. Pontificatus noſtri anno I.

Anno Christi 1551. Julii III. anno 2.

XIII.

Petro de Hoſtilia Ordinis Minorum de Obſervantia Cardinali de Mantua ſervitiis inſiſtenti extra clauſtra degendi facultatem concedit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio noſtro Herculi ſanctæ Mariæ Novæ Diacono Cardinali de Mantua nuncupato.

§. I. CUm, ſicut Nobis nuper exponi feciſti, tu dilectum filium Petrum de Hoſtilia Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum profeſſorem, ob multiplices ejus virtutes admodum gratum & acceptum habeas, cupiaſque propterea eum apud te degere, nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut tibi eum apud te habendi, & ei extra Domos dicti Ordinis & in ædibus tuæ reſidentiæ ſub ſuo Regulari habitu permanendi licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi quod ad beneplacitum noſtrum eumdem Petrum apud te habere & eidem Petro, quod cujuſvis licentia minime requiſita, extra Domos dicti Ordinis, & in ædibus reſidentiæ tuæ prædictæ ſub ſuo Regulari habitu, abſque apoſtaſiæ nota, aut excommunicationis vel aliarum cenſurarum Eccleſiaſticarum incurſu, permanere libere & licite valeatis, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, de ſpeciali gratia concedimus & indulgemus. Decernentes eumdem Petrum ſuper præmiſſis a quoquam moleſtari non poſſe, ac irritum & inane, ſi ſecus contigerit attentari: Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac quibuſvis clauſulis & decretis quomodolibet conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die X. Martii MDLI. Pontificatus noſtri anno II.

XIV.

Thomas Scorovoevo Samandrienſis Epiſcopus in Partibus Infidelium ordinatur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

JULIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Thomæ Scorovoevo Electo Samandrien. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. APoſtolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, Divina diſpoſitione, præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de Eccleſiarum ipſarum regimi-

minibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ creditum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias velint & valeant, auctore Domino, in ſpiritualibus & temporalibus ſalubriter regere & feliciter gubernare.

§. II. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum omnium tunc vacantium & in antea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Et deinde Eccleſia Samandrien. in partibus Infidelium conſtituta, cui bonæ memoriæ Blaſius Fabriaris Creſſenus Epiſcopus Samandrien. dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Blaſii, qui extra Romanam Curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, ac attendentes in Provincia Boſnen. juxta morem Ordinis Fratrum Minorum, quæ per Tyrannum Turcharum occupatur, quamplures Domos Fratrum dicti Ordinis exiſtere, & illarum Fratres ceteris Catholicis in dicta Provincia exiſtentibus, Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & Sedi Apoſtolicæ obedientiam præſtari debere, cum magno Fidei Catholicæ fervore prædicare, & exinde non mediocre odium tam eorumdem Turcharum, quam aliorum Hæreticorum illarum partium in ſe provocare, & exinde non ſine vitæ periculo ſacris Ordinibus in Terris Chriſtianorum initiari poſſe, ac propterea expedire, ut alteri ex Eccleſiis earumdem partium, de aliqua Perſona Provinciæ hujuſmodi ſcientia & moribus prædita, quæ in illis partibus reſidens, eoſdem Fratres, & Catholicos ad dictos Ordines promovere, & in ſemitis juſtitiæ continere poſſit, provideatur, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Samandrienſi Perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis prædicti, necnon Theologiæ Profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, & de legitimo matrimonio procreatum, necnon Provinciæ prædictæ, juxta eumdem morem Provincialem Miniſtrum, cui apud Nos de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia & temporalium circumſpectione, alliſque multiplicum virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore cenſentes, de perſona tua Nobis & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ Samandrienſi, de ipſorum Fratrum conſilio, Apoſtolica auctoritate providemus, teque illi in Epiſcopum preficimus & Paſtorem curam, regimen & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Samandrien. tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, firma ſpe fiduciaque conceptis, quod, dirigente Domino actus tuos, prædicta Eccleſia ſub tun felici regimine regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

§. III. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſolli-

licite, fideliter & prudenter, quod Eccleſia ipſa Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis retributionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis.

§. IV. Et inſuper ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi, ut a quocumque malueris Catholico Antiſtite gratiam & communionem ejuſdem Sedis habente, acciſis & in hoc tibi aſſiſtentibus duobus vel tribus Catholicis Epiſcopis, ſimiles gratiam & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere libere & licite valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum a te noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine, fidelitatis debitæ ſolito juramento, juxta formam præſentibus adnotatam, munus prædictum, auctoritate noſtra impendere licite tibi poſſit, plenam & liberam earumdem tenore præſentium, concedimus facultatem.

§. V. Volumus autem, & auctoritate prædicta ſtatuimus & decernimus, quod ſi non recepto a te per ipſum Antiſtitem præſato juramento, idem Antiſtes munus prædictum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes a Pontificalis officii exercitio, & tam ipſe quam tu ab adminiſtratione tam ſpiritualium, quam temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Præterea volumus, quod forma hujuſmodi a te tunc præſtiti juramenti Nobis de verbo ad verbum, per tuas patentes literas tuo ſigillo munitas, per proprium Nuncium quantocitius deſtinare procures, quodque per hoc Archiepiſcopo, cui dicta Eccleſia Samandrienſis Metropolitico jure ſubeſt, nullum impoſterum præjudicium generetur. Inſuper volentes te præmiſſorum meritorum tuorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, quod poſtquam munus conſecrationis hujuſmodi ſuſceperis, in quibuſcumque dictæ Provinciæ Civitatibus, diœceſibus vel locis Pontificalia officia exercere etiam libere & licite valeas, auctoritate prædicta, tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. VI. Forma autem juramenti, quod præſtabis, hæc eſt. *Ego Thomas Scorovoeus electus Samandrien. ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro, ſanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, ac Domino noſtro Domino Julio Papæ III. ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus, non ero in conſilio aut conſenſu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, ſeu capiantur mala captione, aut in eos manus violenter quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæſito colore, conſilium, quod mihi credituri ſunt, per ſe aut Nuncios ſeu literas, ad eorum damnum me ſciente, nemini pandam: Papatum Romanum & Regalia ſancti Petri, adjutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem: Legatum Apoſtolicæ Sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo, jura, honores, privilegia & auctoritatem Romanæ Eccleſiæ Domini noſtri Papæ & ſucceſſorum prædictorum conſervare, defendere, augere & promovere curabo, nec ero in conſilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipſum Dominum noſtrum vel eamdem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra vel præjudicialia Perſonarum, juris, honoris, ſtatus & poteſtatis eorum machinentur, & ſi talia procurari novero vel tractari, impediam hoc pro poſſe meo & quantocitius potero commode ſignificabo eidem Domino noſtro vel alteri, per quem ad ipſius notitiam pervenire poſſit, regulas ſanctorum Patrum, decreta, ordinationes, ſententias, diſpoſitiones, reſervationes, proviſiones & mandata Apoſtolica totis viribus obſervabo, & faciam ab aliis obſervari, Hæreticos, Schi-*

Shiſmaticos & rebelles Domino noſtro & Succeſſoribus prædictis propoſſe perſequar, & impugnabo, vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione, Apoſtolorum limina in Romana Curia exiſtente citra, ſingulis annis, ultra vero Montes, ſingulis biennüs viſitabo, aut per me aut per meum Nuntium, niſi Apoſtolica abſolvar licentia, poſſeſſiones vero ad menſam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, nec de novo infœudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice, ſic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei Evangelia.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLI. XXVII. Aprilis Pontificatus noſtri anno II.

XV.

Provinciam ſancti Bernardini Ordinis Minorum de Obſervantia Incolentibus Domum ſanctæ Mariæ della Coſta del Alzano, prope Terram Toſſitiæ, Pennen. diœceſis a Communitate ejuſdem loci oblatam, recipiendi facultatem clargitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Miniſtro & Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ ſancti Bernardini, juxta morem dicti Ordinis.

§. I. CUm, ſicut dilecti filii nobilis vir Marchio & Gubernator, ac Univerſitas oppidi ſeu terræ Toſſitiæ, Pennen. diœceſis, Nobis nuper expoſui fecerunt, ipſi ob ſingularem, quem ad Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum gerunt devotionis affectum, & uberes animarum fructus, quos ex eorum exemplari vita, & aſſidua Divinorum celebratione proventuros ſperant, terrena in cœleſtia ſelici commercio commutare ſatagentes, ſuis expenſis unam Domum in Oratorio ſanctæ Mariæ della Coſta del Alzano prope & extra oppidum ſeu terram Toſſitiæ hujuſmodi, ad eos legitime pertinente, pro perpetuis uſu & habitatione eorumdem Fratrum Ordinis Minorum cum campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere & ædificare, ſive conſtrui & ædificari facere ſummopere cupiant, iidem Marchio & Gubernator, ac Univerſitas Nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eorum honeſtæ & religioſæ petitioni, de benignitate Apoſtolica annuere dignaremur.

§. II. Nos igitur Divini cultus augmentum ubique noſtris præſertim temporibus, internis deſideriis exoptantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quod in Oratorio prædicto, ſeu apud illud unam Domum dicti Ordinis, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum Ordinis hujuſmodi erigere, ædificare, conſtruere, ſeu erigi, ædificari & conſtrui facere, illaque recipere & inhabitare, ac Domui hujuſmodi, poſtquam conſtructa fuerit, & Fratribus in ea pro tempore morantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, favoribus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis & indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliis Domibus, ac Fratribus dicti Ordinis in genere per Sedem Apoſtolicam, & alias rite per quoſcumque alios hactenus conceſſis & imposterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſitis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, concedimus & indulgemus: felicis recordationis Boniſacii

Pa-

Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua expreſſe cavetur, ne prædicti & aliorum Mendicantium Ordinum Profeſſores nova loca ad inhabitandum recipere præſumant, abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali, necnon dicti Ordinis ſtatutis & conſtitutionibus, etiamſi de illis habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die III. Junii MDLI. Pontificatus noſtri anno II.

XVI.

Statuta & ordinationes pro bono regimine Sanctimonialium Conceptionis beatæ Mariæ Virginis oppidi de Villa Franca, Ordinis ſanctæ Claræ, Aſtoricen. diœceſis edita confirmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EX incumbenti Nobis Apoſtolicæ ſollicitudinis officio votis illis, per quæ Monaſteriorum & piorum locorum quorumlibet, ac Perſonarum, præſertim fœminei ſexus, in illis ſub regulari caſtimoniæ ſtudio piæ vitæ Altiſſimo famulantium ſtatui & ſelici ſucceſſui conſulitur, libenter annuimus, ac deſuper ſtatuimus & ordinamus, prout nobilitate generis pollentium Perſonarum vota expoſcere, idque Chriſtifidelium animarum quieti & ſpirituali conſolationi expedire conſpicimus.

§. II. Hinc eſt, quod Nos dilecti filii nobilis viri Petri de Toledo Marchionis de Villa Franca, qui etiam Prorex Neapolitanus exiſtit, aſſerentis fructus redditus & proventus Monaſterii Monialium Conceptionis beatæ Mariæ oppidi de Villa Franca, Ordinis ſanctæ Claræ, Aſtoricen. diœceſis, per eum fundati, vix ad ſuſtentationem Monialium in eo exiſtentium ſufficere, in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in dicto Monaſterio, ultra quam triginta in Choro, & quinque vel ſex eidem Monaſterio deſervientes Moniales, quæ ex partibus Regni Galitiæ uſque ad Civitatem Aſtoricen. incluſive, & non aliunde oriundæ exiſtant, eſſe non poſſint, & quod nulla in Monialem ipſius Monaſterii recipi poſſit, niſi earumdem partium naturalis ſit, quodque ſucceſſores ipſius Petri Marchionis dicti Monaſterii Patroni pro tempore exiſtentes, quatuor tantum & ſex Monialibus in dicto Monaſterio, juxta certam concordiam inter dilectum filium nobilem virum Federicum Oſorio etiam de Toledo ipſius Petri Proregis natum, & dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam & Conventum dicti Monaſterii, ut aſſeritur, initam, abſque dote admittendis, quas maluerit nominare poſſit, ac pro tempore exiſtens Abbatiſſa & præfati Conventus, ipſius quatuor, ut præfertur, nominandas in Moniales dicti Monaſterii abſque aliqua dote recipere debeant, & ipſæ quatuor Moniales in dicto Monaſterio recipiendæ, aliquid pro eorum receptione eidem Monaſterio tradere non teneantur, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus. Ac inſuper Abbatiſſæ & Monialibus præfatis ter in anno, quando eas debitis contritione & confeſſione præcedentibus, Euchariſtiæ ſacramentum recipere contigerit, quod Altaria Eccleſiæ Monaſterii hujuſmodi devote viſitando, & inibi pro ſelici ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac unione Principum Chriſtianorum, quinqies orationem Dominicam & toties Salutationem Angelicam recitando, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, auctori-

ctoritate & tenore prædictis elargimur; ac præſentes literas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium gratiarum & indulgentiarum revocationibus & ſuſpenſionibus, etiam in favorem fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, aut Cruciatæ ſanctæ, aut alias ex quavis cauſa a Nobis & Apoſtolica Sede pro tempore emanatis & conceſſis, nullatenus comprehenſas ſed ſemper ab illis prorſus exceptas eſſe decernimus. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis Generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, necnon Monaſterii & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VIII Junii MDLI. Pontificatus noſtri anno II.

XVII.

Julium Magnanum de Placentia Vicarium Generalem Ordinis Minorum Conventualium uſque ad Generalia Comitia conſtituit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Julio Magnano de Placentia Ordinis Minorum Conventualium Vicario Generali.

CUm, ſicut accepimus, bonæ memoriæ Joannes Jacobus de Monte Falco, olim Ordinis Minorum Conventualium Magiſter Generalis, nuper extra Romanam Curiam ab humanis deceſſerit, Nos cupientes pro paterno amore, quo dictum Ordinem uberes in agro Domini fructus producentem proſequimur, de novo Rectore eidem Ordini uſque ad celebrationem Capituli Generalis providere; ac ſperantes, quod tu, qui in ſacra Theologia Magiſter, & ejuſdem Ordinis in Romana Curia & apud Nos Procurator Generalis exiſtis, ac de ſingulis indigentiis & rebus ejuſdem Ordinis plene informatus es, pro tua probitate & virtute, de quibus plurium fide dignorum teſtimonia habemus, in hoc Nobis ſatisfacere poteris, te univerſi Ordinis hujuſmodi Vicarium Generalem uſque ad Capitulum Generale proxime celebrandum, cum omnibus & ſingulis poteſtatibus, facultatibus, juriſdictionibus, privilegiis, gratiis, immunitatibus, officiis & exercitiis, quibus alii dicti Ordinis Vicarii Generales hactenus de jure, conſuetudine vel alias uſi ſunt vel uti potuerunt aut debuerunt, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facimus, conſtituimus & deputamus. Mandantes dilectis filiis univerſis ejuſdem Ordinis Fratribus, ac dilectis in Chriſto filiabus univerſis Monialibus dicti Ordinis curæ commiſſis in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ut tibi uſque ad celebrationem ipſius Capituli Generalis pareant & obediant, ſicut ceteris Vicariis Generalibus obedire conſueverunt & debuerunt. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac ipſius Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, etiam Bulla Aurea ſeu Mari Magno nuncupatis ipſi Ordini conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus, quatenus obſtent, illorum tenores pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium, itaut nullatenus obſtent, derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus inſuper, quod præſentium tranſumptis, ſigillo Protectoris dicti Ordinis, & ſubſcriptione

illius Secretarii munitis, plena ubique tam in judicio, quam extra, eademque prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die III. Septembris MDLI. Pontificatus noſtri anno II.

XVIII.

Fratribus de Obſervantia Provinciæ Calabriæ Caſſanenſe Cœnobium Conceptionis beatæ Mariæ Virginis eis oblatum confirmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Provinciali Miniſtro ac Fratribus Provinciæ Calabriæ Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum, juxta morem ipſius Ordinis.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſtis, quod dilecti filii nobilis vir modernus Princeps de Biſignano, & Communitas Caſſanenſis, ob ſingularem eorum erga Ordinem veſtrum devotionis affectum, vos, ut in certo convenienti loco ad id vobis ab eiſdem Principe & Communitate aſſignando unam domum ſub invocatione Conceptionis Virginis Mariæ, pro perpetuo uſu & habitatione aliquorum veſtri Ordinis Profeſſorum, cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, horto & hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigere, ædificare & conſtruere, ſeu erigi, ædificari & conſtrui facere velletis, ſæpius requiſiverunt, voſque pro dicta Domus conſtructione, necnon victu & veſtitu Fratrum ibidem pro tempore exiſtentium, ex ſuis opibus coadjuvare obtulerunt, ſperantes ex veſtra laudabili vita, ac Divinorum aſſidua celebratione, ſpirituales fructus pro ſalute animarum ſuarum colligere poſſe. Cum autem id vobis ſine Sedis Apoſtolicæ licentia facere non liceat, Nobis tam veſtro, quam eorumdem Principis & Communitatis nomine humiliter ſupplicari feciſtis, ut vobis ſuper hoc licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divinum cultum ubique augeri deſideramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in loco præfato unam Domum, cum Eccleſia ſub dicta invocatione Conceptionis Virgiois Mariæ, ac campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro perpetuo uſu & habitatione aliquorum dicti Ordinis Profeſſorum dictorum Principis & Communitatis ſuffragiis ſeu eleemoſynis erigi, ædificari & conſtrui faciendi, illaque recipiendi & habitandi, jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem, ac Domui hujuſmodi, poſtquam ædificata & conſtructa fuerit, necnon Fratribus in ea pro tempore commorantibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, favoribus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, indultis tam ſpiritualibus, quam temporalibus, aliis Domibus & Fratribus dicti Ordinis veſtri per Nos & alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Sedem Apoſtolicam in genere conceſſis & impoſterum concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite poſſint, auctoritate & tenore prædictis indulgemus: felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, qua expreſſe cavetur, ne prædicti, & aliorum Mendicantium Ordinum Profeſſores nova loca ad inhabitandum recipere præſumant abſque dictæ Sedis licentia ſpeciali,

li, necnon dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, etiamſi de illis habenda eſſet expreſſa & ſpecifica mentio, ceteriſque in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die x. Septembris MDLI. Pontificatus noſtri anno II.

XIX.

Brixienſe Cœnobium ſanctæ Claræ Veteris Ordinis ejuſdem Sanctæ, ſuppreſſa cura, aliis Conventualibus attributa, Brixien. Epiſcopo ſubjicitur.

Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Venerabili fratri Epiſcopo Brixien.

§. I. CUm, ſicut ex literis patentibus dilecti filii noſtri Rodulphi, tituli ſanctæ Mariæ in Tranſtiberim Presbyteri Cardinalis de Carpo nuncupati, totius Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum Protectoris & Correctoris a Sede Apoſtolica deputati accepimus, idem Rodulphus Cardinalis, poſtquam jam multis menſibus & annis præteritis intellexerat, quod Monaſterium Monialium ſanctæ Claræ Veteris Brixien., Ordinis ejuſdem ſanctæ Claræ, ſub cura eorumdem Fratrum degentium non parum egebat, ſed magna & urgenti neceſſitate præmebatur, alicujus non contemnendæ nec vulgaris correctionis, & ad mores vitamque meliorem reductionis & reformationis, & pro viribus non defecerat, quin pro eo munere, quo fungebatur hujus Ordinis protegendi & corrigendi, multis ac variis modis & rationibus ea iſti malo remedia procurare & adhibere, tentaretque meliora & aptiora, ac quæ magis opportuna indicabantur, neque propterea tantum proficere potuerat, ut ad eam correctionis formam reduceretur, quæ maxime & juſtiſſime deſiderabatur, ſed omnis contra labor in ea ſuſceptus inanis fuiſſet, quemadmodum ex multis literis, cauſa ipſorummet Fratrum & deputatorum ad id, ſepius intellexerat, exiſtimans, omnia, quæ ad eum pertinebant, jam per eum tentata eſſe, nullamque amplius ſupereſſe rationem, qua poſſet pro ea Religione in ea re, Dei imprimis ſervitio, tum ſuo etiam honori, & dilectorum filiorum Communitatis Brixien. deſiderio ſatisfieri, in eam ex ſuo protectoriatus & correctoriatus officio ſibi in ea parte commiſſo, ut Monaſterium ipſum ſanctæ Claræ omnino a cura Fratrum hujuſmodi ſejungeret, illudque libere renunciaret, devenerit ſententiam, ac illud per dictas literas renunciaverit, & pro libere renunciato tam a ſua, quam dictorum Fratrum cura declaraverit, prout in eiſdem literis dicitur plenius contineri.

§. II. Nos ad ea, per quæ ſingulorum regularium locorum & Perſonarum, præſertim fœminei ſexus in illis ſub ſuavi Religionis jugo Domino famulantium ſtatus in melius dirigi poſſit, ſedulo intendentes, & ne præfatum Monaſterium de malo in peius declinet, quantum in Nobis eſt, providere volentes, dictamque ſejunctionem & declarationem approbantes & confirmantes, necnon perpetuæ firmitatis robur obtinere decernentes, Monaſterium ipſum, ac illius Abbatiſſam ſeu Prioriſſam, necnon ſingulas Sorores ſeu Moniales & perſonas tuæ, & pro tempore exiſtentis Epiſcopi Brixien. curæ, viſitationi, correctioni & omnimodæ poteſtati ac juriſdictioni, quam tu & pro tempore exiſtens Epiſcopus Brixien. præfatus per vos vel alium ſeu alios ad veſtri nutum ponendos & amovendos, exercere poſſitis, immediate ſubjicimus, plenamque tibi & pro tempore exiſtenti Epiſcopo, præfatum Monaſterium, necnon Abbatiſſam ſeu Prioriſſam, Sorores ſeu Moniales & perſo-

nas hujuſmodi, dum & quoties vobis videbitur & placuerit, auctoritate Apoſtolica viſitandi, & tam in capite, quam in membris reformandi, ac ad regularium ſeu Ordinis inſtitutorum obſervationem, juxta Profeſſionem per eas factam reducendi, & quas ex eis delinquentes inveneritis, prout earum delicta exegerint, juxta Canonicas ſanctiones, & regularia inſtituta hujuſmodi puniendi & caſtigandi, necnon illius Abbatiſſam ſeu Prioriſſam vel Miniſtras, aut alias ejus regimini Præſidentes ab earum officiis, juſta ſubſiſtente cauſa, amovendi, & alias earum loco perpetuo vel ad tempus, juxta ipſius Monaſterii conſuetudinem, aut alias, prout vobis ex rationabili cauſa viſum fuerit, ſubſtituendi & ſubrogandi, & de dicto Monaſterio ad aliud ejuſdem Ordinis transferendi, omniaque & ſingula alia, quæ pro ejuſdem Monaſterii directione & reformatione neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, faciendi, diſponendi, ſtatuendi, ordinandi & mandandi; necnon contradictores quoslibet & rebelles, aut tibi in præmiſſis non obtemperantes, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis & nobilitatis fuerint, per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias tuo arbitrio moderandas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ipſaſque ſententias, cenſuras & pœnas, etiam iteratis vicibus aggravando, ac tam perſonas, quam loca interdicendo, auxiliumque brachii ſecularis invocando, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus. Non obſtantibus quibuſvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterii & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, necnon quibuſvis privilegiis, indultis & literis Apoſtolicis Monaſterio & Ordini prædictis, ac illorum Superioribus, & quibuſvis aliis tam Eccleſiaſticis, quam ſecularibus perſonis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis & innovatis, quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, individua & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque. Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 1. Octobris MDLI. Pontificatus noſtri anno II.

XX.

Joannem Huiiff Ordinis Minorum profeſſorem Concionatorem Apoſtolicum legat, eique abſolvendi facultatem a caſibus reſervatis elargitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Joanni Huiiff Trajectien. Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſori.

§. I. Religionis zelus & literarum ſcientia, necnon præclara virtutum merita, quibus perſonam tuam accepimus inſignitam, promerentur, ut tibi in iis, quæ ad Chriſtifidelium animarum ſalutem, & tuam ſpi-

ſpiritualem conſolationem pertinere dignoſcuntur, favorabiliter aſſiſtamus.

§. II. Hinc eſt, quod Nos venerabilis fratris Chriſtophori Archiepiſcopi Bremen. ſupplicationibus inclinati, te, qui anno proxime præterito pro eodem Chriſtophoro Archiepiſcopo apud Nos & Sedem Apoſtolicam diverſa negotia procuraſti, &, ut accepimus, in Comitiis Imperialibus Auguſtanis pro Hereticorum reductione, & bonorum in fide confirmatione, multis diſcriminibus, & indefeſſis laboribus Evangelicam doctrinam & viam veritatis prædicando, in via Domini non modicum fructum attuliſti, in noſtrum & dictæ Sedis Prædicatorem, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium recipimus, ac aliorum noſtrorum & ejuſdem Sedis Prædicatorum numero favorabiliter aggreganus, tibique, ut ubicumque locorum tibi viſum fuerit, verbum Dei prædicare, ac lectiones in Theologia, ac ſacra Scriptura legere, interpretari & docere, necnon omnibus & ſingulis honoribus, privilegiis, prærogativis, anthelationibus, favoribus, gratiis & indultis, quibus alii noſtri & dictæ Sedis Prædicatores de jure & conſuetudine utuntur, potiuntur & gaudent, ac uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere; necnon omnes & ſingulos Chriſtifideles utriuſque ſexus etiam exteros, illorum peccata tibi confitentes, in caſibus ordinariis locorum reſervatis ſeu conceſſis abſolvere, ac illis pro commiſſis pœnitentiam ſalutarem injungere, necnon eorum vota quæcumque, ultramarino, viſitationis liminum beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli de Urbe, & ſancti Jacobi in Compoſtella, necoon religionis & caſtitatis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutare libere & licite valeas, auctoritate & tenore præmiſſis plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus.

§. III. Quocirca eidem Archiepiſcopo, & dilectis filiis Præpoſito Tongren. ac Decano ſancti Joannis Buſcoducen. Oppidorum, Leodien. Diœceſis Eccleſiarum per præſentes committimus & mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios tibi in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra te receptione, aggregatione & conceſſione prædictis, ac præſentibus literis & in eis contentis quibuſcumque pacifice frui & gaudere, non permittentes te deſuper per Superiores tuos, vel alios quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari, pertnrbari, impediri vel inquietari: contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris remedia, dicta auctoritate compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & ordinationibus, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſque Superioribus & Prælatis, ac quibuſvis aliis ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis decretis, etiam motu proprio conceſſis, approbatis & innovatis: quibus omnibus, illorum veriores tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat, harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 11. Novembris MDLI. Pontificatus noſtri anno 11.

XXI.

XXI.

Daniel Rocenſis de Spalato Ordinis Minorum ſancti Franciſci de Obſervantia Dunnenſis Epiſcopus renunciatur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

JULIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilecto filio Danieli Rocenſi de Spalato Electo Dunnen. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

§. I. Apoſtolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini, Divina diſpoſitione, præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſolliciti corde reddimur & ſolertes, ut, cum de Eccleſiarum ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores perficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ curæ commiſſum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint & valeant, auctore Domino, ſalubriter regere & feliciter gubernare.

§. II. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum omnium apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantium & inantea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper iis, per quoſcumque quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. III. Poſtmodum vero Eccleſia Dunnen. cui bonæ memoriæ Nicolaus Epiſcopus Dunnen. dum viveret, præſidebat, per obitum ejuſdem Nicolai Epiſcopi, qui apud Sedem prædictam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponatur incommodis, Paternis & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem ac etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Minorum, & Theologiæ profeſſorem in ætate legitima, & Presbyteratus ordine conſtitutum, ac de legitimo Matrimonio procreatum, vitæ ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicum virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus ioſignitum, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, te a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis a jure vel ab homine, quavis occaſſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium tantum conſequendum, harum ſerie abſolventes & abſolutum fore ceoſentes, de perſona tua Nobis & Fratribus ipſis ob tuorum exigentiam meritorum accepta, præfatæ Eccleſiæ, de Fratrum eorumdem conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus & Paſtorem, curam & adminiſtratiooem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia ſub tuo felici regimine regetur utiliter & proſpere dirigetur, ac grata io eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa.

§. IV. Ju-

§. IV. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis.

§. V. Quocirca dilectis filiis Capitulo dictæ Eccleſiæ, ac Clero & Populo Civitatis & Dioeceſis Dunnen. necnon Vaſſallis ejuſdem Eccleſiæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Capitulum tibi tamquam Patri & Paſtori animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam & reverentiam debitas & devotas, ac Clerus te pro noſtra & Sedis prædictæ reverentia benigne recipientes & honorifice pertractantes, tua ſalubria monita & mandata ſuſcipiant humiliter, & efficaciter adimplere procurent; Populus vero te tamquam Patrem & Paſtorem animarum ſuarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, tuis monitis & mandatis ſalubribus humiliter intendant; ita quod tu in eis devotionis filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis, Vaſſalli autem prædicti te debito honore proſequentes, tibi fidelitatem ſolitam, necnon conſueta ſervitia & jura tibi ab eis debita integre exhibere procurent, alioquin ſententiam ſive pœnam, quam reſpective rite tuleris ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari.

§. VI. Rogamus quoque venerabilem fratrem noſtrum Archiepiſcopum Spalaten. illi per eadem ſcripta mandantes, quatenus te & præfatam Eccleſiam illius ſuffraganeam habens pro noſtra & dictæ Sedis reverentia propenſius commendatos, in ampliandis & conſervandis ejuſdem Eccleſiæ juribus, ſic te benigni favoris auxilio proſequatur, quod tu ejus ſultus præſidio, te poſſis in commiſſo tibi ejuſdem Eccleſiæ regimine utilius exercere, ipſeque Archiepiſcopus exinde Divinam miſericordiam, ac noſtram & ejuſdem Sedis benedictionem & gratiam valeat uberius promoveri.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLI. die 11. Decembris Pontificatus noſtri anno 11.

Anno Christi 1552. Julii III. anno 3.

XXII.

Provinciarum Terræ laboris, Apuliæ & Baren. Fratribus Minoribus Provinciales Miniſtros iterum eligendi facultatem elargitur. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. CUm, ſicut accepimus, licet ex Conſtitutionibus & ordinationibus Ordinis Fratrum Minorum in electionibus Miniſtrorum Provincialium Terræ laboris & Apuliæ, ac Baren. Provinciarum juxta morem ipſius Ordinis, ſervari ſolitis, profeſſores dicti Ordinis ſemel in Miniſtros Provinciales ipſarum Provinciarum electi, iterum in Miniſtros earumdem Provinciarum in Capitulis Provincialibus deſuper pro tempore editis eligi poſſint, & profeſſores ipſi ſic, ut præfertur, in Miniſtros denuo electi, officio miniſtratus hujuſmodi præeſſe, ac illud regere & exercere conſueverunt; nihilominus certi Domorum dictarum Provinciarum Guardiani, ſeu alii ipſius Ordinis profeſſores, ad officia miniſtratuum hujuſmodi indebite aſpirantes, prætextu cettarum a felicis recordationis Paulo Papa III. prædeceſ-

deceſſore noſtro, ſeu a Nobis, vel majore Pœnitentiario noſtro, & forſan cum inhibitionis decreti & derogationis, ac aliis clauſulis extortarum litterarum, iterum electos ad officia miniſtratuum hujuſmodi in regimine earum Provinciarum, & exercitio officiorum miniſtratuum hujuſmodi diverſimode impediant, & ſemel electos iterum in Miniſtros Provinciarum hujuſmodi eligi prohibeant, in ipſius Ordinis detrimentum.

§. II. Nos indemniati ipſius Ordinis conſulere volentes, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, quod de cetero electiones Miniſtrorum Provinciarum hujuſmodi per eos, ad quos ſpectat, in locis ſolitis juxta conſtitutiones & ordinationes dicti Ordinis in hujuſmodi electionibus ſervari ſolitas ſervatis, fieri debeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus; quodque conſtitutionibus & ordinationibus prædictis ſervatis, ſi pro ſalubri directione, regimine & gubernio Provinciarum hujuſmodi viſum fuerit expediens, quod Miniſtri dictarum Provinciarum iterum, ut præfertur, eligantur Commiſſarii dicti Ordinis & ſeu alii, ad quos ſpectat ad hujuſmodi electiones, ſervata forma conſtitutionum & ordinationum, ut præfertur, ſervari ſolitarum, procedere, & illas iterum libere & abſque aliquo cenſurarum aut pœnarum incurſu facere poſſint, auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus. Non obſtantibus præmiſſis, & quibuſvis Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictis & quibuſvia aliis literis in contrarium quomodolibet conceſſis & emanatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum die XIII. Aprilis MDLII. Pontificatus noſtri anno III.

XXIII.

Joanni de ſancto Franciſco Ordinis Minorum profeſſori Yuchatanenſis & Cocumenſis Eccleſiarum Indiarum Maris Oceani curam demandat.

Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Joanni de ſancto Franciſco Electo Yuchatanen. & Cocumen. Indiarum Maris Oceani.

§. I. CUm Nos nuper Eccleſiæ Yuchatanen. & Cocumen. Indiarum Maris Oceani, quæ de jurepatronatus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, qui etiam Caſtellæ & Legionis Rex Catholicus exiſtit, ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, eſſe dignoſcitur, tunc certo modo vacanti, de tui etiam tunc Ordinis Fratrum Minorum profeſſoris perſona, quam præfatus Carolus Imperator & Rex nobis ad hoc præſentaverat, de Fratrum noſtrorum conſilio providerimus, præficiendo te illi in Epiſcopum & Paſtorem, prout in noſtris inde ſub plumbo confectis literis plenius continetur.

§. II. Nos te eidem Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus plurimum fructuoſum fore ſperantes, tibi in virtutæ ſanctæ obedientiæ diſtricte percipiendo mandamus, quatenus omni excuſatione ſeu ſubterfugio ceſſante, proviſionem & præfectionem prædictas acceptes, & illas ratas & gratas habeas, ac onus Paſtoralis officii tibi impoſitum devote ſuſcipias, & illud ſic ſalubriter exercere ſtudeas, quod exinde ſperati fructus adveniant, & tu eternæ retributionis præmium aſſequi merearis. Decernentes te propterea Regularibus dicti Ordinis inſtititutis minime contravenire, nec aliquas cenſuras ſive pœnas in eis forſan contentas incurrere. Non obſtantibus quibuſvis privilegiis & indultis Apoſtolicis, eidem Ordini ſub quibuſcumque teno-

tenoribus & formis conceſſis & approbatis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVIII. Junii MDLII. Pontificatus noſtri anno III.

XXIV.

Revocatio privilegiorum & indultorum celebrationi Generalium Comitiorum Ordinis Minorum de Obſervantia, quomodolibet adverſantium. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Miniſtro Generali & Provincialibus, ceteriſque Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia nuncupatorum in proximo Generali Capitulo Salamantiæ celebrando adfuturis.

§. I. CUm, ſicut accepimus, nonnulli veſtri Ordinis, & forſan alii prætexu diverſorum privilegiorum, indultorum & literarum Apoſtolicarum etiam tui fili, Miniſtri, & aliorum nominibus ſub diverſis confictis titulis & argumentis, non ſolum laudabilibus inſtitutis ac libertati dicti Ordinis, privilegiſque & indultis Apoſtolicis eidem a longo tempore conceſſis, verum etiam ſacris Canonibus derogantibus, Ordinem celebrandi per vos iſthic Capituli Generalis hactenus ſervatum pervertere, vel quempiam quominus ad officium ibidem promoveatur, diverſimode impedire electioneſque turbare moliantur.

§. II. Nos cupientes, pro officio ſummi Paſtoris ad quod per gratiam Dei vocati ſumus, ut ſublatis quibuslibet obſtaculis, in dicto Capitulo juxta Canones & ſtatuta præfata, necnon literas felicis recordationis Leonis Papæ X. prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editas, modumque & formam hactenus per vos alias in ſimilibus ſervatam, tranſigatur, minimeque ejuſdem Ordinis libertas circa hæc violetur, motu proprio, non ad alicujus veſtrum Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera deliberatione, omnia & ſingula privilegia, facultates, licentias, ſuſpenſiones, ſuppletiones, exemptiones, gratias, indulta & reſcripta a Nobis & Sede Apoſtolica ejuſque Legatis, etiam motu ſimili & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & conſiſtorialiter ad quorumcumque etiam nullius inſtantiam, ex quacumque cauſa, & ſub quavis forma ac verborum expreſſione emanata hactenus & interim emanatura, quæcumque & qualiacumque ſint vel fuerint, ac deſuper confectas & conficiendas etiam in forma Brevis literas, necnon inde ſequuta & ſequtura, quæ Ordinem in dicto Capitulo, ut præfertur, ſervandum, & ſignanter futuri Miniſtri Generalis & aliorum electiones ad alia officia inde faciendas directe vel indirecte impedirent, vel perſonas ſecundum Canones & ſtatata hujuſmodi capaces excluderent, ſeu vos ad admittendum incapaces, vel aliter in dicto Capitulo procedendum, etiam ſub cenſuris Eccleſiaſticis & aliis pœnis in eis contentis arctarent, aut alias quovis modo obeſſe viderentur, illorum omnium tenores & formas, necnon cauſas propter quas illa conceſſa ſunt, etiam ſi talia exiſtant vel fuerint, quod niſi de eiſdem & eorum totis tenoribus de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio habeatur, minime derogari aut alias præjudicari poſſit, præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis, necnon modos & formas ad id ſervandos pro individuo ſervatis habentes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ad effectum præmiſſorum dumtaxat, caſſamus, revocamus & annullamus, ac pro caſſis, nullis & irritis haberi debere, ſicque noſtræ immutabilis voluntatis & in-

tentionis eſſe, & quidquid ſecus a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, voſque & dictum Capitulum in veſtra libertate, quoad præmiſſa omnia reſtituimus & reintegramus, mandantes vobis & unicuique veſtrum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, ut privilegiis, indultis & aliis præfatis, ac quibuslibet prohibitionibus contrariis non attentis, ad celebrationem dicti Capituli, ſecundum Canones & ſtatuta, ac Leonis literas & conſuetudines hujuſmodi tam in electionibus faciendis præfatis, ſuffragiiſque ſupplendis, quam etiam ceteris quibuslibet actibus, ſolum Deum & Chriſtianæ iſtiuſque Religionis commodum, utilitatem & honorem præ oculis habendo, omnino procedere ſtudeatis.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die IV. Septembris MDLII. Pontificatus noſtri anno 1ſt.

XXV.

Congregationi Ordinis Minorum Ulixbonen. Provinciæ Algarbiorum Cucullam deferendi more Capuccinorum Italiæ facultatem largitur, aliaque quoad illorum regimen ſtatuit. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio nobili viro Ludovico Portugalliæ Infanti.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſti, quod dudum poſtquam quondam Martinus Ordinis Fratrum Minorum profeſſor ex Regnis Caſtellæ oriundus, tunc in humanis agens, & nonnulli alii bonarum vitæ & famæ profeſſores, auſpiciis dilecti filii nobilis viri moderni Ducis da Veiro, unam Congregationem profeſſorum dicti Ordinis in Eremitorio ſeu Domo beatæ Mariæ Darrabida Ulixbonen. ſeu alterius Diœceſis, ad Omnipotentis Dei laudem, & Chriſtifidelium partium illarum ſpiritualem conſolationem ordinaverant ſeu inſtituerant, ac nonnulla ſtatuta & ordinationes regularem diſciplinam, ac eorum habitus & veſtitus formam, rationem & humilitatem concernentia ediderant, ac ſtatuta & ordinationes hujuſmodi tunc Magiſtri Generalis dicti Ordinis primo, & deinde Sedis Apoſtolicæ auctoritatibus confirmata fuerant, ipſique Martinus & profeſſores tres vel quatuor alias Domos pro eorum uſu & habitatione ſibi aſſignari & concedi obtinuerant, præfatus Magiſter attendens eoſdem Profeſſores Inſtitutis, & regulari diſciplinæ ſancti Franciſci dicti Ordinis Inſtitutoris non parum ſe conformare, unam Domorum & Profeſſorum hujuſmodi Cuſtodiam, quæ Darrabida nuncuparetur, ea conditione, quod nullo unquam tempore in Provinciam erigi poſſet, ſed Provinciæ Algarbiorum, juxta morem ejuſdem Ordinis, ſubjiceretur & ſubmitteretur, inſtituit, ac Provinciale & Generale Capitula Ordinis hujuſmodi Cuſtodiam ipſam admiſerunt.

§. II. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Profeſſores Ordinis & Cuſtodiæ hujuſmodi propter eorum exemplarem vitam, fructus admodum uberes in agro Domini hactenus produxerint, & in dies producere non ceſſerint, & propterea tu pro tua ſpirituali conſolatione deſideres Profeſſores Ordinis & Cuſtodiæ hujuſmodi in eorum Inſtituto & bono propoſito manuteneri & confoveri, ac eis quod Cucullam Caputium nuncupatum, more Fratrum Capuccinorum nuncupatorum partium Italiæ, prout ſummopere deſiderant, deferre poſſint, & ut Profeſſores hujuſmodi non acquiſitioni novarum Domorum in dicta Cuſtodia, ſed Divino cultui & bonis operibus intendant, quod Profeſſores & Cuſtodia hujuſmodi ullo unquam tempore plures, quam ſex ſimiles Domos comprehendere, ac in eis ultra quin-

quinquaginta ipſius Ordinis Profeſſores recipere & admittere ſeu manutenere non poſſint, ſtatui & ordinari, Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui ſingularum præſertim piæ vitæ ſtudio deditarum perſonarum votis, quantum cum Deo poſſumus, libenter annuimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, modernis & pro tempore exiſtentibus dicti Ordinis in eadem Cuſtodia Profeſſoribus, quod Cucullam hujuſmodi, more Fratrum Capuccinorum nuncupatorum partium Italiæ, abſque eo quod per Generales ſeu Provinciales ejuſdem Ordinis Miniſtros deſuper quomodolibet impediri vel moleſtari poſſint, geſtare & deferre libere & licite valeant, dummodo per hoc ab obedientia Generalis & Provincialis prædictorum in reliquis ſe non ſubtrahant, plenam & liberam Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium licentiam & facultatem concedimus, ac quod Profeſſores dicti Ordinis in Cuſtodia hujuſmodi ullo unquam tempore plures, quam ſex ſimiles Domos comprehendere, ac in eis ultra quinquaginta ipſius Ordinis Profeſſores recipere & admittere ſeu manutenere non poſſint, auctoritate Apoſtolica, & tenore prædictis ſtatuimus & ordinamus, ac ut Profeſſores ipſius Ordinis in Cuſtodia hujuſmodi, & illorum Novitii pro tempore exiſtentes eo melius in vera regularis diſciplinæ obſervantia proficiant, quo per provectiores & conſummatiores ipſius Ordinis inſtructi fuerint, quod quinque vel ſex ejuſdem Ordinis in Provinciis Hiſpaniarum, juxta eumdem morem, Profeſſores per te eligendi ad dictam Cuſtodiam, ſuorum Superiorum licentia petita & obtenta, ſe transferre, & in ea permanere, ac per pro tempore exiſtentem ipſius Cuſtodiæ Cuſtodem recipi & admitti poſſint & debeant eiſdem auctoritate ac tenore concedimus & indulgemus, tibique & Profeſſoribus, ac Cuſtodi præfatis ad præmiſſa omnia amplam facultatem & auctoritatem impertimur. Decernentes literas prædictas ex quavis cauſa de ſubreptionis vitio notari vel impugnari non poſſe, ſed validas & efficaces exiſtere, & ſuos effectus perpetuo ſortiri debere.

§. IV. Quocirca venerabili fratri Archiepiſcopo Ulixbonen. & dilectis filiis Colimbrien. & Elboren. Officialibus per præſentes mandamus, quatenus ipſi, vel duo aut unus eorum per ſe vel alium ſeu alios præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, ubi & quando opus fuerit, aut quoties pro parte tua, vel Profeſſorum Ordinis & Cuſtodiæ, aut aliorum transferendorum hujuſmodi, ſeu alicujus eorum deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicantes, vobiſque in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant auctoritate noſtra te, ac Profeſſores, & alios prædictos conceſſione, indulto, licentia, & aliis præmiſſis, ac præſentibus literis pacifice frui & gaudere, non permittentes vos, ſeu aliquem veſtrum deſuper per quoſcumque quomodolibet indebite moleſtari; contradictores quoslibet & rebelles per ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas & applicandas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, ſententias, cenſuras & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de una, ac Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate præſentium ad judicium non trahatur, & aliis Apoſtolicis, necnon in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus vel ſpecialibus conſtitutionibus & ordinationibus, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudiuibus, privilegiis quoque, indultis &

literis Apoſtolicis Fratribus partium Italiæ, & Ordini hujuſmodi, ac eorum Superioribus & Domibus, ac quibuſvis aliis, etiam per Nos & Sedem Apoſtolicam ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent præſentibus, pro plene & ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter & expreſſe derogamus, contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die IV. Octobris MDLII. Pontificatus noſtri anno III.

XXVI.

Cœnobium ſanctæ Mariæ Ordinis Minorum Conventualium Terræ Baroli demoliendi, aliudque commodiori loco ædificandi Petro de Toledo Neapolit Viceregi poteſtatem concedit. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio nobili viro Petro de Toledo in Regno Neapolitan. Proregi.

§. I. EXponi Nobis nuper feciſti, quod cum ſuperioribus diebus in iſto Regno Neapolitan. de variis tumultibus bellicis tam terra, quam mari, præſertim Claſſe Turcharum litora illarum partium infeſtante, dubitaretur, tu pro munitione & fortificatione Terræ Baroli, alias Barlettæ, Tranen. Diœceſis, quæ in præmiſſis maximi momenti eſſe videbatur, ſancti Petri, & ſancti Laurentii dictæ Terræ ſine cura Eccleſias, quæ Arci, alias Caſtro, ejuſdem Terræ vicinæ, & ſatis ruinoſæ, ac in malo ſtatu exiſtebant, ne hoſtibus receptui eſſe poſſent, dirui & ſolo æquari mandaſti & feciſti, earum fructibus, redditibus & proventibus pro tempore exiſtentibus illarum Rectoribus integre relictis.

§. II. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, tu dubites tam te, quam Miniſtros & Officiales tuos, ac alios, qui in præmiſſis verbo vel opere ſe ingeſſerunt, ſacrilegii reatum, & excommunicationis, ac alias ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas & temporales exinde incurriſſe, nec adhuc munitioni & fortificationi Terræ hujuſmodi ſit plene proviſum, quinimmo pro eiſdem munitione & fortificatione Eccleſia Metropolitan. de Nazareth extra & prope muros dictæ Terræ conſiſtens, cui cura non imminet animarum, & Domus ſanctæ Mariæ ejuſdem Terræ Ordinis Fratrum Minorum Conventuslium, cum ejus Eccleſia etiam cura animarum carente, ſint adhuc diruendæ & ſolo æquandæ, tuque, ut ſecuritati dicti Regni conſulatur, cupias illas dirui facere, firma tamen intentione eas in aliis ipſius Terræ locis de novo reædificari faciendi, Nobis humiliter ſupplicari feciſti, ut te, & Miniſtros ac Officiales tuos, & quoſcumque alios, qui dirutioni & ſolo æquationi dictarum ſancti Petri, & S. Laurentii Eccleſiarum verbo vel facto ſe ingeſſerunt, a reatu ſacrilegii, ſi quem forſan propterea incurrerunt, ac excommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris & pœnis tam Eccleſiaſticis, quam temporalibus in talia perpetrantes tam a jure, quam ex Apoſtolicis aut Provincialibus vel Synodalibus conſtitutionibus, aut alias quomodolibet inflictis & promulgatis, in utroque foro abſolvere, ac tibi, quod Eccleſiam de Nazareth, ac domum ſanctæ Mariæ cum illius Eccleſia hujuſmodi, ad effectum munitionis & fortificationis prædictarum, dirui & ſolo

ſolo æquari facere poſſis, licentiam & facultatem concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui dictum Regnum ab hujuſmodi tumultibus bellicis præſervari, & in ſtatum ſecurum & tutum reduci ſummopere cupimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, te & Miniſtros ac Officiales tuos, & quoſcumque alios, qui dirutioni & ſolo æquationi earumdem ſancti Petri, & ſancti Laurentii Eccleſiarum verbo vel facto ſe ingeſſerunt, a reatu ſacrilegii & eacommunicationis, aliiſque ſententiis, cenſuris & pœnis tam Eccleſiaſticis, quam temporalibus, quas propter præmiſſa quomodolibet incurriſtis, aut incurriſſe dici poteſtis, dummodo tu filii Prorex eaſdem Eccleſias in aliis ipſius Terræ locis ad hoc idoneis & congruentibus infra annum proxime futurum de novo ædificari & conſtrui facias, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium in utroque foro abſolvimus & liberamus, ac tibi fili Prorex, quod Eccleſiam de Nazareth, & dictam Domum ſanctæ Mariæ cum illius Eccleſia hujuſmodi, ſi ad effectum munitionis & fortificationis prædictarum Peritis ſimilium ſic viſum fuerit faciendum, poſtquam eas in aliis ejuſdem Terræ locis de novo conſtrui & ædificari facere incœperis, ac muris ſeu parietibus ac tectis muniveris, dirui & ſolo æquari facere libere & licite valeas, nec propterea tu, ac qui in præmiſſis ſe verbo vel facto ingerent, ſacrilegium aut aliquas ſententias, cenſuras & pœnas Eccleſiaſticas, ſeu etiam temporales quoquo modo incurratis, auctoritate & tenore prædictis licentiam & facultatem concedimus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon literis in die Cœnæ Domini ſingulis annis legi ſolitis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

§. IV. Volumus autem, quod tu, & Miniſtri ac Officiales tui, & alii, qui dirutioni & ſolo æquationi dictarum ſancti Petri & ſancti Laurentii Eccleſiarum verbo vel facto ſe ingeſſerunt, pœnitentiam per Confeſſorem, quem quilibet veſtrum duxerit eligendum, cuilibet veſtrum injungendam adimplere omnino teneamini, alioquin abſolutio & liberatio prædictæ vobis minime ſuffragentur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VI. Octobris MDLII. Pontificatus noſtri anno III.

Anno Christi 1553. Julii III. anno 3.

XXVII.

Januenſem Domum ſancti Franciſci Conventualium quaſi collabentem reparandam ære proprio demandat. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilectis filiis Guardiano & Conventui Domus ſancti Franciſci Genuen. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum.

§. I. CUm, ſicut Nobis nuper exponi feciſtis, Domus veſtra ſancti Franciſci Genuen. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, in qua Capitulum Generale totius veſtri Ordinis in feſto Pentecoſtes proxime futuro celebrandum eſt, ac ejus ædificia ob antiquas ruinas & demolitiones, habitationibus adeo deſtituta eaſtat, ut niſi reparentur, ſeu de novo conſtruantur, ad recipiendum tot Priores & Fratres, quot ad illam pro dicto Generali Capitulo celebrando venturi, & inibi congregandi ſunt, capax non ſit, & Chriſtifidelium eleemoſynæ quotidianæ ad id non ſufficiant, & unde tot ſumptibus ſatisfacere poſſitis, niſi aliqua loca

Com-

Compenarum ſancti Georgii Genuen. ad dictam Domum legitime ſpectantia & pertinentia vendideritis, nnn habeatis, ac Domus ipſa tam pro ipſo Capitulo, ut præfertur, celebrando, quam veſtra inibi habitatione commoda, & illius totali ruina evitanda celeri reſtauratione indigeat.

§. II. Nos indemnitati & commoditati veſtræ in præmiſſis opportune conſulere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut ſexaginta loca ex trecentis & decem ſimilibus locis Compenarum ejuſdem ſancti Georgii ad dictam Domum legitime ſpectantibus & pertinentibus cum ſuis proventibus, cuicumque ſeu quibuſcumque perſonis etiam laicis illa emere volentibus, pro convenienti & juſto pretio inter vos & emptores concordando, perpetuo vel ad tempus, cum pactis & conditionibus vobis & eis beneviſis, alias tamen licitis & honeſtis, vendendi & alienandi, ac pretium exinde proveniens in reparationem, reſtaurationem & reædificationem dictæ Domus convertendi, ac dictis perſonis ſexaginta loca hujuſmodi emendi, & proventus ex eis percipiendi, exigendi & levandi, ac de illis, prout de aliis ſuis bonis, pro libito ſuæ voluntatis diſponendi, vobiſque & illis, ut quæcumque inſtrumenta deſuper neceſſaria cum omnibus & ſingulis obligationibus, clauſulis & cautelis neceſſariis conficiendi, ac omnia & ſingula alia in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, exercendi & exequendi plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus per præſentes. Non obſtantibus felicis recordationis Pauli Papæ II. prædeceſſoris noſtri de rebus Eccleſiæ non alienandis, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon privilegiis, indultis & literis eidem Ordini, ſub quibuſcumque tenoribus & formis, ac cum quibuſvis clauſulis & decretis in genere vel in ſpecie, etiam motu proprio conceſſis, approbatis & innovatis, quibus, illorum tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod pretium inde proveniens penes perſonam ſeu perſonas fide & facultatibus idoneas, quæ illud in hujuſmodi reparationem & reædificationem annue converiere, ac fideliter exponere teneantur & debeant, deponatur.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XVI. Februarii MDLIII. Pontificatus noſtri anno III.

XXVIII.

Privilegio ad Magiſterii gradum promovendi Fratrem Generalem Magiſtrum Ordinis Minorum Conventualium decorat. Ex Vat. Secret. Tabul.

Dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Minorum Conventualium in Capitulo Generali proxime eligendo.

§. I. CUm acceperimus in Capitulis Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Generalibus ad virtutum merita decoranda, & aliorum ſtudia accendenda, conſueviſſe per Sedem Apoſtolicam concedi, ut Magiſter Generalis in Capitulo Generali electus aliquot ex Fratribus dicti Ordinis ſacræ Theologiæ Bacchalariis ſaltui uſque ad oumerum ſex, ad gradum Doctoratus in eadem Theologia promovere poſſet. Nos hunc laudabilem morem, ex quo virtus præmium ad honorem, & æmulatio ſtimulum ſuſcipit ad virtutem, noſtro etiam tempore fovendum eſſe cenſentes, volumus, tibique Apoſtolica auctoritate concedimus, ut aſſumptis per te ad hoc, & tibi aſſiſtentibus quatuor Promotoribus in ſacra Theologia Magiſtris,

ſtris, eorumque votis juratis, & rigoroſo examine, publiciſque diſputationibus, prout moris veſtri Ordinis eſt, præcedentibus, aliquot ex tui Ordinis Fratribus ſacræ Theologiæ Bacchalariis uſque ad numerum ſex, quos idoneos dignos repereris, ad Doctoratus hujuſmodi gradum promoveas, eiſque dictum gradum cum inſigniis ſolitis conferas.

§. II Nos enim, ſi per te hujuſmodi gradum Doctoratus eis conferri contigerit, ut quilibet eorum omnibus & ſingulis privilegiis, indultis, exemptionibus & gratiis ſuæ quiſque Univerſitatis, in qua ſtuduit, perinde gaudere poſſit & valeat, ac ſi in eadem Univerſitate ad hujuſmodi Doctoratus gradum promotus fuiſſet, concedimus & indulgemus per præſentes. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Ordinis, & Univerſitatis ſtatutis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, necnon privilegiis, indultis & literis Apoſtolicis etiam Mari Magno nuncupatis, quibus illorum tenores pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quatenus obſtent, ad effectum præſentium dumtaxat derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxviii. Martii MDLIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXIX.

Julium Magnanum de Placentia Ordinis Minorum Conventualium Generalem Vicarium Præſidentem in Capitulo Generali deſtinat. Ex Vat. Secr. Tab.

Dilecto filio Julio Magnano de Placentia Vicario Generali Ordinis Minorum Conventualium.

Audientes Generale Capitulum tui Ordinis Minorum Conventualium in proximo feſto Pentecoſtes celebrandum eſſe, in quo & Magiſter Generalis tui Ordinis eligendus, & multa alia ſalubriter providenda, tractanda & exequenda ſunt, Nos pro noſtra paſtorali cura omnibus Ordinibus, tuoque præcipue in Eccleſia Dei tam frugifero debita, cupientes ſingulas electiones in eo faciendas, ac omnia & ſingula in eo ſtatuenda & decernenda rite & recte fieri, ſtatui & decerni, ac cujuſvis nullitatis prætextu impugnari non poſſe, tibi, quod eidem Capitulo, auctoritate noſtra præeſſe, & ſingula vota, quæ in eodem Capitulo forſan deerunt, juxta facultates tuis Prædeceſſoribus in hujuſmodi Capitulis Generalibus concedi ſolitas, ſupplere, ac cetera, quæ Præſidentes Capitulis hujuſmodi facere & exequi poſſunt & debent, facere & exequi libere & licite valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus; ac pro potiori cautela te ejuſdem Capituli Præſidentem, auctoritate & tenore prædictis facimus, conſtituimus & deputamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, etiam Mari Magno, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus & formis quomodolibet confirmatis & innovatis, quibus, illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, quatenus obſtent, ad effectum præſentium derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxvtii. Martii MDLIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXX.

XXX.

Julium Magnanum de Placentia Minorum Conventualium Generalem Magiſtrum renunciatum confirmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Julio Magnano de Placentia Ordinis Fratrum Minorum Conventualium nuncupatorum, & Theologiæ Profeſſori, ac totius ipſius Ordinis Magiſtro Generali.

CUm, ſicut nuper accepimus, tu in vigilia Pentecoſtes proxime præterita in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum Conventualium in Civitate Genuæ hoc anno celebrato, in Magiſtrum Generalem ejuſdem Ordinis ad triennium & alias modo & forma ſolitis canonice electus fueris, prout in documento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri. Nos hujuſmodi de te, quem ſalubri ejuſdem Ordinis directioni proficuum fore ſperamus, factam electionem, ratam & gratam habentes, illam ac prout eam concernunt omnia & ſingula in dicto documento quoad electionem hujuſmodi contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, ex certa ſcientia approbamus & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, teque in dicti Ordinis Magiſtrum Generalem ad dictum triennium inſtituimus, & in ſolita benedictione noſtra benedicimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum in Terra Bagnajæ, Viterbien. Diœceſis ſub annulo Piſcatoris die XXVIII. Junii MDLIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXXI.

Clementem Monellanum Ordinis Minorum de Obſervantia Generalem Miniſtrum electum confirmat, Statutaque in Comitiis habita quoad Sorores Tertii Ordinis, earumdemque clauſuram approbat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Clementi Moneliano totius Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Miniſtro Generali.

§. I. CUm, ſicut accepimus, ſuperioribus diebus, dilecti filii Capitulum Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ in Domo ſancti Franciſci Salamantin. dicti Ordinis in unum, ut moris erat congregati, habitis prius & ſervatis ſolemnitatibus in ſimilibus obſervari ſolitis, te in ejuſdem Ordinis Miniſtrum Generalem, juxta regularia ipſius Ordinis inſtituta, & privilegia Apoſtolica illi deſuper conceſſa, communi omnium voto elegerint, tuque electioni hujuſmodi, illius tibi præſentato decreto, conſenſeris, & exinde tam tu, quam ipſi Capitulum nonnulla ſpiritualem profectum & quietem, ac augmentum præfati Ordinis concernentia, non ſolum ad Fratrum, verum etiam ad tibi creditarum Monialium & Sororum Ordinis hujuſmodi utilitatem, & inter alia, quod Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci in communi viventes, ad evitanda ſcandala, & amovenda multorum offendicula, more Monialium ſanctæ Claræ perpetuo claudantur, nulloque modo intra earum clauſuram viros admittant, niſi eis ſuperinde facultas a Sede Apoſtolica pro ſua maturitate concedatur, matura deliberatio-

tione præhabita, ſtatueritis & ordinaveritis, prout io diverſis deſuper confectis documentis publicis, ſeu aliis ſcripturis dicitur plenius contineri.

§. II. Nos, qui Ordinem tuum hujuſmodi ſingulari benevolentia proſequimur, ſperantes, quod dictus Ordo, & illius Fratres, ac tibi creditæ Moniales & Sorores ob ferventem animarum zelum, quem tibi ineſſe jamdudum cognovimus, per tuæ ſollicitudinis ſtudium pie & religioſe regentur & gubernabuntur, electionem, ac ſtatuta & ordinationes hujuſmodi, necnon prout illa concernunt omnia & ſingula in documentis ſeu ſcripturis hujuſmodi contenta, & inde ſequuta quæcumque, quatenus ſacris Canonibus non contrarientur, Apoſtolica auctoritate, per præſentes approbamus & confirmamus, ac perpetuæ firmitatis robore communimus, ſupplentes omnes & ſingulos juris & facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, tibique quod officium Miniſtratus Generalis Ordinis hujuſmodi integre, & abſque eo quod prætextu aliquarum facultatum ſeu auctoritatum quibuſvis perſonis, cujuſcumque, dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis exiſtentibus hactenus quomodolibet conceſſarum, & impoſterum concedendarum, quas ex nunc, in quantum officio tuo prædicto præjudicent, aut te in illius exercitio quovis modo impediant, harum ſerie revocamus & annullamus, impediri aut perturbari poſſis, etiam noſtra auctoritate exercere, & quæ tibi videbuntur dicti Ordinis Provincias tibi ſubjectas, pro earum & aliarum dicti Ordinis pace & quiete inſimul unire, & ad eas, quos volueris etiam externos Prælatos ſeu Miniſtros ejuſdem tamen Ordinis deſtinare, ac omnia alia, quæ Capitulum Generale Ordinis hujuſmodi in eiſdem Provinciis tam ex ſua Ordinaria, quam ex Apoſtolica auctoritate agere & facere poſſet, in ipſis Provinciis facere, exercere & exequi, ac omnibus & ſingulis immunitatibus, facultatibus, privilegiis, indultis & gratiis Miniſtris Generalibus dicti Ordinis, qui hactenus fuerunt, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac Nos tam vivæ vocis oraculo, quam in ſcriptis quomodolibet conceſſis uti, frui & gaudere libere & licite valeas, dicta auctoritate Apoſtolica concedimus & indulgemus. Mandantes univerſis & ſingulis utriuſque ſexus perſonis tibi ratione officii hujuſmodi creditis, in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna per eos incurrenda, ut tibi in his, quæ officium prædictum concernunt, ac omnibus aliis, quæ contra animam & inſtitutum ſuum non ſunt, humiliter intendant, & pareant cum effectu, nec tibi in aliquo quovis modo contradicere aut refragari audeant & præſumant. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Verum, quia difficile foret præſentes literas ad ſingula quæque loca, in quibus de eis fides facienda foret, deferri, volumus, & prædicta auctoritate Apoſtolica decernimus; quod earum tranſumptis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo tui Miniſtratus officii ſignatis, ea prorſus fides in Judicio & extra adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xt. Octobris MDLttt. Pontificatus noſtri anno IV.

XXXII.

Fratribus de Obſervantia Provinciæ Principatus Domum ſibi a Communitate Agelli, Caputaquen. diœceſis oblatam incolendam confirmat. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilectis filiis Miniſtro Provinciali & Fratribus Ordinis Minorum de Obſervantia Provinciæ Principatus.

§. I. CUm, ſicut Nobis nuper dilecti filii Univerſitas & Homines Caſtri ſeu Terræ Agelli, Caputaquen. diœceſis, exponi fecerunt, alias ipſi ob ſingularem, quem ad Ordinem veſtrum tunc gerebant devotionis affectum, & ut exemplari vita & bonis monitionibus, aliiſque veſtris operibus bonis uberes pro ſalute animarum fructus in agro Domini faceretis, de bonis ſibi a Deo collatis, unam Domum Ordinis hujuſmodi, ſub titulo & invocatione ſancti Antonii de Padua cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, horto, hortalitiis, aliiſque officinis neceſſariis & opportunis in dicto Caſtro ſeu terra, ac loco congruo & honeſto fundarunt, erexerunt & ædificarunt, & Domum prædictam pro uſu & habitatione veſtris vobis conceſſerunt, in qua a tempore conceſſionis vobis factæ hujuſmodi, Deo famulatum exhibendo inhabitaſtis, & de præſenti inhabitatis. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Univerſitas & Homines hujuſmodi cupiant fundationem, erectionem & ædificationem prædictas, illiuſque vobis factam conceſſionem pro illarum ſubſiſtentia firmiori, Apoſtolicæ Sedis munimine roborari.

§. II. Nos igitur, qui Religionum propagationem maximo cum deſiderio ſemper affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fundationem, erectionem, ædificationem & conceſſionem prædictas, ac prout illas concernunt omnia & ſingula inſtrumenta, literas & alia documenta forſan confecta & in eis contenta, ac inde ſequuta quæcumque, licita tamen & honeſta, ſine alicujus præjudicio, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium approbamus & confirmamus, illiſque perpetuæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplemus, ac vobis & in eadem Domo pro tempore exiſtentibus Ordinis hujuſmodi Fratribus, ut Domum ipſam una cum Eccleſia, aliiſque ſuis adjacentiis & pertinentiis ſingulis prædictis jam conſtructis & in futurum conſtruendis pro uſu & habitatione veſtra perpetuo retinere & inhabitare valeatis, ipſique valeant. Necnon dictæ Domus Guardiano & Fratribus Domum hujuſmodi pro tempore inhabitantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, conceſſionibus, indultis ſpiritualibus & temporalibus, quibus aliæ Domus & Fratres dicti Ordinis eis in genere conceſſis & concedendis, utuntur, potiuntur & gaudent, ſeu uti, potiri & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere poſſitis & valeatis, auctoritate & tenore prædictis concedimus & elargimur. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri ne Fratres Ordinis Minorum, ſeu aliorum Mendicantium nova loca acquirere præſumant prohibent..... ſine Sedis Apoſtolicæ licentia non faciente de prohibitione hujuſmodi plenam & expreſſam mentionem, ac aliis Conſtitutiunibus & ordinationibus Apuſtolicis, necnon dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatuiis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XIII. Novembris MDLIII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXXIII.

XXXIII.

Indictio Capituli Generalis Ordinis Minorum Conventualium pro feſto Pentecoſtes anni 1553. in Civitate Januen. celebrandi. Ex Vaticano Secretiori Tabulario.

Dilecto filio Julio Magnano Placentin. Ordinis Fratrum Minorum Conventualium Vicario Generali.

CUm, Capitulum Generale tui Ordinis ſingulis trienniis celebrari ſolitum, hactenus celebrari non potuerit, & cupiamus pro noſtra Paſtorali cura, ut illud in feſto Pentecoſtes proxime futuro de more celebretur; Nos ei tempus congruum ibi conventuris dari, & locum prænotari volentes, tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, mandamus, ut ipſum Capitulum Generale in dicto feſto Pentecoſtes proxime futuro, & in Civitate Januen. quam idoneam ad hoc judicamus, intimare, & convocandos convocare cures, prout alias fieri conſuevit. Contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xxix. Decembris MDLIII. Pontificatus noſtri anno III.

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

ABSTINENTIÆ vis & laus. 250. II.
Acunia. V. *Alvarus Acunia*.
Adamus Sasbouth litterarum ſcientia clarus. 326. XI. Obſervantibus adſcribitur. ibid. ejus epiſtola ad Parentes & conſanguineos. ibid. Magna cum laude ſacram Scripturam interpretatur. 236. XII. Ejus opera. ibid., & ſeq. Ipſum egregie dilaudat Ellies Dupinus. 326. XIII. Memoriæ vis in eo admirabilis. ibid. Evangelicæ paupertatis cultor eximius. ibid. & ſeq. Ejus tumulo carmen inſcriptum. 327. XIV. Ejus oſſa honeſtiorem in locum translata. 327. XV. Epigramma ad ejus effigiem appoſitum. ibid. Quis ejus vitam ſcripſit, & homilias typis Colonienſibus edendas curavit. 328. XVI.
Adolphus in locum Hermanni hæretici Colonienſis Archiepiſcopi ſufficitur. 219. I. Joannis Rojardi commentarios in Evangelia ſuæ Provinciæ Sacerdotibus legendos proponit. 221. VI.
Adolphus Egmontius Arnoldi Geldriæ Ducis filius ab eo exhæredatur. 222. VIII. Ejus filii Carolus & Philippa. ibid. Gandavenſi e cuſtodia educitur. 226. XII. Ad Tornacum tentandum miſſus a regio præſidio interficitur. ibid. Soror ejus Catharina Geldriam gubernat. 227. XIII.
Agatha Palianenſis Clariſſa. 66. XXIII.
Agathius Mantianus Tertii Ordinis alumnis domicilium conſtituit. 212. CLX.
Agnes a Jeſu Monaſterii Metallini Fundatrix. 35. LXVIII. 36. LXX.
Agnetis Aſſiſiatis obitus. 56. XLII.
Albertus Moguntinus Archiepiſcopus Pœnitentium Mulierum Tertii Ordinis diſciplinam renovat in Cœnobio ſuburbano. 79. XXX.
Aleator qua occaſione ad bonam frugem converſus. 324. VIII.
Alexandri VII. conſtitutio in favorem piæ ſententiæ de Immaculata Deiparæ Conceptione. 127. XXXII.
Alexander Molitor Definitor Generalis 220. III.
Alexander Piſtorienſis in Obſervantibus clarus. 248. IV.
Algerum a Carolo V. ſubactum. 18. XXX.
Almagrus. V. *Didacus Almagrus*.
Almeida. V. *Jacobus Almedia*.
Aloyſio Farneſio Parma, & Placentia a Paulo III. fiduciario jure permittuntur. 112. LII. Ex qua re plurima mala eveniunt. ibid. Interficitur. 219. I.
Aloyſius Lipomanus Veronenſis Epiſcopus Legatus ad Concilium Tridentinum mittitur. 256. I. Ejus laus. ibid.
Aloyſius a Burgo Novo Bononienſis Provinciæ Miniſter Definitor Generalis. 259. II.
Aloyſius a Soto Majore de Conventu Alcoceri optime meritus. 328. XVII. Obſervantium Familiæ adſcribitur. ibid.
Alphonſus Alcaniceſius Obſerv. in America Miſſionarius. 95. VII.
Alphonſus Aſtudilus eloquentia clarus. 52. XXV.
Alphonſus Avalus Mediolani Prætor Capuccinos in urbem deduci, & honeſtiori hoſpitio donari jubet. 53. XXXI.
Alphonſus de Caſtro Obſerv. Theologicis diſciplinis inſigniter eruditus, Concilio intereſt Tridentino. 116. IX. A Carolo V. fit conſiliorum particeps, & itinerum comes. ibid. De quibus diſſeruerit in Concilio. ibid. Nicolai Autonii Equitis ſancti Jacobi de ipſo præclarum teſtimonium. ibid. Opera ab ipſo ædita. ibid. Quanti a ſummis Principibus habitus. 117. IX. Compoſtellanæ Eccleſiæ deſignatur Archiepiſcopus, ſed ante Pontificii diplomatis expeditionem obit. ibid. A Bellarmino in nonnullis immerito vellicatur. 117. X.
Alphonſus Rengelius Obſervantium Sacerdos in Tulana regione Evangelium diſſeminat. 202. LXXXIX. Studia ejus collata ad vulgus erudiendum. ibid. Inanium Deorum Fana ſubvertit. ibid. Templum & Cœnobium ſuis ædificat. ibid. Ejus vitæ inſtitutum, & ratio proximos adjuvandi. ibid. Barbarorum animos ſibi devincit. 203. CXXXIX. Eis Chriſtianæ Fidei capita populariter explanat. ibid. Templorum, ſacrarumque

que cœremoniarum ſplendorem magnopere curat. ibid. Mexicanæ Provinciæ Miniſter deſignatur. ibid. Ejus obitus. ibid.
Alphonſus Salmeron e Societate Jeſu Concilii Tridentini Theologus. 136. XLIV.
Alphonſus Vaſtius Niceæ a Gallis, & Turcis obſeſſæ opem fert. 70. I.
Alvaradus. V. *Petrus Alvaradus*.
Alvarus ſancti Franciſci Borgiæ filius. 7. XI.
Alvarus Acunia cum navibus aliquot Dienſis arcis obſeſſos adire jubetur. 190. CXXVI. Aliquot hoſtium naves expugnat. ibid.
Alvarus Caminga contra Mahometanos dimicat. 194. CXXX.
Alvarus Cardinalis Cienfuegos in vita ſancti Franciſci Borgiæ plura de Joanne Taxeda ſcribit. 10. XVI.
Alvarus Caſtrius claſſis auxiliariæ Præfectus Dium appellit. 188. CXXIV. In certamine contra Mahometanos præclare ſe gerit. 194. CXXX.
Alucan Mamudii Cambajæ Regis Tutor & Rector. 170. CIII.
Amanguntium cum ſociis proficiſcitur ſanctus Franciſcus Xaverius. 247. III.
Ambitio malorum omnium nutrix. 87. I. & 88.
Americani diriſſime ab Hiſpanis militibus habiti. 95. IX. Eorum Neophyti ab Hiſpanis ſevero jugo preſſi. 60. IX. Eos Obſervantium rogatu mitius tractari jubet Hiſpaniæ Rex. ibid.
Americæ nova urbs ſancti Jacobi. 33. LVIII. Regio hæc perpetuis ignibus e terra erumpentibus infeſta. ibid. Hujus Civitatis Incolæ ſancti Sebaſtiani ope a quibus calamitatibus liberati. ibid. Nova item Civitas ſancti Jacobi in Chilenſi Provincia ædificatur. 33. LIX. Americæ in regua Obſervantium plurimi ad verbum Dei diſſeminandum trajiciunt. 93. VI. Eorum inibi res geſtæ, labores & fructus. ibid. & ſeqq.
Americæ regio Peruvia. V. *Peruvianæ conquiſitionis narratio*.
Americæ fluminum in oſtiis immanes hydræ *Caicamanes* vocatæ. 148. LXXI.
Anaſtaſius Italus inter Excalceatos Provinciæ Bæticæ illuſtris. 209. CLI. Inter contemplandum ſublime fertur. ibid. Artes Dæmonum ludit, & vim repellit. 210. CLI.
Andreas Grittus. 104. XXXII.
Andreas Guirola pie obit. 31. LV.
Andreas Inſulanus totius Ordinis Fratrum Minorum Miniſter Generalis eligitur. 220. III. Ut quædam Sanctimonialium Collegia ſibi ſubjecta reformet, jubet Pontifex. 221. IV. Sanctæ Fidei Provinciam fundat in Regno novæ Granatæ. 254 XI. Minora Comitia habet Bononiæ. 255. XV. Tranſalpinam Familiam Vicaria poteſtate adminiſtrat. 259. II.
Andreas Ovietus Societatis Jeſu Hierapolitanus Epiſcopus ad Abaſſinum, Æthiopiæ Regem mittitur. 10. XVII.
Andreas de Vega prima in ætate quibus ſtudiis operam navarit. 117. XI. Doctoratus ſuſcipit inſignia. ibid. In Ordinem Minorum cooptatur. ibidem. A Carolo V. ad Concilium Tridentinum mittitur. ibidem. Cardinali Paceco quam familiaris. ibidem. Ejus labores litterarii. Ibidem. Libros edit de Juſtificatioue. ibidem. De hoc opere Caniſii judicium. ibidem. & 118. XI. Inter primarios Concilii Theologos adnumeratur. ibidem. Ejus ſententiam de Vulgatæ ſcripturæ auctoritate ſequuntur clariſſimi Viri. 118. XII. Hæc ejus ſententia exponitur. 118. XIII. & ſeqq. Ejus ſcripta in lucem edita. 122. XXI. Ejus laudes. ibid. & ſqq. Concionem habet ad Concilii Patres. 123. XXI. Petavii de ipſo elogium. 123. XXII. opinio ejus de Juſtificationis certitudine. 145. LXVI. Et hac de re ejus de Scoti mente judicium. 147. LXVIII.
Angelorum quatuor nomina in antiqua lamina aurea græcis litteris expreſſa ubi inventa. 71. III.
Angelus Averſanus Definitor Generalis. 259. II.
Angelus Pincianus Excalceatus. 14. XXV. Obſervantibus ſubjectus Excalceatorum res in Hiſpania feliciter promovet. 14. XXVI.
Angelus a Portu Mauritii Definitor Generalis. 259. II.
Angliæ Catholicorum miſerrima vita. 245. I. In Anglia jam pridem fundatas Eccleſias, & Altaria Chriſto erecta commemorat Joannes Chryſoſtomus. ibidem. Hæc ab Hæreticis ſubverſa, & diſſipata dolent Catholici. ibidem. Serpenti inibi hæreſi Epiſcopi aliquot reſiſtunt, ſed timide. ibidem. In eam convolant Petrus Martyr, & Bucerus hæreſeos dilatandæ percupidi. ibidem. Anglicani tumultus Religionis redintegrandæ occaſionem offerunt. 247. II. Maria novi Angliæ Regis ſoror ejuſdem retinendæ conſilia injicit, ſed dolo malo aulicorum nil proficit. ibidem. Angliæ in Regno Eduardo fratri ſuccedit Maria. 259. I. Ex eo pelluntur Hæretici. ibidem. In Angliam fides Ca-

Catholica reſtituitur. ibidem.
Anglus quidam Deiparæ Virginis ope a manifeſto vitæ periculo mire ſervatur. 41. IV.
Animæ rationalis immortalitatem fatebantur ante ſuſceptam Fidem ſapientes Peruviani. 154. LXXXII.
Anna ab Angelis Ordinis Immaculatæ Conceptionis integritate vitæ floret. 214. CLXVII.
Anna Paceca Tertii Ordinis contemplatione, ſui mortificatione, ac vitæ innocentia illuſtris. 325. X. Erga S. P. Franciſcum devotiſſima. ibidem. Ejus obitus. ibidem. Et ad ſepulchrum inſcriptio. 326. X.
Antonius Almeida Provinciæ Portugalliæ Miniſter, & Definitor Generalis. 259. II.
Antonius de Aranda Miniſter Provinciæ Caſtellæ, & Definitor Generalis. 5. VII.
Antonius Araoxius S. Ignatii Loyolæ ſocius. 107. XXXIX. Chriſtum Clariſſas orantes benedicentem videt. ibidem.
Antonius Cardinalis Sanſeveriuus gravi oratione dehortatur Pontificem, & Cardinales a ſententia de extinguenda Capuccinorum familia. 57. III.
Antonius Caſalius ex Obſervantium familia ante Luſitanorum certamen cum Mahometanis ad Dienſem arcem inſigni pietate ſacrificat. 191. CXXVII. Pendentis e Cruce Chriſti imaginem attollit, militeſque ad pugnam hortationibus inflammat. ibidem. Item eiſdem ſimili modo ſtimulos addit. 194. CXXX. Ejus laus. 195. CXXXI.
Antonius Colancanus Eremitanus S. Auguſtini Peruviæ rerum ſcriptor. 154. LXXXII. Ejus de Obſervantium in Peruviam adventu palmaris error argumentis oſtenditur. 155. LXXXV. Item reſellitur. 159. XCI.
Antonius Collaris ex Obſervantium familia in America clarus. 23. XXXVI. Tum ejus comes Joannes Calerus. ibidem. Perduellium colonias aliquot Hiſpanis reconciliat. 24. XXXVII. A quibuſdam perfidis ſagittis confoditur. 25. XXXVII.
Antonius Conimbricenſis. 47. XVII.
Antonius a Coningſtenio in Obſervantibus doctrina conſpicuus. 30. XLVIII.
Antonius Correa Dienſem arcem obſeſſam tuetur. 190. CXXVI. Hoſtes magna cum cæde pellit. 192. CXXVIII.
Antonius Guevara. 96. XIV. Ejus ortus, ac pueritia. 97. XIV. Minorum induit habitum. ibidem. Conciones habet magna cum nominis laude. ibidem. Sæpe in conſilium a Principibus adhibetur. ibidem. Quotidiana ejus vita. ibidem. In ſacra Scriptura egregie verſatus, eam e ſuggeſtu explanat. ibidem. Civile bellum in Hiſpania opprimit. 98. XV. Ejus rei cauſa multa patitur. ibidem. Dum Carolus V. concionatorem ſuum & hiſtoricum declarat. ibidem. Complures Mahumetanos in Valentiæ Regno rempublicam turbantes ad Chriſtum convertit. 98. XVI. Itemque in Urbe Granata. ibidem. Creatur Epiſcopus Accitanus. 99. XVI. Carolum V. comitatur in Tunetana expeditione. ibidem. Deſignatur Epiſcopus Mindonenſis. ibidem. Ejus virtutes Epiſcopo dignæ. ibidem. Ejus opus inſcriptum *Horologium Principum* ad componendos virorum Principum mores utiliſſimum. 99. XVII. Gerardus Voſſius ipſi ſubiniquior retellitur. 100. XVIII. Defenditur Guevara Xenophontis exemplo. ibidem. Quid de ejus epiſtolis ſentiendum. 101. XIX. Sepulchrum ſibi parat ante mortem. 101. XX. Scribit de cruciatibus Chriſti. 101. XXI. Moritur. ibidem. Carmen ejus tumulo inſcriptum. ibidem. Sixti Seuenſis de ipſo teſtimonium. 101. XXII.
Antonius Guſmanus e Provincia S. Jacobi Definitor Generalis. 259. II.
Antonius Hermandeſius. 47. XVII.
Antonius Jacobellus Conventualibus domicilium attribuit. 212. CLX.
Antonius Lotharingiæ Dux. 228. XIV. Sermo ad eum a genitore moribundo habitus. 228. XVI. Ejus egregia indoles. 229. XVII. Cum Galliæ Rege verſatur. 230. XVIII. In patriam revertitur. 231. XIX. In paternum ſuccedit imperium. ibidem. Ejuſdem laus. ibidem. Decedit. 236. XXV. Eidem ſuccedit Franciſcus filius. ibidem. In Obſervantium Æde conditur. ibidem.
Antonius Luſitanus Capuccinus floret. 93. V. Ejus obitus. ibidem.
Antonius Machicanus Romanæ Curiæ Commiſſarius Generalis. 4. VII. Obit. 49. XX.
Antonius Maldara de Monaſterio S. Martini Toletanæ Diœceſis optime meritus. 67. XXVI.
Antonius Maldonatus Salmanticenſis Divino monitu humanis rebus nuntium remittit. 102. XXIII. Inter Excalceatos admiſſus in Mexicum proficiſcitur. ibidem. Ejus laus, & obitus. ibidem.
Antonius a S. Michaele Comiſſarius Generalis Romanæ Curiæ. 54. XXXVII.
Antonius Nebricenſis Louleæ Conventus incola. 212. CLXII.
Antonius Ortizius Obſervantium Sacerdos eximie pius. 325. IX. Peracto ſacrificio

ficio ſex horas in oratione perſiſtere conſuetus. ibidem. Placidiſſime obit. ibidem.
Antonius Peintius Provinciæ Franeiæ Pariſienſis Cuſtos, & Definitor Generalis. 5. VII.
Antonius Perſona. 194. CXXX.
Antonius Petronius Obſervantium Sacerdos pro concione Luſitanos milites hortatur ad Dienſem expeditionem. 161. XCIII.
Antonius Quixada in Mexico contra Hæreticam pravitatem quæſitor. 32. LVII.
Antonius Rodericenſis Obſervantium Sacerdos de Americanis Neophytis optime meritus. 60. IX. Ad ipſum Carolus V. Diploma publicum una cum litteris tranſmittit, ut Neophyti mitius a Prætoribus tractentur. ibidem.
Antonius Santlegerus Hiberniæ Prætor. 26. XXXIX.
Antonius Sebaſtianus Minturnus Crotoniatum Epiſcopus. 55. XLI.
Antonius Soſa Ciauli Præfectus. 178. CIV.
Antonius Sylveria Dienſem arcem defendit. 170. CIII. Ejus virtutes, & arcis tuendæ conſilium. 171. CV. Nobiles ad eam tuendam gravi oratione adhortatur. ibidem. Ex inclyta contra validiſſimos hoſtes victoria magnam ſibi meretur laudem. 174. CVIII. Franciſcus I. Galliæ Rex pictam ejus immaginem expetit. ibidem.
Antonius Virguletanus ab Obſervantibus ad Reformatos tranſit. 196. CXXXII. Ad Æthiopes mittitur a Pontifice. ibidem. Moritur, & corpus Dium defertur. ibidem.
Apoſtolorum Cuſtodia Minorum Obſervantium in Peruvia amplificata. 156. LXXXV. Ejus Cuſtos Hieronymus a Villa Carilla deſignatus. ibidem.
Apparatus militaris Badurii Cambajæ Regis contra Sangæ Reginam plane admirabilis. 165. XCIX.
Arabida mons, unde Provinciæ Excalceatorum initium, cœleſtibus prodigiis nobilitatus. 41. IV. Hoc in monte S. Petri Alcantarenſis, & ſociorum vitæ genus aſperrimum. 47. XV.
Arabidæ Provinciæ initia. 47. XVIII.
Ara-cœli S. Mariæ titulum ſumere vetantur Cardinales. 215. CLXXII. Paulus III. Palatium in hujus horto Cœnobii a ſe ædificatum, ſui, & ſucceſſorum juris dumtaxat eſſe declarat. ibidem. At Sixtus V. jus illud omne in Cœnobii Præfectum deinde confert. ibidem.
Archangela Peruſina Fulginenſe S. Luciæ Cœnobium virtutum ſplendore nobilitat. 218. CLXXX.
Archangelus Placentinus Bononien. Provinciæ Miniſter, & Definitor Generalis. 220. III.
Arcis Thomeæ ad Dium conſtructio. 167. C.
Argumenta negantia plerumque inepta. 133. XXXVII.
Ariadenus Barbaroſſa famoſus pirata a Carolo V. pulſus. 18. XXX. A Franciſco I. Galliarum Rege contra ipſum Carolum evocatur magno rei Chriſtianæ detrimento. 65. XX. Cœnobium Rhegienſe Minorum Conventualium incendio delet. ibidem. Populo Romano terrorem incutit. ibidem. Hiſpaniæ oram devaſtaturus ab Franciſco I. Galliæ Rege prohibetur. 74. XII. Tyrrhenum mare latrociniis infeſtum habet. ibidem. Ingentem Chriſtianorum numerum in ſervitutem abducit. ibidem. Quamplura eorum corpora in mare projecta. ibidem.
Arianenſis Marchio de Monaſterio Narnienſi S. Reſtitutæ optime meritus. 244. XL.
Aſtæ Pompejæ in Monaſterio plures Clariſſæ vitæ innocentia claræ. 77. XXII.
Aſturienſis Epiſcopi ſententia de quadam delenda particula a decreto de peccato originali. 137. XLV.
Atabalipa Peruviæ Rex potentiſſimus. 147. LXIX. cum Guaſcare fratre de Quitonici Regni poſſeſſione dimicat. 149. LXXV. & 150. LXXVI. Capitur. ibid. Evadit, & Quitonem rediit. ibid. Ejus adverſus Guaſcarem fratrem victoriæ. ibid. Suorum ſtrage repulſus, incœpto deſiſtit. ibid. Fratrem capit. 151. LXXVII. Caxamalcam victor tenet. ibid. Pizarri Legatos re infecta dimittit. ibid. Ejus faſtus & arrogantia, & cum Pizarro prælium. 152. LXXVII. Eidem Vincentius Valderius Epiſcopus Chriſtianam Religionem, & Caroli V. clientelam fruſtra ſuadere conatur. 152. LXXVIII. Bibliorum ſacrum Codicem per contemptum abjicit. ibid. A Pizarro capitur, ejuſque exercitus fugam arripit. 152. LXXIX. Quanta ejus Caſtrenſis ſupellex. ibid. Pizarro pro libertate immenſam auri & argenti vim ſpondet. ibid. Ad hanc conficiendam Sotus & Barus mittuntur. 153. LXXX. Hos alloquitur Guaſcar captivus, majorem auri copiam promittens. ibid. Qua de re certior factus Atabalipa Guaſcarem fratrem occidi jubet. ibid. Demum & ipſe interficitur. ibid. Quando ejus mors acciderit. 155. LXXXIV. Ejus palatium a profano cultu expiatum, D. Antonio Patavino dicatur. 156. LXXXVI.

Atre-

Atrebatum. 226. XII.
Auctori ſcribendi occaſio 1. 1. ejus proteſtatio. 2. 1. quibus inſcribendo innitatur documentis. ibid.
Auguſtiniani in Mexico Fratres Minores in abdicanda bonorum poſſeſſione imitantur. 3. III.
S. Auguſtinus Deiparam Virginem peccato ſubdere numquam audet. 139. L. & 141. LVI.
Auguſtinus Laicus Obſerv. Volaterris innocentiæ laude floret. 105. XXXV.
Auguſtus Manfredus Scallia de Eccleſia ſancti Thomæ Taurinenſi optime meritus. 107. XLII.

B

BAdurius Cambajæ Rex. 165. CLVIII. cum eo Luſitani pacem faciunt. ibid. cum Sangæ Regina, ac Mogoribus bellum gerit. ibid. ejus contra Sangæ Reginam militaris apparatus plane admirabilis. 165. XLIX. Citorem ejus regiam Urbem obſidet. 166. XCIX. hujus Urbis Incolæ ex deſperatione ſe ſuaſque pretioſas res ignibus tradunt, & conſumunt. ibid. Badurius Urbem expugnat. ibid. V. *Citor*. *Crementina*. Subinde a Mogore profligatur, & caſtris exuitur. ibid. a Solymano Turcarum Tyranno opem petit, ingentibus donis ad eum miſſis. ibid. fracta ejus ſuperbia, Luſitanorum implorat auxilium, iiſque arcis ad Dium ædificandæ poteſtatem facit. 167. C. iterum offenſus Luſitanis. 167. CI. officium ſimulans Nonnium Prætorem adit. 168. CI. ejus comitatus. ibid. ipſum abeuntem invadunt Luſitani. ibid. fit atrox pugna. ibid. Badurius tandem occiditur, & quomodo. 169. CI. ejuſdem ſcelera. 169. CII.
Balthaſſar Eborenſis ex Obſerv. Epiſcopus Loruenſis in Lycia, exinde Coadjutor Egitanenſis. 30. L.
Balthaſſar a Plagis. 47. XVII.
Bandellus piæ ſententiæ de Immaculato Deiparæ Conceptu oppugnator acerrimus. 134. XXXIX.
Barbara Luſitana mulier invicti animi vere Chriſtiani robore enitet. 173. CVI.
Barbaroſſa Pirata. V. *Ariadenus Barbaroſſa*.
Bartholomæus Bergomas Obſervantium præſtanti pietate Sacerdos. 203. CXLI.
Bartholomæus Offidanus in Obſervantibus clarus. 246. IV.
Baſſus Magiſter Equitum a Carolo Burgundione deficit. 224. XI.
Bazainum a Luſitanis capitur. 164. XCVII. a Guzaratibus oppugnatur, ſed inani conatu. 175. CX.
Beatrix ſancti Franciſci Borgiæ Conſobrina. 7. XI.
Beatrix Vaſqueſia Clariſſa vitæ innocentia nobilis. 256. IV. ſanguinis pro Catholicæ Fidei veritate effundendi cupidiſſima. ibid. ejus obitus. ibid.
Bellarminus an merito vellicet Alphonſum de Caſtro. 117. X.
Bellum Belgicum 226. XII. 227. XIII. ejus auctores. ibid. civile Hiſpanicum. 97. XV. Smalcaldicum. 219. I.
Benedictus Obſerv. Laicus a Barbarjs necatus. 96. XII.
Benedictus in Obſervantibus Laicus virtute floret. 105. XXXV.
Benedictus Papa XI. ſolemnem diſputationem de Conceptu Deiparæ Pariſiis haberi jubet. 131. XXXV.
Benignus Romanus Obſerv. Laicus virtutibus floret. 51. XXIII. ejus ſermonibus Carolus V. delectatur. ibid. ejus vaticinium. ibid. ubi ſepultus. ibid.
Bernardinus Aſtenſis inter Obſervantes, dein inter Capuccinos vir illuſtris. 12. XX. Capuccinorum Vicarius Generalis. 49. XXI. ſuam Familiam ab Ochini erroribus perpurgare inſtituit. ibid. iterum Vicarius Generalis eligitur. 202. CXXXVIII. priſtinam dignitatem ſuæ Familiæ conciliat. ibid.
Bernardinus de Buſtis Officium Immaculatæ Conceptionis componit. 134. XXXIX. in eo de Scoti diſputatione Pariſiis habita mentionem facit. ibid.
Bernardinus Calinus ex Obſervantia Signiæ Epiſcopus. 30. L. Epiſcopatu ſe abdicat. ibid.
Bernardinus a Caſtro Viridi, Obſervantium Presbyter, diſciplinæ ſeveritate excellens. 253. VII. placidiſſime obit. ibid.
Bernardinus a Coſtaciaro Conventualis Concilio interceſt Tridentino. 125. XXVII.
Bernardinus Ferrarienſis in Obſervantibus clarus. 248. IV.
Bernardinus Laredus clarus vir inter Laicos Obſervantes adſcribitur. 102. XXIV. librum edit de precandi ratione. 102. XXV. contemplationi deditus. ibid. haud ſatis probatum reum a patibulo liberat. 103. XXV. de Cardinalis Franciſci Quinonii, & Thomæ a ſancto Ludovico æterna felicitate nuntium accipit. ibid. Medicæ artis peritia clarus Luſitaniæ Regi ſanitatem reſtituit. 103. XXVI. lignea Cruce Dæmones & labem depellit. 103. XXVII. libros in uſum Medicæ artis conſcribit. ibid. ejus obitus, ac

ac funùs ampliſſimum. ibidem.
Bernardinus Ochinus Senenſis Capuccinus. 12. xx. ſuæ Congregationis Vicarius Generalis. 12. xxi. quo munere laudabiliter fungitur. ibid. exinde Capuccinorum, & Catholicæ Religionis nequiſſimus deſertor. ibid. ejus alleclæ Valdenſis, & Vermilius hæretici. 12. xxii. ſuæ defectionis cauſæ vanagloria & ambitio. ibid. in concionibus Summum Pontificem carpit. ibid. Romam ad ſe purgandum arceſſitur. 13. xxiii. metu percitus Genevam contendit. ibid. variæ de ejus obitu Scriptorum opiniones. ibid. ejus flagitium Capuceini religione præſtantes compenſant. 13. xxiv. ſcriptis Catholicam Fidem, & Romanum Pontificem impetere inſtituit. 49. xxi. Cardinalis Caraffæ ad ipſum paranetica epiſtola. ibid. ejus Lutherana perfidia. 50. xxi. Hæreſim in Britanniam inducit. 220. ii. ex Anglia pulſus, Argentinam ſe confert. 259. i.
S. Bernardini Senenſis de Pariſienſi Scoti ſolemni diſputatione pro illibato Deiparæ Conceptu præclarum teſtimonium. 133. xxxviii. item celebritatis diei Feſti exinde ab Univerſitate Pariſienſi quotannis decreti. 134. xxxvni.
Bernardinus Tiburtinus Cretenſis Provinciæ Miniſter. 220. iii.
D. Bernardus cur Lugdunenſes Canonicos Conceptæ Virginis celebritatem inducentes redarguat. 141. lv. ipſius contra eoſdem ratiocinatio. ibid.
Bernardus Dorvillius ex Obſerv. Epiſcopus Fernenſis, exinde Elfinenſis. 30. l.
Bernardus Freſneda Provinciæ Burgenſis Cuſtos & Definitor Generalis 259. ii.
Bertanus Dominicanus Concilii Tridentini Theologus obſiſtit, ne controverſia de Conceptu Deiparæ finiatur. 136. xliv.
Bertrandus Guevara. 97. xiv.
Betelem Inſula deſcribitur. 161. xcm. eam Luſitana Claſſis appellit. 161. xciv.
Betonius. V. *David Cardinalis Betonius*.
Birgitta Clariſta Fulginienſe Monaſterium virtutum ſplendore nobilitat. 82. xxxi.
Bobadilla. V. *Nicolaus Bobadilla*.
Boethius Eganus Roſſenſis Epiſcopus, & Martyr cum ſociis immerito inter Tertii Ordinis Profeſſores numeratur. 29. xlv.
Bonaventura Corſetus Provinciæ Dalmatiæ Cuſtos, & Definitor Generalis. 5. vii. fit Paleſtinæ Cuſtos, & ſacri Montis Syon Gnardianus. 220. iii.
Bonaventura Pius a Coſtaciaro Magiſter Generalis Minorum Conventualium; 60. vi. exinde Epiſcopus Aquenſis. ibid. Epiſcopatu abdicato apud ſuos decedit. ibid. interfuit Concilio Tridentino. 84. i. 125. xxvii. de juſtificationis certitudine diſſerit in Concilio. 145. lxvi.
Bonaventura Venetus Obſervantium Sacerdos Catharinæ Corneliæ, olim Cypri Reginæ a ſacris Confeſſionibus. 34. lxii. ad Capuccinos tranſit. ibid.
Bonaventura Vincentinus Tertii Ordinis Generalis præfectus deſignatur. 202. cxxxviii. quædam edit opuſcula. ibid.
Bonifacius Ragufinus ſacri Montis Syon Cœnobiarcha, & Paleſtinæ Cuſtos. 260. ii.
Bononiæ minora Ordinis Minorum habentur Comitia. 255. xv.
Bordonus emendatur. 29. xlv. & 54. xxxviii.
Borgia e ſtirpe inſignes Fœminæ Franciſcanæ paupertatis cultu excellunt. 8. xv. V. *S. Franciſcus Borgia*.
Boſnenſium Chriſtianorum curæ Obſervantes impenſi. 72. viii. eis indulgentiam impetrat Clemens Moniliauus. 78. xxvii.
Boverius corrigitur. 54. xxxii. 72. ix. 73. x. 74. xi. ejus commentum, quo Generales Præfectos Franciſcanorum inducit de dignitate & priucipatu in Concilio Tridentino certantes, refellitur. 93. ni. hæc ejus diſputatio de principatu ex decreto Congregationis Indicis expungitur, & Annales Capuccinorum corrigi mandatur. ibid. item emendatur. 126. xxxi.
Brachmanæ cujuſdam flagitium, & in Divum Thomam Apoſtolum crimen conflatum. 196. cxxxiii. ſed ab eo inſigni miraculo deletum. ibid.
Brachmani D. Thomam Apoſtolum Martyrio afficiunt. 197. cxxxiv.
Brigantinus Dux. V. *Theodoſius Brigantinus Dux*.
Britanniæ antiqua Fides & Religio a Divo Joanne Chryſoſtomo commendata. 245. i. inibi Hæreſim graſſari dolent Catholici. ibid. V. *Anglia*.
Brula Colonienſis diœceſis oppidum a Servantio a Noetberga a Buceri peſtifera Hæreſi innoxia ſervatur. 68. xxix.
Bucerus a Servantio a Noetberga Obſervante exagitatur. ibid.
Burgundiæ Comitatus Margaritæ Mariæ Burgundicæ filiæ Delphyno deſponſæ doti adſcriptus. 226. xii.
Burgundio. Vide *Carolus Burgundiæ Dux*.
Buxeti apud caſtrum Paulus III. Carolum V. alloquitur. 57. i.

Buxeti Monaſterium Clariſſarum a Veſtigalibus eximitur. 67. XXVII.

C

CÆleſtino Brixienſi Provinciæ Terræ Laboris gubernium demandatur. 69. XXXII.
Cælestinus Zenus ſancti Franciſci Venetiarum Cœnobiarcha. 257. III.
Cœnalis. V. *Robertus Cœnalis*.
S. Cajetanus Mariæ Longæ Franciſcanæ Sacrorum Adminiſtrator. V. *Maria Longa*.
Calicuchima ſtrenuus Dux. 150. LXXVII.
Calvinus contra Edictum Caroli V. *Interim* nuncupatum petulantiſſime ſcribit. 245. II.
Calvus. V. *Joannes Calvus*.
Cambaica ora a Luſitanis devaſtata. 163. XCVI.
Cambajæ Rex. V. *Badurius*. *Mamudius*.
Camerinum recipit Paulus III. 112. I. II. ipſum Octavio nepoti reſtituere meditatur. 247. I.
Campaniæ Obſervantium Cœnobio pecuniam teſtamento legat quidam Melchior. 217. CLXXIX. quid de ea actum ſit. ibid.
Canon *Ut veterum* expenditur. 121. XVII.
Capitula Generalia Ordinis Minorum. Mantuanum 4. VI. quot Fratres ad illud convenerint. ibid. Gonzagæ Principes ad victum neceſſaria ſuppeditant. ibid. Leges in eo latæ. 5. VIII. Aſſiſienſe. 71. V. num iſtud fuerit Generale. ibid. item Aſſiſienſe. 220. III. Leges in eo latæ. ibid. Salmantinum. 259. II. Leges in eo æditæ. V. *Statuta Generalia Salmantina*.
Capitulum Mexicanæ Provinciæ. 4. V. Leges in eo latæ. ibid.
Capuccini unde ſic appellati. 11. XX. eorum Familiæ incrementa. ibid. prohibentur Obſervantes recipere. ibid. Viri illuſtres, qui ex Obſervantibus ad ipſos tranſiere. 12. XX. Bernardinus Ochinus eorum Vicarius Generalis. 12. XXI. propter ejus a Fide & Religione defectionem exagitantur a Pontifice. 49. XXI. Bernardinus Aſtenſis eorum Familiam perpurgare inſtituit. ibid. de ipſis omnino delendis Paulus III. cum pleriſque Cardinalibus deliberat. 57. II. ſed Antonii Cardinalis Sanſeverini gravi oratione dehortatus a propoſito deſiſtit. 58. IV. de ipſorum Fide, vita & moribus diligenter inquiritur. ibid. ad Capuccinorum Patres conſcriptos Pauli III. oratio. 59. IV. Cardinalis Carpenſis ipſis præficitur. ibid. Franciſcus Æſinus eorum Vicarius Generalis deſignatur. 59. V. Capuccini ducenti ad diem feſtum Portiunculæ conveniunt, & quare. ibid. eorum Annales Congregationis Indicis decreto corrigi mandatur. 93. III. eis permittit Pontifex, ut conciones publice habeant. 93. IV. eorum Concionatores ſuper Chriſtianæ Religionis capita interrogantur. ibid. ipſorum Vicarius Generalis inter minores Theologos locum habet in Concilio Tridentino, non inter Ordinum Religioſorum Præfectos. 126. XXXI. eorum Vicarius Generalis Bernardinus Aſtenſis eligitur. 202. CXXXVIII. qui priſtinam dignitatem ſuæ Familiæ conciliat. ibid. eorum laus. 206. CXLV. Cœnobium Montis Politiani Conventualium occupant. 204. CXLII. eorum Anteſignanus Matthæus Baſſius ad Obſervantes redit, ipſorum habitu reſumpto. 257. III. obit. ibid. ejus cadaver incorruptum in eorumdem Obſervantium Templo Venetiis aſſervatur. ibid. V. *Matthæus Baſſius*.
Caput ſancti Philippi Apoſtoli in Templo Montis Majoris Minorum Obſerv. aſſervatur. 246. VIII.
Caraffæ Cardinalis ad Bernardinum Ochinum epiſtola paræneticα. 49. XXI.
Cardinales vetantur ſumere titulum ſanctæ Mariæ de Aracœli. 215. CLXXII.
Cardinales Protectores Ordinis Minorum. Franciſcus Quinonius, olim Generalis Miniſter. 18. XXX. Rodulphus Pius, dictus Cardinalis Carpenſis. 39. III. V. *Rodulphus Pius*. Marcellus Cervinus Vice-Protector. 48. XIX.
Cardinalis Betonius. V. *David Cardinalis Betonius*.
Cardinalis Guidiccionus. V. *Guidiccionus Cardinalis*.
Carolus V. Barbaroſſam inſignem prædonem ex Africa expellit. 18. XXX. Muleaſſum in Regnum reſtituit. ibid. ejus obſequia, & Confeſſarii munus declinat ſanctus Petrus Alcantarenſis. 43. VI. Obſervantes in Americam mitti procurat. 50. XXII. ejus cum Paulo III. colloquium apud Buxetum. 57. I. & fœdus cum Angliæ Rege. ibid. Obſervantium rogatu Americanos Neophytos mitius a Provinciarum Prætoribus tractandos decernit. 60. IX. quam de eorumdem Obſervantium zelo & vigilantia confidat, teſtatur. ibid. V. *Antonius Rodericenſis*. Gallorum Regi bellum indicit. 70. I. rogatu Petri a Soto Dominicani ſui Confeſſarii pacis leges eidem Regi offert. 74. XII. ejus concionator

nator & hiſtoricus Antonius Guevara. V. *Antonius Guevara*. Ejus laus. 89. I. ad Mahumetanorum reliquias e Valentiæ Regno extirpandas concilium habet. 98. XVI. hac in re Guevaræ opera utitur. ibid. eidem bellum denunciant Proteſtantes. 113. I. Vincentium Luellum olim totius Ordiuis Minorum Generalem Miniſtrum, ſuum Theologum ad Tridentinum Concilium mittit. 115. VII. item Alphonſum de Caſtro. 116. IX. & Andream de Vega Obſervantes. 117. XI. Franciſco Pizarro Duce Peruviæ Regnum adipiſcitur. 153. LXXX. bellum Smalcaldicum ſecunda fortuna gerit. 219. I. quæ de hac victoria mira narrantur, an vera, vel conficta. ibid. Electior Saxoniæ, & Herneſtus Bruncſuicenſis in ejus manus deveniunt. ibid. Auguſtana habet Comitia adverſus Hæreticos. ibid. ſuum procudit edictum, *Interim* nuncupatum. 245. II. contra illud qui ſcripſerint. ibid. ipſius gratia floret Joannes Zumaraga ob virtutis commendationem. 246. V. occupata Placentia Parmam vi capere cogitat. 247. I. eum in Africana expeditione ſequitur Petrus Rocha Capuccinus. 349. VI. V. *Petrus Rocha*.

Carolus S. Franciſci Borgiæ filius. 7. XI.

Carolus Auſtriacus Ferdinandi I. Imperatoris filius Goritiæ Templum Deiparæ dicatum Obſervantibus attribuit. 76. XVIII.

Carolus Burgundiæ Dux, hæres factus Geldrienſis Imperii ab Arnoldo Adolphi Patre, id ſibi armis vindicare contendit. 222. VIII. Neomagum oppugnat. ibidem. Adolphum Egmontium, ejuſque liberos humaniſſime accipit, & Gandavum dimittit. ibidem. in ejus aula Carolus, & Philippa Adolphi filii optime educantur. ibidem. Renatus Lotharingiæ Dux ei bellum iudicit. 223. IX. ab eo ſibi metuunt Helvetii. ibidem. parat validiſſimum exercitum. ibidem. Luſanam capit. 223. X. ejus crudelitas in Helvetios. 224. X. qui eo fuſo injurias vindicant. ibidem. iterum vincitur. ibidem. ad Nancejum obſidendum ſe parat tempore alieno. 224. XI. Baſſus Magiſter equitum ab eo deficit. ibidem. inito prælio, cum ſuis cœditur. ibidem. Maria ejus filia Legatos mittit ad Regem Galliæ. 225. XI. V. *Maria Caroli Burgundionis filia*.

Carolus Egmontius Philippæ Lotharingiæ germanus frater. 222. VIII. ejus parentes Adolphus Egmontius, & Catharina Borbonia. ibidem. ejuſdem, ac ſororis liberalis educatio in aula Ducis Burgundiæ. ibidem. erga fidem Catholicam, & Eccleſiam Romanam egregie animatus. ibidem. eum Iſacius Pontanus maligne carpit. ibidem. Hæreticam infectatur perfidiam. ibidem. ea de re ipſius ad ſummum Pontificem literæ zelo Catholicæ religionis refertæ. ibidem. Leodienſi Epiſcopo ejus avunculo ſe conjungunt Gelrienſes. 226. XIII. qui dum Caroli, & Philippæ cauſam tuetur, nefarie interficitur. ibidem. Guillelmus ejus patruus moritur. ibidem. Catharina Egmontia ejus amita Geldriam gubernat. 227. XIII. ſub quibus Magiſtris militiæ laboribus eum aſſuefcere voluit Maximilianus Burgundiæ Dux. ibidem. ejus militiæ tyrocinia. 227. XIV. Gandavum deditur Maximiliano. ibidem.

Carolus Emmanuel Allobrogum Dux Obſervantibus Niceæ Cœnobium excitat. 107. XLI.

Carolus Franciſci Lotharingiæ Ducis filius, & hæres. 236. XXV. eidem Clariſſæ Monaſterii Muſſipontani vitam Philippæ Lotaringicæ typis editam inſcribunt. ibidem.

Carolus III. Lotharingiæ Dux erga Obſervantes beneficus. 56. XLIII. Cœnobium eis conſtituit, & annuam eleemoſynam attribuit. ibidem.

Carthago ubi quondam ſita. 18. XXX.

Caſalius V. *Antonius Caſalius*.

Caſtrius V. *Alvarus*. *Joannes Caſtrius*.

Catharina Alipranda Clariſſa vitæ innocentia floret. 77. XXII.

Catharina Auſtriaca Luſitaniæ Regina Clariſſis Monaſterium extrui curat. 34. LXIII.

Catharina Auximana Fulginienſe D. Luciæ Cœnobium virtutum ſplendore nobilitat. 218. CLXXX.

Catharina Borbonia Adolphi Egmontii conjux. 222. VIII.

Catharina Bruna virtutibus eximia. 29. XLIV.

Catharina Caroli V. matertera, & Henrici VIII. uxor ab eo repudiatur. 25. XXXVIII.

Catharina Caroli V. ſoror. 97. XV.

Catharina Cornelia, olim Cypri Regina, pro condendo Obſervantibus Cœnobio pecuniam teſtamento aſſignat. 34. LXII. Bonaventura Venetus Obſervantium Sacerdos eidem a ſacris Confeſſionibus. ibidem.

Catharina Egmontia Caroli, & Philippæ pupillorum amita Geldriam gubernat. 227. XIII.

Catharina Joannis III. Luſitaniæ Regis uxor

uxor Didacum Villanovanum Obſervantium Laicum mirifice colit. 209. CI.
Catharina Trevinnia Monaſterii Rondæ benemerita. 54. XXXVI. & poſt viri obitum incola. ibidem.
Catholici in Britannia miſerrime vitam traducunt. 245. I.
Ceilano in Inſula complures Baptiſmum ſuſcipiunt, & martyrio afficiuntur. 112. LIII. ac prodigiis cœleſtibus commendantur. ibidem.
Ceilani Regius adoleſcens ad Chriſti fidem convertitur. 201. CXXXVI. eum Joannes Luſitaniæ Rex Caſtrio Indiæ Prætori commendat, ut erudiatur, & copioſe, ac liberaliter habeatur. ibidem. Ceilani tyrannum in Neophytos ſævientem idem Rex jubet graviter plecti. ibidem. Ceilani Regis filius a genitore in odium Fidei interficitur. 70. II.
Celebatecan Turca. 194. CXXX.
Character ſuus cuique proprius ex Divina providentia. 119. XIV.
Chriſtiana religio apud Indos Orientales amplificatur. 112. LIII. triumphat in Peruvia. 147. LIX. & ſeqq. quando in eam inferri cœpta. 154. LXXXII.
Chriſtiani Thomæi in Cranganoris Regno. 195. CXXXIII. D. Thomæ Apoſtoli in Regnum illud adventus, reſque ab eo inibi geſtæ. ibidem, & ſeqq.
Chriſtianorum ingens numerus a Barbaroſſa pirata in captivitatem adducitur. 74. XII. eorum plurimi in mare paſſim demerſi. ibidem.
Chriſtophorus Ravanera Obſerv. in Cilen proficiſcitur. 328. XIX.
Chriſtophorus Rumanus. 30. XLIX.
Chriſtus naturæ legibus ſubdebatur, quæ Deum ipſum proximum legislatorem agnoſcunt. 144. LXII.
In Cilen Obſervantes proficiſcuntur, ibique aliquot Cœnobia fundant. 238. XIX. quando Cilenſis eorum Cuſtodia in Provinciam erecta. ibidem.
Citor Sangæ Regia Urbs. 165. XCVIII. Arroganti vocabulo Mundi umbella appellata. ibidem. a Badarii Cambajæ Regis potentiſſimo exercitu obſidetur. ibidem. ab ea Regina cum liberis fugit. ibidem. a Badurio expugnatur. ibidem.
Clara Aſſiſias in Fulginienſi Clariſſarum Cœnobio animi demiſſione inſignis. 245. III.
Clara de Cruce Malacenſis Clariſſa floret. 211. CLII. Loxanum fundat Cœnobium. ibidem. ejuſdem paupertas, orandi ſtudium, & obitus. ibidem.
Clara Serrana Clariſſa humilitate inſignis. 37. LXXI. idcirco cœleſti præconio celebrata. ibidem.
Clariſſarum reformationis B. Coletæ rigidum vitæ inſtitutum in Mutilipontano Monaſterio. 231. XIX.
Clariſſæ Aſtenſes, ut ſeorſim in cellis pernoctare poſſint, Pontifex permittit. 213. CLXVI. Clariſſæ binæ ætate, vitæ innocentia, ac felici obitu conjunctiſſimæ. 252. VI. Clariſſæ in Hibernia Monaſteria obtinent. 29. XLIV. poſtea expulſæ. ibidem. Clariſſæ a veſtigalibus eximuntur. 67. XXVIII. intra Monaſteriorum ſepta mulieres ſeculares introducere vetantur. 67. XXVIII. Clariſſis Tiburtinis ne exactor Decimarum moleſtiam inferat, præcipitur. 77. XXV.
Claudius Guiſiæ Dux, Renati, & Philippæ Egmontiæ filius. 228. XIV. 230. XVIII. & 231. XIX.
Claudius Sanctæus Eroicenſis Epiſcopus Eccleſiam Conventus Albæmalæ conſecrat. 56. XLIII.
Claudius Solitarius. 21. XXXIV.
D. Claudius Veſontionum Epiſcopus. 229. XVII. ejus Templum in vertice montis Juræ. 228. XVII.
Clauſura Sororibus Tertii Ordinis in communi viventibus a Capitulo Generali Salmanticenſi præſcripta, & a ſummo Pontifice confirmata. 260. III.
Clemens V. Joannem Dunium Scotum Doctorem Subtilem vocat, & in Theologorum ſcholis appellari præcipit. 132. XXXV.
Clemens XI. Immaculatæ Conceptionis diem inter feſtos de præcepto adnumerat. 131. XXXIII.
Clemens Monilianus Procurator Generalis Ordinis eligitur. 4. VII. Definitor Generalis. ibidem. Neapolim ad componenda Fratrum diſſidia deſtinatur. 48. XIX. Vicarius Miniſtri Generalis deputatur. 67. XXVIII. creatur Vicarius Generalis totius Ordinis. 220. III. ejus electionem ratam habet Pontifex. ibidem. Ciſmontanæ Familiæ præficitur. ibidem. Romanæ Curiæ Commiſſarius deſignatur. 255. XV. Generalis Miniſter totius Ordinis Fratrum Minorum eligitur. 259. II. a ſummo Pontifice ampliſſima donatur poteſtate. 260. III. ea de re Pontificis ad ipſum litteræ. ibidem. deſcribendis, & illuſtrandis Salmantinis ſtatutis operam navat. 161. IV. ejus epiſtola ad Ciſmontanam Familiam. 263. VI. Venetias advenit juſſu Pontificis, ut ea quæ de Matthæo Baſilio ferebantur, præſens cognoſcat. 264. VII.
Colanum petit D. Thomas Apoſtolus. 195. CXXXIII.

B. Coleta Clariſſarum, & Minorum Familias in priſtinum decus, ac oignitatem reſtituit. 231. XIX.
Comitia Generalia. V. *Capitula Generalia*.
Commiſſarii Generales Ciſmontanæ Familiæ Ordinis Minorum. Clemens Monilianus. 220. III. Familiæ Ultramontanæ. Germanus Aubertus. 4. VII. Andreas Inſulanus. 220. III. idem Andreas. 229. II.
Commiſſarii Generales Romanæ Curiæ Ordinis Minorum. Joannes Calvus. 4. VII. Antonius Machicanus. ibidem. Jacobus Softerius. 49. XX. Antonius a S. Michaele. 54. XXXVII. & 71. V. Euphemius a Valledocta. 220. III. Franciſcus Zamorra. 260. II.
Conceptio Immaculata Deiparæ Virginis. V. *Maria Virgo Deipara*.
Conceptionis Urbs in America. 328. XIX.
Conceptioniſtæ Monaſterium extruere aggrediuntur in Hiſpania. 35. LXVIII. diſturbantur ab Epiſcopo Placentino. ibidem. Pontifex ædificandi Cœnobii poteſtatem eiſdem tacit. ibidem. Agnes a Jeſu hujus Monaſterii fundatrix. ibidem. Virginum ibi degentium vitæ ratio. ibidem. ex his aliquot virtutibus inſignes. 36. LXIX. & ſeq. Divinæ in hoc Cœnobium benevolentiæ argumenta. ibidem. Familia Portocarreria de ipſo optime merita. 37. LXX.
Conciliorum Generalium utilitates expenduntur. 85. I. & ſeqq. eorum quamplura variis de cauſis coacta enumerantur. 86. I. & ſeq.
Concilium Tridentinum indicitur. 38. I. diſſolvitur. 57. I. rurſus Patres a ſummo Pontifice ad illud convocantur. 74. XII. & ſeqq. hujus convocandi Concilii motiva, & utilitates. 83. I. ejuſdem Concilii Præſides. 90. I. 84. I. 124. XXIII. & 256. I. oratio in ipſo habita ad Patres a Cornelio Muſſo. 85. I. & ſeqq. de eo abrogando conſultant Hæretici. 113. I. eidem interſunt ex Franciſcanis egregii viri. 114. III. hoc eſt.

Ex Obſervantibus.

Joannes Calvus, ſeu de Calvis totius Ordinis Minorum S. P. Franciſci Miniſter Generalis. 115. VI. qui de juſtificatione ſubtiliter diſſerit in Concilio. ibidem. Vincentius Lunellus olim totius Seraphici Ordinis Generalis Miniſter. 115. VII. de quibus ſententiam dixerit. 116. VIII. Dyoniſius Zannettinus Chironenſis Epiſcopus. 114. III. qui in quæſtione de gratiæ certitudine id prouunciavit, quod Concilii ſanctione poſtea præſcriptum eſt. 115. V. inter ipſum, & Sanfelicium Cavenſem Epiſcopum diſſidium oritur. V. *Dyoniſius Zannettinus. Sanfelicius*. Alphonſus de Caſtro. 116. IX. de quibus diſſeruerit in Concilio. ibidem. Andreas Vega. ibidem. ejus ſtudia, & labores in Concilio. V. *Andreas de Vega*. Franciſcus Salazarius. 123. XXIII. qui de juſtificatione ſententiam dicit. ibidem. orationem habet ad Patres. 124. XXIII. & in funere Cardinalis Creſcentii. ibidem. Ludovicus Carvajalis. 124. XXIV. Richardus Cenomanus. 125. XXV. Joannes Concilius. ibidem. ejus labor in Concilio. ibidem. orationem habet ad Patres. ibidem. Hieronymus Lombardellus. ibidem. de quibus diſſeruit. ibidem. Ludovicus Vitriarius Veronenſis. ibidem.

Ex Conventualibus.

Bonaventura Pius a Coſtaciaro eorundem Magiſter Generalis. 125. XXVII. V. *Bonaventura Pius*. Cornelius Muſſus. 84. I. oratio ab ipſo habita ad Concilii Patres. ibidem. V. *Cornelius Muſſus*. Octavianus Ravennas. 28. XLI. Bernardinus a Coſtaciaro. 125. XXVII. Franciſchinus Vicedominus Ferrarienſis. ibidem. Julius Magnanus. 126. XXIX. de quibus ſententiam dixit. ibidem. Petrus Paulus Picentinus. 126. XXX. Joannes a Corrigio. ibidem. Sigiſmundus a Ruta. ibidem. Hieronymus Birellus. ibidem. Franciſcus a Vita. ibidem. Franciſcus de Pactis. ibidem. ejus memorabile factum in Concilio in favorem Regularium. ibidem. Joannes Baptiſta Montechicius. ibidem. Clemens Thomaſinus, qui orationem habuit ad Patres. ibidem.

Ex Capuccinis.

Eorum Vicarius Generalis. 126. XXXI. Qui inter minores Theologos, non inter Religioſorum Ordinum Prætectos locum habuit. ibidem.

Concilio Tridentino intereſt Dominicus a Soto Dominicanus. V. *Dominicus a Soto*. Item Vigerius Senogallienſis Epiſcopus. 146. LXVII. V. *Vigerius*. Item Giennenſis Cardinalis. ibidem. Ejus de juſtificationis certitudine judicium. ibidem. Item Epiſcopi Salmenſis, & Minorenſis. ibidem.

Concilio in Tridentino in diſcutienda juſtificationis materia Theologorum ex Ordine Minorum de Obſervantia præcipuus labor, & cura. 124. XXV. Epiſcopi in Concilio de ſpoliandis Regularibus ſuis immunitatibus decernunt, ſed judicium differtur. 126. XXX. An Deipara Virgo peccatum originale contraxerit, diſceptatur in Concilio. 126.

xxxii. V. *Maria Deipara Immaculata Conceptio*.
Et de hac finienda controverſia. 136. xliv. Cardinalis Pacecus aliquando tandem in eodem Concilio decidi oportere pronuntiat. ibidem. Eidem ſe opponit Bertanus. ibidem. Quæ verba petiit Pacecus ſubjici in formula Decreti de peccato originali in favorem piæ ſententiæ de Immaculata Conceptione. ibidem. Qui ei ſe oppoſuerint. 137. xlv. Quo tenore confectum ſit ejuſmodi decretum in Theologorum congreſſibus, & quid ea de re ſenſerint Concilii Patres. ibidem. Aſturienſis Epiſcopi ſententia de quadam delenda particula prævalet. ibidem. Franciſcani Theologi de Juſtificationis certitudine inter ſe ſe diſſident. 145. lxvi. Quorum ſententia Concilii Patribus fuerit probata. ibidem. Hujus Concilii Acta deſcribit Maſſarellus. 146. lxvii. Concilii Patres furente peſtifera lue Bononiam conveniunt. 219. i. Ferdinadus Maſcarenias Luſitaniæ Regis orator ad Concilium. 246. viii. Ad illud metu belli Parmenſis pauci conveniunt. 256. i. Intermittitur. 257. i.
Concilius. V. *Joannes Concilius*.
S. Conradi Placentini cultum ratum habet ſummus Pontifex. 75. xiii.
Conſalvus. V. *Nicolaus Conſalvus*.
Conſalvus Minorum Generalis Miniſter Joannem Dunſium Scotum laudibus effert. 131. xxxv. Eundem Lutetiam mittit, ut piam ſententiam de Immaculata Deiparæ Conceptione publice tueatur. ibidem.
Conſalvus Mandeſius Obſervantibus Cœnobium ædificat. 31. lvi.
Conſalvus Pizarrus cum Franciſco Pizarro fratre ad Peruvianum litus appellit. 149. lxxii. Ab eodem metu & periculo liberatur. 149. lxxiii.
Conſtantinus Laſcar. 104. xxxii.
Conventualibus Magiſter Generalis attribuitur a Leone X. 14. xxv. Conventuales ab Henrico VIII. Dublino expelluntur. 26. xxxix. Pauci remanent in Anglia. 28. xli. Conventuales Hiberni Magiſtrum Provinciæ creant. 28. xlii. Demum Obſervantibus ſe aggregant. 29. xliii. Oſnaburgico e Cœnobio a Lutheranis expelluntur. 55. xxxix. Habent ſua Comitia Generalia. 59. vi. Eorum Cœnobium Rhegienſe incendio deletum a Barbaroſſa pirata. 65. xx. Conventuales, qui Tridentino Concilio interfuerunt. V. *Concilium Tridentinum*. Conventualium Cœnobia. V. *Conventus*. Conventuales Epiſcopi. V. *Epiſcopi*.
Conventualium Magiſtri Generales. Joannes Vigerius. 15. xxvii. Jacobus de Ancona. 16. xxvii. Laurentius Spada Bononienſis. ibidem. Bonaventura Pius a Coſtaciaro. 60. vi. Julius Magnanus Placentinus. 126. xxix.
Conventus. Albamalæ in Neuſtria. Minorum Obſerv. 56. xliii. Alberſtanenſis. Obſerv. 244. xxxvi. Alcocerii Toletanæ diœceſis. Obſerv. 328. xvii. Algaidæ Hiſpalenſis Diœceſis. Obſerv. 76. xxi. Almaneſii in Gallia. Obſerv. 54. xxxv. Almalongæ in America. Obſerv. 32. lvii. & 65. xxvii. Altiliæ. Minorum Conventualium. 212. clx. Alvercæ Diœceſis Oliſiponenſis. Obſerv. 212. clxi. Ambacienſis. Obſerv. 5. viii. Apollæ ſancti Antonii. Obſerv. 31. lii. Arequipæ in Peruvia. Obſerv. 328. xvii. Aſulæ. Obſerv. 64. xvii. Atiliani in Guatimala. Obſerv. 65. xxii. Avenæ ſanctæ Mariæ. Convent. 33. lx. Auxiliatricis Mariæ in America. Obſerv. 328. xix. Baezæ in Provincia Granatenſi. Obſerv. 64. xviii. Bæſipponenſis in Bætica. Obſerv. 258. iv. Bajonæ ſancti Franciſci. Excalceatorum. 17. xxix. Benarii in Pedemontio. Obſerv. 212. clviii. Bidgoſtienſis in Polonia. Obſerv. 113. liv. Bononienſis Annunciationis. Obſerv. 220. iii. Brigantiæ in Luſitania. Obſerv. 243. xxxi. Cajetæ. Capuccinorum. 33. lxi. Calatafini. Convent. 64. xix. Camajaci in Guatimala. Obſerv. 65. xxii. Cameratenſis in Sicilia. Convent. 53. xxx. Campechii in Jucatane. Obſerv. 54. xxxiv. Campetii in Jucatane. Obſerv. 50. xxii. Capracoctæ in Regno Neapolitano. Obſerv. 216. clxxvii. Carini. Convent. 212. clix. Caſalis Montis Ferrati. Capucc. 33. lxi. Cataccii in Brutiis. Obſerv. 55. xli. Chanſonenſis. Obſerv. 216. clxxvi. Chujapæ in Peruvia. Obſerv. 254. x. Cluſis in Sicilia. Capucc. 108. xliv. Comalapenſis in Guatimala. Obſerv. 66. xxii. Conceptionis *Urbis* in America. Obſerv. 328. xix. Cropalati in Brutiis. Convent. 76. xix. Crotonis. Obſerv. 55. xl. Dienſis Inſulæ in India. Obſerv. 195. cxxxii. Drepani. Capucc. 249. vi. Eborenſis in Luſitania. Obſerv. 76. xx. Eliocratenſis. Obſerv. 115. vii. Exetlani in Nova Gallæcia. Obſerv. 23. xxxvi. Extremoſi in Luſitania. Obſerv. 54. xxxiii. Faventiæ. Capucc. 53. xxxii. Florentinus ſanctæ Catharinæ. Obſerv. 211. clvi. Foſſani in Pedemontio. Obſerv. 216. clxxv. S. Franciſci *Urbis* Quitenſis Regni. Obſerv. 155. lxxxv. Fulginii. Capucc. 213. clxiv. S. Geminiani in

in Tuſcia. Obſerv. 254. XIII. Goritiæ. Obſerv. 76. XVIII. Gradovarum ſanctæ Mariæ in Provincia Boſneuſi. Obſerv. 31. LIII. Grandivillanus. Obſerv. 216. CLXXVI. Guamangæ in Peruvia. Obſerv. 256. II. S. Jacobi in Guatimala. Obſerv. 31. LVI. S. Jacobi *Urbis* Americæ ſanctæ Luciæ. Obſerv. 328. XIX. Inſulæ ſancti Franciſci. Convent. 53. XXX. Inſulæ Pontiæ. Obſerv. 37. LXXII. S. Joannis *Urbis* in Peruvia. Obſerv. 158. XC. Julianæ in Sicilia. Reformatorum. 207. CXLVII. Juliæ Pacis. Obſerv. 54. XXXII. Locarii, alias Calatafini. Convent. 64. XIX. Londini. Obſer. 212. CLXIII. Lovanienſis. Obſerv. 326. XI. Loulææ in Regno Algarbiorum. Obſerv. 212. CLXII. S. Mariæ Lauretanæ in Provincia Bæticæ. Obſerv. 62. XI. Mediolani. Capucc. 53. XXXI. Mediolani. Capucc. alter. 53. XXXII. Melphicti. Capucc. 108. XLIV. Meridenſis in Jucutane. Obſerv. 50. XXII. Moliani Firmanæ Diœceſis. Obſerv. 246. VI. Montis Fortini Firmanæ Diœceſis. Obſerv. 249. VII. Montis ſancti Georgii in Piceno. Convent. 76. XIX. Moutis Maii in Feretranis. Obſerv. 63. XV., & 68. XXXI. Montis Majoris in Luſitania. Obſerv. 246. VIII. Montis Peſſulani. Obſerv. 220. III. Moroni ſanctæ Crucis in Provincia Bæticæ. Obſerv. 31. LV. Mouræ in Luſitania. Obſerv. 242. XXX. Mutinenſis ſanctæ Margharitæ. Obſerv. 68. XXX.. Nanceii in Lotharingia. Obſerv. 229. XVII. Neapolitanus ſanctæ Crucis. Obſerv. 237. XXVI. Neapolitanus ſancti Didaci. Obſerv. 53. XXVIII. Niceæ. Obſerv. 107. XLI. Nicoſiæ in Sicilia. Capucc. 213. CLXIV. Novæ Charthaginis in Hiſpania. Obſerv. 246. VII. Numunii in Jucatane. Obſerv. 54. XXXIV. Offidæ. Obſerv. 246. IV. Olyſiponenſis. Obſerv. 5. VIII. Palentinus. Obſerv. 97. XV. Panamæ in America. Obſerv. 256. III. Penicii Diœceſis Olyſiponenſis. Excalceat. 258. V. S. Petri in Galatina. Capucc. 76. XIX. Piſaurienſis prius Obſerv., dein Reformatorum. 63. XV. Piſtorii. Capucc. 33. LXI. Plateæ in Sicilia. Reform. 207. CXLVII. Pontis Vallium in Gallia Narbonenſi. Obſerv. 214. CLXIX. Populæ Ferrariæ Toletanæ Diœceſis. Obſerv. 65. XXI. Portus Lœti in Luſitania. Obſerv.. 54. XXXIII. Quanuci in Peruvia. Obſerv. 258. VI. Quetſeltenangi in Guatimala. Obſerv. 65. XXII. Reginæ Angelorum in Hiſpania. Obſerv. 328. XVII. Rbegienſis. Convent. 65. XX. Roccæ Contractæ in Piceno. Obſerv. 212. CLVII. Roſſani. Capucc. 213. CLXIV. Sabioncelli S. Mariæ. Obſerv. dein Reformat. 21. XXXIV. 23. XXXV. Salandriæ in Regno Neapolitano. Obſerv. poſtea Retorm. 53. XXIX. Salandriæ alter Obſerv. 211. CLV. Sancti Spiritus in Pannonia. Obſerv. 96. XII. Segobrigæ in Tarracona. Obſerv. 253. IX. Senienſis in Liburnia. Obſerv. 243. XXXIII. Senogallienſis. Obſerv. 71. VI. Serræ in Corſica. Obſerv. 242. XXIX. S. Severini. Convent. 76. XIX. Siſaponenſis in Bætica. Obſerv. 253. VIII. Siſontini in Jucatane. Obſerv. 54. XXXIV. Svichi Boſnenſis Provinciæ. Obſerv. 31. LII. Svornici Provinciæ item Boſnenſis. Obſerv. 31. LIV. Taurinenſis. Obſerv. 107. XLII. Tecpanatitæ in Guatimala. Obſerv. 65. XXII. Titſiminini in Jucatane. Obſerv. 54. XXXIV. Totonicapæ in Guatimala. Obſerv. 65. XXII. Trepanguatemalici in Guatimala. Obſerv. 66. XXII. Truxilli. Obſerv. 95. VII. Tulæ. Obſerv. 202. CXXXIX. Vallis Viridis. Obſerv. 103. XXV. Venetus ſancti Franciſci. Obſerv. 257. III. Venetus in Regione Judaica. Obſerv. deinde Capucc. 33. LXII. Videguaræ in Hiſpania. Obſerv. 108. XLV. Villænovæ. Obſerv. 30. XLVII.

Conventus alii Obſervantium in Regione Cilenſi, quorum nomina deſiderantur. 328. XIX.

Coriolanus Brembatus. 30. XLIX.

Cornelius Muſius Delphitanus. 327. XIV.

Cornelius Muſſus ex Ordine Minorum Conventualium Epiſcopus Bertinori, vir doctrinæ ac pietatis gloria celebris. 30. L. Bituntinus Epiſcopus declaratur. 76. XVI. Intereſt Concilio Tridentino. 84. I. Ejus laudes. ibid. Et oratio habita in Concilio. 85. I. & ſeq. Doctrinam de hominum meritis, Deique adjutorio in capita diſtribuit. 92. II. Patrum Concilii in Santelicium Cavenſem Epiſcopum indignationem placare conatur. 114. III.

Coromandelis in Regno Evangelium prædicat D. Thomas Apoſtolus. 195. CXXXIII. Meliapor tunc ejus regia urbs, nunc a S. Thoma denominata. 196. CXXXIII.

Correa. V. *Antonius Correa*.

Cranganoris Indiæ Regnum adeunt Minores Obſervantes. 195. CXXXIII. Chriſtiani Thomæi eam terram tenentes. ibid. D. Thomæ Apoſtoli in Regnum iſtud adventus, reſque ab eo ibidem geſtæ. V. *D. Thomas Apoſtolus*. Ad confirmandam Cranganoris Eccleſiam ſe transfert Vincentius a Lacu Obſerv. Sacerdos. V. *Vincentius a Lacu*. Chriſtianorum Crangarenſium mores, vi-

(æ-

tæque diſciplina. 198. CXXXV. Quot Chriſtianorum millia ibi invenerit Vincentius. ibid. Eorum Sacerdotes Neſtoriani, *Caſanares* dicti. ibid.
Cranmerus. V. *Thomas Cranmerus*.
Crementina Vidua Sangæ Regina. 165. XCVIII. Cum ea Badurius Cambajæ Rex bellum gerit. ibid. Citor ejus regia urbs obſidetur. 166. XCIX. Ipſa cum liberis fugit. ibid.
Creſcentius. V. *Marcellus Creſcentius*.
Crotonenſis Brutiorum Civitas vetuſtate memoranda. 55. XL.
Crotoniates novi Cœnobii Obſervantium conſtructionem impedire conantes a Summo Pontifice coercentur. 55. XLI.
Crucis vexillum quater a Joanne Petrejo, & ſociis Mahumetani loco pie ac ſtrenue in Rumæi caſtri ſummis mœnibus ſubſtituitur. 173. CVI.
Cupiditas omnium malorum mater. 87. I. & ſeq.
Cuthbertus Dulcminenſis Epiſcopus ſerpenti in Anglia hæreſi reſiſtit, ſed timide. 245. I. qua de cauſa miſere affligitur. ibid.
Cyprianus Herrera Calancanum ſequutus refellitur. 158. LXXXIX.
Cyrus. 100. XVIII.

D

DAbulum a Caſtrin captum, & incenſum. 193. CXXIV.
Damianus Biſquertius Tarraconenſis Provinciæ Miniſter Definitor Generalis eligitur. 5. VII.
Damianus a Turre Martino a ſancta Maria in Arabida monte comitem ſe adjungit. 47. XVII.
Darius Ciceſtrienſis Epiſcopus ſerpenti in Anglia hæreſi ſe opponit, ſed timide. 245. I. ea de re miſere affligitur. ibid.
David Cardinalis Betonius Archiepiſcopus Santandreanus a Scotis hæreticis cæditur. 114. II.
Daza corrigitur. 255. XVI.
Decanii Rex Idalcan Luſitanos laceſſit. 193. CXXIX. V. *Idalcan*.
Decimarum Exactor deterretur ab inferenda moleſtia Clariſſis Tiburtinis. 77. XXV.
Definitores, ſeu Arbitri Generales electi in Capitulo Generali Mantuano. 5. VII. In Aſſiſienſi. 220. III. In Salmantino. 259. II.
Deipara. V. *Maria*. V. *Deipara*.
Delphino deſpondetur Margarita Maximiliani Auſtriaci ex Maria Burgundica filia. 226. XII.

Didacus Almagrus cum ſociis de Peruviæ terris detegendis & acquirendis deliberat. 147. LXX. Ejus navigatio. ibid. Et pericula. 148. LXX. Nova cum Pizarro expeditio. 148. LXXI. Utriuſque pericula, labores & calamitates. ibid. Ad novum legendum militem proficiſcitur. ibid. Pizarro commeatum ſubmittit. 148. LXXII. Civili bello cum Ferdinando Pizarro facem admovet. 155. LXXXIV. Securi percutitur. ibid.
Didacus Avellaneda e Societate Jeſu corpus unius ex ſanctæ Urſulæ ſociis Sororibus Tertii Ordinis elargitur. 67. XXVI.
Didacus Cordubenſis Hiſtoriæ Limenſis Provinciæ Scriptor. 160. XCII.
Didacus Garzia Peruvianus primus omnium in Peruano Regno Obſervantibus adſcribitur. 95. VIII. Limenſibus fructuoſam operam præſtat. ibid. Populatorum ſcelere ſublatus e vivis. ibid.
Didacus Henriqueſius Corianus Epiſcopus Almaneſiani Templi Minorum Obſerv. exornator. 54. XXXV.
Didacus Hernandeſius inter Excalceatos illuſtris. 250. II. Obſervantium Familiæ nomen dat. ibid. Mollius vivit aliquandiu. ibid. Horrida Serpentis ſpecie ſibi objecti exhorreſcit, ac reſipiſcit. ibid. In Provinciam Excalceatorum ſancti Gabrielis promiſcitur. 251. III. Ejuſdem vitæ ratio, ac animi ſubmiſſio. ibid. Sapientiæ laude celebratur. 251. IV. In Hiſpaniam redit. 252. IV. Ejus vita quotidiana. ibid. Obitus & funus ampliſſimum. ibid.
Didacus Lainius e Societate Jeſu in Concilio Tridentino pro Immaculato Deiparæ Conceptu perorat. 136. XLIV.
Didacus Lopes. 24. XXXVI.
Didacus Ordoneſius in America clarus. 32. LVII. Ejus ortus, ac puerilis inſtitutio. ibid. Salmanticenſis Eccleſiæ Archidiaconatu abdicato in Obſervantiū Familiam adſcribitur. ibid. In Americam proficiſcitur. ibid. Theologicis diſciplinis Populares Hiſpanos inſtituit. ibid. Inquiſitor deſignatur. ibid. Eo munere ultro ſe abdicat. ibid. Ad Americanum Populum conciones habet. ibid. Inter concionandum centenario major decedit. ibid.
Didacus Pacecus Villenæ Regulus Virginibus a Conceptione appellatis Cœnobium fundat. 213. CLXVII.
Didacus Payva intereſt Concilio Tridentino. 118. XII.
Didacus a Silva ex Obſerv. Archiepiſcopus Bracharenſis obit. 30. LI. Ejus laudes. 31. LI.
Didacus Valentia de Conventu Baezæ optime meritus. 64. XVIII. Annuam

eleemoſynam pro Comitiis Provincialibus teſtamento relinquit. ibid.
Didacus a Vera Abulenſis in Americam miſſus, ibi res ab Obſervantibus geſtas litteris conſignat. 93. VI. Ejus labores, ac res geſtæ in America. 94. VI. quot Barbarorum millia ad Chriſtum converterit. ibid. In his Incam Peruviani Regis conſanguineum. ibid.
Didacus Villanovanus Obſervantium Laicus virtutibus emicat. 209. CL. De rebus ad animorum diſciplinam pertinentibus prudenter diſſerit. ibid. Eundem Luſitaniæ Regina mirifice colit. ibid.
Didacus Ximenius Obſerv. innocentiæ laude inſignis. 30. XLVII. Purgatorii Animæ ei ſe ſe intuendas exhibent. ibid.
Dienſis Arx a Luſitanis ædificatur. 167. C. Et muro circumdatur. 169. CII. Eam Turcæ obſidere parant. 171. CV. A Solimano Claſſis Turcicæ Præfecto oppugnatur. 172. CV. Iterum oppugnatur. 174. CVII. Sed tandem vincit pertinacia Luſitanus. ibid. Joannes Maſcharenias arcis præfectus. 176. CXII. Sofar Dium ingreditur. 178. CXV. Ejus apparatus ad arcis oppugnationem. 180. CXVII. Eam oppugnat. 180. CXVIII. & ſeqq. Mamudius Cambajæ Rex cum novo exercitu Dium advenit. 181. CXIX. Arcis mœnia tormentorum globis quatiuntur. 182. CXIX. Mamudius diſcedit Abaſina legione in caſtris relicta. 182. CCX. Reliqua hujus oppugnationis facta enarrantur. ibid. & ſeqq. V. *Sofar. Luſitani. Maſcharenias.*
Dionyſius Saornianus Venetus ſacri Montis Syon Guardianus, & Paleſtinæ Cuſtos. 5. VII.
Dionyſius Zannetinus ex Obſerv. Epiſcopus Chironenſis Concilio Tridentino intereſt. 114. III. Ejus cum Sanſelicio Cavenſi Epiſcopo diſſidium. ibid. Cavenſis facinus in Dionyſium. ibid. Patrum Concilii indignatio in Cavenſem Epiſcopum. ibid. Quos placare conatur Cornelius Muſius Epiſcopus Bituntinus. ibid. Dionyſius inſigne Chriſtianæ charitatis edit exemplum. 115. IV. Ejus elogium. 115. V. A Bonaventura Pio circa juſtificationis certitudinem diſſentit, & pro ipſo Scotum haud ſtare contendit. 145. LXVI.
Diploma Alberti Cardinalis, & Archiepiſcopi Moguntini. 79. XXX.
Dium inſulam, & oppidum Cambaicæ oræ Luſitani occupare ſtudent. 160. XCIII. & ſeqq. V. *Luſitani.*
Dominicani in Mexico in abdicanda bonorum poſſeſſione Franciſcanos imitantur. 3. III. Dominicani quatuor Limam perveniunt. 155. LXXXIV.
Dominicus a Soto ſacri Ordinis Prædicatorum Carolo V. a ſacris Confeſſionibus. 123. XXII. Concilio intereſt Tridentino. ibid. A Petavio laudatur. ibid. Opus edit de Natura & Gratia. ibid.
Domus Fratrum Tertii Ordinis S. P. Franciſci. Altiliæ. 212. CLX. Quam poſtea Patres Conventuales incoluerunt. ibid. Drepanenſis. 19. XXXII. S. Mariæ de Piratello. 60. VII. Montis Elpari. 112. LI Mortonienſis. 19. XXXII. Ticinenſis ſancti Savini. 54. XXXVIII. Item Ticinenſis SS. Gervaſii & Protbaſii. 55. XXXVIII. Verſonenſis in Betica. 243. XXXII.
Donatus Vaccarius Obſervantibus Cœnobium in patrio fundo ædificat. 216. CLXXVII.
Dorotbea ſancti Franciſci Borgiæ filia. 7. XI.
Dorotbea Zudenicenſis Tertii Ordinis de Arbi Monaſterio benemerita. 66. XXIV.
Driacan Mamadii Cambajæ Regis tutor & rector. 169. CIII.
Dudlejus Northumbriæ Dux perduellionis damnatur. 259. I. Hæreſi prius abjurata capite plectitur. ibid.

E

EBorenſis Obſervantium Cœnobium, 76. XX. V. *Henricus Cardinalis.*
Edmundus Londinenſis Antiſtes ſerpenti in Anglia hæreſi reſiſtit, ſed timide. 145. I.
Eduardus Barbutus Vexillifer Luſitanus animoſitatis ſingulare ſpecimen exhibet. 192. CXXVIII.
Eduardus Henrici VIII. ex Semeira filius, ejuſdem primus hæres inſtitutus. 219. II. Quot, & quales eidem adjuncti tutores ab Henrico. ibidem. Eidem Maria ſoror de Catholica Religione retinuenda conſilia injicit. 247. II. Moritur. 259. I.
Eduardus Hereſordiæ comes Zuvinglianus, unus ex ſexdecim Eduardi Regis Angliæ tutoribus. 219. II. Jus omne ſibi arrogat. ibidem. In Angliam hæreſim inducit. ibidem.
Eduardus Sommerſetus Hæreticorum fautor in Anglia publico ſupplicio perimitur. 247. II.
Eleonora de Caſtro ſancti Franciſci Borgiæ conjux. 7. XI.
Eliſabetha Borgia S. Franciſci Borgiæ amita. 8. XII. Fit Clariſſa ſub nomine ſororis Franciſcæ a Jeſu. ibidem. Ortum, nomen, & ſanctitatem ipſius S. Franciſci

eiſci Joanni germano fratri, ac ejuſdem Sancti genitori prædicit. ibidem.
Eliſabetha Henrici VIII. ex Anna Bolena filia, ab eodem ante obitum tertio loco Regni hæres inſtituta. 219. II.
Eliſabetha Roſella Clariſſa S. Ignatium Soc. Jeſu conditorum ſuis opibus juvat. 106. XXXIX. Eam ſibi acceptam Chriſtus oſtendit. 107. XXXIX.
Eliſabetha Verulana Clariſſa. 66. XXIII.
Elogium aliquot Martyrum ex Obſervantia. 61. X.
Elvira Harona. 97. XIV.
Emmanuel Albuquercius. 163. XCVII.
Emmanuel Soſa. 167. CI. & 168. CI.
Epiſcopi aliquot in Anglia hæreſi gliſcenti ſe ſe opponunt, ſed gnaviter. 245. I. Qua de re diuturni carceris ſqualorem patiuntur. ibidem.
Epiſcopi in Concilio Tridentino de privilegiis, & immunitatibus Regularium abrogandis decernunt, ſed judicium differtur. 126. XXX.

Epiſcopi Franciſcani.

Accitanus, Antonius Guevara ex Obſerv. 99. XVI. Aquenſis, Bonaventura Pius a Coſtaciaro ex Convent. 60. VI. Ardacadenſis in Hibernia, Patritius Macbeathius ex Obſerv. 30. L. Bertinorii, Cornelius Muſſus, ex Convent. ibidem. Bituntinus, idem Cornelius. 76. XVI. Bracharenſis Archiepiſcopus, Didacus a Silva ex Obſerv. 30. LI. Calenſis in Campania felici, Julius Magnanus ex Convent. 126. XXIX. Calvenſis in Regno Neapolitano, Laurentius Spathe ex Obſerv. 63. XIV. Canarienſis, Antonius a Cruce ex Obſerv. 107. XL. Canarienſis item Antonius a Cruce ex Obſerv. 211. CLIV. Chilenſis, Ferdinandus Barrionovanus ex Obſerv. 158. XC. Chironenſis, Dionyſius Zanettinus Græcus ex Obſerv. 114. III. Cilenſis, Martinus Robleda ex Obſerv. 328. XIX. Conſtantinenſis in Numidia, Joannes Jube ex Obſerv. 53. XXVII. Cyrenenſis, Petrus Gautius ex Obſerv. ibidem. Elfinenſis, Bernardus Dorvillius ex Obſerv. 30. L. Fernenſis in Hibernia, idem Bernardus Dorvillius. ibidem. Goanus, Joannes Albuquercius ex Obſerv. 38. II. Lorneenſis in Lycia, Balthaſſar Eborenſis ex Obſerv. 30. L. Mindonenſis in Hiſpania, Antonius Guevara ex Obſerv. 99. XVI. Monopolitanus, Octavianus Præconius ex Conv. 211. CLIV. Nicopolitanus in Græcia, Michael de Ponte ex Obſerv. 63. XIV. Paraguajenſis, Ignatius de Loyola Excalceat. 9. XVI. Roſſenſis, Boethius Eganus Martyr ex Obſerv. 29. XLV. Salaminæ in Cypro, Franciſcus Salazarius ex Obſerv. 123. XXIII. Sarisburienſis in Anglia, Guillelmus Petus ex Obſerv. 63. XIV. Scamandriæ in Aſia, Blaſius Fabricius Creſſenenſis ex Obſerv. 76. XVII. Signiæ Volſcorum, Bernardinus Calinus ex Obſerv. 30. L. Tangeranus in Africa, Franciſcus Quareſma Excalceat. 63. XIV. Thermopylarum in Theſſalia, Rodulphus Tiſſonius ex Obſerv. ibidem. Tlaſcalenſis, Martinus Sarmientus ex Obſerv. 51. XXII.

Index alter nominum eorundem Antiſtitum.

Antonius a Cruce ex Obſerv. Canarienſis. 107. XL. Item Antonius a Cruce ex Obſerv. Canarienſis. 211. CLIV. Antonius Guevara ex Obſerv. Accitanus. 99. XVI. Exinde Mindonenſis. ibidem. Balthaſſar Eborenſis ex Obſerv. Lorneenſis in Lycia. 30. L. Bernardinus Calinus ex Obſerv. Signiæ Volſcorum. ibidem. Bernardus Dorvillius ex Obſerv. Fernenſis in Hibernia. ibidem. Exinde Elfinenſis. ibidem. Blaſius Fabricius Creſſenenſis ex Obſerv. Scamandriæ. 76. XVII. Boethius Eganus ex Obſerv. Roſſenſis. 29. XLV. Bonaventura Pius a Coſtaciaro ex Conv. Aquenſis. 60. VI. Cornelius Muſſus ex Convent. Bertinorii. 30. L. Exinde Bitontinus. 76. XVI. Didacus a Silva ex Obſerv. Archiepiſcopus Bracharenſis. 30. LI. Dionyſius Zanettinus Græcus ex Obſerv. Chironenſis. 114. III. Ferdinandus Barrionovanus Obſerv. Chilenſis. 158. XC. Franciſcus Quareſma Excal. Tangeranus in Africa. 63. XIV. Franciſcus Salazarius ex Obſerv. Salaminæ in Cypro. 123. XXIII. Guillelmus Petus ex Obſerv. Sarisburienſis in Anglia. 63. XIV. Hic fuit S. R. E. Cardinalis. Ignatius de Loyola Excalc. Paraguajenſis. 9. XVI. Joannes Albuquercius ex Obſerv. Goanus. 38. II. V. *Joannes Albuquercius*. Joannes Jube ex Obſerv. Conſtantinenſis in Numidia. 53. XXVII. Julius Magnanus ex Conv. Calenſis. 126. XXIX. Laurentius Spathe ex Obſerv. Calvenſis. 63. XIV. Martinus Robleda ex Obſerv. Cilenſis. 328. XIX. Martinus Sarmientus ex Obſerv. Tlaſcalenſis. 51. XXII. Michael de Ponte ex Obſerv. Nicopolitanus. 63. XIV. Octavianus Præconius ex Conv. Monopolitanus. 211. CLIV. Patritius Macbeatius ex Obſerv. Ardachadenſis. 30. L. Petrus Gautius ex Obſerv. Cyrenenſis. 53. XXVII. Rodulphus Tiſſonius ex Obſerv. Thermopilarum in Theſſalia. 63. XIV.

Epiſtulæ Leonis X. Summi Pontificis.
Ad Philippam Egmontiam Lotharingicam viduam Ordinis S. Claræ. 233. XX.
Ad Sanctimoniales S. Claræ Muſſipontanas de eximenda eadem Philippa ab omni prælatura. 234. XXI.
Pauli III. Summi Pontificis.
Ad Joannem Paſchalem Excalceatum, qua poteſtatem eidem a Præfectis Conventualium attributam confirmat. 15. XXVII.
De conſtruendo Cœnobio S. Mariæ Sabioncelli, & conditionibus ab Obſervantibus ejuſdem Conventus ſervandis. 21. XXXIV.
Ad Capuccinos ne Obſervantes ſine Generalis aut Provincialis Miniſtri licentia recipiant. 73. X.
Julii III. Summi Pontificis.
Ad Clementem Monilianum totius Ordinis Minorum Generalem Miniſtrum creatum, ampliſſima eum donantis poteſtate. 260. III.
Alexandri VII. Summi Pontificis.
In favorem piæ ſententiæ de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione. 127. XXXII.
Henrici VIII.
De Minorum Conventualium bonis cuidam mercatori adjudicandis. 26. XXXIX.
Joannis III. Luſitaniæ Regis.
Ad Joannem Caſtrium Indiæ Prætorem in favorem Neophytorum, & Chriſtianæ religionis. 199. CXXXVI.
Alberti S. Petri ad Vincula Card. & Archiepiſcopi Moguntini.
Pro renovanda diſciplina pœnitentium mulierum Tertii Ordinis in Cœnobio Suburbano. 79. XXX.
Rodulphi Pii Cardinalis Carpenſis, & totius Ordinis Minorum Protectoris.
Ad Gabrielem Galvanum Ord. Minorum Commiſſarium Provinciæ Brixiæ, ut domeſticas lites componat. 39. III.
Ad Moniales S. Claræ ne intra ſepta ingredi ſinant mulieres ſeculares, niſi ſemel in anno. 67. XXVIII.
Ad Victoriam de Afflictis Clariſſam ut Neapolitanum Monaſterium S. Mariæ a Jeſu adeat diſciplinæ conſtituendæ cauſa. 213. CLXV.
Ad Miniſtros, & Patres Ciſmontanæ familiæ Ordinis Minorum proponentis eis ſervanda Salmantina ſtatuta a Clemente Moniliano Generali Ordinis Miniſtro deſcripta. 261. V.
Marcelli Cardinalis Cervini Ordinis Minorum Vice-Protectoris.
Ad Clementem Monilianum, qua ipſum Pontificis juſſu Neapolim mittit ad componenda Fratrum diſſidia. 48. XIX.
Ad Cæleſtinum de Brixia Commiſſarium Provinciæ Terræ laboris, qua eidem confert Apoſtolicæ auctoritatis arbitrium. 69. XXXIII.
Antonii SS. Quatuor Coronatorum Cardinalis Pœnitentiarii.
Ad Jacobum Eugubinum Ordinis Minorum Reformatorum, ut ipſi Drepani tuto etſe, civeſque virtutis, ac religionis imbuere diſciplinis liceat. 18. XXXI.
Ad Cives Piſaurenſes pro novo condendo Obſervantibus Cœnobio intra Civitatem. 63. XV.
Ruberti Puccii SS. Quatuor Coronatorum Presb. Card. & Pœnitentiarii.
Ad ſolitarios Tertii Ordinis Drepanenſes, ut in ſuo oratorio Miſſas, & Officia celebrari faciant. 20. XXXII.
Ad Abbatiſſam, & Moniales S. Claræ oppidi de Loxa de quibuſdam pactis conditionibus cum Miniſtro Minorum Obſervantium. 108. XLVII.
Ad Vicarium Generalem Epiſc. Campanienſis de quadam pecunia Obſervantibus legata pro eorumdem Templo inſtaurando inſumenda. 217. CLXXIX.
Cardinalis Caraffæ.
Ad Bernardinum Ochinum, ut reſipiſcat, & ad Religionem, & S. Matrem Eccleſiam Catholicam redeat. 49. XXI.
Cardinalis Camerarii.
Ad Commiſſarium Decimarum Tiburis, ipſum deterrentis ab inferrenda moleſtia S. Claræ Virginibus. 77. XXV.
Raynucii Cardinalis Pœnitentiarii.
Ad Syndicum Apoſtolicum Cœnobii Neapolitani S. Crucis Minorum de Obſervantia, ut annuam pecuniam eis legatam alienare poſſit. 242. XXVII.
Caroli Egmontii Ducis Geldrienſis.
Ad Clementem VII. Summum Pontificem, in qua Lutheranæ perfidiæ peſtem inſectatur. 222. VIII.
Vincentii Lunelli totius Ordinis Minorum Miniſtri Generalis.
Ad Fratres Minores Obſervantes Provinciæ S. Evangelii rata habentis ejuſdem decreta. 3. IV.
Joannis Calvi totius Ordinis Minorum Generalis Miniſtri.
Ad Clementem Monilianum ejuſdem Ordinis Procuratorem Generalem renunciatum, qua ipſum confirmat, quæque ſint ejus muneris partes luculenter exponit. 5. IX.
Ad S. Franciſcum Borgiam, ejuſque conjugem, & totam ipſius domum, eam ad communionem omnium bonorum

rum Seraphicæ Religionis admittentis. 7. XI.

Pauli Soncinatis totius Ordinis Minorum Miniſtri Generalis.

Ad Philippam Egmontiam Lotharingicam Clariſſam, eam in ſuam protectionem ſuſcipientis, & ut vetus Monaſterii diſciplina retineatur, promittentis. 235. XXII.

Clementis Moniliani totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſtri.

Ad Ciſmontanam familiam, eam ad priſtinum decus, ac dignitatem incendentis, & ad obſervantiam Salmanticarum legum obligantis. 263. VI.

Joannis Angeli Arcimboldi Epiſcopi Novarienſis.

Ad Patrem Guardianum Conventus S. Mariæ Gratiarum Viglevani Minorum Obſerv. de translatione corporis B. Pacifici Ceredanenſis. 106. XXXVII.

Collegii fabricæ Vaticanæ.

Ad Commiſſarios, & Subcommiſſarios dictæ fabricæ ne Fratribus Minoribus de Obſervantia moleſtiam exhibeant, 215. CLXX.

Joannis Baptiſtæ Cicadæ Apoſtolicæ Cameræ Auditoris Generalis.

Univerſis, & ſingulis &c. ut diſturbetur ædificium Minimorum, juxta Cœnobium Obſervantium inchoatum. 237. XXVI.

Univerſis, & ſingulis &c. per Civitatem, & Diœceſim Tiburtinam, hoc edicto coercentis Tiburtinum Collegium Canonicorum, negotium exhibentium Minoribus Obſervantibus funerandi cauſa. 239. XXVII.

Clementis Moniliani Procuratoris Generalis Ordinis Minorum.

Ad Miniſtrum Provinciæ Boſnenſis, notam eidem facientis plenariam Indulgentiam ab ſe pro Chriſtianis Boſnenſibus a Pontifice impetratam. 78. XXVII.

Patris Antonii Guevaræ.

Epiſtolæ fragmentum ad Garziam Sanchezium. 98. XVI.

Sofaris Mamudicæ Claſſis Præfecti.

Ad Joannem Maſcaraniam Dienſis arcis Præfectum. 177. CXIII.

Joannis Maſcareniæ Dienſis arcis Præfecti.

Ad eundem Sofarem reſponſiva. 178. CXIV.

Eraſmus. 100. XVIII.

Erneſtus Brunſuicenſis capitur a Cæſarianis. 219. I.

Evangelii ſcriptores cur inter ſe quandoque diſcrepare in ejuſdem rei geſtæ narrationibus videantur. 122. XVIII.

Evangeliſta Rubicenſis Dalmatiæ Miniſter in Definitorem Generalem eligitur. 259. II.

Evangeliſta Sublacenſis Clariſſa. 66. XXIII.

Eugenius Mac Cremic. 29. XLII.

Euphemius a Valledotta Romanæ Curiæ Commiſſarius Generalis. 220. III.

Euphroſyna Clariſſa Fulginienſe Monaſterium virtute nobilitat. 82. XXXI.

Euſebia Peruſina Divinas res meditandi, & explicandi facultate inſignis. 244. XXXVIII. obit in Fulginienſi Monaſterio. ibidem.

Euſebia Senenſis, Paulo V. cognatione conjuncta, Narnienſe Monaſterium S. Reſtitutæ Virginibus Franciſcanis condit. 244. XL.

Euſebius Anconitanus. 12. XX.

Excalceatorum res feliciter promovet Obſervantibus ſubjectus Angelus Pincianus. 14. XXVI. Eorum initia, & progreſſus in Hiſpania. 14. XXV. & ſeqq. Arabida mons, unde Excalceatorum Provinciæ Arabidorum initium. 41. IV. Eorum ibidem vitæ genus aſperrimum. 47. XV. Augetur inibi eorum Sodalitium. ibidem.

F

FArneſius Cardinalis ad Carolum V. Legatus miſſus. 70. I. Eidem indignabundus ſcribit Octavius Farneſius. 247. I.

Felix Roteria Clariſſa pie obit. 105. XXXVI.

Fœminarum virtus in arce Dienſi defendenda, hoſtibuſque repellendis. 186. CXXII.

Ferdinandus Caſtrius Dienſis arcis ſervatæ præcipuum tert decus. 186. CXXII.

Ferdinandus Deza in Indica expeditione ſub Nonnio Acunia militat. 164. XCVII.

Ferdinandus S. Franciſci Borgiæ filius. 7. XI.

Ferdinandus Lucius cum Pizarro, & Almagro de Peruviæ conquiſitione deliberat. 147. LXX.

Ferdinandus Maſcarenias Luſitaniæ Regis orator ad Concilium Tridentinum. 246. VIII. Templum Montis majoris Minorum Obſerv. ſacris capitibus SS. Philippi Apoſtoli, & anonymi martyris nobilitat. ibidem.

Ferdinandus Pizarrus, Franciſci Pizarri frater, & Peruvianæ expeditionis comes. 149. LXXII. 151. LXXVII.

Ferdinandus Romanorum Rex Senienſem Sancti Spiritus Ædem Obſervantibus attribuit. 243. XXXIII. Ejus laus. 89. I.

Ferdinandus a Silva comes Centifontanus Soro-

Sororibus Tertii Ordinis Monaſterium condit. 34. LVII.
Ferdinandus Sotus ad Atabalipam Regem legatus. 151. LXXVII. Cuſconem ad aurum conficiendum mittitur. 153. LXXX.
Florentius Burgonius in Obſervantibus vir doctus, S. Auguſtini operibus illuſtrandis incumbit. 30. XLVIII.
Franciſcanæ Virgines ut per Generalem Ordinis Miniſtrum in quibuſdam Monaſteriis reformentur, jubet Summus Pontifex. 221. IV. Franciſcanis a Virginibus ne quæſtores Romanæ Curiæ Decimas exigant, niſi certis conditionibus cavet. 216. CLXXIII.
Franciſcani plerique in Concilio Tridentino de certa per fidem ſuſceptæ gratiæ notitia inter ſe diſſident. 145. LXVI. Franciſcani Martyrio illuſtres in Japonia. 248. III. Franciſcani dum æris campani ſonitu ad ſtatas nocturnas preces evocantur, aleator perditæ vitæ adoleſcens ad bonam frugem convertitur, & eorum induit habitum. 324. VIII. V. *Joannes Paſchalis*. An Franciſcanorum Generales Præfecti de principatu, & dignitate in Tridentino Concilio certaverint. 93. III. V. *Minores*. *Obſervantes*. *Reformati*. *Excalceati*. *Conventuales*. *Capuccini*. *Tertius Ordo*.
Franciſcanus Ordo piam ſententiam de Immaculata Deiparæ Virginis Concetione egregie defendit. 131. XXXIV. & & ſeqq.
S. P. Franciſci ope Theodoſius Brigantinus Dux diu expetitam maſculinam prolem ſuſcipit. 243. XXXI.
S. Franciſci Urbs Regni Quitenſis. 155. LXXXV.
Franciſci Cardinalis Quinonii æterna de felicitate Bernardinus Laredus Obſervantium Laicus nuntium accipit. 103. XXV.
Franciſcinus Vicedominus Min. Convent. Concilio Tridentino ſuam operam locat. 125. XXVII. Suam de inhærente nobis juſtitia eleganter exponit ſententiam. ibid. Hæbraice, & Græce ſciens ac eloquentia clarus extitit. 125. XXVIII. Concionem ad Concilii Patres habet. ibid. Ejuſdem magna vis in actione. 126. XXVIII. Multa ſcripto edidit. ibid.
Franciſcus Ælinus primum Obſervans, dein Capuccinus vir illuſtris. 12. XX. Capuccinorum Vicarius Generalis rebus ſuæ familiæ optime conſulit. 59. V. Capuccinos ducentos ad feſtum Portiunculæ Aſſiſium mittit, & quare. ibid.
Franciſcus Aragonius. V. *Franciſcus Victoria*.
Franciſcus Bartholomæi Provinciæ Tuſciæ Cuſtos, Definitor Generalis. 259. II.
Franciſcus Bordonus. V. *Bordonus*.
S. Franciſcus Borgia Ordini Franciſcano addictiſſimus. 7. XI. A Miniſtro Generali Seraphici Ordinis cum tota ſua domo ad bonorum omnium totius Religionis participationem admittitur. ibid. Ejuſdem erga Minores Obſervantes amoris, & benevolentiæ cauſæ, & motiva. 8. XII. Binæ ejus conſanguineæ Sanctimoniales Franciſcanæ. 8. XIII. Quarum una ejus ortum, nomen, & ſanctitatem genitori prænuntiat. ibid. Earum precibus in ortu a manifeſto interitus periculo liberatur. 8. XIV. Adoleſcens earundem exhortationibus, & exemplis ad ſanctitatem informatur. ibidem. Ejus hortatu Joanna Auſtriaca Clariſſis Cœnobium condit. 8. XV. Ex Obſervantibus plures eidem familiares. 9. XVI. Qui conſilio, & exemplo eidem ad perfectionis culmen viam ſternunt. ibid. Præſertim Joannes Texeda. ibid. V. *Joannes Texeda*.
Franciſcus Carticellus Definitor Generalis. 220. III.
Franciſcus Celicus Obſervantium Sacerdos in America Miſſionarius. 94. VI
Franciſcus Fernandeſius Clariſſis Cœnobium ædificandum curat. 216. CLXXIV.
Franciſcus Franciſci Pizarri frater, & navigationis ad Peruvianas terras comes. 149. LXXII.
Franciſcus Frexenalis Obſerv. in Cilen proficiſcitur. 328. XIX.
Franciſcus I. Galliæ Rex quo anno Ticinum obſedit. 54. XXXVIII. Ariadenum Barbaroſſam inſignem piratam contra Carolum V. evocat magno Italiæ ac rei Chriſtianæ detrimento. 65. XX. Ut Hiſpaniæ oram devaſtet, non permittit. 74. XII. Ejus laus ibid. & 89. I. Imaginem Antonii Sylveriæ expetit præſtantium Virorum, ac Ducum tabulis inſerendam. 174. CVIII. In Ticini obſidione prælio victus in hoſtium manus venit. 236. XXIII. Ad Philippam Lotharingicam Clariſſam datis litteris, ab ea de rebus maximis conſilium petit, ſeque ejus orationibus commendat. 234. XXII.
Franciſcus Gama de Conventu Videguaræ optime meritus. 108. XLV.
Fraciſcus Goveanus. 170. CIII. Inſignis conſtantiæ ſpecimen dat. 172. CV.
Franciſcus Henriqueſius Obſervantibus Cœnobium condit. 54. XXXV.
Franciſcus Lambeſii Comes, Philippæ Lotharingicæ natu minimus. 232. XX.

Franciſcus Lotharingus, Philippæ Lotharingicæ filius, dum Regem Galliæ Ticini periculo conatur eripere, interficitur. 236. XXII. Mater de ipſius morte confeſtim Divino monitu edocetur. ibid.

Franciſcus Lotharingiæ Dux in Obſervantium Æde ſepultus. 236. XXV.

Franciſcus Menceſius Luſitaniæ auxiliariæ Claſſis Præfectus Dium appellit. 188. CXXIV. In pugna occumbit. 189. CXXV.

Franciſcus Moralis in Cuſco Americæ Miſſionarius. 94. VI.

Franciſcus Onuphrius. 10. XVII.

Franciſcus Pactenſis quid egerit in Concilio Tridentino, ne Regulares ſuis ſpoliarentur immunitatibus. 126. XXX.

Franciſcus Palæmon ex Obſervante Capucinus ab innocentia & eloquenria commendatur. 73. XI. De eo Boverii commentum refellitur. 74. XI.

Franciſcus Patiecus Rumæo Caſtello Præfectus. 170. CIII.

Franciſcus Pizarrus veteranus miles de aliquo terræ tractu in America detegendo, & acquirendo cum ſociis deliberat. 147. LXX. Ad Peruvianos explorator mittitur. ibidem. Ejus cum Almagro nova expeditio. 148. LXXI. Utriuſque pericula, labores, & calamitates. ibidem. Ab immanibus Hydris magna uterque accipit incommoda. ibidem. Ad Galli inſulam ſecedit. 148. LXXII. Ei Almagrus commeatum ſubmittit. ibidem. Panamam redit. ibidem. In Hiſpaniam contendit. 149. LXXII. A Carolo V. occupandæ Peruvianæ regionis præfecturam impetrat. ibidem. Cum ſuis Fratribus Panamam redit. ibidem. In Punam inſulam trajicit. ibidem. Ejus ex Punenſium perfidia diſcrimen. ibidem Tumbæum procedit. 194. LXXIV. Tumbæos fundit, & fugat. ibidem. Guaſcar ab eo contra Atabalipam fratrem auxilium per legatos petit. 149. LXXV. Eidem morem gerit. 150. LXXVII. Ad Atabalipam Ferdinandum Solum legatum mittit. 151. LXXVII. Tum Ferdinandum fratrem. ibid. Ejus cum Atabalipa prælium. 152. LXXVII. & ſeqq. Ipſum capit, ejuſque fugat exercitum. 252. LXXIX. Captivus Rex pro libertate immenſam auri vim eidem ſpondet. ibid. Ad hanc conficiendam Solum, & Barum mittit. 153. LXXX. Majorem ei auri copiam promittit Guaſcar. ibid. Duobus fratribus e vivis ſublatis, florentiſſimum Regnum in Pizarri fidem & poteſtatem cedit. ibid. Vectigale aurum, & Peruvianæ expeditionis narrationem ad Carolum V. mittit. ibid. De ipſo Ynca Garillaſſus. 154. LXXXIII. Et Antonius Colancanus. 155. LXXXIV. Limæ interficitur. ibid.

Franciſcus Quinonius Generalis Ordinis Miniſter Italos Obſervantes in officio continet. 17. XXX. V. *Cardinales Protectores. Bernardinus Loredus.*

Franciſcus Rincomius Obſerv. de Conventu Arequipæ, deque Populo Americano optime meritus. 328. XVIII.

Franciſcus Riverterius de Salandriæ Conventu optime meritus. 53. XXIX.

Franciſcus Romæus Dominicanus contra edictum Caroli V. *Interim* nuncupatum ſcribit. 245. II.

Franciſcus Ruizius Tertii Ordinis Sororibus Ædes auget. 67. XXVI.

Franciſcus Salazarius Obſerv. in Concilio Tridentino de juſtificatione ſententiam dicit. 123. XXIII. Salaminæ Epiſcopus deſignatur. ibid. Orationem habet ad Patres Concilii 124. XXIII. Et in funere Cardinalis Creſcentii. ibid. Ejus judicium de juſtificationis certitudine. 145. LXVI.

Franciſcus a Saviliano Obſervantium Sacerdos novi Conventus Follani auctor. 216. CLXXV.

Franciſcus Silvius. 194. CXXX.

Franciſcus Tiburtinus Conv. erga Clariſſas Tiburtinas incuriæ notatur. 66. XXIII.

Franciſcus Toletus Peruviæ Prorex, ut Minores Obſervantes in Guaxamalcæ Provincia rurſus Paræcias adminiſtrent, popularium rogatu mandat. 160. XCII.

Franciſcus a Torriſa Obſerv. de Conventu Arequipæ, deque Populo Americano optime meritus. 328. XVIII.

Franciſcus a Turre in Obſervantibus Concionator egregius, & S. Franciſco Borgiæ familiaris. 9. XVI.

Franciſcus Victoria e Familia Obſervantium in Peruvianum Regnum Præſes mittitur. 94. VI. Cum ſociis aliquot Peruviam ad Evangelium diſſeminandum proficiſcitur. 155. LXXXIV. & ſeq. Fuit in Peruvia primus Præfectus Generalis Obſervantium. 159. XCI. Ad S. Fidei Provinciam fundandam deſtinatur. 254. XI.

Franciſcus Villarr in aula Caroli V. inter Nobiles Ephebos vivit. 96. XIII. Ab aula clam recedit, & quare. ibid. Inter Obſervantes Laicos cooptatur. ibid. Ejus animi ſubmiſſio, ac vitæ aſperitas. ibid. Et obitus. ibid.

S. Franciſcus Xaverius ad Indicas Gentes a Summo Pontifice mittitur. 38. II. Joanni Alburquercio ex Obſervantium Fa-

Familia Goano Antiſtiti obſequium præſtat. ibid.. A quo perhumaniter accipitur, ſemperque in honore & amore habetur. ibid. Rem Chriſtianam egregie promovet in Oriente. 70. II. Cum duobus Sacerdotibus ex Obſervantium familia morienti Joanni Caſtrio Indiæ Proregi aſſiſtit. 195. CXXXI. Joannes Luſitaniæ Rex jubet eidem Caſtrio ut cum eo conſultationem habeat. 200. CXXXVI. Ad Japonios D. Xaverius proficiſcitur. 147. III. Evangelii lucem in Japoniorum inſulas primus infert. ibid. Bonziorum ad mores, ut eas Gentes Chriſto lucrifaciat, in auguſtioribus veſtimentis, & aliis, quantum fas eſt, ſe conformat. ibid. Munera prius inibi ignota Regi offert. ibid. A Rege ſibi vicißim oblata munera modeſte rejicit. Ibid. Qua de re ipſius animum & benevolentiam ſibi conciliat. ibid. Quæ ibi Evangelii diſſeminandi cauſa geſſerit. ibid. & ſeq. Obit. 257. II.

Franciſcus Zamora Segobricenſes ſibi devincit. 253. IX. Extitit Miniſter Generalis totius Ordinis S. P. Franciſci. ibid. & Commiſſarius Generalis Romanæ Curiæ. 260. II.

Fridericus Elector Palatinus in Caroli V. Cæſaris gratiam recipitur. 113. I.

Fridericus Saxoniæ Dux arma movet in Carolum V. Cæſarem. 113. I. Capitur a Cæſarianis. 219. I.

Fulginienſi in Monaſtetio tres Clariſſæ virtute præſtantes obeunt. 82. XXXI. Tres Virgines virtutum ſplendore illud nobilitant. 218. CLXXX.

G

GAbriel Taparellus Franciæ Pariſienſis Miniſter, & Definitor Generalis. 259. II.

Galli, & Turcæ Nicæam oppugnant. 70. I. A Cæſarianis repulſi fugiunt. ibid.

Galli inſula Americæ. 148. LXXII.

Galliæ Rex Philippus Obſervantibus Cœnobium condit. 216. CLXXVI. V. *Franciſcus primus Galliæ Rex*.

Gamma. V. *Stephanus Gamma*.

Gandavenſium a Proceribus Legati de pace ad Regem Galliæ. 225. XII.

Garzias Noronia Nonnio Acuniæ Succeſſor in Indica Præfectura deſignatur. 175. CIX. Joannem Albuquercium Epiſcopum, & Vincentium a Lacu ex Obſerv. familia ſecum adducit. ibid. Legatos de pace ad Mamudium Cambajæ Regem mittit. 175. CX. Pacis leges. ibid.

Gaſpar Avalus Aecitanus Antiſtes. 99. XVI.

Gaſpar Bannius Luſitanus Gaxamalcanæ Provinciæ Præfectus deſignatur. 160. XCII.

Gaſpar Contarenus Cardinalis Bononiæ Legatus. 13. XXIII Bernardinum Ochinum hoſpitio recipit. ibid.

Gaſpar Singuellus Panamæ Conventus in America Guardianus. 256. III.

Gaſtaldus Vilnenſis ex Obſervantibus Epiſcopus & Martyr cum ſociis. 60. X. Ejus, & ſociorum elogium. 61. X.

Geldria in clientelam Maximiliani Burgundiæ Ducis ſe tradit. 227. XIII. Hinc novum bellum in Belgio. ibid. Eam gubernat Catharina Caroli, & Philippæ pupillorum amita.

Geldriæ Dux Arnoldus Adolphi Egmontii pater. 222. VIII. Geldriæ rerum Scriptor Iſacius Pontanus. V. *Iſacius Pontanus*.

Geldrienſes Gallorum Regi, & Epiſcopo Leodienſi ſe conjungunt. 226. XIII.

Georgius Obſerv. Laicus a Barbaris necatus. 96. XII.

Georgius Macropedius. 326. XI.

Gerardus Voſſius Antonio Guevaræ ſubiniquior refellitur. 100. XVIII.

Germaniæ laudes. 90. I.

Germanus Aubertus Ultramontanæ familiæ Ordinis Minorum Commiſſarius Generalis. 4. VII. Eligitur Definitor Generalis. 220. III.

Geſnerus. 100. XVIII.

Giennenſis Cardinalis Concilio Tridentino intereſt. 146. LXVII.

Goæ plures Indi baptizantur. 112. LIII.

Goleti arx a Carolo V. ſubacta. 18. XXX.

Gonzagæ domus in Franciſcanos effuſa charitas. 4. VI. Ad communionem bonorum totius Seraphicæ Religionis admittitur a Generali Ordinis Miniſtro. 7. XI.

Gorgona Americæ inſula. 148. LXXII.

Goritiæ Deiparæ juſſu eidem Templum dedicatur. 76. XVIII. Quod ſubiide Obſervantibus attribuitur. ibid. In hujus Templi ara maxima locatur lapis mire inſcriptus repertus. ibid.

Gregoria e Vicecomitum familia de Monaſterio S. Michaelis Archangeli Tiburis optime merita. 66. XXIII.

D. Gregorii Magni de noſtræ juſtificationis incertitudine ſententia. 146. LXVI.

Gregorius Boſnenſis ſacri Montis Syon Guardianus, & Paleſtinæ Cuſtos. 71. IV.

Gregorius ViſuntinusExcalceatorum Laicus, mirus ſui corporis domitor. 75. XIV. Ejus humilitas. ibid. A nobilibus viris

viris magno habetur in honore. ibid. Ejus mira ſimplicitas. ibid. Et obitus. ibid.
Guardiani ſacri Montis Syon, & Paleſtinæ Cuſtodes, Dionyſius Saornianus. v. vii. Gregorius Boſnenſis. 71. iv. Hunc ad continendos in officio Maronitas magna a Summo Pontifice poteſtas data. ibid. Bonaventura Corſetus Illyricus. 220. iii. Bonifacius Raguſinus. 260. ii.
Guaſcar Inga Rex cum Atabalipa fratre de Quitonici Regni poſſeſſione dimicat. 149. lxxv. A Franciſco Pizarro auxilium petit. ibid. & 150. lxxvi. A fratre capitur. 151. lxxvii. Sotum, & Barum alloquitur, ac Pizarro majorem auri copiam ac frater ſponderat, promittit, &quare. 153. lxxx. De qua re certior factus ejus frater ipſum occidi jubet. ibid.
Guatimala a Petro Alvarado ſubigitur. 153. lxxxi.
Guatimalæ Provinciæ Cœnobia aliquot recenſentur. 65. xxii.
Guidiccionus Cardinalis Divini, humaniquc juris ſcientiſſimus, judicii & æquitatis laude commendatur. 217. clxxviii.
Guillelmus Egmontius moritur. 226. xiii. Ejus laus. ibid.
Guliclmus Marcanus Arembergius Leodienſem Epiſcopum nefarie interficit. 226. xiii. Cum Renato Lotharingiæ Duce conferre capiit inſtituit. 227. xiv.
Guzarates Bazainum recuperare aggrediuntur, ſed inani conatu. 175. cx.
Gynacava Quitonicum Regnum ſubjugat. 149. lxxv. Et Atabalipæ filio natu minimo ante mortem legat. 150. lxxv.

H

Hæretici de Tridentino Concilio abrogando conſultant. 113. i. Pelluntur ex Anglia. 259. i. Hæreticorum mos. 210. cliii.
Hambercurtus vir bello egregius. 225. xi.
Hebraicæ Scripturæ interpretatio quare difficilis. 118. xiii. & 119. xiii. hebraice vetus ſcribendi ratio. 118. xiii.
Helvetii a Carolo Burgundiæ Duce ſibi metuunt. 223. ix. Burgundionis in ipſos crudelitas. 224. x. Subinde eo fuſo injurias vindicant. ibid. Ipſis ſe jungit Renatus Lotharingiæ Dux. ibid.
Henricus VIII. Angliæ Rex divortium facit cum Catharina Auſtriaca conjuge. 25. xxxviii Ejus flagitia. ibid. Anglicanæ Eccleſiæ principatum affectat. ibid. Illuſtres viros ſupplicio afficit. ibid. A Cardinali Polo reprehenditur. ibid. Hibernos in ſententiam trahere conatur. 26. xxxix. Hiberniæ Regis titulum uſurpat. ibid. Minores Obſervantes evagitat. ibid. Conventuales bonis ſpoliatos Dublino expellit. ibid. Ejus diploma. ibid. Obſervantium Cœnobia ac res familiares ſub haſta ponit. 28. xl. Poſt tot rapinas pauper. 114. ii. Obſervantes e Londinenſi Cœnobio pellit. 213. clxiii. Ejus crudelitate Minorum familia in Anglia diſſipari cœpta. ibid. Moritur. 219. ii. Hæredes ab eo inſtituti, & tutores Eduardo filio adjuncti. ibid. Aulicorum, & paraſitorum turba impediit, ne ante obitum Eccleſiæ reconciliaretur. ibid.
Henrici Caniſii de opere Andreæ de Vega judicium. 117. xi. & ſeq.
Henricus Cardinalis, exinde Luſitaniæ Rex, erga Minores Obſervantes benevolus eiſdem Cœnobium prope Eboram ædificat. 76. xx Quo pietatis cauſa ſæpe divertere conſuevit. ibid.
Henricus Suffolcius. 259. i.
Hermannus Colonienſis Archiepiſcopus hæreticus 219. i. In ejus locum Adolphus ſufficitur. ibid.
Herrera. V. *Cyprianus Herrera*.
Hiberni Catholici ab Henrico VIII. exagitati. 25. xxxix. Obſervantium & Conventualium Hibernorum ſtatus. V. *Obſervantes*. *Conventuales*. Hibernicæ Provinciæ Minorum Obſerv. amplitudo, at dignitas. 29. xliii. Eorum Collegia extra Hiberniam. ibid. In Hibernia Virgines Franciſcanæ Cœnobia obtinent, at poſtea expelluntur. 29. xliv. Tertii Ordinis ſtatus in Hibernia. 29. xlv.
D. Hieronymus Vulgatæ reſtitutor. 119. xix.
Hieronymus Ferrarius Tertii Ordinis Profeſſoribus domicilium conſtituit. 212. clx.
Hieronymus a S. Juliano Cretenſis Provinciæ Miniſter. 5. vii.
Hieronymus Lanza Sodalitium inſtituit Solitariorum regulam S. P. Franciſci profitentium. 255. xvi. Ejuſdem Sodalitii leges approbat Julius III. ibid. Hoc Sodalitium diſſipat Pius IV. ibid.
Hieronymus Meneſius Bazaini Præfectus. 178. cxiv.
Hieronymus Paganacius. 203. cxlii. Ejus ortus, primumque vitæ inſtitutum. ibid. Inter Canonicos Eccleſiæ Montis Politiani cooptatur. ibid. Ad Obſervantium ſodalitium aggregatur. ibid. Ardores ejus in ſtudio pœnitentiæ. ibid. Navigat in Paleſtinam, & loca ſancta per-

perluſtrat. ibid. & ſeq. Id agens ingenti gaudio perfunditur. 204. CXLII. In Italiam redit, & ad Capuccinorum Congregationem tranſit. ibid. Ejuſdem animi ſubmiſſio. ibid. Precandi, reſque Divinas meditandi aſſiduitas mira. 204. CXLIII. Suas omnes actiones ad perfectam vivendi formam quotidie dirigit. ibid. Deiparæ Virginis ope caſtitatem egregie ſervat. 205. CXLIII. Evangelicam paupertatem ad extremum uſque ſpiritum conſtantiſſime colit. 205. CXLIV. Divini Numinis gratia floret. ibid. Romanæ Provinciæ, dein Bononienſis Miniſter creatur. 205. CXLV. Eximia edit Chriſtianæ demiſſionis exempla. ibid. In cuſtodia diſciplinæ ſeveritatem cum lenitate conjungit. 206. CXLV. Ejus obitum conſequuta Divino nutu prodigia. 206. CXLVI.

Hieronymus Paphius Tarentino in Epiſcopatu Vicarius Comitiis Generalibus Tertii Ordinis præeſt. 202. CXXXVIII.

Hieronymus Tertius Bergomas Obſervantium Sacerdos prudentiæ laude clarus variis legationibus fungitur. 30. XLIX. Obit magno ſui deſiderio relicto. ibid.

Hieronymus a Villa Carilla Minorum Obſerv. Peruviæ Cuſtos deſignatur. 156. LXXXV.

Hilermus princeps Legatorum a Maria Burgundiæ Ducis filia ad Galliæ Regem quid geſſerit. 225. XI.

Hippolytus Ateſtinus Cardinalis magnificæ villæ Eſtenſis Tyburtinæ conditor. 66. XXIII. Ejuſdem pietatis actus notabilis. ibid.

Hiſpani Peruvianam conquiſitionem aggrediuntur. 147. LXX. & ſeq. Eorum pericula, labores & calamitates. 148. LXXI. & ſeq. Tres Hiſpani exploratores Diis inanibus immolantur. 149. LXXIII. Peruvianum Regnum in eorum cedit poteſtatem. 153. LXXX. Palatium Atabalipæ Regis a profano cultu expiatum D. Antonio Patavino dicant. 156. LXXXVI. Urbem ſancti Joannis in Chachapaja condunt. 158. XC.

Hiſpaniæ civile bellum Antonii Guevaræ Obſerv. artibus opprimitur. 97. XV. V. *Antonius Guevara*.

Hiſpanorum militum avaritia, & in Americanos crudelitas. 95. IX.

Hiſtoria in Franciſcana jucundiſſimæ lectionis ampla materies. 2. I.

Honorio Imperatori Maria Stiliconis filia deſpondetur. 70. III.

Horologium Principum utiliſſimum Antonii Guevaræ opus. V. *Antonius Guevara*.

Hugo Latimerus facetus concionator hæreſim in Britanniam inducit. 219. II.

Hurtadus Mendoza Conceptioniſtis Virginibus Cœnobium condit. 67. XXVI. Suaque bona eiſdem tribuit. ibid.

Humilitas ceterarum virtutum procreatrix. 204. CXLII.

Hydræ immanes, *Caimanes* vocatæ, in oſtiis fluminum Americæ. 148. LXXI.

I

JAcobus Almeida Idalcanis Decanii Regis copias fundit, & fugat. 193. CXXIX. Fortiter pugnat. 194. CXXX.

Jacobus a Borba Clericus eximius concionator, comes & adjutor Albuquercii Epiſcopi Goani. 175. CIX.

Jacobus Eugubinus non inter Capuccinos, ſed inter Obſervantes Reformatos numerandus. 18. XXX. Ejus itinera amplificandæ Religionis cauſa. ibid. Apud Drepanum in Sicilia domicilium ponit. 18. XXXI. Cardinalis Pœnitentiarii ad ipſum litteræ. ibid. Orandi aſſiduitate, & concionandi facultate excellit. 19. XXXII. Dictum ejus egregium. ibid. Sodalitium Tertii Ordinis condit. ibid. qui de eo ſcripſerint. 21. XXXIII.

Jacobus Lacteus. 180. CXVII. & ſeq.

Jacobus Lupius Sofa loco Sylveriæ Dienſi arci præpoſitus. 175. CX.

Jacobus Peregrinus cum Martino a S. Maria ſocietatem iuit. '47. XVII.

Jacobus Pigeonius Minores Obſervantes ab Anglis hæreticis vexatos & oppreſſos recipit, fovetque. 216. CLXXVI.

Jacobus Sylveria ſub Nonnio Acunia in Indica expeditione ſtrenue dimicat. 163. XCVI. & ſeqq.

Jacobus Softerius Romanæ Curiæ Commiſſarius Generalis. 49. XX.

Jacobus a Teſtera Indicarum Provinciarum Præfectus creatur. 5. VII. Et Americæ Generalis Commiſſarius. 50. XXII. Egregios viros e ſua Obſervantium familia delectos in varias Regiones diſtribuit. ibid. Fuit in Aula Cæſaris concionator. 51. XXII. Ejus induſtria in impertiendo Mexicanis Evangelio. ibid. Ejus zelus & humilitas. ibid. Laboribus confectus obit. ibid.

Ad Japonios proficiſcitur S. Franciſcus Xaverius. 247. III. Eo affert munera illis antea ignota. ibid. Franciſcani glorioſo Martyrio in Japonia illuſtres. 248. III.

Jaquelina illuſtris femina fundum Obſervantibus ad Cœnobium ædificandum attribuit. 216. CLXXVII.

Idalcan Decanii Rex Luſitanos laceſſit.

ſit. 193. CXXIX. Ejus copias Jacobus Almeida fundit fugatque. ibid. Ejus maritimum Oppidum a Joanne Caſtrio capitur & incenditur. ibid. In Salſetanum agrum militiam mittit. 194. CXXX. Mahometanorum ædita ſtrages, & cæſorum numerus. ibidem. V. *Luſitani*.

Ignatia Corella in Matritenſi Monaſterio, Maria Gabriela ſibi apparente, ad Cœlum evocatur. 9. XV.

S. Ignatius Loyola inclytæ Societatis Jeſu conditor Joanni Texedæ Ordiuis Minorum familiaris. 10. XVII. Eundem Eliſabetha Roſella Clariſſa ſuis opibus juvat. 106. XXXIX.

Ignatius de Loyola Ordinis Minorum de Obſervantia Diſcalceatorum Epiſcopus Paraguajenſis D. Franciſco Borgiæ familiaris. 9. XVI.

Ildefonſus S. Franciſci Borgiæ filius. 7. XI.

Imagines ſacras ab etnicis pingi, aut vendi vetat Luſitaniæ Rex. 201. CXXXVI.

Inca Peruani Regis conſanguineus paulo poſt acceptum Baptiſmum obit. 94. VI.

Indi capitis verticem ad coronæ ſimilitudinem abradunt. 161. XCIV. Indi Chriſtiani Thomæi dicti. 195. CXXXII. Indi Malabares D. Thomam Apoſtolum magno habent in honore. 197. CXXXIV. Indorum multi Chriſti Fidem retinent. ibid. Eorum ritus, & cæremoniæ. ibid. Ad Indos Minores Obſervantes navigant Evangelii diſſeminandi cauſa. 197. CXXXV.

Indica Luſitanorum expeditio. 160. XCII. & ſeqq. Indicæ Eccleſiæ qui ſtatus & mores. 199. CXXXVI. Indicum bellum Luſitani adverſus Mahumetanos ſuſcipiunt. 160. XCII. In eo Obſervantes Eccleſiæ, Luſitanoque Regi ſuam operam locant. ibid. V. *Luſitani*. *Obſervantes*.

Indulgentia Portiunculæ. 59. V.

Inquiſitorum contra hæreticam pravitatem judicio Minores non fore obnoxios, qui Pontifices decrevere. 54. XXXVII.

Interdicti tempore Sacra peragi poſſe in Eccleſiis Tertii Ordinis certis præſtitutis diebus indulget Summus Pontifex. 243. XXXV.

Interim Edictum Caroli V. a quibus impugnatum. 245. II.

Joachimus Vadianus Joannem Velinum ſuum olim præceptorem indignis modis exagitat. 210. CLII.

Joanna Auſtriaca Caroli V. filia Matriti Clariſſis Cœnobium condit. 8. XV.

Joanna Caroli V. mater. 97. XV.

Joanna Caſtriota Conventum S. Didaci Neapoli Obſervantibus fundat. 53. XXVIII. Et attributo Noſocomio ampliat. ibid.

Joanna Craja Henrici Soffolcii filia, Mariæ & Eliſabethæ ab Eduardo Angliæ Rege ſubſtituitur. 259. I.

Joanna S. Franciſci Borgiæ filia. 7. XI.

Joanna de Maneſes. 7. XI.

Joannes Albuquercius ex Obſervantium familia Goanus Epiſcopus. 38. II. Ei S. Franciſcus Xaverius obſequium præſtat. ibid. Quem vicillim ſemper honore & amore proſequitur. ibid. Cum Garzia Indiæ Prætecto in Indiam proficiſcitur. 175. CIX.

Joannes Alencaſtrius Dux Averanus, Arabidæ dominus, ad hunc montem incolendum Martinum a S. Maria, & S. Petrum Alcantarenſem deducit. 41. IV.

Joannes Amaja de Conventu Beſipponis optime meritus. 258. IV.

Joannes Anchuſſenia Epiſcopus Kiovienſis. V. *Stanislaus Cracovienſis*.

Joannes ab Angelis Joannæ Auſtriacæ a ſacris Confeſſionibus. 9. XVI. Miniſter Provinciæ S. Joſeph, & S. Franciſco Borgiæ familiaris. ibid. varios aſceticos libros ſcripſit. ibid.

Joannes Aquilanus S. Petri de Alcantara ſocius, ac diſciplinæ æmulator. 47. XV. Excalceatorum Familiæ amplificandæ incumbit. ibid. Ejus vitæ genus aſperrimum in Arabida. ibid.

Joannes ab Aquis Lupis Provinciæ S. Gabrielis fundator. 14. XXV.

Joannes Ataidius. 194. CXXX.

Joannes Baptiſta a Caſtilione Provinciæ Mediolanenſis Miniſter, Definitor Generalis. 220. III.

Joannes Baptiſta Vinonius Juriſconſultus inter Obſervantes Laicos adſcribitur. 102. XXIV. *Opus*, *Speculum conſcientiæ* inſcriprum edit addito alterius nomine. ibid. Ejus obitus, & laus ibid.

Joannes Barbarus Venetus Provinciæ ſancti Antonii Cuſtos, Definitor Generalis. 5. VII.

Joannes a S. Bernardo Excalceatus S. Petri Alcantarenſis in Miniſteriatu ſucceſſor, & vitæ æmulator. 11. XIX.

Joannes Bruſtemius doctrinæ laude celebratur. 104. XXX.

Joannes Calerus Obſervantium Laicus in America clarus. 13. XXXVI. Perduelles Neophytos ad officium revocare aggreditur. 24. XXXVI. Ab eis interficitur. ibid. Tres ejus ſocii necantur. ibid. Ejus corpus in Eccleſia ſui Ordinis honorifice conditur. ibid.

Joannes Calvus, ſeu de Calvis in Generalem Miniſtrum totius Ordiuis Fra-

trum Minorum eligitur. 4. VII. Ejus epiſtola ad Clementem Monilianum Ordinis Procuratorem Generalem. 5. IX. A Summo Pontifice confirmatur, & Legatus ad Principes amandatur. 7. X. Ejus Epiſtola ad S. Franciſcum Borgiam, & totam illius Domum. 7. XI. Quam egregie dilaudat, & ad bonorum totius ſuæ Seraphicæ Religionis communionem admittit. ibid. Ad Luſitanum Regem a Pontifice Legatus mittitur. 47. XVII. Excalceatos in Arabida inviſit, eiſque favet. ibid. Ne Fratres Minores Inquiſitorum judicio ſubjaceant, a Pontifice impetrat. 54. XXXVII. Picenam Provinciam bifariam diſtribuit: 71. VI. Similiter & Provinciam Campaniæ ſelicis. 72. VII. Tridentino intereſt Concilio. 84. I. In quo de juſtificatione ſubtiliter diſſerit. 115. VI. Ejus de juſtificationis certitudine ſententia. 145. LXVI. Moritur Tridenti. 220. III. Poſt ejus obitum Miniſter Provinciæ Venetæ convocat Affiſium Patres conſcriptos. ibid.

Joannes Cameratenſis virtute inſignis. 51. XXIV. A Dæmone impetitus, Deiparæ ope mire ſervatur. 52. XXIV.

Joannes Caſtrius Indiæ Prætor. 178. CXIV. Goæ apparat claſſem in Dienſis arcis a Mamudianis oppugnatæ auxilium. 189. CXXVI. Alvarum Acuniam cum navibus aliquot obſeſſos adire jubet. 190. CXXVI. Copias contrahit, & Cambaicam oram populatur. ibid ejus juſſu Maſcarenias hoſtium aggeres quatit. ibid. Dium claſſe ſubvehitur. ibid. Certamen experiri conſtituit. ibid. Ejus ſalubre conſilium. ibid. Capias emittit. ibid. Celebri parta victoria largitori Deo ſupplicationes haberi jubet. 192. CXXVIII. Munitiones hoſtium diruit, & arcem reficit. 193. CXXVIII. Goam revehitur. ibid. Contra Idalcanem Decanji Regem Jacobum Almeidam cum modicis copiis mittit. 193. CXXIX. Pondam Caſtellum recipit, & evertit. ibidem. Mamudium Cambajæ Regem bellum reparantem claſſe perſequitur. ibidem. Oram Cambaicam populatur. ibid. It ei obviam Mamudius. ibid. Mamudianis referentibus gradum inſiſtit. ibid. Omiſſa pugna incolumem exercitum ad naves reducit. ibid. Maritimis excurſionibus Mamudii conatus reprimit. ibid. Confirmato Dienſi præſidio Goam revertitur. ibid. Dabulum Idalcanis maritimum oppidum capit, & incendit. ibid. Contra exercitum Idalcanis proficiſcitur, & hoſtium veſtigiis acriter inſiſtit. 194. CXXX. Diviſis copiis ad pugnam ſe parat. ibid. Luſitanos inconſulte antegreſſos ac repulſos adjuvat. ibid. Per media tela hoſtem aggreditur. ibid. Victoriam de hoſtibus reportat. ibid. Goam ſpecie triumphantis ingreditur. 195. CXXX. Pro-Regis titulo a Luſitaniæ Rege decoratur. ibidem. Ejuſdem obitus, ac laudes. 195. CXXXI. Eidem morienti D. Franciſcus Xaverius, duoque presbyteri ex Obſervantium familia adſunt. ibid. Ejus cadaver Minorum Obſervantium tunica indutum in eorum templo conditur. ibid.

D. Joannes Chryſoſtomus in Britannia fundatas Eccleſias, & Chriſto Altaria erecta fuiſſe commemorat. 245. I.

Joannes Coucilius Ordinis Minorum de Obſervantia Coucilio intereſt Tridentino. 124. XXV. Concionem habet ad Patres, & varia ibi exarat opuſcula. ibid. Ejus opinio de juſtificationis certitudine. 145. LXVI. Definitor Generalis Ordinis eligitur. 220. III.

Joannes a Cruce ex Obſerv. in America Miſſionarius. 94. VII.

Joannes Daventrienſis Definitor Generalis. 220. III.

Joannes Duntius Scotus Minorum omnium coryphæus in litteraria paleſtra. 131. XXXIV. Et Immaculatæ Deiparæ Virginis Conceptionis præcipuus ac maximus vindex. ibidem. Ab Oxonienſi Academia Lutetiam mittitur a Conſalvo Generali Ordinis Miniſtro, ut piam ſententiam publice tueatur. 131. XXXV. Eidem ante diſputationem oranti Deiparæ marmorea effigies caput inflectit. 132. XXV. Ea de re teſtimonia. ibid. Acerrime pro pia ſententia diſputat. ibid. Unde Doctoris ſubtilis cognomen ei acceſſerit. ibid. Hinc Minorum Ordinem ſibi devincit, & Scholæ Princeps appellatur. ibid. Hoc ordinis judicium confirmat Innocentius XII. ibid. Hanc Scoti diſputationem de illibato Virginis conceptu Natalis Alexander mordicus negat, ſed refellitur. 133. XXXVI. & ſeqq. De hac Scoti diſputatione D. Bernardini Senenſis teſtimonium. 133. XXXVII. Ex Scoti verbis deſumpta objectio Natalis Alexandri refellitur. 135. XL. Cur modeſte aliquando piam ſententiam defendat. 135. XLI. Quo in loco eam affirmative tueatur. 135. XLII. Quo anno diſputavit Lutetiæ pro illibato conceptu, jam pia ſententia per ejus ſcripta Oxonienſia per orbem diſſeminata erat. 136. XLIII. Ejus verba perperam adducit quidam hiſtoriæ Concilii Tridentini ſcriptor. 140. LII. Piam ſententiam nedum de poſſibili, ſed etiam de facto prævalidis confirmat argu-

argumentis. ibid. Ubi eam fidentiſſime affirmet. 140. LIII. Ejus cautela. ibid. Hominem citra Divinam revelationem ſuæ juſtitiæ ſcientiam poſſe adipiſci numquam aſſeruit. 147. LXVIII.
Joannes Fiſcherus Roſſenſis Epiſcopus ſub Henrico VIII. ſupplicio afficitur. 25. XXXVIII.
Joannes S. Franciſci Borgiæ filius. 7. XI.
Joannes Franciſcus Commendonus ad Mariam Angliæ Reginam Internuncius. 259. I.
Joannes Franciſcus Lormanus Feretranorum Epiſcopus de Obſervantibus Conventus Montis Maii beneméritus. 68. XXXI.
Joannes Fridericus Miniſter Provinciæ Belgicæ, Definitor Generalis. 5. VII.
Joannes Haya in Obſervantibus concionator inſignis. 82. XXXIII.
Joannes Herrera Obſervantium Laicus in Jucatanem miſſus. 50. XXII. In odium Fidei occiditur. ibid.
Joannes Hieroſolymitanus Obſervantium Sacerdos Hieroſolymitanis Chriſtianis ad pietatem, & vitæ cultum informandis operam navat. 253. VIII. Provinciæ Angelorum Miniſter eligitur. ibidem. Sacras inſulas ultro delatas recuſat. ibidem.
Joannes Jube ex Obſerv. Epiſcopus Conſtantinenſis in Numidia, & Barcinonenſis coadjutor. 53. XXVII.
Joannes II. Luſitaniæ Rex a Bernardino Laredo Obſerv. Laico ſanitati reſtituitur. 103. XXVI.
Joannes III. Luſitaniæ Rex. 199. CXXXVI. Ejus litteræ ad Joannem Caſtrium Indiæ Prætorem. ibid. In his Idola comminui jubet. ibid. Et Brachmanas Chriſtianorum tectis arceri. ibid. Munera quæſtuoſa Chriſti Neophytis confert. 200. CXXXVI. Cavet ne Indica mancipia ulli niſi Chriſtiano emptori addicantur. ibid. Fœneratorum licentiam coercet. ibid. Templum in honorem S. Joſephi conſtrui jubet. ibid. Et Evangelicis præconibus certam pecuniam numerari. ibid. Chriſtianos Thomæos in obeundis commerciis ab omni offenſione incolumes præſtat. ibid. Ritus quoſdam Ethnicos ab Cocini Rege abolendos curat. ibid. Eundem ad exercenda adverſus Neophytos immanitate conatur avertere. ibid. Eiſque annuam pecuniam decernit. 201. CXXXVI. Regium adoleſcentem ad Chriſti Fidem converſum erudiri jubet. ibid. Ac Ceilani tyrannum in Neophytos ſævientem graviter plecti. ibid. Edictum in Ethnicos artifices. ibid. Mandatum de quibuſdam Templis reficiendis, noviſque excitandis. ibid. Ethnicos vel invitos ad Evangelium audiendum convenire jubet. ibid. Tum e Salſetide, ac Bardeſianis finibus inanium Deorum ſuperſtitionem evelli. ibid. Salutaria hæc Regis mandata, & Prætoris edicta non omnia executioni mandata. 201. CXXXVIII. Ingentem pecuniæ modum ad alendos Franciſcanos, qui ad S. Mariam de Angelis Aſiſium ad generalia Comitia convenerant, elargitur. 220. III. Ad Mouræ Cœnobium Minorum Obſervantium abſolvendum eleemoſynam tribuit. 242. XXX.
Joannes Maria de Monte Epiſcopus Præneſtinus Concilii Tridentini Præſes. 84. I. Ejus de certitudine juſtificationis opinio. 146. LXVII. Pontifex Maximus renuntiatur. 250. I. De Concilio Tridentino reducendo deliberat. ibid. V. *Julius III.*
Joannes Maſcarenias Dienſis arcis Præfectus. 176. CXII. In locum Emmanuelis Soſæ cognomento Sepulvedæ. 177. CXIII. Sofaris ad eum litteræ adulatione, ac blanditiis conſperſæ. ibidem. Sofaris fraudem ſuſpicatus arcem munit. 178. CXIV. Et Caſtrium Indiæ Prætorem, alioſque de hoſtium apparatu edocet. ibid. Pari diſſimulatione reſcribit ad Sofaris epiſtolam. ibid. Ejus ad Sofaris mandata reſponſum. 179. CXVI. Sofare bellum aperte gerere incipiente Maſcarenias ſuos confirmat. ibid. Stationes, vigiliaſque in arce diſponit. 180. CXVII. Cambaicam oram navigiis tuendam curat. ibid. Per nuntios auxilium petit a Caſtrio Prætore. 181. CXIX. Item novum ab eo expoſcit auxilium. 185. CXXII. Novorum militum in eum convicia. 188. CXXIV. Eos prælium poſtulantes ac furentes fruſtra lenire ſtudet. ibid. Eis tandem annuit. ibid. Atrox prælium committitur. 189. CXXV. Maſcarenias eos increpat. ibid. Multis modis hoſtem vexat. ibid. Cœnobium Obſervantibus condit. 246. VIII.
Joannes Matthæus Gilbertus Veronenſis Epiſcopus. 13. XXIII.
Joannes a Metymna inter Capuccinos virtute inſignis. 72. IX.
Joannes Mornavichius ſcriptor vitæ Magdalenæ Budriliæ Tertii Ordinis. 66. XXIV.
Jnannes Neill Ultoniæ Princeps. 29. XLII.
Joannes Paſchalis Provinciam S. Joſeph Excalceatorum in Gallæcia fundare aggreditur. 14. XXV. Conventualium cœtui ſe adjungit. 14. XXVI. Poteſtas eidem facta a Magiſtro Generali Conven-

ventualium ædificandi Cœnobia in Hiſpania . 14. XXVII. In Inſula Gallaicæ terræ domicilium ponit. ibid. Ejuſdem, ſociorumque vitæ geous aſperrimum. ibid. Romam profectus, contendit a Pontifice poteſtatem aggregandi etiam Obſervantes. 15. XXVII. Epiſtola Pontificis ad eundem. ibid. Ei poteſtas a Pontifice facta recipiendi in ſuam familiam Obſervantes, aliorumque Ordinum alumnos . 17. XXVIII. Cœnobium ædificat apud Aquas Auguſtas. 17. XXIX. Vita ejuſdem ſummatim deſcribitur . 324. VIII. Ejus ortus. ibid. Poſt adoleſcentiam vitioſe traductam ad bonam frugem convertitur . ibid. Ejuſmodi ſuæ converſionis occaſio quæ. ibid. Inter Obſervantes cooptatur. ibid. Ad Excalceatos tranſit. ibid. Ejus virtutes. ibid. Epiſcopo Tidetano ſibi colaphum impigenti genuflexus alteram maxillam præbet. ibid. & ſeq. obit. 325. VIII. Ejus ſepulchrum piorum concurſu, & ſupplicibus votis celebratur. ibid.

Joannes Pizarrus Franciſci Pizarri frater & Pervanæ expeditionis comes. 149. LXXII.

Joannes Purcellus Fernenſis Epiſcopus. 30. L.

Joannes Renati Lotharingi & Philippæ Egmontiæ filius S. R. E. Cardinalis. 228. XIV. Ejus erga Matrem regulam S. Claræ profeſſam pietatis officia. 233. XXI.

Joannes Ricuccius Velinus Camers Conv. Sacerdos litterarum ſcientia illuſtris. 210. CLII. Viennæ in Auſtria Theologiam cum Græca Latinaque eloquentia profitetur. ibid. Ad Julium II. legatus a Maximiliano Cæſare. ibid. Romanorum Regis extitit præceptor. ibid. In multos auctores commentaria ſcribit. ibid. Vadianus hæreticus indignis modis ipſum exagitat. ibid. Picenæ Provinciæ præficitur. ibid. Apud Camertes Bibliothecam inſtruit. 211. CLII.

Joannes Royardus Obſerv. Sacerdos hæreticorum hoſtis acerrimus . 221. VI. Adverſus eos publice diſputat e ſuperiore loco. ibid. Scribit commentarios in Evangelica. ibid. Qui Colonienſi Archiepiſcopo maxime probantur. ibid. ejuſdem alia ſcripta. ibid. Familiæ præficitur in Scotia. ibid. Ejus reditus in Belgium, obitus, & laus. ibid.

Joanoes Soſa ſecularis Presbyter Franciſci Pizarri ſocius in Peruvia . 155. LXXXIV.

Joannes a Tavira floret. 104. XXIX.

Joaones Telleſius Gironius Obſervantibus quatuor extruit Cœnobia. 31. LV.

Joanoes Telleſius Urenæ comes Tertium Ordinem benevolentia complexus, ejuſdem alumnos novis ædibus auget. 243. XXXII. Urſonenſi Academiæ ab ſe fundatæ Magiſtros ex eodem Ordine aſſignat. ibid.

Joaooes Texeda S. Franciſci Borgiæ familiariſſimus. 9. XVI. De eo plura ſcribit Alvarus Cardinalis Cienfuegos. 10. XVI. Ejus ortus, & adoleſcentia . 10. XVII. Et tirocinium inter Laicos Minores Obſervantes. ibid. Precandi ardor, & pœnitentiæ ſtudium. ibid. Ejus neceſſitudo cum D. Franciſco Borgia, D. Ignatio Loyola aliiſque e Soc. Jeſu inclytis viris. ibid. S. Franciſci Borgiæ hortatu Sacerdotio ioitiaodus Grammaticæ rudimentis dat operam . 10. XVIII. Ab his perdiſcendis cœleſtium contemplatione avocatur. 11. XVIII. In Presbyterum ordinatus ejuſdem ſancti Franciſci confeſſiones excipit, ejuſque pietati egregiam operam navat. ibid. Eundem hortatur, ut Societatem Jeſu ingrediatur. ibid. Ejus in Hiſpania nomen celebre. ibid. A D. Petro Alcantarenſe abſente in ſpiritu viſitur. ibid. Mortem ſibi prædicit, & obit. ibid.

Joannes Torrolva Obſerv. io Cilen proficiſcitur. 328. XIX.

Joanoes a Turre Obſerv. in Cilen pergit. 328. XIX.

Joanoes a Turre cremata. 25. XXXVII.

Joannes Valdenſis hæreticus Bernardini Ochini aſſecla. 12. XXII.

Joanoes Vega Siciliæ Prorex io Africam claſſe trajicit. 249. VI.

Joannes a Via innocentiæ laude ioſignis. 30. XLVI.

Joannes Vintzlerius Argeutoratenſis Provinciæ Miniſter, Definitor Generalis. 5. VII.

Joannes Zumaraga Obſervantium Sacerdos Caroli V. Cæſaris gratia floret ob virtutis commendationem. 246. V. Mexicanas inſulas recuſat. ibid.

Joanuis Angeli Arcimboldi Novarienſis Epiſcopi de transferendo corpore beati Pacifici Coredanenſis publicum documentum. 106. XXXVII.

Joannis Petreii pium factum, ac ſtrenuum. 173. CVI. Ejus & ſociorum cadavera Divino nutu ad Luſitanæ arcis portam evadunt. 174. CVI.

Jodocus Richius Quiti Conventus Guardianus Americanis operam locat. 94. VII. Carolo V. extitit familiares. ibid. Quot annis io Civitate S. Franciſci verſatus

ſatus ſit. 155. LXXXV. Ejus ſocius Petrus Goſſealius. ibid.
Joſephus Codicis in Obſervantibus clarus. 105. XXXIII.
Joſephus a Teſmienica Obſerv. Sacerdos eloquentia clarus. 69. XXXIII.
Iſabella in Monaſterio Metallini Conceptioniſtarum pietate floret. 36. LXIX.
Iſabella ab Aſſumptione Ordinis S. Claræ virtute illuſtris. 105. XXXVI.
Iſabella Duzala Clariſſa in egentes benignitate, & orandi conſuetudine inſignis. 106. XXXIX. Eam ſibi probari Chriſtus oſtendit. 107. XXXIX.
Iſabella S. Franciſci Borgiæ filia. 7. XI.
Iſacius Pontanus Geldriæ rerum ſcriptor Carolum Egmontium maligne carpit. 222. VIII.
Jucatanis Provinciæ fundator Laurentius Benvenida. 50. XXII.
Julia Varana Guidi Ubaldi Principis uxor Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ Minorum Obſervantium Piſauri fundamenta jacit. 64. XVI.
Juliana Sublacenſis Clariſſa. 66. XXIII.
Julianus Ceilanus erga Minores Conventuales beneficus. 53. XXX.
Julius III. Pontifex Maximus creatur. 250. I. Leges Sodalitii Solitariorum regulam S. P. Franciſci profitentium approbat. 255. XVI. Parmenſem ditionem Octavio Farneſio cum Cæſare eripere adoritur. 256. I. Ejus cum Cæſare diſſidium de expectandis hæreticorum Legatis ad Concilium Tridentinum. 257. I. Rata habet in Comitiis Generalibus Salmanticenſibus ſancita, & Clementem Monilianum Miniſtrum Generalem creatum ampliſſima poteſtate uti decernit. 26c. III. Ea de re ipſius ad eundem litteræ. ibid.
Julius Magnanus Placentinus in Concilio Tridentino Theologus, exinde Minorum Conventualium Magiſter Generalis. 126. XXIX. Tum Calenis Epiſcopus. ibid.
Jus Gentium unde conſtitutum. 144. LXII.
Juſtificationis in diſcutienda materia in Concilio Tridentino præcipuus labor & cura fuit Theologorum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ. 124. XXV.
Juſtificationis propriæ an quis certus eſſe poſſit. 145. LXVI. & ſeq. D. Auguſtini, & S. Gregorii Magni hac de re ſententia. 146. LXVI. Juſtificationis de certitudine Lutherana opinio confixa a Concilio Tridentino, Catholicorum vero ſententiæ intactæ. 147. LXVII.
Juſtitiæ noſtræ vera cauſa exponitur a Richardo Cenomano in Tridentino Concilio. 124. XXV. Theologorum ſententiæ de hujuſmodi juſtificationis cauſa. ibid. & ſeq. Scripandi hac de re ſententia. 123. XXVI.

L

LAinius a Societate Jeſu. V. *Didacus Lainius*.
Lambertus a Spe Franciſcanus D. Franciſco Borgiæ familiaris. 9. XVI.
Lanza. V. *Hieronymus Lanza*.
Laura de Angelis de Monaſterio S. Michaelis Archangeli Tiburis optime merita. 66. XXIII.
Laurentiæ Tiburtinæ cadaver habitu ſancti Patris Franciſci indutum a Canonicis uſurpatur. 240. XXVII. At edicto Romanæ Curiæ Eccleſiæ Fratrum Minorum reſtituitur. ibid.
S. Laurentii in Pane & Perna e Romano Monaſterio Sanctimoniales aliquot ad Tiburtinum deducuntur. 66. XXIII.
Laurentius Obſerv. Laicus a Barbaris necatus. 96. XII.
Laurentius Benvenida de Chriſtiana Religione in Jucatane optime meritus. 50. XXII. Jucatanis Provinciam fundat. ibid.
Laurentius Fulginas Umbrorum Cuſtos Definitor Generalis. 220. III.
Laurentius a S. Paulo Svecus. 12. XVIII.
Leo X. Comitia totius Ordinis indicit. 14. XXV. Conventuales a Communitate Ordinis Fratrum Minorum Seraphicam Regulam pure profitentium ſejungit, eiſque Magiſtrum Generalem attribuit. ibid. Præclarum ejus de Philippa Egmontia Lotharingica teſtimonium. 228. XVI. & 233. XX. Ejus ad eandem Ordinem S. Claræ ingreſſam litteræ. ibid. Clariſſis Muſſipontanis mandat, ut eam a Monaſterii regimine, aliiſque officiis eximant. 234. XXI
Leodienſi Epiſcopo Ludovico Bertonio Caroli Egmontii avunculo ſe conjungunt Geldrienſes. 126. XIII. Dum Caroli & Philippæ ſororis cauſam tuetur, nefarie interficitur. ibid.
Leonardi Graii impii conatus contra Catholicos Hiberniæ. 25. XXXIX.
Lima CivitasPeruviæ caput quo die & anno ædificari cœpta. 154. LXXXIII.
Lipomanus. V. *Aloyſius Lipomanus*.
Lotharingiæ Dux. V. *Renatus*. *Antonius*. Lotharingiæ Duciſſa. V. *Philippa Egmontia Lotharingica*. Lotharingiam a Lutherana peſte præſervat Philippa Duciſſa. 230. XVIII.
Loxani Monaſterii Clariſſarum pactæ conditiones cum Miniſtro Minorum Obſerv. 108. XLVII. & ſeqq.

Lu-

Lucas Martinius de Obſervantibus optime meritus. 328. XVIII.
Lucas Waddingus. V. *Waddingus*.
Lucenſem Civitatem adit Paulus III. Pontifex Maximus. 89. I.
Lucenſi in Diœceſi Parochi nonnulli Obſervantes circa ſepulturas moleſtant. 56. XLIV. Sed edicto Pontificis coerceantur. ibid.
Lucidâ Virgo inſignis meditatione cruciatuum Chriſti. 56. XLV. Obit Fulginei in Margaritarum Cœnobio. ibid.
Lucius. V. *Ferdinandus Lucius*.
Ludovicus Amantinus Calabriæ Miniſter Definitor Generalis. 220. III.
Ludovicus Ataida Excalceatis domicilium conſtituit. 258. V. In eorum Templo ejus cadaver conditur. ibid.
Ludovicus Baccius, alias Biaſionius in Obſerv. floret. 105. XXXIV. Modoetiæ montem Pietatis fundat. ibid.
Ludovicus Bertonius. V. *Leodienſis Epiſcopus*.
Ludovicus Carvajalis ex Obſerv. familia Concilio intereſt Tridentino. 124. XXIV. Pro Immaculata Deiparæ Conceptione Pariſiis diſputat. ibid. Orationem habet ad Patres Concilii. ibid. Opus ſcribit contra Eraſmum Roterodamum. ibid.
Ludovicus a Fuenſalida Excalceatus in Mexicanis Domini vineam colit egregie. 95. IX. Ejus extaſes. ibid. Hiſpanorum militum avaritiam, & crudelitatem in Americanos non ferens in Hiſpaniam revertitur. ibid. Eos per Hiſpaniæ Regem coercendos curat. ibid. In Americam revertens obit. ibid.
Ludovicus XII. Galliæ Rex de cæde Caroli Burgundiæ Ducis lætatur. 224. XI. Burgundionis filia Maria ad ipſum legatos mittit. 225. XI. Legatorum princeps ex arbitrio Regis quid geſſerit. ibid. Ludovicus Mariæ animum tentare inſtituit, at nihil promovet. ibid. Tornacum occupat. ibid. A proceribus Gandavenſium legati de pace ad ipſum miſſi. 225. XII. Ei ſe conjungunt Geldrienſes. 226. XIII. Ejuſdem cum Lotharingica gente neceſſitudo. 229. XVII. V. *Delphinus*.
Ludovicus Ortifanus Franciſcanis Sanctimonialibus Cœnobium fundat, vitæque ſubſidia adminiſtrat. 54. XXXVI.
Ludovicus Soſa Dienſis arcis ſervatæ hoſtiſque fugati præcipuum fert decus. 186. CXXII.
Ludovicus a Soto majore Bellalcazarii Comes Minoribus Obſervantibus ſe adjungit. 65. XXI. Ejuſdem ac Philippæ Sororis pecunia Cœnobium pro iiſdem Obſervantibus ædificatur. ibid.
Ludovicus Villalpaldus in Jucatauem amandatur. 50. XXII. Jucatanicam linguam primus didicit, & dictionarium compoſuit. ibid.
Ludovicus Vitriarius Obſerv. Concilio interfuit Tridentino. 124. XXV.
Lupus Soſa Cotinius Dienſis obſidionis deſcriptor, & arcis defenſor. 170. CIII.
Luſitani inſulam Dium occupare ſtudent, ac Mahumetanos exigere. 160. XCIII. Luſitano Regi in Indico bello operam ſuam locant Minores Obſerv. ibid. Luſitana claſſis duce Nonnio Acunia Betelem appellit, inſulam Dio propinquam. 161. XCIV. Luſitanorum cum Beteleuſibus pugna. ibid. Dium ab hoſte munitur. 162. XCV. Ex ejus propugnaculis in Luſitanam claſſem ingens pilarum vis emiſſa. ibid. Luſitani ab Dio re infecta diſcedunt. 163. XCVI. Sed ora Cambaica pervaſtata Tocanis Dienſis reguli vires debilitant. ibid. Tum Bazainum Tocanis oppidum oppugnare conſtituunt. 163. XCVII. Oppidanorum telis undique appetiti nihil accipiunt detrimenti. 164. XCVII. Quo miraculo multi ad Chriſtum converſi. ibid. bazainum a Luſitanis captum. ibid. Demanum oppidum in Cambaico littore diruunt. 165. XCVIII. Pacem faciunt cum Cambajæ Rege Badurio. ibid. Qui ab eis auxilium contra Mogorem petit, arciſque ad Dium ædificandæ poteſtatem illis facit. 167. C. Arcem ædificant & *Tbomæam* appellant. ibid. Badurio egregiam operam navant. ibid. Eis Badurius iterum offenſus. 167. CI. Officium ſimulans Badurius Nonnium Prætorem adit. 168. CI. Badurium abeuntem invadunt Luſitani. ibid. Fit atrox pugna. ibid. Badurius occiditur. 169. CI. Luſitani Dienſem arcem muro circumdant, & novum propugnaculum excitant. 169. CII. Sofar tutores Mamudii novi Cambajæ Regis hortatur, ut Luſitanos ex arce pellant. 170. CIII. Hi arcem munimt, & hoſtium tranſitum ex continenti impediunt. ibidem. Dienſes in officio continent. ibid. Eorum cum hoſtibus varia prælia. ibid. Eos Ottomanus Rex ex India pellere meditatur. 170. CIV. Adverſus eos Solimanum claſſis præfectum mittit. ibid. Qui Dienſem arcem obſidere parat. 171. CV. Hanc Antunius Sylveria tueri proponit. ibid. Solimanus oppugnationem tentat. 172. CV. Turcarum incendiariam machinam incendunt Luſitani. ibid. Turcæ Rumæum caſtellum oppugnant. 173. CVI. Eis deditur. ibid. Luſitanæ mulieris egregia virtus. ibid.

Joan-

Joannis Petreii pium factum, ac ſtrenuum. ibid. Iterum a Turcis Dienſis arx oppugnatur. 174. cvii. Vincunt pertinacia Luſitani ibid. Eis Nonnius Prætor fert auxilium. 174 cviii. Turcæ perterriti diſcedunt. ibid. Inclita iſthæc Luſitanorum victoria cum eorum laude per orbem diffunditur. ibid. Nonnio Garzias Noronia ſucceſſor in Iudica prætura deſignatur. 175. cix. Luſitani cum Mamudio pacem faciunt. 175. cx. Quam ipſe negligens Bazainum recuperare aggreditur Luſitanis ſemper victoribus. ibid. Eorum deinde vires debilitatæ. 176. cxii. Joannes Maſcarenias Dienſis arcis prætectus. ibid. Sofar adminiſtrando contra Luſitanos bello a Mamudio præficitur. 177. cxiii. Maſcarenias arcem firmat. 178. cxiv. Sofaris ad Luſitanos mandata. 179. cxv. Contra eoſdem Soiar bellum aperte gerere inſtituit. 179. cxvi. Maſcarenias ſuos confirmat. ibid. Soiar marinum caſtellum Dienſis arcis adoritur, & machinam incendiariam prope admovere conſtituit. 180. cxviii. Eam incendunt Luſitani. 181. cxviii. Luſitani in arce obſeſſi miſſum ab Caſtrio ſubſidium ingenti gaudio ſuſcipiunt. 181. cxix. Mamudius cum novo exercitu Dium advenit. ibid. Fit pugna. 182. cxix. Arcis mœnia tormentorum globis quatiuntur. ibid. Machinam a Sofare erectam quatiunt, atque proſternunt Luſitani. 183. cxx. Mamudiani obſeſſis inſultant. ibid. Foſſam latentes exauriunt Luſitani, Mamudianis eam opplere conantibus. 184. cxxi. Sofar interficitur. ibid. Rumecan ejus filius conſternatos Mamudianos in officio continet. ibid. Pacis conditiones ultro a Rumecane propoſitas reſpuunt Luſitani. 185. cxxii. Mamudiani aditum tentant, ſed a Luſitanis prohibentur. ibid. Mamudiani a maritimo latere in arcem ſcandunt. ibid. Obtruncantur eorum aliqui, cæteri dejiciuntur. 186. cxxii. Rumecan ſuorum clade percuſſus receptui canit. ibid. Luſitani victores Deo, ac Patrono D. Jacobo laudes, grateſque agunt. ibid. Feminarum virtus in arce defendenda, hoſtibuſque repellendis. ibid. Novæ cum hoſtibus pugnæ. 186. cxxiii. Mamudiani cuniculos ad arcem agunt. ibidem. Ignem cuniculo injiciunt. 187. cxxiii. Turre disjecta Luſitani ſuperſtantes pereunt. ibid. Mamudiani per ruinas conantur in arcem irrumpere. ibid. Sed occurrente cum ſuis Maſcharenia recedunt. ibid. Luſitani in anguſtum redacti fame laborant. 187. cxxiv. Eis ab Goa ſubſidium advenit. 188. cxxiv. Novorum militum jactantia, & in arcis præfectum convicia. ibid. Hi milites prælium poſtulant. ibid. Maſcarenias eos furentes lenit. ibid. Prælium petentibus tandem annuit. ibid. Atrox bellum committitur. 189. cxxv. Luſitani ad arcem fuga præcipiti vertuntur. ibid. Animos tandem ex pavore reficiunt. ibid. Eos Mamudiani feſſos fatigant, ac præmunt. ibid. Aceto, ferroque muros excindunt, & cuniculos agunt. ibid. Eos Maſcarenias multis modis vexat. ibid. Joannes Caſtrius Indiæ Prætor Goæ apparat claſſem. 189. cxxvi. Quæ ibi pro certamine gerenda diſponat. ibid. Rumecan aditus omnes munit. 191. cxxvii. Mamudiani viribus ſuis præfigunt, Luſitani Dei opem implorant. ibid. Antonius Caſalius ex Obſervantium familia Sacerdos ſacrificat. ibid. Nicolaus Conſalvus claſſem ad alteram inſulæ partem circumagit, & Mamudiani relictis præſidiis ad mare concurrunt. ibid. Caſtrius Prætor copias emittit contra Mamudianos. ibid. Antonius Caſalius pendentis e cruce Chriſti imaginem attollit, militeſque hortationibus inflammat. ibid. Luſitani ſtationes adoriuntur. ibid. Mamudiani magna cum cæde pelluntur. 192. cxxviii. Fit atrox pugna. ibid. Mamudiani funduntur. ibid. Luſitani caſtris oppidoque potiti, in oppidanos maxime ſeviunt. ibid. Ingens præda Luſitano militi cedit. ibid. Hoſtium cæſorum numerus, in quibus Rumecan imperator. ibid. Hujus victoriæ celebritatem augent Divina miracula. ibid. Caſtrius Prætor victoriæ largitori Deo ſupplicationes haberi jubet, munitiones hoſtium diruit, & arcem reficit. 193. cxxviii. Goam revertitur. ibid.

Luſitanos Idalcan Decanii Rex laceſſit. 193. cxxix. Ejus copias Luſitani fundunt, ac fugant. ibid. Pondam Idalcanis caſtellum recipiunt, & evertunt. ibid. Mamudium bellum reparantem claſſe perſequuntur. ibid. Maritimis excurſionibus Mamudii conatus reprimunt. ibid. Luſitani contra Idalcanum rurſus præliantur. 194. cxxx. Illis certamen incuntibus Antonius Caſalius Crucifixi gerens effigiem ſtimulos addit. ibid. Mahometanorum edita ſtrages, & cæſorum numerus. ibid. V. *Joannes Caſtrius. Joannes Maſcarenias.*

Luſitanorum Rex. V. *Joannes Luſitaniæ Rex.*

Lutherana peſtis in Germania varias gignit hæreſes . 25. XXXVIII. Lutherana opinio de juſtificationis certitudine, confixa a Concilio Tridentino . 147. LXVII.
Lutherani ex Alberſtanenſe Cœnobio pellunt Obſervantes . 244. XXXVI.
Lutherus moritur . 113. I.

M

MAdremalucus Mamudii Cambaje Regis rector, & tutor . 170. CIII.
Magdalena Budriſia Tertii Ordinis illuſtris femina . 66. XXIV. Cœnobium fundat . ibid. Quis ejus vitæ ſcriptor . ibidem .
Magdalena Romana Clariſſa . 66. XXIII.
Mahometanorum edita ſtrages. 194. CXII. V. *Turcæ* .
Malabares Indi magno in honore habent D. Thomam Apoſtolum . 197. CXXXIV. Quæ veteres eorum annales de eodem S. Apoſtolo referant . ibid.
Mamudiani Dienſem arcem oppugnare tentant . V. *Mamudius . Luſitani* .
Mamudius puer, Baduri Sororis filius Cambajæ Rex ſalutatur . 169. CIII. Ejus tutores . ibid. & ſeq. Commeatus in Caſtra Turcarum Dienſem arcem obſidentium ſubvehi vetat . 172. CV. Ad ipſum legatos de pace Garſias Noronias Indiæ Prætor mittit . 175. CX. Pacis leges . ibid. Ictum cum Luſitanis fœdus negligit . ibid. Bellum adverſus eoſdem meditatur . 176. CXI. Cæteros Reges occulte ſollicitat . ibid. Ejus commentum ad ſua tegenda conſilia . ibid. Sofar ipſi familiaris ſimulandi artifex mirus . 176. CXII. Cum novo exercitu Dium advenit . 181. CXIX. Diſcedit, Abaſſina legione in caſtris relicta . 182. CXX. Mamudiani Dienſem arcem oppugnantes a Luſitanis funduntur . 192. CXXVIII. Mamudius hinc rabie furens aliquot Luſitanos apud ſe detentos jugulari jubet . ibid. Mamudium bellum reparantem Joannes Caſtrius claſſe perſequitur . 193. CXXIX. Mamudius it obviam Caſtrio . ibid. Ejus conatus maritimis excurſionibus reprimit Caſtrius . ibidem .
Marcellus Cervinus Cardinalis Ordinis Minorum Vice-Protector. 48. XIX. Clementem Monilianum Neapolim mittit ad componenda Fratrum diſſidia . ibid. Ejus epiſtola ad eundem . ibid. Et ad Cæleſtinum Brixienſem. 69. XXII. Concilii Tridentini ex Præſidibus unus . 84. I.
Marcellus Creſcentius Cardinalis Concilii Tridentini Præſes . 124. XXIII. & 256. I. Veronæ diem obit . 257. I. In ejus tunere orationem habet Franciſcus Salazarius . 124. XXIII.
Marcus Antonius Crucius Tiburtinus Epiſcopus de Monaſterio S. Joannis, nunc S. Michaelis Archangeli Tiburis benemeritus . 66. XXIII.
Marcus Antonius Vitia Epiſcopus Vercellenſis Eccleſiam S. Thomæ Taurini conſecrat . 108. XLIII.
Marcus Boroxius Franciſcanus S. Franciſci Borgiæ familiaris . 9. XVI.
Marcus Nicæenſis e familia Obſervantium cum ſociis Peruviam adit Evangelii diſſeminandi cauſa . 155. LXXXIV. & ſeq. De ipſius aliorumque Obſervantium in Peruviam adventu Colancani palmaris error argumentis oſteuditur . 155. LXXXV. Io Peruvianis Provinciis Obſervantium præfectus extitit . ibid.
Marcus a Portulæto Laicus Obſerv. innocentia clarus . 203. CXL.
Margarita Guilelmi Harcuriani Tancarvillæ Comitis filia a Renato Lotharingo repudiatur . 228. XIV.
Margarita Maximiliani Auſtriaci ex Maria Burgundica filia in Franciam ducta Delphyno deſpondetur . 226. XII. quid doti aſſignatum . ibid.
MARIA. V. Deipara Sanctiſſima. 31. LIV. Ex ejus imagine a barbaro milite lancea conſoſſa ſanguis emanat . ibid. Inſigne aliud editur miraculum . ibid. Ejus ope Anglus quidam mire ab imminenti periculo ſervatur . 41. IV. Jubet ut Goritiæ ſibi Templum dedicetur . 76. XVIII. In hujus Templi fundamentis locandis quid acciderit . ibid.
Ejus Immaculata Conceptio .
An Deipara Virgo peccatum originale contraxerit, diſceptatum in Concilio Tridentino . 126. XXXII. Ea quæſtio aliquot ante ſeculis agitari cœpta . ibid. Diſcordiæ ſemina ſubinde compreſſa a Romanis Pontificibus . ibid. In piam ſententiam ſenſim eſt itum a Chriſtianis . 127. XXXII. Ei dies Sacer conſtitutus a Sixto IV. ibid. Ejuſdem Pontificis ea de re Conſtitutiones duæ a Tridentinis Patribus confirmatæ . ibid. Alexandri VII. in favorem piæ ſententiæ Conſtitutio. ibid. & ſeqq. Immaculatæ Conceptionis diem feſtum ſolemni ritu de præcepto celebrandum præſcribit Clemens XI. 131. XXXII. Franciſcanus Ordo piam ſententiam egregie defendit . 131. XXXIV. Immaculatæ Conceptionis præcipuus, ac maximus vindex extitit Scotus. ibid. V. *Joannes Dunſius Scotus.*

De

De Conceptu Deiparæ V. diſputationem ſolemnem Pariſiis haberi jubet Benedictus XI. 131. xxxv. Pro pia ſententia acerrime ibi diſputat Scotus. 132. xxxv. Hanc Scoti diſputationem mordicus negat Natalis Alexander. 133. xxxvi. Ejus conjecturæ proponuntur, ac diſſolvuntur. ibidem, & ſeqq. Immaculatæ Conceptionis feſtum dienquotannis a ſe celebrandum ſtatuit Pariſienſis Univerſitas. 134. xxxviii. Hujus diei celebritas deſcribitur. ibid. Officia duo Immaculatæ Conceptionis, a Bernardino de Buſtis unum, ab Nogarola alterum compoſita. 134. xxxix. Utrumque a Sixto IV. approbatur, & Indulgentiis decoratur. ibid. Piæ ſententiæ oppugnator acerrimus extitit Bandellus. ibid. De controverſia, quæ ad Deiparæ Conceptum pertinet, finienda in Concilio Tridentino diſceptatur. 136. xliv. & ſeqq. Pro Immaculata Conceptione magna eloquentia perorat in Concilio Tridentino Didacus Lainius e Soc. Jeſu. ibid. Quæ verba in formula decreti de peccato originali ſubjici petiit Cardinalis Pacecus. ibid. Et de re diſſidium inter Concilii Patres. 137. xlv. Scriptor Hiſtoriæ Concilii Tridentini quomodo rem geſtam deſcribat. 137. xlvi. Tridentinos Patres objurgat, & deridet, eo quod in Decreto de peccato originali Deiparam exceperint. 141. liv. Retellitur. 141. lv. & ſeqq. Cur a D. Bernardo redarguantur Lugdunenſes Canonici Conceptæ Virginis celebritatem inducentes. 141. lv. D. Auguſtinus Deiparam peccato ſubdere nunquam audet. 139. l. & 141. lvi. Sed ob honorem Filii eam excipit. ibid. Hujus exceptionis rationes & documenta referuntur. ibid. & ſeqq. Ex quo excipiatur Beata Virgo a Sacræ Scripturæ generalibus ſententiis, non ſequitur & cunctos Chriſti non proximos genitores eſſe excipiendos. ibid. & ſeqq. Immaculatæ Conceptionis piorum hominum ſocietas in Peruvia. 256. ii. Neophytorum in Peruvia erga eandem inſignis pietas. ibid.

Eccleſiæ cultum erga Deiparam Virginem quaſi ex errore decepti vulgi vires cepiſſe comminiſcitur Hiſtoriæ Concilii Tridentini Scriptor. 137. xlvi. Scriptor iſte refellitur. 138. xlvii. & ſeq. Poſt damnatam Neſtorii hæreſim inducta eſt conſuetudo frequenter eam appellandi auguſto nomine *Dei Matrem*. ibid. De ejus ſanctitate, & excellentia ſupra univerſum Cœlitum chorum loquuti ſunt Patres Græci, & Latini ante Neſtorii hæreſim. ibid. Eorum verba id teſtificantia referuntur. ibid. & ſeqq. Quando & quo tine inductus ſit mos pingendi ejus adorandas Imagines cum infante Jeſu inter ulnas. 139. li.

Maria Caroli Burgundionis Ducis filia legatos mittit ad Regem Galliæ. 225. xi. Eorum poſtulata. ibidem. Eorum princeps Hilernus ex arbitrio Regis quid geſſerit. ibidem. Mariæ animum Galliæ Rex tentare inſtituit, ſed nil promovet. ibidem. Tornacum tamen occupat. ibid. Gandavenſes eam univerſæ gentis conſilio regendam decernunt. 225. xii. Et legatos de pace ad Regem Galliæ mittunt. ibid. Legatorum princeps Gaudavum reverſus, ac proditionis damnatus capite plectitur. 226. xii. Maximiliano Auſtriaco nubit. ibid. Hinc novum bellum in Gallia, & Belgio. ibid. Ejus ex Maximiliano filii Philippus & Margarita. ibid.

Maria Emanuela e Metymnæ Sidoniæ Ducum familia repentino caſu ad bonam frugem convertitur. 62. xi. Minoribus de Obſervantia Cœnobium attribuit. ibid. Inter Clariſſas vitam degit. ibid. Virtutibus floret. ibid. Poſt mortem ejus corpus incorruptum i ibid.

Maria de Ponte Clariſſa a patientia & vitæ aſperitate commendatur. 105. xxxvi.

Maria Gabriela. V. *Maria Henriqueſia*.

Maria Henrici VIII. ex Catharina filia ab eo ſecundo loco hæres inſtituta. 219. ii. Ejus in Fide Catholica conſtantia. 245. i. In ejus ædituos ac Sacerdotes ſæviunt perduelles hæretici. ibid. Eduardo fratri Angliæ Regi de retinenda veteri Fide conſilia injicit. 247. ii. Id animadvertentes aulici ipſum deinceps eum ea colloqui vetant. ibid. Eduardo fratri in Angliæ Regno ſuccedit. 259. i. Senatus alioſque nobiles ſibi devincit. ibid. Titulum Capitis Eccleſiæ Anglicanæ ſtatim abjicit, & Legatum Apoſtolicum in Angliam accerſet. ibid.

Maria Henriqueta S. Franciſci Borgiæ avia. 8. xiii. Poſt viri obitum in MonaſterioGandienſe S.Claræ habitum induit ſub nomine Mariæ Gabrielæ. ibid. Virtutum laude emicat. ibid. Matritenſi Clariſſarum Cœnobio præficitur. 9. xv. Poſt obitum Ignatiæ Corellæ apparet. ibid. Mortem ſuam prænuntiavit. ibid. In ejus exequiis Angelici concentus auditi. ibid.

Maria Erba Termularum princeps erga Clariſſas egregie animata. 63. xii. Ejus vitæ tenor, humilitas, & charitas. ibidem.

Maria a Jeſu pietate præſtans Monaſterio Villæ longæ Tertii Ordinis præficitur. 24. LXIV. Hujus Cœnobii Virginum aſperitas mira. ibid.
Maria Longa illuſtris femina. 52. XXVI. Ejus virtutes, & geſta. ibid. Monaſterium S. Mariæ Novæ in Hieruſalem, Neapoli ædificat. ibid. Tertium Ordine profeſta D. Cajetano ſacrorum adminiſtro utitur. ibid. Subinde Capuccinis, ſub quibus S. Claræ inſtitutum cum ſociis amplectitur. ibid. Hinc a vulgo Capuccinæ appellatæ. ibid. Ejus vitæ aſperitas & in proximos charitas. ibid. Ac pius obitus. 53. XXVI.
Mariæ Lucemburgenſis erga Albæmalæ Conventum liberalitas. 56. XLIII.
D. Mariæ Magdalenæ in urbem Maſſiliam profectionem negat Launojus. 133. XXXVII. A Natali Alexandro refellitur. ibid.
Maria a S. Michaele Tertii Ordinis virgo virtute floret. 254. XIV.
Maria Stiliconis filia Honorio Imperatori deſponſa, ante nuptias decedit. 70. III. Ejus corpus in Vaticana Baſilica ſepultum. ibid. Quænam in ejus arca marmorea inventa fuerint. ibid. & ſeq.
Maria Teblaria inſignis Virgo Franciſcana. 254. XII.
Maria Vaena Ordinis S. Claræ Uracæ de Alonſo ætatæ, vitæ innocentia, virtutis æmulatione, ac felici obitu conjunctiſſima. 252. VI.
Maria Vaſqueſia obit. 82. XXXII. Ab ipſomet Chriſto Jeſu in Cœlum deducitur. ibid.
Maronitæ a Gregorio Boſnenſi ſacri Montis Syon Cœnobiarcha in officio continentur. 71. IV.
Marraccinus. V. *Creſcentius*.
Martinus Alphonſus Soſa præfectus maris Indici deſignatur. 164. XCVIII. Damanum oppidum in Cambaico littore diruit. 165. XCVIII.
Martinus Bucerus hæreticæ contagionis dilatandæ percupidus in Britanniam contendit. 245. I.
Martinus a S. Maria Obſerv. Sacerdos e Comitibus S. Stephani a Portu in Arabidam proficiſcitur. 41. IV. Cum D. Petro Alcantarenſi cohabitat. ibid. Eorum vitæ genus inibi aſperrimum. 47. XV. Multi, quibus præficitur, cum eo ſocietatem ineunt. 47. XVII. Arabidæ Provinciam fundat. 103. XXVIII. D. Petro Alcantarenſi diſciplinæ aſperitate prope par. ibid. Ejus candidiſſimi mores, animique demiſſio. 104. XXVIII. Obit. ibid.
Martinus Robleda ex Obſerv. familia in Cilen proficiſcitur. 328. XIX. Cilenſis Epiſcopus creatur. ibid.
Martinus Sarmientus Americæ Provinciarum præfectus. 51. XXII. Exinde Tlaſcalenſis Epiſcopus. ibid.
Martinus a Turre in Obſervantibus clarus. 244. XXXVII.
Martinus a Valentia in Americam miſſus. 95. VII. De eo res mira narratur. ibid.
Maſcarenias. V. *Joannes. Ferdinandus Maſcarenias*.
Maſſarellus acta Tridentini Concilii deſcribit. 146. LXVII.
Matrimonium in veteri lege verum, ac proprium fuiſſe Sacramentum qui ſuſtineant. 117. X.
Matthæus de Baſſio Capuccinorum Anteſignanus, Minorum Obſervantium reſumpto habitu ad eoſdem redit. 257. III. Obit. ibid. Ejus laus. ibid. De ejus cadavere oritur diſſidium. ibid. Obſervantibus adjudicatur. ibid. Ejus epitaphium. 258. III. Ejus geſta ſcribit Urbanus Venetus Obſerv. Sacerdos, qui ante obitum ejus Confeſſionem exceperat. 257. III. Clemens Monilianus, totius Ordinis Minorum Miniſter Generalis juſſu Pontificis Venetias proficiſcitur, ut ea quæ de ipſo ferebantur, præſens cognoſcat. 264. VII.
Matthæus Buichettus. 107. XLII.
Matthæus Celentanus Miniſter Campaniæ felicis Definitor Generalis. 5. VII.
Matthæus a Jumilla in America Evangelii propagator. 95. VII.
Matthæus Xumilianus Obſervantium Laicus in Peruvia Domini vineam excolendam aggreditur. 156. LXXXVI. Ejus labores Evangelici, ac res geſtæ in Gaxamalcæ Provincia. ibid. Eam in Paroecias diſtribuit. ibid. Suavitate, & ſacris cantionibus Barbaros delinit. ibid. Cum Apoſtolis certat amplificandæ religionis ardore. 157. LXXXVI. Ad populi confertiſſimam turbam conciones habet. 157. LXXXVII. Miris modis corpuſculum domat. ibid. Ejuſdem charitas in proximum. ibid. Quædam de ipſo mira enarrantur. 158. LXXXIX. Depoſitam ex vulnere mulierem mirabiliter ſanat. 158 XC. Chacbapajam profectus in urbe S. Joannis Cœnobium conſtruit. ibid. Sui obitus diem prædicit. 159. XC. Moritur, magno ſui deſiderio relicto. ibid. Complures homines juvat e Cœlo. ibid.
Maturinus Jaſſius Turoniæ Miniſter, Definitor Generalis. 259. II.
Mauritius Hibernus Scholaſtica eruditione inſignis. 210. CLII.
Maximilianus Auſtriacus Mariam Burgundicam uxorem ducit. 226. XII. Hinc in

in Gallia,& Belgio novum bellum.ibid. Ejus conjux Maria moritur Philippo & Margarita ex ea relictis. ibid. In ejus clientelam Geldria ſe tradit. 227. XIII. Teneramundam capit. ibid. Sub quibus Magiſtris Carolum Egmontium Geldriæ hæredem militiæ laboribus aſſueſcere voluit. ibid. Gandavum eidem deditur. 227. XIV.

Melanchthon. V. *Philippus Melanchthon.*

Melchior Beneventanus in Jucatanem miſſus. 50. XXII.

Melchior Canus ex Sacro Prædicatorum Ordine Canarienſis Antiſtes intereſt Concilio Tridentino. 118. XII.

Melchioræ Maneſiæ civis Aquilanæ in Franciſcanos liberalitas. 78. XXVIII. & ſeq.

Meliapor Coromandelis Regni olim caput. 196. CXXVIII. Ibi Evangelium prædicavit D. Thomas Apoſtolus. ibid. Quam proinde Civitatem a S. Thoma denominarunt Luſitani. ibid. Quid ibi egerit S. Apoſtolus. V. *S. Thomas Apoſtolus.*

Mexicanæ Provinciæ S. Evangelii decreta. 3. II. A Miniſtro Generali confirmantur 3. IV. Ejuſdem Provinciæ Comitia, & leges in eis latæ. 4. V.

Michael Obſerv. Laicus a Barbaris necatus. 95. XII.

Michael Burgius Drepanenſis Tertii Ordinis. 18. XXX.

Michael a Catena Excalceatus. 47. XVI.

Michael Vaſcus a Luſitaniæ Rege laudatus. 200. CXXXVI.

Michael Voſmerus. 327. XV. Adami Sasbouth avunculi ſui homilias typis Colonienſibus edendas curat, & vitam deſcribit. 328. XVI.

Minimorum ædificium juxta Cœnobium Minorum Obſervantium edicto Romanæ Curiæ diſturbatur. 237. XXVI.

Miniſter Provinciæ Venetæ Aſiſium convocat Patres conſcriptos poſt obitum Calvi Miniſtri Generalis. 220. II.

Miniſtri Generales totius Ordinis Fratrum Minorum S.P. Franciſci. Andreas Inſulanus. 220. III. Clemens Dolera Monilianus. 259. II. Conſalvus Gallæcus. 131. XXXV. Franciſcus Gonzaga. 132. XXXV. Franciſcus Quinonius. 17. XXX. Franciſcus Zamora. 67. XXVI. & 253. IX. Joannes Calvus 4. VII. Paulus Piſottus. 18. XXX. Paulus Soncinas. 235. XXII. Vincentius Lunellus. 3. IV.

Miniſtri Provinciales Fratrum Minorum. Provinciæ Algarbiorum primus Miniſter Franciſcus Quareſmus. 63. XIV. Angelorum, Joannes Hieroſolymitanus. 253. VIII. Argentoratenſis, Joannes Vüntzlerius. 5. VII. Bæticæ, Ludovicus ab Izia. 109. XLVII. & Thomas a S. Ludovico. 103. XXV. Belgicæ, Joannes Fridericus. 5. VI. & Joannes Haya. 82. XXXIII. Bononienſis, Archangelus Placentinus. 220. III. Bernardinus Ferrarienſis. 148. IV. & Aloynus a Burgo Novo. 259. II. Bononienſis Capuccinorum, Hieronymus Paganacius. 205. CXLV. Calabriæ, Paulus a Nicotera. 5. VII. & Ludovicus Amantinus. 220. III. Campaniæ Felicis, Matthæus Celentanus. 5. VII. Cæleſtinus Brixienſis. 68. XXXII. & Angelus Averſanus. 259. II. Caſtellæ, Antonius de Aveuda. 5. VII. & Antonius a Cruce. 67. XXVI. Corſicæ, Joannes Calvus. 4. VII. Cretenſis, Hieronymus a S. Juliano. 5. VII. & Bernardinus Tyburtinus. 220. III. Dalmatiæ, Evangeliſta Rubinenſis. 259. II. Etruriæ, Alexander Piſtorienſis. 248. IV. Franciæ Pariſienſis, Germanus Aubertus. 4. VII. & Gabriel Taparellus. 259. II. S.Gabrielis in Bætica Excalceatorum, S. Petrus de Alcantara. 11. XIX. & Joannes a S. Bernardo. ibid. Hiberniæ, Patritius Ohogam. 259. II. S. Jacobi, Antonius Guſmanus. 67. XXV. S. Joſephi, Joannes ab Angelis. 9. XVI. Lonenſis Provinciæ primus Miniſter, Ludovicus a Lona. 94. VI. Lucaniæ, Euphemius Valdotus. 71. V. Luſitaniæ Excalceatorum, Martinus a S. Maria. 56. XI. & Andreas Varella. ibid. Mediolanenſis, Joannes Baptiſta a Caſtilione. 220. III. Mexicanæ, Alphonſus Rengelius. 203. CXXXIX. Peruviæ, Ludovicus ab Ona. 256. II. Portugalliæ, Antonius Almeida. ibid. Romanæ S. Hieronymi, Angelus a Portu Mauritii. ibid. Romanæ Capuccinorum, Hieronymus Paganacius. 205. CXLV. Tarraconenſis, Dominicus Biſquertius. 5. VII. Turoniæ, Mauritius Jallius. 259. II.

Minores, ſeu Fratres Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ. V. *Obſervantes.* Minores Conventuales. V. *Conventuales.* Minores Capuccini. V. *Capuccini.*

Minorum Ordinem Inquiſitorum judicio non fore obnoxium qui Pontifices decrevere. 54. XXXVII.

Minorum Comitia. V. *Capitula Generalia.* Minorum Miniſtri Generales. Vide *Miniſtri Generales.* Minorum Miniſtri Provinciales. V. *Miniſtri Provinciales.* Cœnobia. V. *Conventus.* Minorum Protectores. V. *Cardinales Protectores.*

Miramudius a Magno Tamberlane originem trahens Mogorum Rex. 165. XCVIII.

Mogores. 165. XCVIII.

Mo-

Mogoricum bellum cum Badurio Cambajæ Rege. 166. XCIX. & 167. C.
Monaſteria Sanctimonialium. Aillonii Conceptioniſtarum. 213. CLXVII. Albazetanum Carthaginenſis Provinciæ. 105. XXXVI. Alcocerinum Clariſſarum. 82. XXXII. S. Antonii in Arbi inſula Tertii Ordinis. 66. XXIV. Aſſumptionis in oppido S. Clementis Conchanæ Diœceſis Tertii Ordinis. 325. X. Aſtenſe Clariſſarum. 105. XXXVI. & 213. CLXVI. Aſtæ Pompejæ Clariſſarum. 106. XXXIX. Clanciani Tertii Ordinis. 77. XXIV. Caſtellæ in Hiſpania Tertii Ordinis. 35. LXVII. Columnæ Clariſſarum. 328. XVII. Drepanenſe Tertii Ordinis. 21. XXXIII. Fareuſe in Luſitania. 34. LXVI. Forcæ in Luſitania Virginis Aſſumptæ Clariſſarum. 34. LXIII. Fulginienſe Clariſſarum. 82. XXXI. Fulginienſe S. Luciæ Clariſſarum. 218. CLXXX. & 255. XIV. Gandienſe Clarillarum. 8. XIII. Giennenſe Clariſſarum. 63. XIII. Granatenſe Clariſſarum. 108. XLVII. Cranatenſe S. Eliſabethæ. 254. XII. Grandis villæ Tertii Ordinis. 34. LXV. Hiſpalenſe Clariſſarum. 62. XI. Legionenſe Tertii Ordinis. 77. XXIII. Loxanum Clariſſarum. 211. CLIII. Loxæ Clariſſarum. 108. XLVII. S. Martini Toletanæ Diœceſis Tertii Ordinis. 67. XXVI. Matritenſe Clariſſarum Excalceatarum. 8. XV. Matritenſe Tertii Ordinis. 254. XIV. Metallini Conceptioniſtarum. 35. LXVIII. Muſſipontanum Clariſſarum. 231. XIX. Narnienſe S. Reſtitutæ. 244. XL. Neapolitanum S. Mariæ in Hieruſalem Clariſſarum. 52. XXVI. Item S. Mariæ a Jeſu Tertii Ordinis, dein Clariſſarum. 213. CLXV. Pleci Conceptioniſtarum. 67. XXVI. Pontis vallium Tertii Ordinis. 214. CLXIX. Pontis veteris. 221. VII. Romanum S. Laurentii in Pane & perna Clariſſarum. 66. XXII. Rondæ in Bætica. 54. XXXVI. Scalabini Clariſſarum. 105. XXXVI. Succoſæ Clariſſarum. 216. CLXXIV. Syracuſanum Clariſſarum. 108. XLVI. Tiburtinum S. Michaelis Archangeli Clariſſarum. 66. XXIII. Toletanum S. Michaelis Clariſſarum. 256. IV. Turgianum Conceptioniſtarum. 214. CLXVII. Turiaſonenſe Conceptioniſtarum, 214. CLXVIII. Villæ francæ Conceptioniſtarum. 66. & 67. XXV. Villæ longæ apud Montem Sanctum Tertii Ordinis. 34. LXIV. Weiſſenenſe Tertii Ordinis. 79. XXX.
Moniales Ordinis Immaculatæ Conceptionis. V. *Conceptioniſtæ. Monaſteria.*
Moniales Minoribus Obſervantibus ſubjectas quoad Confeſſiones nutui, ac teſtati Miniſtrorum ſubjicit Summus Pontifex. 112. XLVIII. V. *Clariſſæ.*
Mons Pietatis Modoetiæ a Ludovico Baccio Obſervante fundatus. 105. XXXIV.
Montis Syon Cœnobiarchæ. V. *Guardiani ſacri Montis Syon.*
Mutinenſis Cœnobii Obſervantes. V. *Obſervantes.*

N

NAires Sagittariorum Dux ſub Caſtrio Indiæ Prætore. 194. CXXX.
Natalis Alexander Scoti Pariſienſem diſputationem de Immaculata Deiparæ Conceptione mordicus negat. 133. XXXVI. Ejus conjecturæ proponuntur. ibid. diſſolvuntur. 133. XXXVII. & ſeqq. Ejuſdem objectio ex Scoti verbis refellitur. 135. XL.
Neapolitani Cœnobii S. Crucis Syndico Apoſtolico facultatem tribuit Cardinalis Pœnitentiarius alienandi annuam pecuniam Fratribus Obſervantibus legatam. 242. XXVIII.
Neſtorii hæreſis. 138. XLVI. & 139. LI.
Nicæa a Gallis & Turcis oppugnatur. 70. I. A Cæſarianis hoſtes repelluntur. ibid.
Nicolaus Bevenius in Obſervantium familia clarus. 252. V.
Nicolaus Bobadilla contra edictum Caroli V. *Interim* ſtruncupatum ſcribit. 245. II.
Nicolaus Conſalvus rei maritimæ peritus. 190. CXXVI. & 191. CXXVII.
Nicolaus Vigornienſis Epiſcopus, ſerpenti in Anglia hæreſi ſe opponit, ſed timide. 245. I. Hinc miſere affligitur. ibid.
Nicoteræ Epiſcopum inter & Minorum Obſer. Cœnobiarcham litis arbiter conſtituitur Rhegienſis Antiſtes. 112. XLIX.
Nogarola Officium Immaculatæ Conceptionis componit. 134. XXXIX.
Nonnius Acunia Indiæ Prætor militari virtute & gloria excellens ad Dienſem expeditionem animum adjicit. 160. XCII. Cum Luſitana claſſe Betelem appellit. 161. XCIV. Dium oppugnare intentat. 162. XCV. Sed re infecta diſcedit. 163. XCVI. Cialis arcem extruit. ibid. Oras Cambaicas devaſtat. ibid. Bazainum oppugnare conſtituit. 163. & 164. XCVII. Ipſum capit. 164. XCVII. Goam repetit. ibid. Claſſem mittit ad Damanum expugnandum. 164. XCVIII. Ad ipſum Cambajæ Rex Badurius petendæ pacis oratorem mittit. 165. XCVIII. Et ad ſe per legatos, & litteras invitat. 167. C. Pacem cum Rege facit. ibid.

Dien-

Dienſem arcem conſtrui jubet. ibidem. Badurius officium ſimulans ipſum adit. 168. CI. Inter ipſum & Regem fit atrox pugna. ibid. Dienſis arcis cuſtodiam Antonio Sylveriæ committit. 169. CIII. Goam ſe confert. ibid. Luſitanis in Dienſi arce obſeſſis ſert auxilium. 174. CVIII. Eidem ſucceſſor in Indica Prætectura Garzias Noronia deſignatur. 175. CIX. V. *Badurias*. *Luſitani*.

Noronia. V. *Garzias Noronia*.

Novæ Carthaginis in Templo S. Nicolai Minorum Obſervantium quæ Sanctorum Reliquiæ aſſervatæ. 246. VII.

Novi Teſtamenti Græca exemplaria quæ ſuperſunt, in pluribus mendoſa. 119. XIV.

O

OBedientiæ virtus quid exigat. 234. XXII.

Obſervantes, ſeu Fratres Minores Regularis Obſervantiæ. Eorum in Mexicano Regno res geſtæ. 2. II. Diſciplinæ aſperitate, & Evangelicæ paupertatis cultu ibi maxime florent. 3. II. Eorum exemplo permoti Dominicani, & Auguſtiniani ad aſperum vitæ genus amplectendum. 3. III. Obſervantes Mexicani ad Comitia Mantuana conveniunt. 4. VI. Obſervantes plures D. Franciſco Borgiæ familiares. 9. XVI. Obſervantes in Nova Gallæcia ſanguinem pro Chriſto fundunt. 23. XXXVI. & ſeq. Ab Henrico VIII. Angliæ Rege exagitantur. 26. XXXIX. & 28. XL. A Catholicis tamen perhumaniter habiti. ibid. Eorum ſtatus ſub Eduardo, & Eliſabetha. ibid. In Hibernia ad Catholicos in Fide conſtabiliendos conſiſtunt. 28. XL. Obſervantium Hibernorum collegia 29. XLIII. Ad Americanos excolendos amandantur. 50. XXII. Cœnobium diruunt extra mœnia Crotonis. 55. XL. In novi Cœnobii conſtructione vexantur a Crotoniatibus. 55. XLI. qui edicto Pontificis coercentur. ibid. Obſervantes Campaniæ Felicis Cardinalem Carpenſem Ordinis Protectorem adire jubentur, & quare. 60. VIII. Obſervantium rogatu jubet Carolus V. Americanos Neophytos ab Hiſpanis mitius tractandos. 60. IX. V. *Antonius Rodericenſis*. Boſnenſium Chriſtianorum curæ impenſi Obſervantes. 72. VIII. Eccleſia Deiparæ Virginis, ejus juſſu condita, Obſervantibus traditur a Carolo Auſtriaco. 76. XVIII. Quæ Obſervantibus teſtamento legata ſint, ea ut integre ipſi percipiant, decernit Pontifex. 79. XXIX. Ab Archiepiſcopo Moguntino in ſuo diplomate, *Nudipedes Franciſcani* appellantur. 81. XXX. Plurimi in Americæ regna ad diſſeminandum Dei verbum trajiciunt. 93. VI. Eorum inibi res geſtæ, labores & fructus. 94. VI. & ſeqq. Obſervantes Luſitanos Presbyteri ſeculares avaritia incitati exagitant in India Orientali. 96. X. Sed deſiſtere jubentur edicto Pontificis. ibid. Obſervantes quinque in Pannonia a Barbaris necantur. 96. XII. Obſervantes qui Tridentino Concilio interfuere. V. *Concilium Tridentinum*. Eorum præcipuus labor & cura in diſcutienda Juſtificationis materia in Concilio Tridentino. 124. XXV. Quatuor Theologorum ex Obſervantia opinio de Juſtificationis certitudine Concilii Tridentini Patribus magnopere probatur. 145. LXVI. Obſervantium familia Cœnobiis aucta in Peruvia. 147. LXIX. Eorum labor & diligentia in procuranda Barbarorum ſalute maximam meretur laudem. ibid. Egregiam operam navant Peruvianis ad Chriſtum convertendis. 154. LXXXII. De ipſorum in Peruviam adventu Antonii Colaucani palmaris error argumentis oſtenditur. 155. LXXXV. Quando eas terras incoluerint. ibid. Eorum cuſtodia *Apoſtolorum* nuncupata in Peruvia amplificatur. 156. LXXXV. Obſervantes duodecim in Caxamalcam profecti. 156. LXXXVI. Cœnobium fundant. ibid. Obſervantium pervetus mos permittendi regendos aliis Sacerdotibus Populos ab ſe ad Fidem converſos. 159. XCII. In Caxamalcæ regione Parœcias adminiſtrare jubentur. 160. XCII. Eo munere poſtea ſe abdicant. ibid. Populares ægre ferunt ſe ab eis deſeri. ibid. Et impetrant a Pro-Rege, ut Parœcias ipſis iterum mandet. ibid. Obſervantes in Indico bello ſuam Eccleſiæ Regique Luſitano operam locant. 160. XCIII. & ſeqq. Joanni Caſtrio Indiæ Pro-Regi morienti cum D. Franciſco Xaverio bini aſſiſtunt Sacerdotes Obſervantes. 195. CXXXI. Ejus cadaver Obſervantium habitu induitur, & in eorum Templo conditur. ibid. Obſervantes Cranganoris Regnum adeunt. 195. CXXXII. In Indiam navigant Evangelii diſſeminandi cauſa. 197. & 198. CXXXV. Eorum opera, vel conſilio multa memoratu digna in Indiæ Regnis geſta. 202. CXXXVII. In Tulana regione Evangelium diſſeminant. 202. CXXXIX. Ad Obſervantium quorundam levitatem coercendam, quomodo providerit Miniſter Generalis Pau-

Paulus Piſottus. 207. CXLVIII. Obſervantes pelluntur Cœnobio Florentino S. Catharinæ. 211. CLVI. Iterum admittuntur edicto Pontificis. ibid. Londinenſi item Cœnobio pelluntur ſub Henrico VIII. 213. CLXIII. In Gallia Narbonenſi ſodalitatem hominum ſecularium Tertii Ordinis leges profitentium inſtituunt. 214. CLXIX. Obſervantibus moleſtia exhibetur a Procuratoribus Vaticani ædificii. 214. CLXX. De his quid publice cautum. 215. CLXX. quorundam Franciſcanorum licentiam ac levitatem coercet Summus Pontifex. 215. CLXXI. Obſervantes ab Anglis hæreticis exagitati pelluntur Cœnobio Chanſonenſi. 216. CLXXVI. Obſervantes Mutinenſis Cœnobii contractam pecuniam ex venditione horti ſuburbani minime diſtrahi patiuntur, eaque de re ſibi cavent. 217. CLXXVIII. Obſervantibus urbis Campaniæ legatam pecuniam Cardinalis Pœnitentiarius inſtaurando eorum Templo inſumptum iri decernit. 217. CLXXIX. Obſervantes Cœnobii ſanctæ Crucis Neapolitani Minimorum ædificium juxta eorum Cœnobium inchoatum edicto Romanæ Curiæ diſturbari curant. 237. XXVI. Obſervantes Cœnobii Tiburtini collegium Canonicorum in cauſa funeris edicto Romanæ Curiæ coerceri curant. 239. XXVII. Obſervantium Syndico Apoſtolico, ut annuam pecuniam eis legatam alienare poſſit, dat facultatem Cardinalis Pœnitentiarius. 242. XXVIII. Obſervantes Alberſtanenſi Cœnobio pulſi a Lutheranis. 244. XXXVI. Deinde reſtituti nutantem Fidei cauſam ſuſtinere inſtituunt. ibid. Convertendis ad Chriſtum Peruvianis operam navant. 254. X. In Cilen proficiſcuntur, & qui. 328. XIX. V. *Cardinales Protectores. Miniſtri Generales. Miniſtri Provinciales. Capitula Generalia. Procuratores & Commiſſarii Generales. Conventus. Statuta. Epiſcopi. Concilium Tridentinum.*

Obſervantes Reformati. V. *Reformati.*

Obſervantes Excalceati. V. *Excalceati.*

Occana Sacerdos ſecularis Pizarri ſocius in Peruvia. 155. LXXXIV.

Octavianus Præcopius Conventualis doctrinæ laude floret. 211. CLIV. creatur Epiſcopus Monopolitanus. ibid.

Octavianus Ravennas Conventualis Magiſter Provinciæ Angliæ. 28. XLI. Concilio Tridentino intereſt. ibid.

Octavius Farneſius Pontificiæ militiæ Dux adverſus Proteſtantes. 113. I. Quod Camerino ſibi reſtituto Parmam rurſus Eccleſiæ ditioni adjicere meditetur Paulus III. ejus patruus, indigne fert. 247. I. Minaces proinde litteras ſcribit ad Cardinalem Farneſium. ibid. Hinc dolore concepto moritur Pontifex. ibid. Parmenſem ditionem ei eripere adoriuntur Summus Pontifex, & Cæſar. 256. I. Ejus partes tuetur Galliæ Rex. ibſd.

Oliverius Auguſtus. 30. XLIX.

Oratio Cornelii Muſſi habita ad Patres Concilii Tridentini. 85. I. & ſeqq. Cardinalis Sanſeverini, qua Pontificem & Cardinales dehortatur, ne deleantur Capuccini. 57. III.

Orlandinus Annalium Soc. Jeſu Scriptor. 106. XXXIX.

Ottomanus Rex Luſitanos ex India pellere meditatur. 170. CIV. Solimanum Peloponneſium Claſſis præfectum in Indiam mittit. ibid. V. *Luſitani.*

P

PAcecus Cardinalis Concilio intereſt Tridentino. 117. XI. Andrea de Vega Ordinis Minorum Theologo familiariſſime utitur. ibid. Controverſiam, quæ ad Deiparæ Conceptum ſpectinet, tandem finiendam in eodem Concilio arbitratur. 136. XLIV. Ei ſe opponit Bertanus. ibid. Quæ verba petiit ſubjici in formula decreti de peccato originali in favorem piæ ſententiæ de Immaculata Conceptione. ibid.

B. Pacifici Ceredanenſis Corpus Obſervantes in novam Eccleſiam invehere parant. 105. XXXVII. Hujus rei publicum monumentum Novarienſis Epiſcopi. 106. XXXVII. Quid de hac translatione ſenſerit Waddingus. 106. XXXVIII.

Pacificus a Rocca Contracta Obſervantium Sacerdos patriæ Cœnobium vitæ innocentia nobilitat. 212. CLVII.

Paduanus Craſſus Conventualis litteris floret. 76. XVI.

Paleſtinæ loca ſancta. 204. CXLII.

Pallavicinus Cardinalis Andreæ de Vega inſiſtens veſtigiis de Vulgatæ Scripturæ auctoritate diſſerit. 118. XII.

Panama Americæ urbs ubi ſita. 147. LXX.

Parma, & Placentia a Paulo III. Aloyſio Farneſio fiduciario jure permiſſæ. 112. LII. Parma ægre Pontifici ſervatur. 219. I. Eam vi capere cogitat Carolus V. 247. I. Eam rurſus Eccleſiæ ditioni ſubjicere meditatur Summus Pontifex. ibid.

Parmenſe bellum. 256. I.

Patanius Rex. 177. CXIII.

Patriarcha Montis Libani Franciſcanum ad

ad ſe mitti poſtulat a Pontifice. 71. IV.
Patiecus. V. *Franciſcus Patiecus*.
Patritius Ohogam Hiberniæ Miniſter, Definitor Generalis. 259. II.
Patrum eum Græcorum, tum Latinorum teſtimonia de ſanctitate & excellentia Deiparæ Virginis ſupra univerſum Cœlitum chorum. 138. XLVII. & ſeqq.
Paula Gambara Tertii Ordinis virtutibus excellens ubi condita. 212. CLVIII.
Paula Romana Clariſſa. 66. XXIII.
Paulus III. Summus Pontifex Concilium Trideotinum indicit. 38. I. Illud diſſolvit. 57. I. Apud Caſtrum Buxeti Cæſarem alloquitur. ibid. Minorum Ordinem Inquiſitorum judicio non eſſe obnoxium decernit. 54. XXXVII. De Capuccinis omnino delendis deliberat. 57. II. Carolum V. Cæſarem, & Franciſcum I. Galliæ Regem pacificare conatur. 70. I. Cardinalem Farneſium ad Cæſarem Legatum mittit. ibid. Pacato Chriſtiano imperio Antiſtites vocat ad Concilium Tridentinum. 74. XII. Cultum erga ſanctum Conradum Placentinum Tertii Ordinis ratum habet. 75. XIII. Ejus erga Sorores Franciſcanas beneficium. 77. XXIV. & Obſervantes Portiuoculæ. 78. XXVI. Ad ejus ædes divertit. ibid. & valetudinarium inibi ejus beneficio perficitur. ibid. Quæ teſtamento legata ſint Franciſcanis, ea ut integre ipſi percipiant, decernit. 79. XXIX. Ad Concilium Tridentinum Præſides mittit. 84. I. Ejus laudes 88. & 89. I. Nicæam, Lucam & Buxetum pergit. ibid. Licentiam quorundam Fratrum, ac Sororum quoad Confeſſarios eligendos coercet. 111. XLVIII. Et quoad Confeſſiones ſuis Miniſtris Ordiois Minorum ſubjicit. 112. XLVIII. Templum S. Pauli Spoletini eximia populi religione celebratum inſtaurari curat. 112. I. Guardiano hujus Cœnobii quam facultatem dederit. ibid. Camerinum recipit, Parmam & Placentiam Aloyſio Farneſio fiduciario jure permittit. 112. LII. Carolo V. auxiliares copias, duce Octavio Farneſio, contra Proteſtantes mittit. 113. I. Licentiam ac levitatem quorundam Franciſcanorum compeſcit. 215. CLXXI. Palatium ab ſe in horto Aracœlitano ædificatum ſui duntaxat & ſucceſſorum Pontificum juris eſſe declarat. 219. CLXXII. Suo decreto cavet, ne Quæſtores Romanæ Curiæ a Virginibus Franciſcanis decimas exigant, niſi certis conditionibus. 216. CLXXIII. Aloyſius Farnelius Placentiæ Dux interficitur. 219. I. Placentia a Ferdinando Gonzaga occupata, Parma ægre Pontifici ſervatur. ibid. Inde multum doloris & ægritudinis capit Pontifex. ibid. Miniſtro Generali Ordinis Minorum, ut quædam Sanctimonialium Collegia reformet, jubet. 221. IV. Parmam Eccleſiæ ditioni adjicere, & Camerinum Octavio nepoti reſtituere meditatur. 247. I. Id indigniſſime fert Octavius. ibid. Perlectis Paulus ejuſdem minacibus litteris lethalem morbum ex dolore contrahit. ibid. Verba, quæ moriens identidem repetebat. ibid. Fuit vir plane magnus, & fruſtra ab Hæreticis laceratus. ibid.
Paulus Ceilanus Cœnobium Inſulæ Minoribus Conventualibus tradit. 53. XXX.
Paulus a Nicotera Miniſter Calabriæ Definitor Generalis. 5. VII.
Paulus Piſottus Ordinis Minorum Miniſter Generalis, ut Capuccinorum ſodalitas amplificetur, occaſionem tribuit. 18. XXX. Franciſcum Aragonium in Peruviam legat. 155. LXXXV. Poteſtatem eidem facit duodecim probatiſſimos adminiſtros. deligendi. 156. LXXXV. Ad coercendam Obſervantium quorundam levitatem quid mandaverit. 207. CXLVII.
Paulus Soncinas totius Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter. 235. XXII. Suis humaniſtimis litteris Philippam Egmontiam Lotharingicam Clariſſam certiorem facit diſciplinæ aſperitatem in ſuo Cœnobio nullo modo remittendam. ibid.
Paulus Sychius. 31. LIII.
Pax inter Carolum V. & Galliæ Regem. 74. XII.
Peruvianæ conquiſitionis narratio. 147. LXIX. & ſeqq. Peruviæ Rex Atabalipa. ibid. Peruvianum Regnum, ejuſque opes io Hiſpanorum poteſtatem deveniunt ſub Pizarro Duce. 153. LXXX. Peruvianorum religio ac mores. 153. LXXXIII Eorum Sapientes ante ſuſceptam Fidem animæ rationalis immortalitatem fatebantur. 154. LXXXII. Peruvianis ad Chriſtum convertendis egregiam navant operam Obſervantes Franciſcani. ibid. Peruviæ rerum ſcriptor Ynca Garcilaſſius Peruviaous. ibid. Item Antonius Colancanus Eremitanus S. Auſtioi. ibid. Bellum Peruvianos inter & Hiſpanos ad vigioti fere anoos protractum. 154. LXXXIII. Inter Peruvianæ expeditionis Duces orta diſſidia ſimultates vehementer augent. ibid. In Peruvia civile bellum ad Cuſconem exardet. 115. LXXXIV. Peruvianæ Eccleſiæ amplitudo, & ſanctimonia. 159. XCI. Pro

ea Minorum Obſervantium labor & diligentia commendatur. ibid.
Petavii de Andrea Vega elogium. 123. XXII.
S. Petrus de Alcantara D. Franciſco Borgiæ familiaris. 9. XVI. Joanni Taxedæ in ſpiritu apparet. 11. XVIII. Provinciæ ſancti Gabrielis extitit Miniſter. 11. XIX. Excalceatorum familiam amplificat. ibid. Ejuſdem vita deſcribitur. S. Petri ortus, & pueritia. 41. V. Ardores in ſtudio pœnitentiæ. 42. V. Orandi aſſiduitas, modeſtia, paupertas. ibid. Humilitas. ibid. Severiorem diſciplinam conſtituere aggreditur. ibid. Sanctam Thereſiam Virginem in reformando Carmelitarum Inſtituto magnopere adjuvat. 42. VI. Eidem longe diſtanti apparet. 43. VI. In hujus Sancti nomine petentes ſe exauditurum eidem S. Thereſiæ Deus aſſeverat. ibid. SummorumPriucipum erga ſe obſequia declinat. ibid. Ejus mira in adverſis patientia. 43. VII. Sobrietas plane incredibilis. ibid. Domandi corpus artes variæ. ibid. Charitas in Deum. 44. IX. Et in proximum. 44. X. Sacrarum litterarum peritia. 45. XII. Librum conſcribit de ratione meditandi doctorum Virorum judicio comprobatum. ibid. Ejuſdem tacilitas morum. 45. XIII. Afficitur ſenſibus intimis dum Chriſti cruciatus meditatur. 46. XIV. Quædam mira de ipſo. ibid. Abdita cordium penetrat. ibid. Multis nobilitatur miraculis. ibid. Joannes Aquilanus, & Matthæus a ſancta Maria ejus comites in Arabidæ monte. 47. XV. Eorum vitæ genus aſperrimum. ibid.
Petrus Alcocerius. 47. XVI.
Petrus Alvaradus veteranus Corteſii miles. 153. LXXXI. Guatimalam ſubjicit. ibid. Ejus io Quitonicum Regnum expeditio. ibid.
Petrus Alvarus Excalceatus. 11. XIX.
Petrus Amatricenſis Obſervantium Sacerdos piorum hominum ſocietatem inſtituit. 75. XV.
Petrus Annaſcus. 95. VII.
Petrus Barus. 153. LXXX.
Petrus Bellottus in Obſervantibus clarus. 56. XLIII.
Petrus Betancius Guatimalam amandatur. 51. XXII. Ejus linguæ ediſcendæ præcepta tradidit primus. ibid.
Petrus Calderinus Fratrum Tertii Ordinis Generalis Præfectus. 60. VII.
Petrus Carnerius conſiliarius, ac quæſtor Regis Luſitani Alveriæ Obſervantibus Cœnobium condit. 212. CLXI. Hujus Cœnobii Templum Sanctorum Reliquiis inſigne. ibid.
Petrus Gandavenſis ex Obſervantium familia Carolo V. familiaris ſuam Americanis operam locat. 94. VII.
Petrus Gaſca ſumma cum poteſtate in Peruviam mittitur. 159. XCII. Obſervantibus, ut Parœcias adminiſtrent, edicit. 160. XCII.
Petrus Gautius ex Obſerv. Epiſcopus Cyrenenſis, & Urgelitani Epiſcopi coadjutor. 53. XXVII.
Petrus Gironius factionis contra Carolum V. primarius ab Antonio Guevara ad ejus partes traducitur. 98. XV.
Petrus Goſſealius. V. *Jodocus*.
Petrus Libani Montis Patriarcha Potificem rogat, ut egregium aliquem virum ex Obſervantibus ad ſuos Maronitas mittat. 71. IV.
Petrus Martyr Vermilius hæreſim in Britanniam inducit. 220. II. Ejus dilatandæ percupidus in eam convolat. 245. I. De eo quid agendum diſceptatur in Angliæ Senatu. 259. I. Argentinam cum Ochino ſe confert. ibid.
Petrus Melgarius. 14. XXV.
Petrus Obſerv. Laicus a Barbaris necatus. 96. XII.
Petrus Pinafalius Obſervantibus Cœnobio ædificando operam navat. 256. III.
Petrus Rocha Mazarienſis Capuccinorum Presbyter inſignis. 248. V. Ejus adoleſcentia miſerabiliter traducta. ibid. Serio reſipiſcens Capuccinorum ſocietati nomen dare inſtituit. 249. V. Ejus mores, ac vitæ ratio. ibid. Carolum V. ſequitur in Africana expeditione. 249. VI. Rurſus in Africam tranſmittit. ibid. Ejus labores, & in proximis adjuvandis ſolertia. ibid. Et obitus. ibid.
Petrus Ryo Iſthmi Darienſis Præfectus Almagrum retinet. 148. LXXII.
Petrus Saramus Balearicæ Provinciæ ſumma cum poteſtate adminiſtrator. 5. VII.
B. Petri Solitarii corpus a Turcis violatum ad novam Eccleſiam transfertur. 31. LIII.
Petrus a Soto Dominicanus Carolo V. a ſacris Confeſſionibus. 47. XII. Eundem Cæſarem ad pacem cum Gallorum Rege ineundam flectit, & inducit. ibid.
Petrus Toletus Pro-Rex Neapolitanus de Crotonis Conventu benemeritus. 55. XI. Conceptioniſtis Monaſterium condit. 66. XXV.
Petrus Valdevivus Civitatem S. Jacobi in Chilenſi Provincia condit. 33. LIX.
Petrus Vercellenſis Provinciæ Mediolanenſis Cuſtos, Definitor Generalis. 259. II.
Petrus Vermilius hæreticus Ochiui aſſecla. 12. XXII. V. *Petrus Martyr*.

Phi-

Philibertus Gallus Obſerv. Miſſionum Americæ Prætectus. 94. VI. Ejus res geſtæ. ibid.
Philippa Egmontia Lotharingica S. Claræ inſtitutum amplexa. 222. VIII. Ejus pater Adolphus, frater Carolus Egmontius. ibid. Mater Catharina Caroli Borbonii filia. ibid. Ipſa cum fratre Gandavum mittitur. ibid. Eorum liberalis educatio in aula Ducis Burgundiæ. ibid. Guillelmus Egmontius ejus patruus moritur. 226 XIII. Epiſcopus Leodienſis, ejus avunculus, dum ipſius eauſam tuetur, nefarie interficitur. ibid. Catharina Egmontia ejus amita Geldriam gubernat. 227. XIII. Ipſa nubit Renato Lotharingo. 227. XIV. Quot filii ex hoc matrimonio procreati. 228. XIV. Magnam conſequitur laudem ex optima liberorum educatione. 228. XVI. Renati conjugis præclarum de ea teſtimonium. ibid. Item Leonis Papæ X. ibid. Ejus peregrinatio Religionis & voti cauſa. 229. XVII. Lugdunum proficiſcitur. ibid. In Lotharingiam revertit. ibid. Antonii ejus filii egregia indoles. ibid. Ejus opera Renatus Cœnobium in urbe Nancejo Obſervantibus extruit. ibid. Eorum Templum ipſa ſupellectili inſtruit. ibid. Juventutem ad litterarum ſtudia inflammat, attributa egentibus pecunia. ibid. Ejus virtutes femina principe dignæ. ibid. Ejus probitatem vel exteræ gentes ſuſpiciunt. 230. XVII. Renatus ejus conjux obit. 230. XVIII. Juniores liberos ſanctiſſime inſtituit. ibid. Cavet, ne hæretica peſtis irrepat in Lotharingiam. ibid. In rebus gerendis pietatem cum ratione conjungit. ibid. Ejuſdem comitas, humanitas & liberalitas. 231. XVIII. Muſſipontanum Cœnobium ſanctæ Claræ Virginum adire conſtituit. ibid. Earum inibi rigidum vitæ inſtitutum. ibid. Familiarem ſuum ad Obſervantium Provincialem Miniſtrum præmittit, qui facultatem ab eo ſuo nomine petat. 232. XIX. Res domeſticas primum componit. ibid. Muſſipontum ſe recipit. 232. XX. Lugentibus filiis nuntium humanis rebus remittit. ibid. Sumpta communi veſte, ſeverioris diſciplinæ tyrocinium ponere inſtituit. 233. XX. Leonis X. Pontificis Maximi ad eam litteræ. ibid. Severitatem diſciplinæ mordicus tenet. 233. XXI. E gravi morbo periclitatur. ibid. Sed Dei ope nedum a præſenti vitæ diſcrimine, ſed a veteribus ſuis morbis plane liberatur. ibid. Joannis Cardinalis ejus filii erga ipſam pietatis officia. ibid. Philippæ animi ſubmiſſio. 234. XXI. Innocentiſſime vivit. ibid. Ea de re cujuſdam Sacerdotis teſtimonium. ibid. Cœnobii regimen, Pontificis auctoritate interpolita, detrectat. ibid. Quid de virtute obedientiæ ſentiret. 234. XXII. Principes de rebus maximis ab ea petunt conſilium, præſertim Franciſcus I. Galliæ Rex. ibid. Virorum principum ad eam litteræ pietatis cauſa. 235. XXII. Contendit a Pontifice Maximo ac Generali totius Ordinis Miniſtro, ut vetus Cœnobii diſciplina retineatur. ibid. Humaniſſima ejuſdem Miniſtri Generalis ad eam reſponſio. ibid. Ejus charitas in proximum. 235. XXIII. Tum orandi aſſiduitas. ibid. Divini amoris in eam teſtificatio. 236. XXIII. Ejus filius Franciſcus, dum Franciſcum I. Galliæ Regem periculo conatur eripere, interficitur. ibid. Cruciatus Chriſti impenſe colit. ibid. Dolorum Chriſti particeps fit, Dei beneficio, 236. XXIV. Supremo morbo decumbit Philippa. ibid. Piiſſime obit. 237. XXV. Celebrantur a populo ejus virtutes. ibid. Ejus vitam typis editam Clariſſæ Muſſipontanæ Carolo Lotharingico inſcribunt. 236. XXV.
Philippa a Soto majore Clariſſa. 65. XXI. Ejus & fratris pecunia Obſervantibus Cœnobium conſtruitur. ibid.
Philippa a Soto majore de Conventu Alcoceri optime merita. 328. XVII. Sanctæ Claræ Ordinem ingreditur. ibid.
S. Philippi Apoſtoli caput in Templo Conventus Montis majoris Minorum Obſervantium Diœcetis Eborenſis aſſervatur. 246. VIII.
Philippus II. Hiſpaniarum Rex 11. XVIII.
Philippus Haſſiæ Landgravius arma movet in Cæſarem. 113. I.
Philippus Melanchthon contra edictum Caroli V. *Interim* nuncupatum ſcribit. 245. II.
Philippus a Montecalerio Conventualis litterarum ſcientia præditus. 76. XVI.
Philippus Peruſinus in Obſervantibus Poeta non ignobilis. 218. CLXXXI.
Picenam Provinciam bifariam diſtribuit Joannes Calvus Miniſter Generalis. 71. VI.
B. Pierius S. Patri Franciſco convixit. 55. XL. Ejus opera conditum Cœnobium Crotonis Minorum Obſervantium. ibid. Ejus corpus integrum repertum. 55. XLI. Tumulum ſalubri manare conſuevit liquore. ibid. Quo quidam abuſus luce privatur. ibid.
Pio Cardinali Carpenſi Panegiricum inſcriptum vulgat Philippus Peruſinus. 218. CLXXXI.

Pius IV. Solitariorum Sodalitium diſſipat. 255. XVI.
Pizarrus. V. *Franciſcus Pizarrus*.
Placentiæ Dux Aloyſius Farneſius. V. *Aloyſius Farneſius*.
Polus. V. *Reginaldus Polus*.
Ponda a Luſitanis capta, & everſa. 193. CXXIX.
Pontanus. V. *Iſacius Pontanus*.
Portia e Vicecomitum familia de Monaſterio S. Michaelis Archangeli Tiburis optime merita. 66. XXIII.
Portiunculæ ad feſtum Capuccini ducenti conveniunt, & quo fine. 59. V. Portiunculæ Valetudinarium Pauli III. ad ejus ædes divertentis, beneficio perficitur. 78. XXVI. Portiunculæ ad Templum accedentes in die Paſchatis ut ibidem Euchariſtiam ſumere poſſint, indulget Summus Pontifex. 243. XXIV.
Portocarreria familia de Monaſterio Metallini Conceptioniſtarum optime merita. 37. LXX.
Presbyteri ſeculares avaritia inſtincti Minores Obſervantes Luſitanos exagitant in India Orientis. 96. X. A Summo Pontifice coercentur. ibid.
Procuratores Generales Ordinis Fratrum Minorum. Angelus Averſanus. 259. II. Antonius a S. Michaele Hiſpanus. 220. III. Clemens Dolera Monilianus. 4. VII. Euphemius Valdotus. 71. V. Procuratoris Generalis Ordinis munia. 6. IX.
Protectores Seraphici Ordinis Fratrum Minorum. V. *Cardinales Protectores*.
Proteſtantes arma movent contra Carolum V. Cæſarem. 113. I. Sed inaniter. ibid.
Provinciæ Mexicanæ decreta. 3. II. Provinciæ Ciſmontanæ Fratrum Minorum enumeratæ. 6. IX. Provincia S. Joſeph Excalceatorum in Gallæcia a quo fundata. 14. XXV. Provinciæ S. Gabrielis Excalceatorum in Bætica fundator Joannes ab Aquis Lupis. ibid. Provincia S. Fidei in Regno Novæ Granatæ fundatur. 254. XI. Ejus amplitudo. ibid. Provincia Cilenſis quando inſtituta. 328. XIX. Provincia Peruviana duodecim Apoſtolorum. ibid. Provincia Romana S. Hieronymi. 259. II. V. *Miniſtri Provinciales*.

Q

QUiſquiſius ſtrenuus Dux. 150. LXXVII.
Quiteriæ de Cruce Ordinis S. Claræ ætas, virtutes, & obitus. 63. XIII.
Quitonicum Regnum a Gynacava ſubjugatur. 149. LXXV. Quitonicum in Regnum Petri Alvaradæ expeditio, 153. LXXXI.

R

REcurſus ad Seculares magiſtratus Regularibus pernicioſus. 60. VIII.
Reformati Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ. 17. XXX. Vnde ſic appellati. ibid. In quibus ab eiſdem Obſervantibus diſcriminentur. 18. XXX. Reformati Provinciæ Brixienſis Cardinalis Carpenſis Ordinis Protectoris patrocinium implorant. 38. III. Primitus Recollecti nuncupati. 39. III. Eorum vitæ inſtitutum in Cœnobio Julianæ. 207. CXVII.
Reginaldus Polus Cardinalis religionis Catholicæ acerrimus propugnator. 84. I. Unus ex Concilii Tridentini Præſidibus. ibid. Ejus objurgatio in Henricum VIII. jactata. 25. XXXVIII. In Angliam Legatus Apoſtolicus a Maria Regina Catholica accerſetur. 259. I.
Regularium de immunitatibus abrogandis agunt Epiſcopi in Concilio Tridentino. 126. XXX.
Religioſorum ne qua familia in vicinia alterius Cœnobii ſedem ponere audeat, cavet ſuo Diplomate Clemens VII. 237. XXVI.
Reliquiæ Sanctorum in Templo S. Nicolai novæ Carthaginis Minorum Obſerv. aſſervatæ. 246. VII.
Renatus Lotharingiæ Dux Carolo Burgundioni bellum indicit. 223. IX. Helvetiis ſe jungit. 224. X. Eorum opera Lotharingiam recipit. 224. XI. Et Burgundionem fundit. ibid. Philippam Egmontiam Geldrienſem ducit in uxorem, repudiata Margarita Gulielmi Harcuriani Taucarvillæ comitis filia. 227. XIV. Quot ex Philippa liberos ſuſceperit. 228. XIV. Ejus de Philippa conjuge præclarum teſtimonium. 228. XVI. Cum uxore & Antonio filio Lugdunum ſe confert. 229. XVII. Cœnobium Obſervantibus extruit. ibid. Obit, & in Templo eorundem ab ſe extructo ſepelitur. 230. XVIII.
Rengelius. V. *Alphonſus Rengelius*.
Rhodericus Laurentius Tavora Bazaini præfectus proſpere contra Guzarates pugnat. 175. CX.
Richardus Cenomanus Franciæ Pariſienſis Pro-Miniſter Definitor Generalis. 5. VII. Concilio Tridentino intereſt. 124. XXV. Ejus labor in Concilio. ibid. Quæ ſcripſerit. ibid. Ejus ſententia de vera cauſa noſtræ Juſtificationis exponitur. ibid. Ejuſdem de Juſtificationis certitudine judicium. 145. LXVI.
Robertus Cœnalis ſcribit contra edictum Ca-

Caroli V. *Interim* nuncupatum. 245. II.
Roderica Leonora ſeveritate diſciplinæ celebris. 221. VII.
Rodericus Borrettus, ejuſque conjux Eleonora Cœnobium Obſervantibus ſuis impenſis ædificant. 212. CLXII.
Rodulphus Pius Cardinalis, dictus Carpenſis, totius Seraphici Ordinis Minorum Protector. 39. III. Eidem Panegiricum inſcriptum vulgat Philippus Peruſinus Obſervantium Sacerdos. 218. CLXXXI. V. *Epiſtolæ. Capuccini*.
Rojardus hæreticorum hoſtis acerrimus. V. *Joannes Rojardus*.
Romano Populo terrorem incutit Ariadenus Barbaroſſa a Franciſco I. Galliæ Rege contra Carolum V. evocatus. 65. XX.
Romæus. V. *Franciſcus Romæus*.
Rumæum Caſtellum a Turris oppugnatur. 173. CVI. Eis deditur. ibid.
Rumecan Sofaris filius rei tormentariæ procurator deſignatur in oppugnatione arcis Dienſis. 177. CXII. Conſternatos morte Sofaris Mamudianos in officio continet. 184. CXXI. Ad ſollam a Luſitanis exhauſtam aggerendam curas intendit proſpero ſucceſſu. ibid. Pacis conditiones ultro proponit Luſitanis, qui eas reſpuunt. 185. CXXII. Suorum clade percuſſus receptui canit. 186. CXXII. Luſitanis ſub Caſtrio Prætore ſe ad certamen parantibus aditus omnes munit. 191. CXXVII. Ipſe cum ſuis Mamudianis Luſitanorum paucitatem conatuſque irridet. ibid. Arcem Dienſem occupare contendit. 192. CXXVIII. Ejus milites magna cum cæde pelluntur. ibid. Fit atrox pugna. ibid. Mamudianis in urbem fugientibus inſiſtunt Luſitani. ibid. Mamudiani funduntur. ibid. Ingens proinde præda Luſitano militi cedit. ibid. Hoſtium cæſorum numerus, in quibus ipſa Rumecan imperator. ibid. V. *Luſitani*.
Ruminaxis Atabalipæ Regis exercitus dux. 152. LXXIX.

S

SAcræ Scripturæ interpres quis. 120. XV. De ea agitur. 118. XIII. & ſeqq. Ad ejus veritates, & myſteria detegenda plurimum conſert linguarum intelligentia, quibus primo Divina verba conſignata ſunt. 122. XIX. V. *Vulgata*.
Sagamus Coromandelis Rex a D. Thoma Apoſtolo inſigni miraculo ad Chriſti fidem converſus. 196. CXXXIII.
Salazarius. V. *Franciſcus Salazarius*.
Salmeron. V. *Alphonſus Salmeron*.
Salvator a Cruce. 47. XVII.
Salvator Fernandus. 194. CXXX.
Salviatus Cardinalis Mediolanenſis Archiepiſcopus Conventum Sabioncelli a penſione ſolvenda eximit. 23. XXXV.
Sanciano in inſula obit S. Franciſcus Xaverius. 257. II.
Sanfelicius Cavenſis Epiſcopus Concilio Tridentino intereſt. 114. III. Ejus cum Dionyſio Zannettino ex Obſerv. Chironenſi Epiſcopo diſſidium, & in eundem facinus. ibid. In Obſervantium Cœnobium detruditur. 115. IV. Pro ipſo idem Chironenſis Epiſcopus Concilii Patres deprecatur. ibid. Anathemate ſolutus e Tridentina Civitate ejicitur. ibid.
Sanſeverinus Cardinalis. V. *Antonius Cardinalis Sanſeverinus*.
Sasboldus Voſmerus Trajectenſis Epiſcopus Adami Sasbouth ex Sorore nepos. 327. XV.
Scriptor hiſtoriæ Concilii Tridentini..... Eccleſiæ cultum erga Deiparam Virginem quaſi errore decepti vulgi poſt damnatam Neſtorianam hæreſim paulatim vires cepiſſe comminiſcitur. 137. & 138. XLVI. Refellitur. 138. XLVII. & ſeqq. Deridet quaſi ex ignoratione populari ſubortam ſententiam, quæ ab originali peccato B. Virginem liberat. 140. LII. Refellitur. ibid. & ſeqq. Concilii Tridentini Patres objurgat, & deridet, eo quod in decreto de peccato originali Beatam Virginem exceperint. 141. LIV. Confutatur. 141. LV. & ſeqq. Iſte Scriptor notatur. 145. LXIII.
Scriptores rerum ad Chriſtianam pietatem pertinentium cæteris auteponendi. 2. I.
S. Sebaſtiani ope, & tutela S. Jacobi Americæ urbs a quibus calamitatibus liberata. 33. LVIII.
Sebaſtianus Balalcazarius Quitenſe Regnum occupat, & primariæ urbis fundamenta locat. 155. LXXXV. Ob amorem in Franciſcanam familiam S. Franciſci nomen illi tribuit. ibid. Obſervantibus Cœnobium condit. ibid.
Sebaſtianus Pighinus Archiepiſcopus Sipontinus Legatus ad Concilium Tridentinum mittitur. 256. I.
Segobrigenſes de Obſervantibus optime meriti. 253. IX. Segobrigæ floret Tertius Ordo. 254. IX.
Senenſes in Hiſpanorum redacti poteſtatem Reipublicæ libertatem amittunt. 254. XIII. Eiſdem Galli milites opem ferunt. ibid.

Sera-

Seraphina Fulginienſe S. Luciæ Cœnobium virtutum ſplendore nobilitat. 218. CLXXX.
Seripandi ſententia de duplici in nobis juſtitia. 125. XXVI.
Servantius a Noetberga Obſervantium Sacerdos Bucerum, alioſque hæreticos exagitat. 68. XXIX.
Sigiſmundus Auſtriæ Dux. 223. IX.
Simon a Calataxibeta Obſervantium Laicus pœnitentiæ ſtudio inſignis. 206. CXLVII. Severioris diſciplinæ cultum amplificare contendit. 207. CXLVII. Reformatorum Cœnobiarcha deſignatur. ibid. Ejuſdem ac ſociorum, vitæ inſtitutum. ibid. Facilitate moris, atque oris ſuavitate omnes ſibi conciliat. 207. CXLVIII. Cognatorum colloquiis abſtinet. 208. CXLVIII. Magno in bonore a popularibus habetur. ibid. Quædam de ipſo mira 208. CXLIX. Ejuſdem obitus. 209. CXLIX. Cluſini cum Julianenſibus de illius cadaveris poſſeſſione diſceptant. ibid. Æquis conditionibus controverſia finitur. ibid.
Simon Pheas. 179. CXV. & ſeq.
Sinas profectus S. Thomas Apoſtolus ibi Chriſti Evangelium prædicat. 195. CXXXIII. Et Templa ad Chriſti cultum ædificat. 196. CXXXIII. V. *S. Thomas Apoſtolus*.
Sixta Clariſſa virtute præſtans obit. 82. XXXI.
Sixtus IV. Miſſam & Officium proprium Immaculatæ Conceptioni dicat, & Indulgentiis ornat. 127. XXXII. Ejus in hac re Conſtitutiones a Concilio Tridentino confirmantur. ibid. Alterum Immaculatæ Conceptionis Officium a Bernardino de Buſtis conſcriptum approbat, & Indulgentiis decorat. 134. XXXIX.
Sixtus V. Palatii in Aracœlitano horto a Paulo III. ædificati jus omne in Aracœlitanum Guardianum confert. 215. CLXXII.
Sixtus Senenſis corrigitur. 221. VI. Ejus de Antonio Guevara teſtimonium. 101. XXII.
Sodalitas hominum ſecularium Tertii Ordinis leges profitentium ab Obſervantibus in Gallia Narbonenſi fundatur. 214. CLXIX. In ea feminæ ſex Chriſtiana humilitate præſtantes. ibid. Ardor earum in charitatis operibus obeundis. ibid. Cœnobium condunt, in quo Tertii Ordinis nuncupant vota. ibid.
Sofar Dienſium ditiſſimus tutores Mamudii Cambajæ Regis hortatur, ut Luſitanos ex arce Dienſi pellant. 170. CII. Cum Solimano Turcicæ claſſis præfecto arcem oppugnat. 172. CV. Perterritus in remotiora loca diſcedit. 174. CVIII. Novi & periculoſi belli contra Luſitanos concitator. 175. CXI. Mamudio familiaris ſimulandi artifex mirus. 176. CXII. Luſitanorum res callide ab eiſdem expiſcatur. 177. CXII. A Mamudio adminiſtrando bello præficitur. 177. CXIII. Ejuſdem litteræ ad Maſcareniam adulatione conſperſæ. ibidem. Dium ingreditur. 178. CXV. Ejuſdem ad Luſitanos mandata. 179. CXV. Maſcareniæ reſponſum. 179. XVI. Maſcareniæ legato catenas injicit. ibid. Ejus apparatus ad Dienſis arcis oppugnationem. 180. CXVII. Marinum Caſtellum adoriri, & machinam incendiariam prope admovere conſtituit. 180. CXVIII. Sed irrito conatu. ibid. A terra munitiones ad arcem urget. 181. CXIX. Machinam ab eo erectam quatiunt, & proſtemunt Luſitani. 183. CXX. Sofar interficitur. 184. CXXI.
Solimanus Pelopponeſius ab Ottomano claſſis præfectus in Indiam contra Luſitanos mittitur. 170. CIV. Res ab eo geſtæ in itinere. 171. CV. Ejus fallacia, & crudelitas. ibid. Dium appellit. ibid. Arcem Dienſem obſidere parat. ibid. oppugnationem tentat. 172. CV. Ejus cum Sofare conſilia. ibid. V. *Turcæ. Luſitani*.
Solimanus Turearum tyrannus. 166. XCIX. Ab eo auxilium petit Cambajæ Rex Badurius. ibid.
Solitariorum Sodalitium regulam S. P. Franciſci profitentium inſtituit Hieronymus Lanza. V. *Hieronymus Lanza*.
Sommerſetus. V. *Eduardus. Thomas Sommerſetus*.
Soſa. V. *Martinus Alphonſus. Jacobus Lupius. Ludovicus Soſa*.
Spoletanum S. Pauli Templum antiquitate ac religione clarum. 112. L. Guardiani Obſervantium induſtria inſtauratum. ibid. Privilegium eidem Cœnobiarchæ a Pontifice impertitum. ibid.
Stanislaus Cracovienſis ex Obſerv. Epiſcopus & Martyr cum Sociis a Tartaris interfectus. 60. X. Ipſorum ope Joannes Anchaſſenitius Kiovienſis Epiſcopus ab imminenti morte liberatur. 61. X. Eorum elogium. ibid.
Statuta generalia Salmantina deſcribit, & illuſtrat Clemens Monilianus Ordinis Minorum Generalis Miniſter. 261. IV. Ea proponuntur Ciſmontanæ familiæ a Cardinali Carpenſi ejuſdem Seraphici Ordinis Protectore. 261. V. Eorundem ſtatutorum lectio Fratribus Minoribus perutilis. 264. VII. Horum ſta-

ſtatutorum ſeries a pagina 265. vn. uſque ad pag. 324. VIII.
Stephanus Epiſcopus Wintonienſis ſerpenti in Anglia hæreſi cum aliis Epiſcopis reſiſtit, ſed timide. 245. I. Quam ob cauſam miſere afligitur. ibid.
Stephanus Gamma Ugentanam urbem in Malacenſi ora incendit, Rege fugato. 164. XCVIII.
Stephanus Salandrinus egregiæ pietatis vir in patria decedit. 53. XXIX.
Stiliconis clariſſimi ducis filia Henrico Imperatori deſponſa. 70. & 71. III.
Subditorum animos ſibi conciliandi forma a Prælatis tenenda, & imitanda. 207. & 208. CXLVIII.
Suida. 100. XVIII.
Suornici inſigne miraculum accidit. 31. LIV.
Sylveria. V. *Antonius. Jacobus Sylveria.*

T

TAngerama Peruviæ provincia. 149. LXXIV.
Taurinenſium civium in Obſervantes liberalitas. 107. XLII.
Tertius Ordo S. P. Franciſci apud Drepanenſes. 19. XXII. Ejus initia in Sicilia. 21. XXVIII. Ejus ſtatus, & vivendi inſtitutum in Hibernia. 29. XLV. Boethius Eganus, aliique Martyres inter hujus Ordinis profeſſos immerito numerati. ibid. Petrus Calderinus Fratrum Tertii Ordinis Miniſter Generalis. 60. VII. Tertii Ordinis Sororibus in Monaſterio oppidi S. Martini Didacus Avellaneda Soc. Jeſu corpus unius e S. Urſulæ Sociis elargitur. 67. XXVI. Mulierum Tertii Ordinis diſciplinam renovat Moguntinus Antiſtes in Cœnobio ſuburbano. 79. XXV. Bonaventura Vincentinus Tertii Ordinis Miniſter Generalis deſignatur. 202. CXXXVIII. Sodalitas Tertium Ordinem profitentium. V. *Sodalitas hominum Secularium.* Tertii Ordinis inſtitutum a Generali Miniſtro novis legibus auctum. 221. V. Hujus Ordinis alumni diſciplinas juventutem in Verſonenſi Academia publice edocent. 243. XXXII. Joannis Telleſii Urenæ Comitis erga eoſdem benevolentia. V. *Joannes Telleſius.* Tertii Ordinis in Templis ſacra peragi poſſe tempore Interdicti certis præſtitutis diebus indulget Summus Pontifex. 243. XXXV. Tertius Ordo Segobrigæ floret. 253. & 254. IX. Tertii Ordinis Sorores in communi viventes ad ſervandam clauſuram aſtringuntur. 260. III.
Thebaldus Urbini regulus. 218. CLXXXI.
Theodoſius Dux Brigantinus S. P. Franciſci ope diu expetitam maſculinam prolem ſuſcipit. 243. XXXI. Obſervantibus Cœnobium extruit. ibid.
Theologi Concilii Tridentini ex Fratrum Minorum Ordine. V. *Concilium Tridentinum.*
Theologorum Catholicorum ſententiæ circa Juſtificationis certitudinem intactæ relinquuntur in Concilio Tridentino. 247. LXVII.
S. Thereſia Virgo in reformando Carmelitarum inſtituto a D. Petro de Alcantara magnopere adjuvatur. 42. VI. Deus in bujus Sancti nomine petentes ſe exauditurum eidem S. Thereſiæ aſſeverat. 43. VI.
Thomæi Chriſtiani in Cranganoris Regno. 195. CXXXIII.
D. Thomas Apoſtolus in Indiam ad Chriſti Evangelium diſſeminandum proficiſcitur. 195. CXXXIII. Socotorum inſulam Arabici maris adit, exinde Cranganorem. ibid. Res ibi ab eo geſtæ. ibid. Ejuſdem ad Sinas profectio. 195. & 196. CXXXIII. In Coromandilem redit. ibid. Meliapore Sacram Ædem extruere aggreditur; ſed prohibetur a Rege. ibid. De en res mira. ibid. Ejus vaticinium de Chriſtiana religione per candidos homines multo poſt inſtauranda in Indiæ regionibus. ibid. Brachmanæ cujuſdam flagitium, & in S. Apoſtolum crimen contlatum. ibid. Qui calumniam miraculo diluit, & Saganum Regem ad Chriſtum convertit. ibid. A Brachmanis interficitur. 197. CXXXIV. Ejus ſepulchrum miraculis clarum. ibidem. D. Thomam Indi Malabares magno in honore habent. ibid. De ipſius in Indiam adventu, ac morte obita aliorum opinio. ibid. Ab Indorum multis Chriſti Fides retenta ad hæc uſque tempora. ibid. Eorum mores, ac cæremoniæ. ibidem.
Thomas Cranmerus Cantuarienſis Archiepiſcopus. 219. II. Eo favente hæreſis in Angliam inducitur. ibid. Cuſtodiæ mancipatur. 259. I.
Thomas a S. Ludovico. 103. XXV.
Thomas Morus Angliæ Cancellarius ab Henrico VIII. ſupplicio afficitur. 25. XXXVIII.
Thomas a Renda in Obſervantibus morum integritate celebris placide obit. 82. XXXIV.
Thomas Sommerſetus hæreticorum fautor in Anglia publico ſupplicio interimitur. 247. II.
Thomas Tiphernas. 12. XX.

Ti-

Tiburtinum Collegium Canonicorum negotium exhibet Obſervantibus funerandi cauſa. 239. XXVII. Sed coercentur edicto Romanæ Curiæ. ibid. Tiburtinum S. Michaelis Archangeli Clariſſarum Monaſterium, olim S. Joannis Baptiſtæ nuncupatum. 66. XXIII. Sex Sanctimoniales e Romano S. Laurentii in Pane & perna in ipſum deducuntur. ibid. Inſtauratur, pecuniam elargientibus Gregoria, & Portia e Vicecomitum familia. ibid. Laura de Angelis bona ſua eidem teſtamento relinquit. ibid. Decimarum exactor ab inferenda huic Monaſterio moleſtia deterretur. 77. XXV.

Titelmani Lovanienſis Collegii moderatoris in funere orationem habet Adamus Sasbouth. 327. XIV.

Tocan Inſulæ Dienſis dynaſta. 160. XCIII. Dium contra advenientes Luſitanos munit. 162. XCV. V. *Luſitani*.

Tornacum a Rege Galliæ occupatur. 225. XI.

Turca imaginis Deiparæ impius percuſſor in marmoreum ſimulacrum mutatur. 31. LIV.

Turcæ Luſitanos ex India pellere intentant. 170. CIV. Dienſem arcem obſidere parant. 171. CV. Oppugnationem tentant. 172. CV. Eorum machinam incendiariam incendunt Luſitani. ibid. Rumæum caſtellum oppugnant. 173. CVI. Eis deditur. ibid. Iterum Dienſem arcem oppugnaut. 174. CVII. Luſitanorum pertinacia vincuntur. ibid. Perterriti diſcedunt. 174. CVIII. Eorum ſtrages. 194. CXXX. V. *Ottomanus*. *Solimannus*. *Luſitani*.

Turcica Claſſis Maſſiliam appellit. 70. I. Una cum Gallis Nicæam oppugnat. ibid.

Tulæ in regione Alphonſus Rengelius Obſervantium Sacerdos Evangelium diſſeminat. 202. CXXXIX.

Turibius Motelina. 25. XXXVII.

Turſacanis Abaſſinæ legionis dux a Mamudio Rege in Dienſi oppugnatione relictus. 182. CXX.

Tyrrhenum mare latrociniis infeſtum habet Claſſis Turcica ſub Barbaroſſa pirata. 74. XII.

V

VAlerianus Viterbienſis Capuccinus. 93. V.

Vaſcus Gama Comes Vidiguerranus Cœnobium Excalceatis fundat. 47. XVIII.

Vaſcus Petrejus a S. Pelagio. 167. C.

Vaticana in Baſilica arca marmorea, ubi Mariæ Stiliconis filiæ Honorio Imperatori deſponſæ corpus fuerat conditum, reperitur. 70. III. Quænam in ipſa fuerint inventa. ibid. Vaticanæ fabricæ Procuratores Obſervantibus moleſtiam exhibent in Regno Neapolitano. 214. CLXX. De his quid publice cautum. 215. CLXX.

Vega. V. *Andreas de Vega*.

Vermilius. V. *Petrus Martyr*.

Victoria de Afflictis Clariſſa Neapolitanum Cœnobium S. Mariæ a Jeſu adire jubetur diſciplinæ conſtituendæ cauſa. 213. CLXV. Cardinalis Carpenſis Ordinis Protectoris ad eam litteræ. ibid.

Vigerius Senogallienſis Epiſcopus Concilio intereſt Tridentino. 146. LXVII. Ejus judicium de ſolis proſcribendis hæreticis in decreto de Juſtificationis certitudine Patribus probatur. ibid.

Villæ Eſtenſis Tiburtinæ conditor Hippotitus Cardinalis Ateſtinus. 66. XXIII.

Vincentius a Lacu ex Obſervantium familia comes, & adjutor Albuquercii Goani Epiſcopi cum Garzia Indiæ Prætore in Indiam proficiſcitur. 175. CIX. Ei memorabile quiddam contingit. ibid. Tanoris in Regno re bene geſta, ad confirmandam Cranganoris Eccleſiam convertit animum. 198. CXXXV. Juventutis Collegium fundat Cranganore. ibid. Ejus rei cauſa pecuniam impetrat a Luſitaniæ Rege. ibid. Ejuſdem Collegii leges, & inſtituta. ibid. Chriſtianorum Crangarenſium mores, vitæque diſciplina. ibid. Eorum in Templis conciones habet Vincentius. ibid. liſque perſuadet, ut ad bonam redeaut frugem, ac Romana ſacra ſuſcipiant. 199. CXXXV. Templa obſita vetuſtate inſtauranda, & nova ædificanda curat. ibid. Cranganore obit. ibid.

Vincentius Lunellus totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter decreta Mexicanæ Provinciæ confirmat. 3. IV. Poſt Ordinis Præfecturam ad Cœnobium Eliocratenſe, ut quieti, & pietatis officiis det operam, conſeſtim divertit. 115. VII. Ejus privatæ, & integræ vitæ tenor. ibid. A Carolo V. Cæſare legatur ad Concilium Tridentinum. ibid. Sententiam dicit de juſtificatione, certitudine gratiæ, & juſtitia imputativa. 116. VIII. Definitor Generalis eligitur. 220. III.

Vincentius Valderius Epiſcopus Chriſtianam Religionem Atabalipæ Quitoni Regi ſuadere conatur, ſed fruſtra. 152. LXXVIII.

Vincentius Valderius Dominicanus Franciſci

ciſci Pizarri ſocius in Peruvia. 115. LXXXIV.
Virtutes feminæ principe digoæ in Philippa Egmontia Lotharingica emicant. 229. XVII.
Urbanus Bolſamius Conventualium Sacerdos latinæ græcæque linguæ peritiſſimus. 104. XXXII. Scribit Commeotaria in Homerum. ibid. Alia ejus opera. ibid. Et elogium. 105. XXXVII.
Urbanus Venetus Obſervantium Presbyter Matthæi a Baſſio Confeſſionem excipit ante ipſius obitum. 257. III. Ejus mores & facta litteris conſignat. ibid.
Urraca de Alonſo Ordinis S. Claræ Mariæ Varenæ ætate, vitæ innocentia, virtutis æmulatione, ac felici obitu conjunctiſſima. 252. VI.
Urſula agreſtis puella a Deipara Virgine jubetur Goriticnſibus edicere, ut ſuo Nomini Templum extruant, & diceot. 76. XVIII.
Waddingus ad quem annum Annales Minorum perduxerit. 2. I.
Vulgatæ Scripturæ de auctoritate judicium Andreæ de Vega Ordinis Minorum Theologi. 118. XII. & ſeqq. Illud ſequuntur Clariſſimi Viri. ibid. Cæteris verſionibus Vulgata auctoritate præſtat. 120. XVI. A quo tempore generatim in Eccleſia uſurpata. ibid. Ad Dei providentiam ſpectabat eam in rebus Fidei, ac morum immunem ab erroribus ſervare. ibid. Eam præ aliis comprobat Concilium Tridentinum. ibid. Cunctas tamen reliquas a Vulgata non improbat. ibid. In Vulgata multa ſunt obſcura & ambigua, quibus lux effunditur a Bibliis primorum idiomamatum. 122. XVII. Ex quo Vulgata proba ſit, & legitima, non ſequitur alias verſiones malas eſſe. 122. XIX.
Wittembergius Dux in gratiam Caroli V. Cæſaris redit. 219. I.

X

Xenophon quomodo Cyri vitam deſcribat. 100. XVIII.

Y

Ynca Garcillaſſus Peruvianus Peruviæ rerum Scriptor. 154. LXXXII. & LXXXIII.

Z

Zaccharias Boverius Annalium Capuccinorum Scriptor. V. *Boverius*.
Zamorinus. 168. CI.
Zumaraga. V. *Joannes Zumaraga*.

Statutorum Salmantinorum a Clemente Moniliano Generali Ordinis Miniſtro deſcriptorum Synopſis, ſeu ſingulorum Capitum argumenta, prout ab eodem Moniliano conſcripta.

CAPUT I.

DE præeminentia Regulæ & vitæ Fratrum Minorum: ubi continentur tria genera Religioſorum, & quomodo exhibere debeot Fratres obedieotiam & reverentiam dicto Sanctiſſimo Domino Noſtro (*Papæ*) & puniri in hoc delinquentes. *Pag* 265.

CAPUT II.

De venieotibus ad recipiendum vitam iſtam, de informatione Novitiorum, Profeſſione, & Voto ſolemni, de Clericis ordinandis, de Laicis, de Apoſtatis, corum ſtatutis pœnalibus, & de vilitate & forma indumentorum. 268.

CAPUT III.

De Divino Officio, modoque illud perſolvendi, & quomodo omnes ad illud accedere debent: de mentali oratione, & ſilentio: & quod omnes teneantur communitatem in quibuſcumque ſervare: & ſine neceſſitate & licentia non equitent. 274.

CAPUT IV.

Pecunia quid ſit, & denarii, qui amici ſpirituales, quid recipere per ſe, & per interpoſitam perſonam: De Procuratoribus, de modo, quo illis uti debent Guardiani, & Fratres, ut ſecuri ſint in conſcientia: & quomodo ſubditi in dubiis ſtare debent Prælatorum judicio. 276.

CAPUT V.

De laboritio honeſto Fratribus neceſſario, de pretio laboris, & in cujus manu poni debeat; de Sacramentali Confeſſione, ſacra Communione, culpis, diſciplinis, oratione meotali, ſtudiis; & quomodo abſtinere debent Fratres a ſecularibus negotiis, ac probibitis artibus 282.

CAPUT VI.

Quod nihil ſibi approprient Fratres; de proprietariis, ac eorum pœnis; & quo-

modo in omnibus ſervari debet Communitas; quod non recipiantur depoſita, nec pignori dentur res Conventus, nec recipiantur de novo, nec relinquantur Conventus ſine Generalis Miniſtri licentia: de Legatis perpetuis, & cura infirmorum. 285.

CAPUT VII.

De caſibus reſervatis, & habentibus auctoritatem ab eiſdem abſolvendi, de ſtatutis ſuper eiſdem caſibus ſingillatim terminatis, & pœnis annexis, de forma procedendi contra exceſſus, & incorrigibiles, & illos, qui aſſerunt, quod Prælati non valent ſibi reſervare caſus. 288.

CAPUT VIII.

De electione Generalis Miniſtri, Commiſſarii Generalis, Miniſtrorum Provincialium, Definitorum, Cuſtodum Provinciarum, Diſcretorum Conventuum, ſimul & de inſtitutione Officialium Romanæ Curiæ, & Commiſſariorum particularium, ac de eorum omnium officio, auctoritate, & a quibus eorum Vicarii eligantur, ſi contingat quempiam illorum debitum humanæ carnis perſolvere. 294.

§. I. De Commiſſario Generali. 298.

§. II. De Definitoribus tam Generalibus, quam Provincialibus. 299.

§. III. De Procuratore, & Commiſſario Curiæ Romanæ. 300.

§. IV. De Miniſtris Provincialibus. 301.

§. V. De Commiſſariis particularibus miſſis a Generalibus. 304.

CAPUT IX.

De Prædicatoribus, & ſecularium Confeſſoribus, & de his, qui eos inſtituere debent, & ubi; de conditionibus eorumdem Prædicatorum, & Confeſſorum, ac ætate; & quomodo in Fide ſuſpecti puniantur: ſimiliter quod nullus ſine licentia tradat prælo libros ac impreſſioni. 305.

CAPUT X.

Quomodo Prælati in viſitando Fratres, & corrigendo formam ſervare debent canonicam, maxime in neceſſariis ad recta judicia; de Perſona Judicis, modo convincendi reos; de conſeſſis, appellationibus; de quibuſcumque aliis, in quibus quis poteſt ſe præſtare juſtum judicem. 307.

CAPUT XI.

De ſuſpectis conſortiis, vitandis offendiculis, & ſcandalis quibuſcumque: de ſequeſtrationibus a ſociis, colloquutionibus cum Monialibus, ingreſſibus Monaſteriorum earumdem, & de modo ſervando, cum illa ex officio ingreditur quis; de omnibus ſtatutis ad eas ſpectantibus, & quomodo non poſſunt trahi ad judicium; & de caſibus, in quibus, cum recipiunt Monales, incurrunt ſimoniam. 317.

§. Unicus. De Monialibus. 318.

CAPUT XII.

Quomodo de bono regimine providendum eſt Terræ Sanctæ, & quod non niſi probi mittantur de auctoritate eidem præſidentium. De Reverendiſſimo Protectore, & ejus facultate: & qualiter Fratres omnes ſuis reſpective obedire debeant Prælatis, ſervare inviolabiliter ſtatuta iſta, legereque illa integraliter in ſingulis duobus menſibus Fratribus, ac eiſdem lingua vernacula declarare, ut nullus velamen excuſationis habere poſſit. 321.

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus Decimi octavi Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus per ordinem poſitas Bullas.

Accepimus quod inter Fratres. *Pauli III.* XXXVII. 386.
Ad fructus uberes. *Ejuſdem.* LXXIV. 435.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem.* XXXV. 382.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem.* LVIII. 418.
Apoſtolatus officium. *Julii III.* VII. 491.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem.* XI. 497.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem.* XIV. 500.
Apoſtolatus officium. *Ejuſdem.* XXI. 510.
Apoſtolicæ Sedis. *Ejuſdem.* IX. 494.
Attulit Nobis. *Pauli III.* XX. 358.
Audientes Generale Capitulum. *Julii III.* XXIX. 519.
Conqueſtus eſt Nobis. *Pauli III.* XVIII. 356.
Cum acceperimus. *Julii III.* XXVIII. 518.
Cum alios. *Pauli III.* LV. 414.
Cum Capitulum Generale. *Julii III.* XXXIII. 523.
Cum dudum. *Pauli III.* V. 335.
Cum intelleximus. *Ejuſdem.* LXXXVII. 478.
Cum Nos. *Ejuſdem.* XL. 390.
Cum Nos nuper. *Ejuſdem.* XLIX. 404.
Cum Nos nuper. *Ejuſdem.* LII. 407.
Cum Nos nuper. *Julii III.* XXIII. 512.
Cum ſicut accepimus. *Pauli III.* LXV. 428.
Cum ſicut accepimus. *Ejuſdem.* LXIX. 432.
Cum ſicut accepimus. *Ejuſdem.* LXXI. 434.
Cum ſicut accepimus. *Ejuſdem.* LXXVI. 464.
Cum ſicut accepimus. *Ejuſdem.* LXXXIII. 473.
Cum ſicut accepimus. *Julii III.* XVII. 505.
Cum ſicut accepimus. *Ejuſdem.* XXII. 111.
Cum ſicut accepimus. *Ejuſdem.* XXIV. 513.
Cum ſicut accepimus. *Ejuſdem.* XXXI. 520.
Cum ſicut dilecti filii. *Ejuſdem.* XV. 503.
Cum ſicut dilectus filius. *Pauli III.* XLVI. 400.
Cum ſicut dilectus filius. *Ejuſdem.* LVI. 416.
Cum ſicut dilectus filius. *Julii III.* I. 485.
Cum ſicut ex literis. *Ejuſdem.* XIX. 507.
Cum ſicut exhibita. *Pauli III.* XCI. 481.
Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem.* III. 333.
Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem.* IV. 334.
Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem.* VIII. 340.
Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem.* XXXIII. 380.
Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem.* LX. 420.
Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem.* LXVIII. 431.
Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem.* LXXVIII. 467.
Cum ſicut Nobis. *Julii III.* VI. 490.

Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem*. XIII. 500.
Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem*. XXVII. 517.
Cum ſicut Nobis. *Ejuſdem*. XXXII. 522.
Cum ſicut nuper. *Pauli III.* XC. 481.
Cum ſicut nuper. *Julii III.* XXX. 520.
Cum vos. *Pauli III.* LI. 406.
Cum vos. *Ejuſdem*. LXIV. 427.
Devotionis veſtræ. *Ejuſdem*. LXVI. 429.
Dudum a felicis recordationis. *Ejuſdem*. LIII. 408.
Dudum cum urgentibus. *Ejuſdem*. XIX. 356.
Dudum emanarunt. *Julii III.* II. 486.
Dudum ex literis. *Pauli III.* XCIII. 484.
Dudum felicis recordationis. *Ejuſdem*. XXVIII. 369.
Dudum felicis recordationis. *Ejuſdem*. XXXIV. 381.
Dudum felicis recordationis. *Ejuſdem*. LXXVII. 465.
Dudum poſtquam. *Ejuſdem*. XLIV. 396.
Dudum poſtquam. *Ejuſdem*. LIV. 410.
Dudum poſtquam. *Ejuſdem*. LXXXIV. 474.
Dudum pro parte. *Ejuſdem*. XXXIX. 388.
Ex incumbenti Nobis. *Ejuſdem*. XXXII. 376.
Ex incumbenti Nobis. *Ejuſdem*. XCII. 482.
Ex incumbenti Nobis. *Julii III.* XVI. 504.
Exponi Nobis. *Pauli III.* VI. 337.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. VII. 338.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. X. 324.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XIII. 346.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XV. 350.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XXII. 360.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XXIII. 361.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XXIV. 363.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XXV. 364.
Exeoni Nobis. *Ejuſdem*. XXX. 374.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XXXI. 375.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XXXVIII. 386.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XLII. 392.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XLIII. 394.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. L. 404.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXI. 421.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXIII. 426.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXXIX. 468.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXXX. 469.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXXXI. 470.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXXXII. 472.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXXXV. 476.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXXXVI. 477.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXXXVIII. 478.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. LXXXIX. 480.
Exponi Nobis. *Julii III.* III. 487.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. V. 489.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. VIII. 493.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XII. 499.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XVIII. 506.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XXV. 514.
Exponi Nobis. *Ejuſdem*. XXVI. 516.

Expo-

Exponitur humiliter. *Pauli III.* XLV. 398.
Expoſcit debitum. *Ejuſdem.* XIV. 347.
Expoſito alias. *Julii III.* IV. 488.
Expoſitum Nobis. *Pauli III.* XII. 345.
Ex rationabilibus cauſis. *Ejuſdem.* XXVI. 365.
Hodie certas. *Ejuſdem.* LXXIV. 462.
Honeſtis petentium. *Ejuſdem.* XLI. 391.
Injunctum Nobis. *Ejuſdem.* II. 332.
Intelleximus. *Ejuſdem.* IX. 341.
Inter fideles. *Ejuſdem.* XXVIII. 366.
Inter multiplices. *Ejuſdem.* LXXIII. 461.
Meditatio cordis noſtri. *Ejuſdem.* LXVII. 430.
Menſibus præteritis. *Ejuſdem.* XLVIII. 403.
Meritis tuæ devotionis. *Ejuſdem.* XI. 344.
Paſtoralis officii cura. *Ejuſdem.* XVII. 353.
Paſtoralis officii cura. *Ejuſdem.* XXIX. 371.
Querelam dilectorum. *Ejuſdem.* XLVII. 402.
Regimini univerſalis Eccleſiæ. *Ejuſdem.* I. 331.
Religionis zelus. *Ejuſdem.* LXX. 433.
Religionis zelus. *Julii III.* XX. 508.
Romani Pontificis. *Pauli III.* LVII. 416.
Romanus Pontifex. *Ejuſdem.* XVI. 351.
Sinceræ devotionis. *Julii III.* X. 495.
Solet Romanus Pontifex. *Pauli III.* LXII. 422.
Suis Nobis literis. *Ejuſdem.* XXI. 359.
Suis Nobis literis. *Ejuſdem.* XXXVI. 384.
Supplicarunt Nobis. *Ejuſdem.* LIX. 419.
Volentes votis tuis. *Ejuſdem.* LXXV. 463.

FINIS TOMI DECIMI OCTAVI.

Menda, quæ in hujus Decimi octavi Tomi impreſſione irrepſerunt, benevole Lector ita corrige.

Pag. 2.	§. I.	*lin.* 16.	iſtammat	inſtammit
5.	§. VII.	*lin.* 17.	Paleſtinæ	Paleſtinæ
32.	§. XLVI.	*lin.* 2.	fatiſcentem	fatiſcentem
48.	§. XIX.	*lin.* 26.	ſit adeo	ſit a Deo
59.	§. IV.	*lin.* 4.	Antiſtes	Antiſtites
67.	§. XXVII.	*lin.* 4.	Cremonenſi	Cremonenſis
77.	§. XXII.	*lin.* 12.	re complures	complures
89.	§. I.	*lin.* 30.	reperiretur	repetietur
95.	§. IX.	*lin.* 33.	decubit	decubuit
95.	§. XV.	*lin.* 1.	Chriſtſti	Chriſti
112.	§. LIII.	*lin.* 20.	imitatius	imitatus
127.	§. XXI.	*lin.* 10.	MCCCCLXVI.	MCCCCLXXVI.
128.	§. XXII.	*lin.* 12.	Accademiis	Academiis
129.	§. XXII.	*lin.* 48.	conſtitutionis	conſtitutioni
158.	§. LXXXIX.	*lin.* 13.	ductu manu	ducta manu
202.	§. CXXXVIII.	*lin.* 19.	cauſatuſque	cauſatuſque
202.	§. CXXXIX.	*lin.* 4.	ſuit	ſuit
216.	§. CLXXIII.	*lin.* 1.	Affiſiatis	Affiſiatis
226.	§. XIII.	*lin.* 2.	Leodienſem	Leodienſium
238.	§. XXVI.	*lin. penultima.*	ſua debuerit	ſuadebit
256.	§. III.	*lin.* 6.	anctoritatem	auctoritatam
262.	§. V.	*lin.* 34.	inviolabiliter	inviolabiliter
277.	§. VII.	*lin.* 16.	tecum perditione	tecum in perditione
305.	§. VII.	*lin.* 27.	conſiio	conſilio

Aol 1671254